Digitized by Google

IG. 119/31

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCI VELSERI
OPERA
IN UNUM COLLECTA.

Digitized by Google

SEdet hîc, ſedata temeritate hoſtium,
(dum aliæ ſtant civitates ac provinciæ)
Illa Jovis, Junonis, Neptuni mater, Saturni uxor Cybele,
turribus comas cincta.
Magnam matrem magna decet filia,
ſalvo BOJORUM *clypeo inſignis*, alta, & ſtrenua,
quem ideò tenet, quia nunquam abjecit.
Antiquo robore *pinus* ingentes tendit ramos,
denſis hoc montis culmen *obumbrans*
frondibus, & nulla lucos agitante procella:
In quam *puram & caſtam* arborem *Atys* converſus eſt,
velut arctius dilectam *Cybelen* Deam brachiis ſuis complexurus.
Eſt ſuccincta comas, hirſutaq; vertice pinus
grata Deûm matri; ſiquidem Cybeleius Atys
exuit hac hominem, truncoq; induruit illo.
Hinc *pinus* cœpit eſſe certiſſimum *virginitatis* ſymbolum,
hinc pronuba *caſtos* accendit *pinus* amores,
& *februa* poſcenti *pinea* virga data eſt.
His *Cybeles pomis* ſuus itaq; ut honos eſſet,
VELSERUS *pineam nucem* fregit nucleum eſſe volentibus.
A dextris dexterrimè *Tempus* pariter ac *Virtus*
ad calamum dictant Hiſtorico, quod factitatum eſt ad gladium;
Dictum! Factum!
Flaminii caſſis, Gargeno detracta, non caſſa annuit fide,
munita Viro cui vertice ſurgens
triplex criſta, jubas effundit crine SUEVO:
Aurea cæſaries ollis,
auro virgatæ veſtes, manicæq; rigentes
ex auro, & ſimili vibrabat criſta metallo.
HIC LABOR, HOC OPUS EST!
A ſiniſtris haud ſiniſtrè res *Vindelicorum* agitur,
confluvio pari atq; conſilio *Vindonis* ac *Lyci*,
queis aqua nunquam hæret:
Ad ſacras illorum origines Rætia ſua ſic pandit retia,
ut capere poſſis, quod capit.
Nunc Druſi victoria, mox detruſi Vindelici;
hinc in Alpibus *trophæa*, illinc *roſtratæ* ad lacum *ſtatuæ:*
Donec *Muſarum volucres*, parcæ, fideles, in coloniam miſſæ,
has pedibus confinxerunt ceras, queis opera ac labores ſuos
otio haud marcidus MARCUS manu ſua inſcriberet,

Digitized by Google

G.C.Eimmart delineavit et sculpsit.

Digitized by Google



Digitized by Google

MARCI VELSERI,
MAIORIS ANT.
REIP. AUGUSTANÆ
SENATORIS, ET VIN-

MARCVS VELSERVS S. CÆS. MAIEST. A CONSILIIS
ET REIPVBL. AVGVSTANÆ DVUMVIR.
Elias Heinzelmann Sc. Aug. Vind.
NAT.
DUM SILET
VIRTUS.
LOQVITUR
FAMA.

MARCI VELSERI,
MATTHÆI F. ANT. N.
REIP. AUGUSTANÆ
QUONDAM DUUMVIRI,

OPERA
HISTORICA
ET PHILOLOGICA,
SACRA ET PROFANA.

In quibus

Hiſtoria Boica, Res Auguſtanæ, Converſio & Paſſio SS. Martyrum, Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, Vitæ S. Udalrici, & S. Severini, Narratio eorum, quæ contigerunt Apollonio Tyrio, Tabulæ Peutingerianæ integræ, Epiſtolæ ad Viros Illuſtres Latinæ Italicæque, & Proteus ſatyra continentur.

Acceſſit

P. Optatiani Porphyrii Panegyricus,
Conſtantino M. miſſus,
ex optimo Codice à PAULLO VELSERO divulgatus,
unà cum *Spicilegio Critico* Chriſtiani Daumii.

Præmiſſa his fuit

Præfatio ad Lectorem, de ſingulis ſcriptis nunc recuſis, juxta Virorum eruditiſſimorum ſententias:

Nec non

VITA, GENUS, ET MORS AUCTORIS NOBILISSIMI.

Accurante
CHRISTOPHORO ARNOLDO.

NORIMBERGÆ,
Typis ac ſumtibus WOLFGANGI MAURITII, & Filiorum
JOHANNIS ANDREÆ, ENDTERORUM.
ANNO cIↃ IↃc LXXXII.

ECOLE SAINTE GENEVIEVE B.D.J.

A D

STUDIOSUM LECTOREM PRÆFATIO

CHRISTOPHORI ARNOLDI.

Erè ac præclarè Tacitus : Suum cuique decus posteritas rependit. *Hic enim mortuorum memoriæ propagandæ labor est suscipiendus ob eos, qui dum mortalem hanc vitam incolerent, cum sapientia atque doctrina cæteris anteirent, ad scribendum se contulerunt ea, quæ ab ipsis essent inventa & excogitata divinitus. Benè igitur de Repub. literaria mihi mereri videntur, qui illustrium Virorum scripta, nostra ætate florentium, quæ (sicut alia omnia) vetustas obrueret, omnium seculorum posteritati commendare, atque ab oblivione vindicare nituntur : Hæc ipsa, inquam, Cognatorum diligentia fuit, ne aliquo in angulo MARCI VELSERI cimelia, olim evulgata, pulvere situq; marcescerent ; aut inedita muribus blattisq; cibum præberent. Quamobrem gaudeo, mihi, ad posteros recreandos, id esse oblatum, quod & lectoribus gratum fore non dubito; cum summi illius Viri Opera, conquisita & collecta, publicæ luci restituo. Cæterum in hæc ipsa Amicorum cohortatione incitabar, qui & mihi manus porrigebant, operamq; suam sedulò addebant. Inter primos aut primus occurrit Venerabilis Vir, & exactæ jam ætatis,* Joachimus Camerarius, *unicum posteritatis suæ decus ac ornamentum ; sic enim is fatur in literis suis :* Mitto epistolas Magni Velseri ad Avum meum, quas non ingratas fore spero Illustri Familiæ ; cui me quàm plurimum commendo, dum in parte felicitatis pono, extare monumentum amicitiæ Illius erga meos. Valdè lætor de adornatione editionis, quam mihi significas; cui an fortè aliquid successurum sit de Vita Viri magni, deinceps intelligam. *Et post nonnulla :* Porrò quin, quæ paratur editio opusculorum illorum, futura sit elegans, ut fuit Velserus pater elegantiarum, dubitare me non sinit Typographi studium; qui Augustanis & Venetis, ut puto, cedere non volet. *Tam in omnia pariter intenta bonitas & accincta* Nic. Heinsii *erat, ut incunctanter in suis etiam fateretur, se auxilio mihi affuturum* : De Marci Velseri, Viri & dignitate & doctrina conspicui Operibus in unum colli-

Ann. IV, 35. 3.

Heidelb. 5. April. 1678

Viana, Non. Nov. 1678.

 gendis

gendis ac permittendis luci consilium vestrum non possum non vehementer approbare. Memini quidem in scriniis meis extare complures ejus epistolas, ad Josephum Scaligerum τὸν πάνυ exaratas, quæ ex hæreditate jam olim paterna ad me devenerint ; conquisiturus cum cura has ipsas, ut animus multo torpore immersus, ex angustiis funestissimorum ac valetudinis diuturnæ incommodis emerget. *Præterea salivam tantùm nobis movit, dum epistolam his obsignavit verbis:* Videor vidisse olim apud Parisios, in Mazariniana bibliotheca Marci Velseri commentarios in KALENDARIUM ROMANUM, cujus exemplar edidit Petrus Lambecius è bibliotheca Cæsaris Vindobonensi ; ejus libelli an apographum extet apud Velseri hæredes, haud scio. *Nec quicquam omisit Vir amicissimus (quo ante multos annos in celeberrima Batavorum Academia usus sum valdè familiariter) ut commodis nostris strenuè inserviret ; quare V. Cl. Emericum Bigotium mihi adjuncturus, alio tempore, de eodem*
Viana, 1679 Kal. Febr. *Kalendario subindicavit sequentia :* Idem amicus meus, *ait*, cum scribat, se brevi excursurum rure, ubi sedem nunc fixit in Neustria, ad Parisios ; atque illic partem quadragesimæ potissimam à se fore exigendam, per literas mox rogabitur, ut bibliothecam aditurus Mazarinianam, inquirat in Kalendarium, de quo proximè agebam ; si illic etiamnum asservetur. Nam ex quo mihi à Gabriele Naudæo exhibebatur, ipsam bibliothecam, auctione publica distractam fuisse, sed postea majori ex parte ad veterem rediisse dominum audivisti credo. Porrò, ubi primum licebit per otium & valetudinem, scrinia omnia excutiam ; etiam ea, quæ paternæ hæreditatis jure ad me pervenerunt, ut Marci Velseri τὰ πάνυ Epistolas ad Jos. Scaligerum exaratas, & si quæ præter has offerentur, eruam ; tibique, immò posteris vindicem. De his in transcursu nunc te monendum duxi. *Nec fefellit opinionem meam, sed fidem suam (per candidas* Carpzovii *manus) mihi præstitit Vir integerrimus : Immò non satis habuit explere, quæ promiserat ; hoc videlicet studio parum contentus, nisi*
Viana, 1680 m. Sept. *gemmas auro quoque includeret* : Vir Illustris, *inquit*, Constantinus Hugenius Zulichemius possidet syllogen haud parvam literarum, à Viris clarissimis illorum temporum exaratarũ ad Justum Lipsium ; quas inter Velserianæ complures comparent. Harum ne gravetur copiam nobis facere, possessorem, parentis mei, ut scis, amicum veterem rogavi. *Neque rogatio hæc in irritum redacta fuit ; Illius enim concessu & beneficio, filius meus, ad Batavos tunc flectens iter, in ædibus Hugenianis, ex aureo illo Epistolarum tomo ab An. 1594. usque ad An. 1602. omnes illas amantissimè descripsit (nihil enim potuit fieri amantius) quas hìc publicavimus. Gratias laudesq; divino Seni agimus, ac porrò acturi sumus, quod benevolentiam suam in nos navare voluit ; tranquillam Nestoris ætatem semper precaturi. Easdem Heinsio etiam post mortem debemus, quem Virum principem celerius, quàm opus fuerat, rebus humanis sua ingentia in cœlum merita evocarunt : Plura enim edidit veræ eruditionis monumenta, quam quisquam alius, qui una esset ætate : Ita doctè, ita eleganter, ita*

com-

commodè ſcripſit, tum ſoluta oratione, tum verſibus, ut ſit difficile judicare, utrum ille melior fuerit Orator, quàm Poëta: Verum obiit is, Hagæ Comitis magno Viris in Gallia, Anglia, Germania, Suecia, & Italia eruditiſſimis (quibus erat unicè charus) dolore nuper ac luctu relicto. Præterea huc acceſſit exhortatio doctrina pariter ac prudentia Nobiliſſimi Viri F. B. Carpzovii, *(cujus amor & auctoritas hoc ipſum mihi negotium imperare poterant) ut verba Epiſtolæ Illius penſiculatius æſtimarem, & forti imperio facilè obtemperarem, dum ait:* A doctiſſimo Daumio relatum accepi, te novam Velſeri Monumentorum Auguſtanorum & aliorum Operum editionem moliri; quo labore nec meliorem nec utiliorem, adde nec ſplendidiorem ſuſcipere poteris; famamque nominis tui ultra Monumentorum ipſorum ætatem extendes, & opus exiges, quod nec Jovis ira nec ignes: noſti cætera. Quæſo, nihil te ab hoc propoſito dimoveri patiaris, neque ulla antiquior tibi cura ſit, qua ſtudeas, ut tanti Boni citiùs compotes reddamur. *Venit mihi in mentem Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarius, ſummis laudibus ad cœlum efferendus; tanta enim ſollicitudo & cura (quam ipſemet ſibi in hac nova Operum Velſerianorum editione ſtruxerat) Illius fuit, ut ſempiternæ gloriæ meritò commendari debeat: Omnes eruditi, in univerſo orbe, videntur mihi perſpicere ipſius animum propenſum ad ſalutem Rei literariæ; dum hoc unicè ac ſemper agit, & acturus eſt, ut cunctis ultrò inſerviat, qui literis ſe totos involvunt, quosque in altum doctrina miſit. Nomina feci, quæ ego verſura facta ſolvere haud queo: Debemus enim Illi Epiſtolas ad Nobiliſſimam gentem ſuam, hujusq; ad Noſtrum, perſcriptas; debemus varias, ex inſtructiſſima ipſius bibliotheca, eclogas, manu ſua deſcriptas; nec aliam certè ob cauſſam, quam ut celebre Velſeri nomen dignis laudibus veneraretur; aureamq; huic Heroi ſtatuam, ab Italis longè gratiſſimis adhuc ponendam, politiſſimis ad me literis ultrò polliceretur. In prioribus Illum hoc decoravit elogio:* Pochi Vomini hà avuto queſto ſecolo equali ad eſſo, e forſe niuno ſuperiore, per le tanti doti, che congiuntamente in eſſo riſplenderono, di dottrina grande, ed univerſale; giudizzio purgatiſſimo; bontà di vita; nobiltà di ſangve; cariche onorevoliſſime; affetto, e protezzione verſo tutti i Letterati più celebri di tutte le profeſſioni. Solo in queſto è ſtato sfortunato, che niuno ne hà ſcritta una Vita, come sì doveva, e fattolo vedere, per quel grande Vomo che eſſo è veramente ſtato. *Poſtea inſatiabili gaudio compleri ſe teſtatur, quod commodare ſe nobis poſſit:* Oh come mi rallegro di poter contribuire al meno con queſta piccola pietruzza, alla nobil fabbrica della nuova edizzione di un Vomo inſigne per Naſcità; per Letteratura; per Dignità; per bontà di coſtumi; per corteſia; per beneficenza verſo di ogni ſorta di Letterati; per il quale non cede la gloria la Germania alla Francia per il Peireſchio, ne all' Italia pel Pinelli. *Verbo ſatis digno tam operoſa induſtria appellari nullo modo poteſt; neque commodior deſiderii ſui explicator mihi videtur, quam ipſe Magliabechius, cujus iterum verba conabor exprimere:*

Lipſia, d. 15. Nov. A. 1678.

Firenze, li Dicemb. 1680.

Li 7. Dicemb.

Avevo

Li 11. Dicemb. Avevo deliberato di ſcrivere ſolamente ſei fogli, mà tanta e tanta roba mi viene intorno à quel grand Vomo alla memoria, che ne hò ſcritti dodici, e ne aurei potuti ſcribere anche cento. Spero però che da queſti dodici, come dall' ugna del Leone, chi non aveſſe quella gran cognizione di queſto grand' Vomo, conoſcerà, che maggior li eſſo non hà forſe prodotto il noſtro ſeculo. Ben sò, che in diverſe coſe hà avuto de' ſuperiori ad eſſo, mà certo, che non sì troverà un altro, nel quale foſſero inſieme congiunte tante ſingolariſſime doti, e virtù, ed anche ognuna
„ di eſſe con eccellenza. Niuna coſa hò mai fatta tanto volentieri, quan-
„ to lo ſcrivere queſti fogli, per pagare queſto piccol tributo, alla memo-
„ ria immortale di un Vomo, anzi UN EROE, AL QUALE DOU-
„ REBBE LA NOSTRA ITALIA INNALZARE UNA STA-
„ TUA D' ORO. Furono Letteratiſſimi, nonci è dubbio, nel ſuo
„ tempo frà gl' altri Giuſeppo Scaligero, Giuſto Lipſio, ed Iſaaco Ca-
„ ſaubono; ma Dio buono, i due primi particolarmente, come poco
„ amici, anzi nemiciſſimi della gloria nelle Lettere de gl' Ingegni Ita-
„ liani. Pel contrario, il Velſero, quanti amici eruditi, ed in ogni pro-
„ feſſione, aveva in Italia? Con quanta ſtima ne parlava? Con che af-
fetto? *Et ne impudenter feciſſe, meoq; nomini ex aliorum cimeliis libare laudem voluiſſe videar, gratus agnoſco officioſè & peramanter factum, quod* Frid. Spanhemius & Jac. Gronovius (*quanta, & quàm amica nomina!*) *ex ſcriniis bibliothecæ Batavæ, nec non paternæ, Velſerianas cum filio meo benigniſſimè communicarunt. Habuere illos ſibi documento* Henr. Meibomius, *nec non* Henr. Gunth. Thulemarius; *qui huic Operi quædam adjumenta atq; ornamenta cupidè & libenter ſubminiſtraverunt.*

Auctoris, nunquam ſine laude nominandi, libros uno hoc volumine comprehenſos, ordinatim, velut exhibiti fuere, numerando percenſebi-
„ *mus: His antecedit* Hiſtoria Boica, *quæ veluti Sol, aſtrorum obti-*
„ *nens principatum, habet aliquid, quod huic ordini prævertendum putet:*
„ *Illam dein ſubſequuntur* Res Auguſtanæ: Converſio & Paſſio SS. Mar-
„ tyrum, Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ; Vita S. Udalrici,
„ Auguſtanorum Vindelicorum Epiſcopi: Vita S. Severini, ab Eugip-
„ pio Abbate ſcripta: Narratio eorũ, quæ contigerunt Apollonio Tyrio:
„ Tabulæ Peutingerianæ: Epiſtolæ ad Viros illuſtres: & Proteus, ſatyra.

Viſus eſt HISTORIAM BOICAM acri ſubtiliq; ingenio & judi-
Epiſt. 269. *cio percenſuiſſe Iſ. Caſaubonus, Thuanum procul dubio ſecutus:* Habent igitur tandem, *ait*, Boji tuî hiſtoriam rerum ſuarum ea diligentia è tenebris erutam, ea ſtili felicitate compoſitam, ut quid amplius in ea quidem parte deſiderent, reliquum ſit nihil. Utri potius gratuler? illine genti, an tibi, neſcio: Sed gratulor certè utrique ex animo; tibi, quod opus ſuſceptum, ut erat dignum, graviter & ex fide perfeceris: genti Nobiliſſimę & noſtræ συγγνῶ, uti probas, quod virtutum ſuarum dignum tandem ſit nacta præconem. Præſes THUANUS, Vir omni laude major, cum ex indicibus Francofordienſibus de libri hujus editione cognoviſſet,

villet, non quievit prius, quàm totum εἰς κόσμον ἐκ κυμβάλου devoraſſet. Ex quo potes intelligere, quod ſit ipſius de iis, quæ à te proficiſcuntur, judicium. *Idem omninò fecit Lingelsheimius, ceu ipſe fatetur in ſua, ad Bongarſium*: Boica Velſeri devoravi, nihil jam diu eſt, ita me rapuit in admirationem. Mirum mihi, quod toties P. Æmilium veſtrum notet, qui tamen accuratus valdè Scriptor; ſed iſtius hominis diligentiam nihil fugit. *Summa, ut autumo, eorum voluntate factum eſt, ut unum atque idem ſentiret Jac. Bongarſius*: Boica tua legi cum admiratione & diligentiæ & elegantiæ, qua veteres certè æquas, veteres inquam notæ melioris: Itaque & quod me exemplo privatim donaveris, exulto; & quod tam accuratum opus publicum feceris, huic ſeculo noſtro gratulor. *Exultat animus, maximorum Virorum teſtimonia percurrens, quæ ſilentii ſi pario involvenda haud exiſtimo; ſed ne diu in eorum enumeratione verſer, verba ipſa citabo, prætextis ſemper nominibus. Læl. Biſciola*: Hæc tibi parum videbuntur, Amice Lector, erudita & ſolida, ſi cum iis contuleris, quæ diu pòſt ſcripta legi ejus Hiſtoriæ initio, quam de rebus Boicis prudenter, doctè & eleganter ſummo judicio Vir, atque doctrina, cum pari Nobilitate conjuncta, Marcus Velſerus condidit, & ad me ex Germania liberaliſſimè dono miſit, hominem ſibi planè ignotum. *Haut aliter, in Vitis Germanorum Politicorum Melchior Adamus*: Annales Boicos ſcripſit tanta perſpicuitate, tanta fide, tanta prudentia, tanto nitore; ut meditanti videantur adſtitiſſe hinc Muſæ & Gratiæ: hinc Conſus, Apollo, Suada, Venus. *Nec non Nic. Serarius, in Moguntiacis Rebus*: Hæc Auguſtanus ille, Boicusque TACITUS. *Haud aliter Andr. Brunnerus in Annalibus Boicis*: Atque hactenus Nobiliſſimus idemque doctiſſimus Vir, Marcus Velſerus, Reip. Auguſtanæ Duumvir, Bojorum res narrando perduxit; quos ego eodem jure felices appellem, neceſſe eſt, quo Achillem Alexander; quod & ipſi talem laudum ſuarum nacti ſunt præconem, digniſſimum certè, qui LIVIO, veterum Bojorum res Romanæ hiſtoriæ inſerenti, ſucceſſor daretur; eoque minus moleſtè fero, eum ſeculi noſtri TACITUM à quibusdam indigitari: Etſi enim eo nomine non ampliſſimè laudatum intelligo, Bojis tamen glorioſum erit, ſuæ quoque genti LIVIUM & TACITUM laudatores obtigiſſe. At enim quia illi egregiè cœpti curſus metam mors invidit, nos, quo poſſumus pede, certiſſimò duce deſtituti, cujus Manibus benè precamur, iter proſequemur. *Boh. Balbinus, Vir in ſtudiis doctrinæ multi atque celebrati nominis, & Amicus noſter vel Lælio comior, jucundiorq́; (quid enim obſtat, quo minus digno optimum Virum elogio proſequar, qui in variis ſcriptis ſuis omnes bonos juxta ac eruditos juſtis dignatur præconiis?) plus ſimplici vice, & quidem plena manu Hiſtorici noſtri laudes in aſtra ſuſtollere, nulla ſatietate defatigatur*: Poteſtne, *inquit*, his tam vetuſtis originibus ad gloriam illuſtrius quidpiam adjici? poteſt; & magnis quidem authoribus nixum. Obſervant egregii Familiarum & antiquitatis Boicæ & Bohemicæ indagatores; quos inter chorum

Epiſt. 38.

Epiſt. ad Velſer. an. 1602.

Tom. II. Hor. Subſ. lib. III. cap. 7. num. 84.

Lib. III. Notat. 28.

Part. II. lib. VI. pag. 117. 118.

Syntagm. Hiſt. de Fam. Gutenſt. fol. 6.

rum ducit M. Velſerus, V. Cl. Patricius Auguſtanus, & rerum Boicarum, quæ etiam nos attingunt, Scriptor illuſtris, cujus laudationem habes apud Cardinalem Baronium, Anno Chriſti 924. *Idem, de priſcis Bohemiæ populis ſcribens* : Hæc Velſerus, cui tanta Veterum authoritate ſuffulto, Hiſtoriam Boicam ſcribenti, qui fidem habere nolit, eum ego infra omnes Hiſtoricos pono. *Poſtquam Virum hunc Celeberrimum, ceu accuratiſſimum Boicæ antiquitatis examinatorem, & omnis hiſtoriæ ſcientiſſimum de vetere Bojorum nomine conſulendum ſuaſerat, ad demonſtrandam Marcomanniæ notitiam, uſus eſt* Weleslavio & Velſero Viro Clariſſimo potiſſimum, ex optimis quibusque Romanorum ejus ætatis Scriptoribus, velut accenſam facem præferentibus. *Interdum audit* Boicæ hiſtoriæ princeps, *mox dignitas ejus ac fides confirmatur* : Hæc affirmat Hiſtoriæ noſtræ non ignarus aliquis, ſed peritiſſimus, qui veterum Bojemorum, in hac regione noſtra degentium Hiſtoriam accuratè examinavit, & quinque eruditiſſimis libris complexus eſt ; in quibus nihil traditum invenias, quod non multiplici veterum Scriptorum, Romanorum æquè ac aliorum authoritate & teſtimoniis confirmet. *Cumq; ſocii putandi ſint, quos inter doctrina & eruditio omnis communicata eſt, collegium Hiſtoricorum inſtituit, ut Noſter in eorum ingeniorum comparationem evectus, magis eniteſceret, & poſteri ſcirent, quinam* accuratiſſimi *forent* tres Scriptores, Cromerus, Velſerus, Weleslavinus ; *immò* tres egregii Scriptores ; *nec non* Cromerus & Velſerus, præſtantiſſimi duo, & chronologiæ ſtudioſiſſimi Scriptores. *Nec dubitavit literarum & antiquitatis bene peritus, Sim. Rettenbacher, in legibus Bojorum à Theoderico Clodovei filio conditis, docta ſequi veſtigia* : Non erit injucundum, ut opinor, ob antiquitatis notitiam, nonnullas eruditiſſimi Velſeri verbis huc afferre. *Super hæc fœdus ſancitum inter Epiſcopos & Abbates, de cura pro mortuis gerenda*, ab eruditiſſimo Velſero ex veterrimis membranis deſcriptum, in priſcæ religionis, & charitatis argumentum, *ex Hiſtorica quoque Boica in Noricam ſuam tranſtulit. Sed ne verſionis videar oblitus, de hac modò addam, ſimillimum Marci fratrem*, Paullum *videlicet* Velſerum *eandem Hiſtoriam veſte Germanica adornaſſe ; ceu latò clavo Romanorum haud contentam. Neq; etiam illud mihi negligendum eſt, quod ad librorum eorundem numerum pertinet ; Raderus enim, in Bavaria Sancta, ſæpiſſimè mentionem facit* libri ſexti Annalium Boicorum : *Meminit quoque Ehingerus in ſuis ad Raderum epiſtolis ejusdem, hoc voto* : Hiſce in Domino vale, mi Radere, meque (quod facis) amare perge ; & bea aliquando libro ſexto ἀνεδότῳ M. Velſeri τῷ μακαρίτῃ Annalium Boicorum, ſaltem ut legam. *Cui id reſponſi dat Raderus* : Mitto cum his M. Velſeri librum Rerum Boicarum ſextum, inedítum. *Sed tantò majorem mihi fruſtratio dolorem attulit, quantò acriùs intentiusq; perveſtigavi.*

Ac ne longius abeam, ut de REBUS AUGUSTANIS ſermonem habeamus neceſſe eſt. De his igitur egregie Ant. Poſſevinus: At Marci Velſeri,

Matthæi

Lib. I Epit. Rer. Bohem. cap 10.

Dec. I. lib. I. Miſcell Reg. Boh. cap. 5. & lib. II. c. 1. n. 3. 4. 6. & 18.

Lib eod. cap. 11.

Lib. eod. c. 5. 7. & 22.

Lib. 1. Annal. Cremif. cap. 4. & 7.

Aug Vind. A.C. 1605.

Velſ. Epiſt. El. Ehing. pag. 166. 167.

Matthæi F. Hiſtoria rerum Auguſtanarum venit ad manus meas integra, ſeriùs quàm cupieram. Quam attentè legens, atque perpendens, non ſolùm Germanicis, verum etiam Romanis rebus, præſertim coloniis, pernoſcendis perutilem ſi quis neget, maximè erraverit. Dictio Romanam dignitatem ſine ullis ambagibus ſapiens. Nil in ea turgidum, nil laxum; ſi qua in re immoratur, id ad rem ſolidè explicandam facit. Hiſtoricorum porrò lapſus (Aventini præſertim) planiſſimè retegit. Quod ſi reliqui Hiſtorici (dicam fidenter) etiam antiqui celebriores adeò accuratè cum geſtorum ipſorum narratione chronographicas tabulas rectè delineatas, & antiqua monumenta ſive Nummorum, ſive Marmorum, & Inſcriptionum antiquarum conjunxiſſent, non ita fuiſſet ſequentibus ſeculis laboratum: Quin & ſemel perſpecta memoriæ tenacius inhæſiſſent, eadem autem opera ingens eruditis ingeniis ſupellex veterum notitiæ rerum acceſſiſſet. Venetiis autem hæc Latina Hiſtoria cuſa eſt anno 1594. apud Aldum, Paulli F. Ea verò res Auguſtanas & Rhæticas per quingentos quinquaginta annos à Colonia Auguſta deducta continet, quibus paruit Romanis & Gothis; donec denique ſub Francorum Imperium ditionémque recidit; ſed & noviſſimè Hiſtoriam Boicarum rerum è typographia Auguſtana edidit, tanto dignam ingenio, &c. *Ne Caſaubonus quidem nos de ſe tacere patitur, qui ſimpliciter & candidè, ceu juſtus rerum æſtimator, judicium inclutum judicavit, de rebus Auguſtanis, ad Auguſtanum:* Ubi primum ſcripta illa tua videre mihi contigit, quibus patriæ gloriam auxiſti, tibi autem æternum decus comparaſti, ſimul mirari excellentiſſimum illud ingenium tuum cœpi & amare. Nihil dabo auribus tuis, ſed profectò ita lectio ejus operis totum cepit, itáque tibi adjunxit, ut videar mihi jure meo poſſe à te poſtulare, habeas me deinceps in eorum numero, qui te amant juxta & obſervant: nam equidem nemini conceſſero illorum, quos novi habere te plurimos tuarum virtutum admiratores. Deus bone, quàm mihi placuit ille candor, illa φιλαλήθεια, quæ nuſquam non apparet in eo ſcripto. Liceat mihi per te veram vocem mittere, unus tu mihi adhuc repertus es, qui ad ornandam patriam ſimul & veritatem inveniendam defendendamq; acceſſeris. Cæteros enim, qui de antiquitatibus veſtræ Germaniæ libros ediderunt, quis eſt judicio aliquo præditus, quin videat plerosq; omnes, dum cupiunt patriæ ſplendorem adjicere, ἀφιλοῦσι τὴν ἀλήθειαν; ſive is cœcus quidam patriæ amor, ſive judicij imbecillitas, aut potius utrumq;, hoc puto verius: nam & τὸ φιλεῖν τυφλὸν εἶναι καὶ τὸ φιλάμυνον certum, & plures eſſe, qui ingenio valeant quam judicio, aſſenſurum te mihi non dubito. *Paganinus itaq; Gaudentius, in ſingulari tractatu, de favore Principum erga literas & literatos, maximas Vindelico Livio, pro Rhætis popularibus ſuis, gratias egit, ſpecioſo hoc ritu verborum:* Gravemente peccarei, ſe di te non faceſſi commemorazzione, o Marco Velſero, ſplendentiſſimo lume della tua Germania, e principal direttore della Republica Auguſtana. Tu con l'ampio poſſedere de' beni paterni, e con la priſca

Tom. II. Bibliotheca ſelect. lib. XVI. c. 48.

Epiſt. 74.

L'Anima degli Studi, cart. 493.

prisca stirpe della nascità, accopiasti tanto recondito sapere. Tu sgombrasti le tenebre, che folte regnavono nelle rimote memorie de' Vindelici e de' miei Rheti. Alla tua diligenza, ed esattezza tanto dee la mia dolcissima Patria, che da te ricevuto hà segnalatissimo benefizio. *Atq; hæc procul dubio causſa fuit, ob quam melioris ingenii ac sincerioris animi homines operæ pretium fore existimarunt, qui interpretum functi munere*

Francof. An. 1594. Basil. An. 1595. *Res Augustanas, de Latino conversas, diversis in locis, & hinc tomis duobus Germanicè loqui instituerunt. Georg. Hieronymo Welschio (qui sæpius literatissimas ad me literas dedit) monumentis quidem Augustanis nonnulla addere curæ fuit, quæ Illustris quondam Marcus Velserus, fato abreptus vidisse non potuit, quia serius eruta & cognita fuerunt; sed de*

Memor. Welsch. c. 9. num 64. *his nihil sibi constare D. Lucas Schröckius, in Memoria commmunis nostri amatoris scribit. Nec tamen ea breviter referre supersedebo, quæ Vir ille eruditissimus circa eadem Monumenta circumspectè satis ac modestè monuit: In marmore scilicet quadrato Rhætico* Draconatium *conspici,*

Welsch. de Vin. Medin. cap. 3. *sed ex parte Vindelicorum, qui cum Romanis ad lacum Acronium conflixerunt,* ab Augusti, *ut videtur,* ævo; *quo his dum* insueta signa *fuisse putat: Idoli præterea* caput, *quod Noster non tam* Cisæ, *quàm* Medusæ *suspicabatur, is sua opinione numen potius triforme Ægyptiorum repræsentare existimat: Deniq; trocho, per quàm egregiè delineato inibi & exposito, istud etiam ex conjectura sua addit, cum trochus in marmore illo minor*

Ibid. c. 12. *appareat, quem puellus elata manu aut versare, aut jacere videtur; fuisse haut dubiè etiam majores graviorésque, quos pueri adultiores circumagerent; nec enim aliud sibi velle innuit Martialis epigramma alterum 168. lib. XIV:*

Inducenda rota est, das nobis utile munus;
iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Dicerem modo, quid de AUGUSTANIS MARTYRIBUS scripserit Marcus, nisi hoc satis liquere ex dictis Cardinalis Baronii crederem, quæ

Roma, An. 1630. die 18. Mart. fol. 144. *silentio involvi non debent. Annotavit is ad Martyrologium Romanum, editionis secundæ (in prima enim, nec non Antverpiensi A. C. 1613. elogium illud, fideliter monente Magliabechio, non habetur) verba sequentia:* Quod ad tempus persecutionis spectat, sub Diocletiano potius passam in Annalibus professi sumus, quod ex antiquioribus in lucem prodidit Marcus Velserus Augustanus, Vir sanè doctissimus, in Actis eorundem Augustanorum Martyrum, quæ nuper edidit. *Idem & de Udalrici me-*

Tom. X Annal. ad A. C. 924. & 972. *moria sic scribit:* Quo nomine benè precamur Viro maximè pio, atq; diserto, Marco Velsero Augustano; qui latentem & pænè obrutum terra fonticulum, ut iterum flueret, laboravit: Dum, inquam, ejusdem Udalrici Vitam primitus scriptam ab Autore, qui eum oculis vidit, & cum eo conversatus est, jam oblivione sepultam, typis cudendo, & notis illustrando revocavit ad vitam, &c. *Nec non postea:* Habes omnia, ad eundem Sanctum spectantia, in unum redactum volumen, lucubratum, & notulis illustratum, à diserto Viro Marco Velsero, Nobili Augu-

stano

):o(:)o(:)o(:)

Quantò Paul. Merula præclarius? quantò frequentius? qui cum intelligeret, quid Heros ille literarum præstitisset, non solum in præfatione Cosmographiæ suæ, verum etiam per singulos ferè libros Peutingerianum illud cimelium perpetuis laudibus honestavit : Tripartitam hanc Orbis terrarum distributionem primùm per chorographiam ostendisse Divum Augustum, scribit incertus Autor libri de Mensura Orbis terræ; quem manuscriptum mihi transmissione liberali communicavit Vir, cum Nobilissimus, tum doctissimus, & rerum Geographicarum aliarumq;, quod Monimenta ab ipso edita planè loquuntur, peritissimus, Marcus Velserus, Patricius & VII-Vir Augustanus. *Quare non potuit, quin faceret* commissionem *non solùm* cum iis, quæ ad idem iter extant in Tabula Peutingeriana, *verùm etiam* cum hodiernis urbium oppidorumque, *quantum in re tam ab ævo nostro remota fieri potest, nomenclaturis.* Incertus quidam Scriptor, nondum editus, quem ad me misit anno cIↃ IↃ xcix, mense Septembri, Vir cum Nobilissimus, tum humanissimus & doctissimus (*inquit aliàs*) sua manu exscriptum ex Codice membranaceo, quo Notitia utriusque Imperii, Itinerarium Antonini, & quædam alia, quæ conjungi plerumq; solent, continebantur. *Theoph. Raynaudus cum cura innuit*, in Notitia utriusq; Imperii, & in Tabula Itineraria per M. Velserum edita, visi provinciarum & urbium imagines diadematas. *Videre præterea nos jubet Lindenbrogius*, quæ de hoc castello, accurato studio, annotavit Clarissimus, & inter præcipua Virtutis atq; Doctrinarum exempla nominandus, Marcus Velserus, IIVir Aug. in explicatione Schedæ Itinerariæ antiquæ. *Nihil jam de Marq. Frehero loquar, qui de vetere Francia hæc annotavit :* Unicè huc facit inspectio Tabulæ illius Itinerariæ, in cujus expositione bellissimè hunc locum adducit, & illustrat D. Marc. Velserus cap. III. cui *Barbarica* titulum fecit. Addo tamen: Diversa sunt, FRANCIA, & CHAMAVI, etiam in Tabula illa, ut ibi apparet. *Deinde Francos inter & Germanos discrimen indicans, pergit :* Et differentiam distantiámq; optimè oculis exhibet Tabula vetusta Itineraria Velseri. *Plura de hac, ex optimis auctoribus, sub finem, velut in acervum conjeci. Tandem Pignorius, in Annotationibus suis, ad Cartari Imagines Deorum, suum quoque calculum adjecit :* Di questa descrizione di Solino sì vede ancora qualche vestigio nell' antica Tavola Itineraria pubblicata dà Abr. Ortelio, ad instanza del Nobilissimo Sig. Marco Velsero, Gentiluomo di rarissime qualità, al quale i Letterati non anno questo solo obligo.

Part II. lib. I. cap. 1.

Part. II. lib. II. cap. 15.

Part. II. lib. III. cap. 19. & 20. lib. IV. c. 21.

Tract. de Pl. leo, sect. 18. sub fin.

Ad lib. 17. Amm Marcellini.

Not. in Auson. Mosel. vers. 434. & 435.

Annot. all' Immagini de gli Dei del Cartari, della II. parte, tart. 3.

Sed ne institutæ narrationis fines & cancellos præfatio mea transgrediatur, de EPISTOLIS deniq; (quarum ab initio multa mentio facta est) dicendum adhuc erit, quod testatur, apud Melch. Adamum vel unicus Janus Gruterus; qui penes se ultra trecentas adservavit epistolas, *quibus Velserus eum fermè hebdomatim suaviter compellare solitus. Salivam, ut puto, omnibus movet Pet. Gassendus, de amicitia Velseri erga Peireskium hæc inter alia memoriæ prodens :* Velserus literis ad Peireskium datis testatus est, tanti se facere ipsum, ejusque amicitiam,

Lib. de Vit. Germ. Jurisc. & Polit. pag. 480. seqq. In Vita Fabr. de Peiresk. lib. I.

tiam, ut nihil sibi fuerit ex tota Pinelli hæreditate expetibilius. Quin etiam ipse quoque illum non modò virtutum Pinelli hæreditate exhæredem agnoscens, sed futurum quoque suarum successorem conjiciens, diligere cœpit, tanquam filium, & literarum frequentia, quoad vixit, non destitit testatum facere affectum. *Sed tabulas collegisse, post naufragium, abundè sit. Italorum operam, & sedulitatem satis laudare non possum; Franc. enim Sparaverius, Nobilis Veronensis, Vir acutissimus, Epistolas Velseri ad Medicum* Chioccum, & Nicherolam *Canonicum, August. Oldoinus, S. J. Perusiæ similes ad* Bonciarium, *Franc. Vanni, S. J. Romæ quasdam ad* P. Bencium *aliosq; Ang. Mar. Arcionius, Abbas & Præses Generalis Benedictinorum nonnullas ad* Ang. Grillum, *in gratiam ac favorem Illustris Magliabechii sui, sedulò investigabant, sed frustra: Verum & illis maximis Viris, in Germania quoq; nostra dudum celeberrimis, gratiæ debentur; nam voluisse sat est.*

De cætero quod non satis exploratè perceptum est, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere quidam conantur; mihi autem tenebræ sunt. Jo. Rhodius pro certo affirmat, quod incertissimũ est: Marcus Velserus, *inquit,* auctor SCRUTINII VENETI, liber editus & Latinè & Italicè aliquoties diversis formis, Libertatem Venetam oppugnat, & totam hanc Remp. Imperio Romano vendicat. Eum M. Velsero Augustano deberi, in vita ipsius Melchior Adamus silentio præteriit. *Benè factum; neq; enim sustinuit Vir prudentissimus temerè atq; inconsultè ea affirmare, de quibus ipse, unà cum aliis, vel maximè dubitabat. Sed illum secutus est porrò Vinc. Placcius, haud indiligens talium scriptorum indagator; qui quoque Pet. Scavenii, idem cum vulgo statuentis, Catalogum nonnullorum librorum (qui vel suppresso vel ficto auctorum nomine prodierunt) libro suo inseruit. Ante hos verò Henr. Ernstius ea de re confidentius ita scripsit:* Libellus Italica hac inscriptione, *Squitinio della Libertà Veneta*, scriptus est à Viro Amplissimo M. Velsero. Ostendit in eo, Remp. Venetam non semper fuisse liberam, sed Imperio Rom. Germanico subjectam, contra Bern. Justinianum, Sansovinum, aliosq; Historicos Venetos. *Scrutinio huic (monente Rhodio) oppositi libri peculiares extant publicè; nimirum* Theod. Graswinkelii Libertas Veneta, *seu Venetorum in se ac suos imperandi jus, contra Anonymum Scrutinii Scriptorem. Item Italicè* Squitinio della Rep. di Venetia Squitiniato, *id est, Scrutinium Venetum Scrutatum à* Raph. de Turri, *Genuensi. Patavii, apud Theatinos, extat etiam* Refutatio MS. Anonymi, *qui aliorum (queis pectus sapit) judicio, Welserum prorsus haud assecutus est. Herm. Conringii (cujus obitum ingens Amicorum examen meritò mecum luget; hoc enim Sole, è cœlo Eruditorum sublato ignorantiæ tenebras valdè metuimus) ea fuit modestia, ut* Anonymum *saltim* auctorem Scrutinii *appellaret, nempe conantem ostendere, Venetos ante annum millesimum trecentisimum pro liberis sese nunquam gessisse: Postremò argumentis Anonymi probè & accuratè perspectis, litem istam componit hoc epiphonemate:* Quicquid sit, saltim Rudolfum, aut ejus ætatis Cæsares, in Venetos ipsos nihil sibi arrogasse,

In Auctor. Suppos. pag. 20. 21.

In Script. Anon. & Supp. c. 15.

Lib. II. Obs. Var. cap. 36

Lugd. Bat. a. 1634.

Genua, a. 1634.

Tract. de Fin. Imp. cap. 23.

Digitized by Google

CLARUM ADEO EST, UT PUTIDUM SIT, VELLE ID NEGARE! *Vox, Veneta Majeſtate digna! Quamobrem Venetiis, ſub graviſſima pœna prohibitum eſt, iſtud Scrutinium venditare; quod tamen in Patrimonio Petri liberrimum eſſe perhibent: Ut illic viciſſim* Prophetiam Abbatis Joachimi, *in ſedem Romanam, ejusq; Præſules virulentiſſimam, obtrudi ſæpe emtoribus neminem latet. Scioppium ſchediaſma iſtud ab auctore noſtro profectum credidiſſe, Vir magni nominis, ſed majoris tamen eruditionis, Oct. Ferrarius, anno ſuperiore, his me lineolis docuit:* M. Velſeri ſcripta eo plauſu à ſtudioſis excipientur, quem ingens Viri fama & celebre nomen meretur. Nollem tamen illis inſeri V. Reip. Scrutinium, cujus illum auctorem fuiſſe, ſæpè mihi Scioppius firmavit. *Verum id ipſum, ut incompertum (quia tam anceps conjectura eſt) in medio relinquens, verecundè dubitanterq; Gaſſendus rem ſuam agit; dum innoxios purgavit, firmiſſimo hoc velut propugnaculo decenter uſus:* Prodiit per hæc tempora liber Italicè ſcriptus, *titulo Squitinii,* quo Libertas Veneta ab ipſis Reip. fundamentis fuit diſcuſſa. Is, quia viſus eſt continere eximiam quandam Imperii Gothorumq; Regum Hiſtoriæ notitiam; idcircò ſtatim creditus fuit (quæ etiamnum eſt multorum perſuaſio) *Peireskium* habere auctorem. Enimverò teſtari licet, nihil tale ipſi veniſſe in mentem. Quin potiùs ſic ſemper reveritus fuit Reip. Majeſtatem, quosq; in illa amicos habuit, ut ad præſtandum obſequium potiùs, quàm ad contumeliam fuerit comparatus. Ac non disquiro quidem, an auctor hujus libri fuerit *Ant. Albizius*, Nobilis ille Florentinus, qui Chriſtianorum Principum ſtemmata ediderat ante duos annos, ut nonnullis perſuaſum eſt; an, ut videtur veroſimilius, inſignis ille *Marcus Velſerus*, cujus ſæpius meminimus, ob conſummatam eruditionem, propenſionemq; ſingularem erga domum Auſtriacam: Addo duntaxat, immeritò videri quosdam ſuſpicatos, tam *Gualdum* quàm *Pignorium*, aut contuliſſe operas in eo opere conſcribendo, aut communicaſſe cum Peireskio, quos digereret commentarios. Ii fuere enim magis ingenui, patriæq; ſuæ magis amantes, quàm ut ea impietatis labe commaculari voluerint. Utcunq; ſit, Peireskius certè nihil ſimile unquam cogitavit. *Quid? quod auctor libelli Gallici*, Conjuration des Espagnols contre la Republique de Veniſe, *ſub finem (ubi de inſtructione Legati Hiſpanici agitur)* Marchionem de Bedemar *pro auctore ac veluti patre fœtus iſtius haud obſcurè habet. Verba hæc ſunt potiſſima:* L' autre point étoit, que dans toutes les affaires, qu'il auroit à negocier touchant les Droits & les Préeminences de la Republique, il ſe ſervit pour tous memoires, du *Squitinio della Libertà Veneta*, à quel le Marquis de Bedemar renvoye dans pluſieurs endroits de cette Inſtruction, & en des termes, qui, bien que retenus, découvrent aſſez L' AMOUR PATERNELLE, QU'IL AVOIT POUR CE LIBELLE. *Verum quàm falſus etiam hic auctor fuerit, ex Inſtructione ſecreta, ab Alfonſo della Cueva, Hiſpanico apud Venetos Legato, ſucceſſori ſuo Lud. Bravo data, cuivis uni ad oculum ſtatim apparet; prout Laur. Bank eandem cum Scrutinio evulgavit:*

Patr. Id. Mart. 1681

Lib. III. de Vita Petr.

Conjur. de Eſpagn. pag. 176.

Digitized by Google

vit: E perche in tempo mio, fu divulgato un libretto, intitulato *Squitinio della Liberta de Veneziani,* opretta veramente degna d' esser letta. *Deinde omnem isti derogat fidem, ob multas fallacias, veritati inimicas, quæ inibi occurrunt; ac vivos magistros mortuis longè præferendos censet:* Questo ancora vorrei, che si tropasse apresso di lei, scoprendosi per la lettura di quello, molte fallacie introdotte dà gli Historici moderni, che trascurando la pura verità, contenute nelle Chroniche antiche, hanno dato ad intendere, à posteri, tutto quello, che gli è parso à proposito, per stabilire la loro libertà. Ne minor profetto sarà, che Vostra Excellenza potrà trarne dà libri vivi, che s' harà cavato dà Volumi morti, vuoglio dire, che l'informatione à bocca di persone prattiche solite à frequentar la casa nostra, &c. *Sed quid pluribus verbis opus est? Mentis acies se ipsam intuens nonnunquam hebescit.* Bizzar. Polit. num. 14. 15. pag. 85. segg.

Hieronymus quidem Ghilinus ILLUSTRIUM IMAGINES ex Bibliotheca Peutingerorum, per Marcum Velserum, ære incisas, inter Hujusdem scripta commemorat, sed nobis prorsus ignotas; & fortassis monitu vel instinctu Ejus, ab artificibus Augustanis in lucem protractas; quas Operibus inseruisse nil attinet. Opera Illius omnia recensentur in Bibliotheca Augustana, in voce, Marcus; *præterea* cistas *ibi juvat inspicere* Welserianas, *literis alphabeticis, per Facultates, & linguarum idiomata, ex ordine distinctas.* Part. 1. de Teatr. d'Hom. Letter. cart. 163.

P. OPTATIANUM deniq; PORPHYRIUM à Nobilissimo Paullo Velsero, Marci fratre concordissimo, in lucem protractum, quam circumspectè, quam exactè cum Pithœi editione *Christianus Daumius, Vir in studiis literarum egregius contulerit, ex Spicilegio Ejusdem Critico clarissimè emicabit. Lil. Greg. Gyraldus, ne istunc docta ignoraret posteritas, hæc de illo retulit:* Hac eadem Constantini ætate Porphyrius, poëta quidam Latinus fuisse perhibetur, qui variis de rebus poëmata scripsit; inter quæ librum Constantino ipsi Cæsari dedit, quo munere, ipsum relegatum ab exilio revocavit, ut est ab Hieronymo & Beda in Chronicis observatum. Meminit hujus & Fulgentius, qui epigrammata citat, ex quibus hic est versiculus: *Nudus, egens Veneris, naufragus in tabula.* Citat item Rhabanus in mirabilium carminum prologo, eum enim ait punctis quibusdam versus notare solitum; & propterea illius se exemplo versus facturum pollicetur. *Non absimilem huic fortunam expertus est Theodulphus, Aurelianensis Episcopus, qui composuerat in carcere suo, quem conspirationis in Ludovicum socius meruit, hymnum, ab Ecclesia in festo Palmarum, pòst cani solitum:* Gloria, laus, & honor Tibi sit Rex Christe Redemtor, &c. *Hunc hymnum cum, prætereunte Ludovico Pio, suavi voce captivus decantaret, mox libertatem recuperavit. Sed rursus ad Porphyrium, ex hoc diverticulo, revertor: Laudat hunc Beda de metris. C. Barthius liberrimè de eo judicavit:* Felicior, quàm suavior, atq; eruditior Scriptor fuit Optatianus Porphyrius, qui Panegyrico suo exilium evadere potuit. Præmissæ illi epistolæ sunt duæ, quarum, quæ Porphyrii est, mendosissima est; nec placent emaculationes Pithœanæ editionis, nimium Lib. II. Dial. 4. de Poet. Hist. fol. 188. Butler. in Ludov. Pio, pag. 92. Pag. 1380. edit Putsch. Lib. XXII. Adv. cap. 18

mium confidentes, ut de collatione Manuſcripti Velſeriani facilè deprehendimus. *De ſtudiis Conſtantini, quæ etiam à Poëtica laudat Porphyrius, multa Euſebius. Is verò bis edidit hæc logodædala poëmata, ut ex fine epiſtolæ ad Imperatorem conſtat: Priorem editionem putat Barthius expreſſiſſe exemplaria, quibus uſi ſunt Pithœus & Juretus; poſteriorem* Velſeri codicem, qui auctior, & illa ipſa melius pleniusque concipit; ad quæ augenda Imperatorem ſe excitaſſe, ait ipſe poëta. *Cæteras ſuſpiciones hîc recenſere, nec tempus nec locus patiuntur. Eruditorum princeps, Voſſius, P. Optatianum Porphyrium miſiſſe Conſtantino M. Panegyricum tradit, quo meruit ab exilio revocari: Nec tam ingenium, vel ſpiritum poëticum in eo laudandum judicat, quàm ingentem laborem atq; induſtriam. Sed valdè deceptus fuit doctiſſimus Baronius, cùm putaret, carminis hujus auctorem fuiſſe Porphyrium illum, qui contra Chriſtianos ſcripſit: Ac longè etiam minus aſſentire potuit Voſſius doctiſſimo illi Annaliũ Eccleſiaſticorũ Scriptori ad annũ 325, qui jam ſenẽ denuò ex gentili Chriſtianum factũ putat. Nempe propter Hieronymi hæc verba ad annum 2345, in Chronicis:* Porphyrius miſſo ad Conſtantinũ inſigni volumine exilio liberatur. *Sanè hodieq; extat laborioſiſſimum carmen panegyricum ad Conſtantinum Auguſtum; quod Chriſtiani hominis eſt, ac Porphyrio tribuitur: Sed alius à Porphyrio philoſopho eſt Publilius Optatianus, carminis ejus pater; ut jam dudum Scaligero ad Euſebium eſt obſervatum. Nunquam enim Porphyrius philoſophus in exilium miſſus fuit, nunquam ſua retractavit; neque, ſi feciſſet, veniam à Chriſtiano quoquam Imp. impetraſſet. Similem verò laudem Aldhelmus, Juſtiniani junioris temporibus ſibi peperit XXXVIII. verſibus heroicis, quorum primæ literæ deſcendendo, ultimæ aſcendendo efficiant verſum illum, unde incipit carmen:* Metrica tirones nunc promant carmina caſtos. *Immò & ultimus verſus, retrogrado ſi ordine literas legas, eundem efficit ſenſum. Talis denique eſt Eugenius, à Sirmondo editus.*

Lib. de Poët. Lat. cap. 4.

Lib. II. de Hiſt. Græc. cap. 16.

Lib. de Poët. Lat. cap. 5.

Fruere his mecum, Erudite Lector, *quæ haud vulgaris ENDTERORUM, in luce Germaniæ, in oculis totius Europæ clariſſimorum, induſtria (nam didiciſſe fideliter artes, & varias luſtraſſe terras admodum juvat) nobis veterum librorum cupidiſſimis, renovavit atq; revocavit. Oblivionem ſæpenumero celebriori famæ occaſionem dediſſe, multaq; cecidiſſe, ut ornatiora reſurgerent, non tantùm parietinæ deſertæ, ac neglecta diu rudera, quæ vetuſtate depoſita, novam faciem & auguſtiorem formam induunt; ſed ingenii etiam monumenta, quæ indies caſtigantur, emendatiora eduntur, & Typographorum ſedula diligentia è ſitu & pulvere rurſus in lucem ac diem protrahuntur, fidem faciunt, & abundè teſtantur. Poſtremò Taciti verbis ceu gemma præfationem hanc obſignabo, idem de Noſtro, quod ille de ſuo, dicturus:* Quicquid ex *Velſero* amavimus, quicquid mirati ſumus, manet, manſurumq; eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios & ignobiles oblivio obruet, *Velſerus* poſteritati narratus, & traditus, ſuperſtes erit!

Tac. in Agric. cap. ult.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS,

MARCI VELSERI,

VITA, GENVS, ET MORS,

PER

CHRISTOPHORVM ARNOLDVM

DESCRIPTA.

ANNO M. DC. LXXXII.

Digitized by Google

VIRI ILLUSTRIS,
MARCI VELSERI,
VITA, GENUS,
ET
MORS.

PER

CHRISTOPHORUM ARNOLDUM
DESCRIPTA.

REfert Fl. Vopiſcus, Junium Tiberianum ex ſe quæſiviſſe, an quis Aureliani Imperatoris vitam literis conſignaſſet? & Vopiſco negante, in hæc verba erupiſſe: *Ergo Therſiten, Sinonem, cæteráq; prodigia vetuſtatis & nos benè ſcimus, & poſteri frequentabunt? Divum Aurelianum, clariſſimum Principem, ſeveriſſimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis eſt reſtitutus, poſteri neſcient?* An non jure bono & nos cum Boëthio interrogemus: *Ergò multorum humani generis catharmatum & peſtium extant publica monumenta, & poſteritati transmuſſa ſuperat memoria? Solus* Vellerus, Vir Nobiliſſimus, ſumméq; eruditus, de Auguſtana Republica, *déq; bonis literis & earum cultoribus optimè meritus, Muſarum Evergetes opt. max. neminem virtutum ſuarum præconem, vitæq; & rerum geſtarum ſcriptorem potuit invenire?* Mentio Viri apud eruditos orbis univerſi non infrequens, laudes crebræ: Quapropter operæ pretium me facturum ſemper putavi, ſi, quod perficere alii inſuper habuerunt, laborem eum mihi ſumerem; quæq; de Muſarum hoc Hercule (ut verba alterius mea faciam) ſparſim in antiquiſſimis Familiæ monumentis, variiſq; Scriptoribus ſuperſunt, in unum collecta & coagmentata, omnium oculis exponerem. *Propoſitis magnorum virorum exemplis*, ait Sulpicius, *non parva amulatio legentibus excitatur:*

In Aureliano.

Lib. II. de Philoſoph. Conſol. proſ. 7.

Præm. de Vita B. Martini.

Horum enim, ingenia non tantùm, & ſcripta, aut facta morésq; laudamus; ſed & cætera notare non omittimus, quæ adhæſerunt. Rationem pro nobis addit Fl. Vopiſcus, quod illorum etiam *minima quæq; jucunda ſint, & habeant aliquid gratiæ, quando leguntur.* Quo ſenſu congruè ac convenienter Damis, apud Philoſtratum: *Etiam ea, quæ de menſis Deorum decíderent, colligi oportere; ne ambroſiæ illius pereat quidquam.* Nihil itaq; prætermiſſum eſt à me, quod quidem ad notitiam meam (curante id Celeberrimo Magliabechio) pervenerit. At fuit optanda vis ingenii & orationis, qua quidquid noſtro Semoni libitum erat, ita aptè, ita affabrè, ita concinnè elegantérq; verbis, tanquam coloribus, expreſſit; ut illud non tam deſcribere, quàm oculis ſubjicere videretur: Verùm vim eloquentiæ longè eſt optare, quam ſperare facilius. Mihi ſat erit, non ignobilem obtigiſſe materiam; neque ego nunc facultatem eloquentiámq; polliceor, ſed Viri clariſſimi ſcripta atque *famam nominis cum laude & bonis recordationibus proſequendo*, efficiam, ut multa ac bona facta immortalem apud animos omnium gloriam Ipſi concilient; ut Tiberii, ex Tacito, verbis hic utar.

In Procudo.

In Vita Apoll. lib. I. cap. 13.

Lib. IV. Ann. cap. 38. §. 4.

AVGVSTA VINDELICORVM, optimorum ſemper ingeniorum, ad omnis eruditionis, ac præſertim ad antiquitatis & hiſtoricæ facultatis laudem efflorescentium, feraciſſima extitit; atque ut innumeros taceam, quos, ex ſuperiorum ſeculorum memoria edidit, uberrimo demum fœtu ager ille fertiliſſimus MARCVM VELSERVM extulit. Sed hujusmodi, quæ ad locum pertinent, decoris quidem aliquid afferre videntur; attamen ferè communia ſunt infimis juxta ac ſummis: Quare in tanta laudum copia ea potius conſectemur, quæ magis propria Marco fuerunt; quale eſt illud, quod ei præclara adeò ſtirpe contigerit naſci. Numerabatur tum à Chriſto nato annus ſeculi quintidecimi octavus & quinquageſimus, dies affulgebat duodecima Cal. Quinctil. cum ſcenam hujus mundi, qua perſonam ſuam decenter ſuſtineret, ingreſſus eſſet. Parens fuit Nobiliſſimus *Matthæus Velſerus*, Secretioris Conſilii Senator fulgentiſſimus; qui ut pietatis, ita prudentiæ omnes explevit numeros; pérque Laboris templum progreſſus, trophæa perennaturæ gloriæ in Honoris fano feliciter ad Memoriæ aram ſuſpendit. Mater, propter quam ſuaviſſimam hanc lucem aſpexerat,

An-

Anna Bumelia fuit, tam genere insignis, quam virtute nobilis: Ab avo ortus est *Antonio*, aviaq; *Paumgartneria*, multas insignésq; familias, paterna Nobilitate complexa.

Patent jam longè latéq, spatia producendi porrò in hunc famæ campum originem dignitatémq; Velserorum, qui longa serie in numerato habentur; quare cum ea non minus pulchra sint præclaráque, summatim exponam, ut ad capita rerum perveniam. Ab ipso *Belisario*, homine Germano, *Velserorum* nomen pariter ac familia omnis defluxit; cujus ipse Marcus in Rebus Augustanis meminit, his verbis: *Romani Belisario potissimum & Narse usi, quorum priorem Germanum fuisse, Hubertus Giphanius edito proximè de Justiniano commentario docuit; tum nominis notationem, tum multò magis Procopii auctoritatem secutus.* Oriundus autem erat ex ea Germaniæ parte, quæ inter Thraciam & Illyricum sita est. Neque id novum videri debet, sed jam ab Imp. Constantino (teste Zosimo) receptum, Germanis & militares & civiles honores summos mandari. Huic maximè imputamus testimonio causlam fuisse, quod Romanus Consul Tacitus dudum perhibuit: *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Verum ut ex hoc diverticulo in viam revertar, Belisarii illi per multas ætates Romani fuere Patricii & Consules; qui tandem, ob invasiones Gothorum, Hunnorum, Longobardorúmq;, in tutiora *Vallesiæ* (Germ. Wallis aut Wallisserland/Galli *Valley* aut *Valez* vocant) loca, montibus vestita, secessionem fecere, *Valliſii*, sive *VValliſeri*, & *Velseri* postea dicti. Literis testata sunt omnia, quas *Johannes Bartholomæus Velserus*, Imperatoris Ludovici V. Bavari, Consiliarius, & Argentinensis Ecclesiæ Canonicus, in Comitiis Spirensibus, A. C. 1336. ad hunc ipsum Cæsarem scripsit; pro vetustissimæ Familiæ suæ gloria ac dignitate non rogans solùm, verùm etiam obsecrans, ut Germanicam libelli versionem sigillo annuli sui confirmaret; quē auctoritate ac jussu ipsius Imperatoris, Stephanus Colonna, Summi Pontificis tunc Vicarius, & Cardinalis, ex omnibus instrumentis, tabulis, literisque publicis ab A. C. 545. usq; ad *Johannem Velserum*, Joh. Bartholomæi fratrem germanum, omni cura & diligentia complexus est: Hunc verò idem Bartholomæus, A. C. 1327. Romæ Latina veste primùm induerat, cū Ludovicus Imp. præsente officio Palatino in regia Romana temporibus illis degeret. Id ipsum

Lib. VIII. fol. 341.

Edit. Norimb. pag. 126. seqq.

Lib. XIII. Ann cap. 55. §. 5.

Plantin. in Helvet. nov. & antiq. pag. 321.

roboravit *Emmanuel Velserus*, Basilienſis Eccleſiæ Canonicus A.C. 1071. à Burkhardo Epiſcopo ſollemniter conſtitutus, epiſtola ſua ad fratrem *Octavianum*; agitata inibi mentione de *Carolo Beliſario*, qui unà cum conjuge *Paula Vrſina*, Valleſiam verſus, ad Rheni fontes, A.C. 620. ex urbe Roma, ob ſævisſimos & violentisſimos in omnem Nobilitatem Longobardos, exemplo aliorum, egreſſus eſt. Sæpe etiam majores, in tabellario ſuo, *Philippi Valliſeri* meminere, qui Caroli M. gratia, inter ſubſidiarias Germanorum cohortes, floruit: Cadaver ejus conditorium accepit in Cœnobio Diſertinenſi, cui Otto I. Imp. in Ducatu Allemanniæ, Comitatu Hattonis, & provincia Rhætiæ Curienſis multa donavit: Poſteri verò ſacra etiam ſepultura in Monaſterio *Campidonæ* (quæ urbs Germaniæ in Algoia eſt, vulgò *Kempten*) honorati ſunt.

Fort. Sprecherus lib. VII. Pallad. Rhæt. pag. 196. & ſeqq.

Caput ac fundator Equeſtris hujus proſapiæ fuit FRANCISCVS BELISARIVS, qui circa A.C. 564. *Antoniam, Pompeji* filiam, ſororis Anaſtaſii I. Imp. conſobrinam, in matrimonio habuit; duobus filiis *Petro* & *Carolo* auctus: Quorum ille uxorem accepit *Mariam Colonnam*, Mediolani decedens ſine prole; *Carolus* verò is ipſe eſt, qui ſeceſſum montium (ceu diximus modò) dilexerat, ſepultus in agro Sedunenſi, ubi arcem Valeriam cum ſuis longè poſſedit.

Sed cur tam diu OCTAVIANVM VELSERVM, Julii, Ductoris Generoſisſimi (de quo plura ſumus dicturi) filium, ceu *primum Auguſtanæ Civitatis Patricium*, commemorare ſuperſedeo? Sive enim paternam originem, ſive conjugis nobilitatem penſiculatius æſtimemus, laude ſua certè privandus non eſt: Matrimonium ejus tenebat *Sibylla VVildeccia*, veterrimæ apud Bavaros Nobilitatis fœmina: Sive animo luſtremus officia, Conradi Franconiæ Ducis Conſiliarium, Auguſtæ Capitaneum Reique militaris Curatorem fidisſimum fuiſſe intelligimus. Fatis idem conceſſit A.C. 1074. ritè completis ibi ad tumulum ſollemnibus.

Jam quis inter *primos* urbem *Norimbergam* initiò habuerit, protinus exequamur: JACOBI nomen in proclivi eſt, qui A. C. 1493. ardore quodam ſe ad hanc civitatem rapiebat; dum ita canente Læto, Cimbrico vate doctisſimo, & Academiæ Hafnienſis Profeſſore olim clariſſimo,

Lib. II. Noribergicorum, pag. 31. Francof. a. 1574

In-

Interea variis urbs fortibus auctior altè
surgit, & extenso protendit culmina muro:
Contrahiturq; virûm numerus, quibus æmula magni
pectora successus totas implere cohortes,
urbanásq; habitare domos, & tecta laborant.

Mirum, nisi integerrimum Virum prisca ac venerabilis Reipublicæ hujus facies invitavit: Magna laus, honesta ratio. Nobilitatem sine probro actam civitati nostræ consultò & de industria intulit, ob ipsam morum similitudinem, quæ in aliis nos delectat: Imaginem, credo, illorum temporum vidit in rebus suis. Velim, nolim, in lætissimi Poëtæ de Norimberga versiculis cedro dignissimis adhuc hæream, necesse est: Eundem ad testimonium rursus iterúmque citare quis vetet, qui *egregiam prorsus Rempublicam* oculis animísque nostris subjecit:

– – – – – – – – Honestis
qua legum morúmq; modis composita labantis
jam passim virtutis opes, secliq; vetusti
integritatem animis & agendi more reducit.
Vnica, qua mundo jam lucem præbeat, hanc si
quis tamen aspicere, & complecti pectore lucem
vellet, & optandos animis inducere motus.
Principio consensus enim ter maximus illis
in sua lucra manet: Lucrum Respublica vera
definit bonitate; ubi non injuria, non vis,
non quemquam damno fraus circumscribit inani.
Ast animis qua recta colit; operásq; beatis
promovet officiis, & mutua commoda firmat.
Omnis in hoc conatus abit, quo quisq; secundis
utatur vita propria in certamina votis;
& nusquam alterius qua sit fortuna, moretur:
Cui nunc pænè malo totus vacat orbis, ubi omnes
omnibus invideant; nec quenquam excellere quisquã,
aut præstare velit: Tantum improbitate maloq;
peccatur genio, & studiis peccatur acerbis.
HAS DAMNAT NORIBERGA VIAS: hæc
monstra luémq;
pestiferam tota virtutibus arcet ab urbe;
& commune bonum officiis molitur honestis.

Ibidem, pag 33. & 34.

Hactenus laudator ille temporis acti, qui dixit tanquam in Platonis πολιτεία, non tanquam in Romuli fæce sententiam.

tiam. Hinc audire mihi videor monentem, & auribus meis insusurrantem Jacobum illud auctoris Thebaidos:

Act.II. v.9. *Ego ille sum, qui scelera committi vetem;*
Ego sum magister juris, ac moris probi.

Quare etiam adjutu Dei optata procellére; præstitit enim divinus favor Nobilissimam atque optimam uxorem, in ipsa urbe Norimberga, *Ehrentrudem Tummeriam*; neque Is à conjugio sic abhorruit, ut quidquam libero lectulo negaret esse jucundius: Sed sicut agros imber ubertat, ita cœli benignitas tanta erat, ut fertile conjugii solum impensam coloni laborémq; magno fœtu remuneraretur. Ex Ehrentrude enim *filios sex, & filias undecim* tulit: *Johannem, Jacobum, Antonium, Sebastianum, Gabrielem, & Ludovicum*; de cætero *Catharinam, Annam, Vrsulam, Helenam, Magdalenam, Ehrentrudem, Apolloniam, Barbaram, Brigitam, Felicitatem*, alteramq; *Brigitam*. Tantum verò abfuit, ut re uxoria impeditus, religioni minus vacaret; ut potius de sacris æquè ac privatis ædibus suis maximè sollicitus esset: Quoties enim ipse in Sacello Sanctissimæ Dei Genetricis nomini dicato, res divinas facio, toties Aram principem grata & humili

Gen.xxxv, 7. mente suspicio; quam Jacobus ille, Patriarcham (ut autumo) imitatus, gloriossimè & magnificentissimè confecit: Nam fornicibus cælatis, auro, vitro, colorúmque pulchritudine instructa est egregiè; & picturis miris veterum artificum circumsecus variegata: Vt multos etiam apud nos Polygnotos & Parrhasios fuisse, quivis unus facilè intelligat. Dignum profectò opus, quod sartum & tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, ruina, detrimentò sincerum integrúmque conservetur! Dignissimus sanè Evergeta, cujus gloria vivat per omnem seculorum memoriam; perpetuámque obtineat ævitatem! Atque haud scio, an vasa, reditus, sacráque vestimenta proferre necesse sit, hæc enim liquent. Manum erogandæ stipi non solùm porrigebat, sed pia & recta voluntate donum pauperibus ponebat, quod singulis crucifixi Servatoris nostri diebus, in domo *Velseri Senioris*, precibus Deum percolentibus dabatur: Verum citius Is vivere desiit, quam benè facere; fato perfunctus A.C.1544. & in cœmiterio, ad templum S. Johannis, molliter situs. Ne multa; nomen Ejusdem in urbe nostra maximè viruit, & quodam flore virtutis ita exarsit ac ferbuit, ut apud Nobilissi-

lisſimas gentes hodienum eniteſcat; & in Illuſtris hujus Reipub. ſanctisſimo Conſilio ſententiam perpetuò dicat.

Jam verò quis vel diſertiſſimus Familiarum clarisſimarum multitudinem explicet, quas maximè VELSERI propinqua cognatione, affinitate, aut neceſsitudine aliqua attingebant? Cæſar Auguſtus, cum cenſorem ageret, cenſoriam auctoritatem ſuam contra Romanum Equitem uſurpavit; qui contra legem matrimonium recuſarat. Conjugium tolle, deſinet eſſe, cui cœli & elementa, & quicquid in natura usquam eſt rerum, famulentur: Ruent inſuper familiæ, urbes, reſpublicæ, exercitus; quæ hominum conſtant collectione & numero. Ipſæ res rationis expertes paris conjugii ideam præ ſe ferunt; arbor arborem, frutex fruticem amplectitur; LILIA LILIIS gaudent: Horrent à ſolitudine feræ, cum leone leæna, cum ovibus dux gregis aries ambulat: Jam pridem concidiſſet imperium illud Romanum, niſi Pompilios, Brutos, Horatios, Scipiones, Fabios, Catones generoſisſimæ matres edidiſſent. ITALIAM inſpicientibus occurrunt gentes fulgentiſſimæ, *Pompeja* ſcilicet, *Colonna, Vrſina, & Colatina*; ex hac enim *Philippam* duxit uxorem *Ottorgius*, qui terræ redditus fuit A.C. 749. in S. Mauritii monaſterio, ſuperioris Valleſiæ. Dicámne modò de HELVETIA? neq; hæc Beliſariis ſua denegavit conjugia: *Philippus* enim, Ottorgii F. Miles fortiſſimus *Annam de Rapoltſtein*; *Antonius*, Philippi F. *Kunigundam ab Haſelen*, haud procul à Bulavv, agri Tigurini oppido, ad fluvium Glattam ſito; *Julius*, Antonii F. Vir altus & excellens, magno animo, verè fortis, & infra ſe omnia humana ducens, *Catharinam à Romanshorn*, Caſtoris ac Pollucis, hoc eſt, Octaviani & Emmanuelis fratrum matrem felicisſimam; & *Lucas Velſerus*, Paulli F. Octaviani N. *Eliſabetham à VVartenſee*; item *Bartholomæus*, Seifridi F. *Margaretam VViltenbergeriam*, conjuges domum feliciter duxerunt. Neq; diutius ſilere de ſe patitur BAVARIA, perfectæ cumulatæq; Nobilitatis officina: In medium ergò prodeat *Leonora VVildeccia*, conjux *Philippi Velſeri*; & *Maria de Schembach*, Antonii Barth. F. ſocia; nec non *Chriſtophorus à Moſau*, maritus *Eliſabetæ Velſeriæ*; ſuccedant *Catharina Pertina*, uxor Bartholomæi, Conradi F., memorabilis *Radigunda Selmannia*, quæ *Bartholomæo*, Johannis F. Bartholomæi N. A.C. 1336.

desponiata fuerat; quo unico Vellerorum familia, quasi fato labefactata, firmiter fulciebatur. *Nicolaus Abendörferus*, Nobilis Bavarus, *Catharinam* quoq; *Velseriam*, *Antonius à Scharpfenberg Elisabetham* matrimonio secum junxere: *Emmanuel Velserus*, Hieronymi F. (quid enim cesso Nobilitati nomen suum reddere?) *Brigitam* duxit *Tauffkirchiam*; & filius Hujusdem *V Vilhelmus Georgius* à Meitinga, Ferdinandi II. Imp. nec non Caroli ac Leopoldi Archiducum Austriæ quondam Consiliarius, *Susannam Metzgerin*, in matrimonium assumserunt. *Joh. Ernesto Rambsbeccio*, in Rohrenfels, ad Neoburgum conjunctionem filiæ suæ *Catharinæ* spondebat *Joh. Lucas Velserus*: Quemadmodum & *Christophorus Erlabeccius*, ad Danubium, haud procul à Neoburgo, *Annam Mariam*, *Joh. Jacobi* filiam, nuptiis sibi adjunxit. Quid *Sebastianum Crantzium*, in ipsa FRANCONIA Nobili genere natum, & *Julianæ Mariæ* (quæ *Antonii Velseri* filia fuit) maritum; quid Martham, *Caroli de Schernberg* maritam, commemorem? Quid Nobilitatem SVEVIÆ proferam? *Anna Velseria* in manum *Seb. Ambergeri* convenerat, *Catharina Joh. à Blindheim*, *Eva Hieronymo à Richtenberg*, & *Afra Joh. Paulo Truchses*, locabantur: Prætera *Seifridus Velserus* pater *Annam Spathiam*, dein *Seifridus* filius *Martham ab Eberhartzweiler* in matrimonium adscivére. Quod ad eum finem memoravimus, ut prudentiores intelligant, quæ digna scilicet causa fuerit, cur Carolus V. Imp. Velseros, nunquam sine singulari à nobis honore nominandos, A. C. 1525. Imperii Romani sexto, cæterorúmque Regnorum decimo, Madriti, Nobilibus, *Francis*, pariter ac *Svevis* exæquare voluerit, præceperitque. Quæret fortasse quispiam, nullæ igitur regiones aliæ Illorum coruscant Nobilitate? In SILESIA utique *Joh. Georgius Velserus* primò quidem cum *Susanna ab Adelspach*, Henrici à Lagavv, fratris Episcopi Vratislaviensis, summique Principatus Neissensis Præfecti vidua; postea verò cum *Elisabeta Schyroftzkia*, *de Schyrof*, connubio coivit; & Nobilissimum Schädervvizense prædium, in circulo Nissæ situm, per omnem ætatem coluit. Neq; verò STIRIA ignobilior erat; inde enim *Paulus Velserus Eggenbergeriam*, item *Henricus Elisabetham*, gentis ejusdem dominam, acceperunt. Ponamus nunc nobis ante oculus terras Hispano-Belgicas: *Antonius ab Hojo* conjugem sibi elegit

elegit *Susannam*, Felicis filiam: *Otto Velserus* animum ad *Catharinam Baillincourt, de Varlet*, ex Artheſia ortam, appulit: Cum *Carolo Velsero de Stepperg* maximis vinculis propinquitatis non ſolum conjuncti fuere *Baillincourtii*, verùm etiam *Vignacourtii*, *Bernencourtii*, *Fontaines*, *Ghiſtelli*, *Habarcæ*, alii. Familiam igitur Velſerianam flumini rectè aſſimilavit carminum gloria præcellens *Joh. Chriſtianus Keckius*, Durlacenſis Conſiliarius, dum ait: In Nupt. Dn. Dan. Velſeri & Reg. Kochiæ.

Tale tot à ſeclis, ipſáq; ab origine Patrum,
qui tenues ſtruxere lares, auctore Quirino,
quos EQVITES orbis coluit poſt Roma ſubactrix,
VELSERI gens flumen agit. Tot crevit in undas,
prodiga diviſi tot in amnes exiit alvei,
tot Procerum Regúmq; domos penetravit, & aulas.

Pergit poëta diſertiſſimus, atque inſequitur longius, eadem rurſus iterúmque uſus ſimilitudine:

Prorſus ut ignota (tanta eſt diſtantia fontis)
è ſcatebra fert Nilus aquas, ſeptemplice curſu,
par tamen usq; ſibi; nec aquarum copia deſit,
aut minor eſt fluvius, quamvis tot in oſtia ſciſſus:
Sic VELSERORVM late ſata pignora terras
FRANCONICAM SVEVAMQVE replent, & fertile ſtemma,
longinquum incerta quod fecit originis ævum.

Certè Dei conſilio & providentia, qua mundus adminiſtratur, inter Familias octo veterrimas primam ſervavit (Zilero teſte) *Velſerorum*, unà cum cæteris, *Ilſungorum Rehlingerorum*, *Hörwarthorum*, *Hofmeyerorum*, *Langmänteliorum utriusq; linea*, & *Ravenspurgerorum*, cum anno 1538. a rebus humanis Auguſtana Nobilitas abire prorſus videretur. Jam verò omnis illa Claritudo conjugium PHILIPPINÆ maximè conjunctum habet: Duxerit ſanè Marchio Saluſtiarum puellam ruſticam Griſelidem: Inciderit quidem Bohemorum Dux Vldaricus à venatu revertens, in puellam ruſtici cujusdam hominis filiam, linteolorum tunc ſordes ad fontem eluentem: Erici Sueciæ Regis matrimonium tenuerit Catharina, lictoris filia: Apage iſtas à fulgentiſſima Viragine noſtra; quid enim huic negotii, Piccarte politiſſime, cum plebeja fæce ſellulariorum? Potéſtne perſonarum major eſſe diſſenſio? Benè ac prudenter Comicus: *Divortunt mores virgini longè ac lupæ!* Quid ad Heroinam illam lex Julia & Papia

Mich. Praun. lib. de Famil. Civit. Imper. cap. x. pag. 99.

Decad. IX. Obſerv. Hiſtorico-pol. cap. I.

pia Poppæa, de ſponſa videlicet, *cujus pater matérve artem ludicram facit, fecerítve?* Velſeros cogitaſſe oportuit, quos Carolus M. Otto I. & Carolus V. ſummo loco, ſummóq; genere prognatos, ob tot virtutis & induſtriæ ornamenta, (his enim generoſiſſimis Viris fortia facere ac pati tam proprium fuit, quàm lucere Soli) æternùm Nobiles eſſe juſſerunt. *Franciſci* (neque *Antonii*, per errorem iſtorum, qui ſciunt, quod neſciunt) *Velſeri*, Baronis à Zinnenberg, filiam; *Caroli*, Burgavienſis Marchionatus Gubernatoris, ſororem Illam fuiſſe, conſtat inter omnes. Sed benè habet, quod omnium noſtræ memoriæ Philoſophorum acutiſſimus, *conjugium legitimum* fuiſſe judicat: *Andreas alter filius*, inquit, *ut in collegium Cardinalium cooptaretur, a Gregorio XIII. facile obtinuit; quodſi pro conjugio legitimo Pontifex non habuiſſet, facturus id ſanè non fuiſſet; cùm Cardinalitius honos non niſi ex legitimo matrimonio procreatis attribui ſoleat.* Thuani, quem ſecutus eſt, narrationem in medium quoque afferamus: *Romæ*, ait, *quod inter Germanos ducitur contubernium, pro legitimo matrimonio reputatum eſt; propterea quod accedente Eccleſiaſtici ritus auctoritate id contractum eſſet.* Placet omninò inculpatum Martini Cruſii teſtimonium, quod Illi ultrò denuntiavit: *Oeniponte April. 24. inter 4. & 5. horam pomeridianam die Dominico S. Georgii, Illuſtriſſima Herois PHILIPPINA, ex genere Auguſtanorum nobili & clariſſimo nata: Cujus incomparabili pulchritudine capt⁹ Sereniſſimus Archidux Auſtriæ FERDINANDVS, anno 1548. in Comitiis Auguſtanis, conjugio ejus carere non potuit.* Νικᾷ ἡ καλὴ σίδηρον καὶ πῦρ, καλή τις ἡ θεά, *ut Anacreon ait. Celebravit eam oratione prolixa* Georgius Roner, *V. J. Doctor (Raimundi Roneri, affinis mei, civis Vlmenſis, frater) jam dicti Archiducis Conſiliarius.* Funebris vero Orationis illius, quam ipſemet vidi legíque, titulus oſtendit, ſcriptam fuiſſe *in obitum Sereniſſimæ Principis ac Dominæ D. PHILIPPINÆ, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac D. Domini FERDINANDI, Archiducis Auſtriæ, &c. Ducis Burgundiæ, &c. & Comitis Tyrolis &c. Conjugis dilectiſſimæ.* Acceſſere Dialogus & Epitaphia quædam, eidem Sereniſſimæ Principiſſæ inſcripta, hoc ipſo auctore. Nuncupavit is eandem Orationem ſuam *Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis & Ampliſſimis Principibus ac Dominis, Domino ANDREÆ Car-*

Sub. fin. Lib. 71.

Part. III. Añal. Sueviclib XII. fol. 771.

Valent. Schönigk mprimebat Aug. Vindel. Anno 1580

Cardinali de Austria, ac Domino CAROLO, *fratribus Germanis, Sacri Romani Imperii Marchionibus in Burgovia, Landgraviis in Nellenburg, & Comitibus in Hochenberg &c.* hoc est, duobus filiis Philippinæ, genetricis defunctæ. Mittamus nunc saltim in compendium Juris atque eloquentiæ consultissimi Viri verba, quæ maximè conservanda putamus: *Fuit hæc*, ait inter alia, *clarissima Princeps nostra virgo gloriosa, & ILLVSTRI GENERE NATA, atq; ab ipsis incunabulis in fide Christi benè informata & instituta. Postquam vero pubertatis annos est egressa, tum mira & eximia fuit pulchritudine, támque excelso animo, & tam singulari prudentia, tantisque laudibus probitatis, pudicitiæ, & modestiæ ornata, ut maximus Reip. Christianæ Princeps, Serenissimus D. Ferdinandus, Archidux Austriæ,* EAM SIBI MATRIMONIO COPVLARE NON DVBITAVERIT. Et post nonnulla: *Dominum ac* MARITVM *suum casto & CONIVGALI amore semper est complexa.* Super hæc venustatem muliebrem, membrorum compositionem, omniúmque conformationem lineamentorum, quàm ingenuè, quam ornatè in astra sustulit? *Si ad exteriores*, inquit, *corporis dotes quis respicere velit, quis non in illa insignem & admirandam corporis pulchritudinem celebravit? Quis non in Principe nostra plus quàm heroicam totius corporis speciem, procul etiam Principissam ostentantem, laudavit? Quis non eximiam illam & decentissimam proceritatem & staturam talem, qualis tantam Principissam decet, prædicavit? Quis non insignem capitis honorem, quis vividum oculorum vigorem, regiam oris dignitatem, cum amabili quadam venustate pariter ac majestate temperatam, summa cum jucunditate non inspexit? Ut mihi planè in hanc Principem nostram omnia natura, mentis & corporis bona congesta, meritóq; illa vel Serenissimis Reginis & Principissis*, D. Elisabethæ, *quæ Regi Daciæ potentissimo*, D. Mariæ, *Hungariæ Regi Ludovico nupta*; & D. Leonoræ, *quæ Lusitaniæ Regi copulata*; *imò etiam Beatæ* Elisabethæ, *Hungariæ Reginæ, quæ Comiti Provinciali Thuringiæ matrimonii lege juncta fuit, conferenda esse videatur.* Cúmque illa persolvisset, quæ pulchritudinis erant, reliqua vitæ pariter ac mortis commemoravit: *Quàm provide & Christianè Serenissima Domina nostra mortua sit, breviter perstringemus; neq; proferemus in me-*

dium, nisi quæ ex hominibus fide dignis accepimus. Cum igitur 14. die Aprilis piissima Princeps ægrotare inciperet, ac 23. die dicti mensis Aprilis adversa valetudo magis magisq; augeretur, decessit infra quartam & quintam horas pomeridianas, die 24. mensis Aprilis, in die Dominica, qua celebratur festum S. Georgii Martyris, anno Salutis humanæ M.D.LXXX. Exequias Illius idem Ronerus verbis cohonestavit sequentibus: *Corpus mortuum triduò (ni fallor) cunctis cujuscunq; & quantumvis infimæ sortis hominibus passim (priusquam sarcophago includeretur) palam ut conspiceretur, permissum. Posthæc lignea cista, stagneo sarcographo obducta, inclusa, sepulta est honorificè, & solenni pompa 29. die dicti mensis Aprilis Oeniponte, in Capella S. Crucis templo & monasterio amplissimo contigua, à Serenissimo ac Potentissimo Principe & D. Domino Ferdinando, Archiduce Austriæ, &c. sumtuosissimè constructa.* Nec possum mihi temperare, quin majus etiam epitaphium, prosa oratione conceptum, statim subnectam; nam recte Cato apud Ciceronem de Senectute testatur, se legendis sepulcris in memoriam redire mortuorum: *Serenissima Princeps ac Domina, D. PHILIPPINA, Marchionissa Burgoviæ, Comitissa Provincialis de Nellenburg, & Comitissa in Hochenberg, &c. Serenissimi & Potentissimi Principis ac Domini, D. FERDINANDI, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Luzenburgiæ & VVirtenbergæ, Landgravii Alsatiæ, Principis Svevia, Comitis Habspurgi, Tyrolis, Goriciæ, & Sorretis in Kyburg, Marchionis S.R.I. in Burgovia, Domini Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, SVAVISSIMA DILECTISSIMAQVE CONJVX; quam benigna DEI manus ex ista fragili & caduca rerum humanarum conditione, non diutius calamitosis & tumescentibus arumnarum procellis vexari volens, fœliciter eripuit: Decessit ex mortalis hujus vitæ lugubri & navifrago pelago, ad portum æternæ salutis, Anno Domini 1580. mense Aprilis 24. die, circiter horas quartam & quintam pomeridianam, in ipsa die Dominica, qua celebratur festum S. Martyris & Equitis Georgii. Sepultum est autem magnifico Mausolæo, in hoc Sacello, à præfato Serenissimo D. Archiduce sumtuosissimè constructo, quod idem D. Archidux D. Mariæ Virgini devotissimè dedicavit, ac in honorem ejus, per Reverendissimum in Christo*

FERDINANDUS. DEI GRATIA.
ARCHIDUX. AUSTRIÆ. DUX.
BURGUNDIÆ. COMES. TIRO
LIS. PHILIPPINÆ. CONIUGI
CHARISSIMÆ. FIERI. CURA
VIT. OBIIT. XXIIII. MENSIS.
APRILIS. ANNO. SALUTIS.
MDLXXX.

ſto Principem ac Dominum, D. Joannem Thomam Epiſcopum Brixienſem, Anno 1579. proximè elapſo, in ipſa die Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ, quæ erat 8. menſis Decembris, conſecrari fecit; cujus defunctæ Principis anima in æterna pace quiescat. Amen.

Neq; abs re fuerit, ipſum hoc loco monumentum, accuratè æri inciſum, integra fide ideò exhibere, ne Illa, quæ viventium oculis morte ſubtracta eſt, oblivione etiam cordibus ſubtrahatur: Id enim, nomine ipſo nos admonens, ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quàm ad præſentis temporis gratiam; cujus mutationes viciſſitudinésq; dudum cognovimus. Eadem ſolitæ inſcriptionis verba, quibus mortalitas iſta depicta eſt, oculis legentium Merianus quoque, in Topographia Provinciarum Auſtriacarum, integra fide ſubjecit, & formam totius ſepulchri miſit expreſſam; de cætero unita ſepultura ibidem PHILIPPINÆ conjugi FERDINANDVM maritum ad latus fuiſſe datum, diligenter ſubindicavit. Jaſonis vocem ſuam feciſſe tunc viſus eſt Ferdinandus:

Comit. Tyrol. fol. 141. a.

Reſtat, ait, charas humus hæc non dividet umbras.

Val. Flacc. lib. V.

Quid multis? CONJVGI CHARISSIMÆ FIERI CVRAVIT. Marmor ipſum teſtor, quod loquitur veritatem: Idem præterea Roneri fatentur epitaphia, & *generoſam*, nec minus *illuſtrem* Conjugis defunctæ confirmant Nobilitatem.

- - - Jacet hoc tumulo PHILIPPINA potentis
Auſtriaci FERNANDI Principis INCLYTA CONJVNX,
Sueviacæ fuerat quæ quondam gloria gentis,
Herois clemens, ILLVSTRI STEMMATE NATA.

Et poſt nonnulla:

Sic obiit quondam PHILIPPINA, piiſſima Princeps,
Quæ fuit Auſtriaci FERNANDI Principis uxor,
Herois ſapiens, GENEROSO STEMMATE NATA.

Nunc aliud quoque elogium ſequitur:

Quæ licet ILLVSTRI fuerit de STEMMATE NATA,
Digna Ducum thalamis, digna Jovisq; thoro;
non tamen illa fuit pol facta ſuperbior unquam,
aut unquam criſtas extulit illa ſuas.

An

An verò nunc de Nobili matrimonio quidquam omissum? non opinor: velut ex abundanti tamen adjiciam *D. Jacobi Menlii* testimoniũ, qui *uxorem priorem* vocat *Illustrissimã Dominam Philippinam*, eamq; *in matrimonio cũ Archiduce Ferdinando 24. & eò amplius annos vixisse* memorat. Neq; veritus est *Didacus de Lequile*, Concionator & Historiographus Aulicus, in Domo sua Austriaca, quam in partem Proceres, quod erat scripturus, acciperent; dum de matrimonio Ferdinandi II. Archiducis Austriæ, (cognomẽto *Hilaris, Heroici, Splendidi, Magnificiq;*) Cæsaris Ferdinandi I. alterius post Maximilianum II. Imp. geniti, illud cũprimis hunc in modum annotavit: *Vxorem priorem duxit Illustrimam Dominam Philippinam ex Nobili & Patricia Velserorũ Augustæ familia. De anno hujus prioris matrimonii turpe mendum apud Kilianum, est enim ibi 1530. & tamen Ferdinandi nativitas contigit 1529. die 14. Junii, in oppido Lintz. Itaq; comperta in hoc conjugio tria: nempe thori maritalis duratio, proles, & Philippinæ extinctio: De primo & secundo idem Menlius: Vixit prima uxor, cum conjuge Ferdinando, 24. & eò amplius annos, liberis ex conjuge relictis Cardinale & Marchione. De tertio in errore est ejusdem Menlii typographus, qui obiisse Philippinam anno 1550. asserens, annos 30. minus posuit; exstinctionem etenim ejus, prout in lapide sepulchrali, excellenti manu, & ab eadem, quæ Maximiliani I. Imp. Mausoleum effecit, sculpto legi his verbis:* Ferdinandus Arch. Austr. Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis, Philippinæ Conjugi charissimæ fieri curavit. Obiit 24. mens. Aprilis, anno salutis 1580. *Quas verò hæc pulchra mulier Viro suo peperit proles, thori imparilitatem minime imitatæ sunt; & aliis contentæ, multa cum honestate Archiducali titulo abstinuerunt. De primogenito Cardinali, qui creatus à Gregorio XIII. electioni Sixti V. Ordinis Minorum interfuit anno 1585. ut habetur ex vita ipsius Pontificis, à Cicarella conscripta, (nisi fortè de Cardinali patruele Alberto loquatur auctor) quiq; Princeps fuit, ac Prælatus pius, ac commendabilis, hæc breviter indagavi. Andreas Cardinalis ab Austria titulo S. Mariæ Novæ, Episcopus Constantiensis, & Brixinensis, ac Administrator Murbacensis, Gubernator Belgii: Priorem Episcopatum adeptus est a. 1590. posteriorem 1591. Provincias Belgicas administravit 1598. & a. 1599. discessit de vita.* Hæc ex libro MS. ubi mox subdit auctor de fratre: *CAROLVS ab Austria, Marchio Burgoviæ, duxit uxorem Sibyllam, V Vilhelmi*

Lib. de Major. D. Maximiliani II. Imp. sepulchris &c. pag. 85 b. Part. III. Excurs. VII fol. 362, 363.

helmi Juliæ, Cliviæ, Montium Ducis filiam, Joh. VVilhelmi sororem, multis rebus in Belgio, & per Hungariam fortiter gestis digna patre soboles, & dignus gente. Dolendum sanè, quod *ambo sine liberis extincti* sint, velut infinita posteritate digniſſimi: Gloriam certè maximis in orbem Christianum meritis, præstantisſimisq; rebus gestis consecutus est CAROLVS, reverà nominis sui Princeps: Sunt fata Ipsius verbis difficiliora. Quare cum inopi stylo, & infacundus sim, in eorum enumeratione tantùm versabor, dulcedine quadam gloriæ Velserianæ commotus, quæ Viri fide digniſſimi oculis usurpata, manúq; descripta, in Güntzburgensi diæta (*Güntzburgum* enim Burgoviæ oppidum, veteribus *Guntia* vel *Contia* dictum, Caroli regia fuit) ex ordine leguntur, quem sequar; integram inscriptionem enumeraturus fidiſſimè.

P. Joh. Gās in Arboreto Genealog. fol 9. b.

CAROLVS II. Marchio Burgoviæ XVI. Landgravius Nellenburgi, Comes in Hochenberg, Dominus Veldkirchii, Bricântii & Hoheneccii.

CAROLVS, & ANDREAS Cardinalis, filii FERDINANDI SECVNDI, ex Philippina, antiqua juxta ac nobili Velserorum familia orta, quam sibi ob eximiam formæ elegantiam, animi indicem, rarásq; virtutes, propter quas Principibus personis, cæterisq; insigniter commendata fuit, eásq; memorabili & perſancto fine comprobavit, invitis Parentibus & Fratribus matrimonio junxit, eiq; nihil ad tantam dignitatem defuit, præter cœcam fortunam. Quare filii pacto a Parentibus inito, possessione paterna privati, Marchiones Burgoviæ declarati sunt; Caroliusque post multa impedimenta exploratam & comprobatam fidem & patientiam, variámq; Serenisſimæ Domui in rebus arduis fidelem præstitam operam, tandem Anno Domini 1609. cum id ipsum Anno 14. à parentum morte omni cura sollicitasset, in Marchionatum cæterásq; ditiones immissus est. Hic Patri

„ *Ferdinando in omnibus heroicis virtutibus, æquè ac in forma*
„ *& viribus æmulus, adultiore & torosis lacertis robustiore*
„ *adolescentia, studium variorũ exercitiorũ amplexus, equos in gyrum circumegit, palæstram exercuit, multa luctatus est arte, ingentis ponderis saxum jactavit, ferreum jaculatus est vectem, & omnis generis equestria ludrica cum mira*
„ *dexteritate & robore edidit; quin & tum, & progrediente tem-*

tempore Dianæ ſtudioſus cultor altiſſimos & quaſi inacceſ-
ſos montes, horridásq; ſylvas venationis & exercitii cauſſa
non exiguo cum labore & periculo peragravit; iisdémq;
ſæpius octiduo integro immoratus eſt. Sacra loca longè di-
ſtantia, ob æterni Numinis Divorumq; Ejus piam vene-
rationem longis itineribus pedibus adiit. Ætatis vigore flo-
*rentem Caroli V. Patrui magnum * ad exercendam milita-* * exem-
ris operis diſciplinam extimulabat. Totum igitur militiæ ad- plum.
dictum primo Hiſpaniarum Rex Philippus II. legioni Ger-
manicæ quinq; militum ſummo Tribunatu honeſtavit, quam
ad Alexandrum Farneſium, perpotenti claſſe Angliam in-
vaſurum, direxit, evocationem in Germania operientibus
mille & ducentis equitibus, ſclopetariis, Regis ſtipendio con-
ductis; ſed conatu irrito Farneſium, montem ad Scaldim ob-
ſeſſurum ex Flandria in Brabantiam ſecutus eſt. Violato ab
Amurathe III. induciarũ jure, Rudolphus II. Auguſt. Mar-
chionem, ſupremum exercitus Legatum in Croatiam deſtina-
vit, Jaurino à Sinan Baſſa, Turc. exercit. Imper. obſeſſo, ſum-
mus equitum Magiſter declaratus. Commoravio, poſt captũ
Jaurinum, (vix Marchione in caſtra appulſo) preſſo, cum ali-
quot ſuæ Legionis Tyrolenſis in maximo periculo ſuppetias
tulit, illudq; ſua diligentia ſervatum eſt. In Strigonienſi obſi-
dione conflictuq;, iterum equitum Magiſter ſuburbiũ aqua-
rium cum ſuis legionariis & aliis expugnavit, pertinaciámq;
Turcarum adeo fregit, ut arcem paulo poſt dederent. Vien-
nam deinde à Cæſare deſtinatus, veritus hoc potiſſimum Im-
perii propugnaculum obſeſſum iri. Agria à Mahomete III.
obſeſſa, & re ad conſerendam pugnam vergente, Marchio eò
contendit, & in prælio ſine munere impigram operam nava-
vit; Cæſareanosq; bis victores, tandem verò Cicalogli Baſſæ
impulſu in fugam effuſos ſiſtere, & aciem inſtaurare labora-
vit. Continuo quaſi decennio tunc temporis rebus bellicis ma-
gna curæ & induſtria invigilans, multis aliis in locis & pu-
gnis fuit. Sæpius in ſubita & graviſſima pericula incidens,
nunquam animum amiſit; ſed, celeriter invento & inito con-
ſilio, ſeſe cum admiratione expedivit, reverſus tandem non
absq; ſingulari cauſſa ad ſua, ſago, quoad res fert, valedicto.
*In toga ſpirituali militiæ operam dat, habétq; conjugem * Si-* *Aliàs I-
byllam, Juliæ & Cliviæ Ducisſam, ſine hæredibus, quos Deus ſabellam.
Optimus Maximus ex votis fortunet!

Multa verba fecimus, neq; περιβολικῶς, ſed veriſſimè locuti ſumus; dum nos cum ipſa Hiſtoria in ſermonem de-

dimus, virtutes ac filios Philippinæ non satis dignè prosecuti; sed nostram vicem rursus explebit mollissima dulcedine carminum memorabilis Keckius:

Quid? quod adorandis complexa Penatibus orbem
juncta PHILIPPINÆ solennibus AVSTRIA votis,
non thalamis indigna suis hæc stemmata duxit?
Salve divinæ specimen mirabile formæ,
Nympha, nec ingenio faciei dotibus impar,
Virtutum sed luce jubar transgressa gemellum!
Te geniti HÆREDES, alter ditione potitus
MARCHIO Burgaviæ, regalis Mysta sacrorum
Alter coccineo decorarunt stemma galero.
Horum equidem breve vitæ genus de matre profectum
PATRICIA clausit; sed adhuc in pluribus extat
stirpibus, & serum ridet vigor arboris ævum
VELSERIÆ, succiq; tenax in sæcula durat.

Ne *Benignæ* quidem *Velseriæ* memoriam ab hoc exemplo separare debemus, in qua tantus animi vigor, tanta gentis adorea fuit, ut Illustris & Generosissimus Dominus *Albertus à Kolovvrat*, Magnas Bohemiæ veterrimus, pacto matrimonii Illam vinciret. Quid? quod pares cum paribus, veteri proverbio, facilè congregantur; cum sit ad connectendas propinquitates vel tenacissimum vinculũ, generis similitudo: Siquidem Philippinæ fratrem *Carolum* Archidux Ferdinandus, ob egregiam virtutẽ, Lib. Baronis nomine dignatus est, in cujus matrimoniam Domina *Eva L. Baronissa de Schönburg, in Hirschvverd*, A.C.1560. animo ivit libentissimo. Cumque in alio sua etiam quemque dignitas delectet, Domina *Rebecca, L. Baronissa de Ravensburg* A.C.1571. mulier facta est ex viro *Joh. Georgio Velsero*, Archiducis ejusdem Consiliario intimo. *Rehlingeros & Horvvarthos* (quibus per affinitatem dudum innexi erant Velseri) hoc loco commemorare quid opus est? maximis enim semper auctibus Illi crevere, donec ad summum venere, incremento vix relinquentes locum.

Non invitus his subnecto INSIGNIA, ne quis ignoret, quantum interfuerit, impigrè se periculis militiæ obtulisse; & Mercurii induisse talaria. Magnos magna decent; quare & Carolus ille Imperator, magna molitus belli ac pacis negotia, PHILIPPVM VALISERVM, Familiæ hujus effulgentis caput fundatorémque, ob illustria, in bello Langobardico, merita, maximis donavit privilegiis,

legiis, & eximio insignium splendore decoravit; velut lectissimum bellicæ Nobilitatis florem. Dedit enim LILIA TRIA, in clypeo & alis, galeæ superimpositis, valdè conspicua, sed *divisis utrinq; coloribus*, ita ut altera pars *albicaret, rubente* per vices altera. De his *Mich. Piccartus* in libello, quo Insignia Gentilitia Familiarum Patriciarum, inclutæ urbis Imperialis Norimbergensis, eleganti & acuto sæpè expositi epigrammate: Altd. edito a. 1614.

Liliolum *mirare, videri?* nix *mixta* rubori *est*:
Candorem *exornat sic* pudor *ingenuus*.

Non ergò mirum, si hic flos est oblectamentum virginum: Quare Theocritus facit Europam carpentem LILIA, & Idon suam Donacem inducit legentem hunc florem. Certè hic, sicuti rosa, *Flos florum* dicitur; tantæq; est gratiæ & pulchritudinis, ut Junoni quoque sit dilectus: Cum enim Jupiter id ageret, ut Alcumenam mortalem (ex qua Herculem susceperat) immortalitate donaret, infantem supposuit uberibus Junonis, tunc quidem dormientis: Infans suctu satur fugere destitit, cum tamen è mamma lac adhuc uberrimè stillaret. Quicquid ex eo lacte cœlo sparsum est, confecit lacteum circulum; sed illa pars, quæ terram humectavit, genuit LILIVM, quod colore est consimile lacti: Est enim insignis pulchritudo illius lactei candoris, sive alboris intaminati; usque eò ut, si quidpiam notabili candore visendum sit, cum LILIO comparemus. Est tamen & *rubens*, sive *purpureum*, de quo discrimine Tertullianus agit, cum nominat utraque LILIA: *Et utrisq; liliis*, inquit, *& omnibus violis coroneris*. Sunt autem purpurea illa, quæ *monstrificis hominum ingeniis fieri, & ita tingi, ut nascantur infecta*, Plinius tradit. Vix me contineo, quin Philippo tunc florentissimo dicam:

Clem. Alex. lib. II. Pædag. c. 8.

Car. Paschal. lib. III. Coron. cap. 8.

Lib. de Cor. Mil.

Plin. lib. XXI. Hist. Nat. cap. 5.

\- - - - *Tibi LILIA plenis*
Ecce ferunt Nymphæ calathis!

Quid multa? Virtus ipsa secum æmulatur; quam ob rem nec posteri sibi ac suis defuere, quo minus dignitatem Majorum velut è vestigio assequerentur. Neq; Imperator deseruit Imperatorem, sed quod *Carolus M.* in diplomate suo affirmavit, hoc ipsum *Otto M.* rursus iterúmque confirmavit: *Julium* enim Velserum, Antonii F. Philippi N. Rei militaris Consiliarium A. C. 950. cooptavit; ob egregiam virtutem Equestri honore A. C. 971. di-

gnatus est, *corona* redimens scutum, & *cassíde torneamentorum* exornans; ut *flos* ille *coronarius*, ab herbariis sic appellatus, magis magisque eluceſceret. Caroli postremò & Ottonis Augustorum diplomata Carolus V. Cæsarea auctoritate sua roboravit, dignationem Velserorum confirmatiorem effecit; ita ut immediati Nobiles coram Imperatore tantùm actione conveniri possent.

Cic. 2. Fin. *Varietas Latinum verbum est*, inquit Tullius, *idq; propriè quidem in disparibus coloribus dicitur:* Ita Eorundem scuta non eodem modo, sed variè mutata, & aliis conjugiorum insignibus distincta fuere: Posteri enim ipsius *Bartholomæi Velseri*, in scuto quadripartito, *Felicitatis Granderiæ*, quam gentis suæ ultimam secundis nuptiis Idem sibi junxerat, insignia, gratia ac favore Caroli V. Velserianis A.C. 1540. ita adstruxerunt, ut (instar Petronii) *rosas, lilia*, violásque sociarent:

Emicuere ROSÆ, violæq;, & molle cyperon,
albáq; de viridi riserunt LILIA prato.

Lib. XVI. Geogr. Strabo memorat, Babylonios gestare sigillum, & insigne sceptrum, in cujus superiore parte est malum, aut ROSA, aut LILIVM; ac si dicat, tantam támque arctam esse inter rosam & lilium cognationem, ut utrum ex his decori & ornamento adsumatur, utique nihil referat. Quippe hi flores videntur à natura sic sociati, ut propemodum

Epist. ad Salviam. sint individui; ceu apud Hieronymum: *Jungitur ei germana ROSARVM ET LILIORVM calathus, eboris ostriq; commercium.* Prudentius describens sceptrum Sa-

Psychom. pientiæ, illud ornat *rosis*, quibus mixta sunt *lilia*, dum ait:

In manibus dominæ sceptrum non arte politum,
sed lignum vivum est, viridi quod stirpe recisum,
quamvis nullus alat terreni cespitis humor,
fronde tamen viret incolumi; tum sanguine tinctis
intertexta ROSIS candentia LILIA miscet.

Grande decus Granderiæ innuo, quæ TRIGAM ROSARVM in *albo* campo *rubentium*, cum totidem *liliis* cópulavit. Crescente fortuna, crescunt ipsa insignia: Filius enim haud degener Bartholomæi, *Leonhardus*, quem sui simillimum ex illustri Granderiæ matrimonio A. C. 1542. produxerat, prioribus geminis *binos* quoque *malleos*, conjugis suæ *Sibyllæ Hemmerlinæ* posteritati honestissimè usurpandos reliquit. Francisco, Marchioni Burgavienſi *sex candidas pinnas* (quas Vitruvius acroteria vocat) *in rubris*

ex

ex diverſo *areis* poſitas, jure acceptas referunt; ceu *Carolo Barone* dignisſimas. Deniqe *Lucas* Velſeris ſuis *Vrſulæ Goſenbrothiæ* matris certiſſima paternæ Nobilitatis argumenta atque indicia, hoc eſt, *barbatum ſenem, rubro capitis tegumento, & præſidiaria* coloris ejusdem *toga*, quæ pænula videri poteſt, *in cæruleo campo* valdè conſpicuum, ſupremo quoque ſuffragio impetravit.

Sed neſcio, quo pacto ad Inſignia monſtranda devenimus; quamobrem *villas, prædia & arces* (vera ac veneranda priſcæ Nobilitatis Capitolia) à Majoribus dudum poſſeſſas, paucis exponemus: *Chriſtophorus Velſerus*, Bartholomæi & Granderiæ F. nobile prædium *Amberga*m, item *Johannes*, Reipub. Auguſtanæ Duumvir meritisſimus, *Spilsberga*m *& Ober-Schvvainbach* diu tenuerunt: *Joh. Lucas* in poſſeſſione caſtri *Rorenfels* fuit, quod ad Danubium, non procul à Neoburgo, ſitum eſt: Ibi etiam locorum *Joh. Jacobus* haud ignobilem domum *Steppergenſem* habuit: *Joh. Georgius*, Eliſ. Schyrofzkiæ maritus, hæredium *Schädervvitz* viduæ ſuæ, poſt mortem, reliquit. Convenientem ac dignam hodiernis poſſeſſoribus ſedem, *Neunhof*, quæ olim Nobilisſimæ gentis Geuderorum erat, commemorare quid attinet? Neminem enim latet, opinor, eandem ante hos viginti annos *Sebaldum Velſerum*, Reip. Norimbergenſis Senatorem, dum viveret, Prudentisſimum, ac Scholarcham (ipſum Apollinem teſtor) Eruditisſimum, cum omnibus Regalibus & (verbo Prudentum utar) Pertinentiis, pro Familia ſua, Cujus commodis ſemper velificatus eſt, ab Imperatoria Majeſtate, ceu *fundum proprium*, ab omni clientela liberum, unà cum *mero imperio* deportaſſe: Muſarum quondam ſedes hæc erat, quam Pirckheimerianæ *Novenſiles*, ob ſacrum ſibi numerum, hîc viciniæ elegerant. Tunc temporis *Daniel* quoque *Velſerus*, in Incluta Rep. Auguſtana Intimioris Curiæ Senator Fulgentisſimus (pariter unáque cum Nobilisſimo Viro, Joh. Chriſtophoro Ammanò) tres ſimul pagos, *Defertingen*, *Hirblingen*, *& Neuſes* ab Illuſtrisſimo Comite, Joh. Franciſco Fuggero, in ſolutum obtinuit.

Atque haud ſcio, an plus in poſteris gloriæ, an in majoribus animi fuerit; Melchior enim Adamus hæc memoriæ tradidit: *Velſerorum Familia, in verè Auguſta Vrbe Auguſtana, jam non ab uno ſeculo celebris, eſt una de primariis* In Vitis JCtor. & Polit. pag. 480.

mariis opibus juxta & virtutum, doctrinaque eruditæ decoribus præstans. A rei nummariæ nervis apprimè instructam, vel hoc docet: Quod cum Carolus V. pace cum Gallo facta transegisset, ut duodecim auri tonnas Rex Imperatori penderet; Fuggari ac VELSERI tantam pecuniæ vim bipartitò se repræsentaturos promiserunt. Paullò clarius rem ipsam exposuit Mart. Crusius, ceu solet:

Part. III. Svevic. Annal lib. XI. cap. 3. & 4.

Hoc anno (1528.) BARTHOLOMÆVS VELSER, & socii suis impensis naves aliquot in Hispania armarunt; & in novas insulas occiduas emiserunt. Ubi in confiniis Perù magnam, ac divitem regionem invenerunt, VENEZVELAM nominatam, aut VENETIOLAM: Quam, consentiente Carolo Cæsare, occuparunt; & magnis laboribus ac sumtibus (initis non multò post cum eodem Cæsare pactis) ad XXVIII. annos tenuerunt. Tum inter Reginæ Elisabethæ (uxoris Regis Philippi) publicanos, & VELSERORVM illis in locis Gubernatorem (cui nomen Georgio de Spira) *contentio exorta est: Primò, de vectigalibus & decimis: Postea, de limitibus & terminis: Postremò totius ditionis jus in controversiam venit, & caussa diu apud Hispanicnsem aulam agitata: Tandem totum illud peramplum Regnum anno 1555. Velseris abjudicatum est. Primus ejus inventor, & nomine Velserorum Gubernator, nominabatur* Ambrosius Dalfinger, *patria Vlmensis, quem Hispani ibi interfecerunt: quam cædem sequenti tempore Cæsar severè vindicavit.* Hæc Crusius, ex Gasparo & Henningo; qui sequenti capite de eadem insula, ut orsus erat, scribere peragit: *Dictum est superiore proximo capite de insula VENECVELA, sive VENEZVOLA, regione Americæ (quartæ partis orbis terrarum) è regione Hispaniolæ, meridiem versus sita. Quomodo eò navigaverit, quid ibi fecerit, & passus sit* Nic. Federmannus *junior, Vlmensis, Velserorum minister, de iis extat Germanica historia, à die 2. Octob. 1529, usq; ad 31. Aug. 1532. descripta ab* Joh. Kirchhabero, *Vlmensi, affine illius, post mortem ejus edita; & Nobili Viro, Joh. Vilhelmo* von Louvenberg / &c. *Consiliario Imperatorio, 1555. dedicata.*

Part. III. Augusst. Chron. f. 14

Werlichius, in Chronico suo Augustano de possessione hac, quam ultra XVI. annos Velseri magnis sumtibus, nec minore fructu usurparunt, fermè eadem refert; caussam amissionis haud obscurè innuens, quæ discordia fuit inter publicanos *Isabellæ* (quam Crusius modò *Elisabetham*,

tham, more & aliis usitato, nominavit) Hispaniarum Reginæ, & Velserorum Gubernatorem Georgium von Speyer; qui, contra fas, expulsi sunt iniquè, postquam in aula judicium verè passi fuerunt. Sed longè devium iter à veritate tenuisse dicendus est Hier. Benzo; qui terrarum Dominos, sine mente, sine sensu *mercatores* vocat: *VALENTIOLA*, ait, *ditissimæ provinciæ oppidum, quam Cæsar anno 1528. Velzaris mercatoribus Germanis oppignoravit: Illi primùm in eam provinciam Gubernatorem* Ambrosium Alfingerum *misere, qui auri reperiendi cupidine crebras in eas gentes excursiones, multa sævitiæ exempla, edidit, sed eo tandem ab Indis occiso, suffecere alterum stirpis suæ Præfectum, cui* Georgio *nomen erat. Hunc Hispani, qui ei aderant, noctu per insidias incautum in lectulo adorti, vulneribus confoderunt; mox ex carnificatum & domo extractum multis eum probris ac contumeliis per viam rapuerunt: Postremò ejus cadaver in proximum saltum abjecére; donec orta luce humaretur. Verum haud ita multo post, Cæsaris mandatu, noxii ut novissima exempla meriti, exquisitissimis pœnis affecti sunt.* Lib. I. Hist. Nov. Orb. cap. 25.

Nunquam delirare desinit, qui semel cœpit; siquidem vanio istius judicio & Reges & Principes magnarii negotiatores erunt, & delicatarum mercium institores: Hercules tuam fidem! *Velzari (id est Velzarorum, ij Germani mercatores sunt, procuratores, seu mancipes) audito tam ingenti lucro oblato è VALENTIOLA profecti & ipsi, ac terrestri itinere asperrima loca, & nivosos San-Marthæ montes ducibus Indis gnaris locorum prætergressi, tandem in Smaragdorum provinciam perveniunt. Inde excursionibus factis, & direptis aliquot gentibus, spoliis onusti in suam provinciam remeant.* Ergóne Magnates aurum atque argentum, gemmas ac lapides pretiosos è fodinis suis colligentes, ad mercatum eunt, dum ad bellum contra Barbaros proficiscuntur? Ignoscite judices; erravit, lapsus est, non putavit. Ibid. lib. II. cap. 6.

Veniat in medium modò VENEZVELA, & suam nobis appellationem *(propriis Joh. de Laët verbis)* fertilitatémque ostendat, cujus *Delineationem* hic damus: Duæ omninò redduntur rationes ab Hispanicis Scriptoribus, cur hæc præfectura & provincia dicta fuerit *Venezuela*, id est, *parva Venetia*; prima quidem, quia *Alfonso de Oreda*, qui inter primos ad illam appulit anno 1499. hic Lib. XVIII. cap. 8. & 9. ex eo Dapperus lib. III. Amer. part. VII. fol. 620. 621.

invenit municipium indigenarum barbarorum ; cujus ædes omnes in ipsis undis, arboribus & tignis erant inædificatæ, quemadmodum *Venetiæ* ex ipsis fluctibus eductæ cernuntur ; subliciis autem pontibus è continente commeabant ad ædes, plurésq; similes pontes ab unis ædibus ad alteras erant perducti: Altera autē, quod Germani cum primùm hanc præfecturam ab Imperatore Carolo V. accepissent anno à Christo nato 1528. destinaverant, secundum ostium magni lacus *Maracaybo*, super collem imminentem ostio, oppidum moliri nomine *Venetiolæ*, fausto omine, licet nunquam res effectum fuerit sortita. *Acceperant autem hanc provinciam Nobilissimi VELSERI, cives Augustani, uti BENE DE IMPERATORE GERMANIÆ MERITI*, hisce limitibus, ceu ex Herrera discimus, concludam, ab ortu quidem *Maracapana*, ab occasu autem promontorio, quod vocant *de la Vela*, patentem *in longitudinem* secundum orarum ductum, *circiter leucas ducentas*. Solum hujus præfecturæ admodum est fertile, & frugum feracissimum, ut *quotannis duas hic messes* colligant: Adhæc abundat pascuis, ita ut hic ingens numerus armentorum, nec non pecudum pascatur. Vnde meruit nomen granarii, apud cæteras provincias ; magna enim copia farinæ triticeæ, plurimum panis biscocti ; multi casei, suilla quoque ; & grandis numerus pannorum gossypinorum hinc deducitur, ad vicinas & remotiores provincias. Ad hæc immensus numerus tergorum bovillorum & magna vis *Sarzaparillæ*, à portu *Guayra* & *Caracis* infertur Europæ. Abundat regio omnis generis feris, ita ut venatio imprimis hìc sit opportuna: Amnis *Vnare* valdè piscosus est ; ita ut Barbari indigenæ, superiori seculo, crebrò inter se *bella* gesserint, *ob piscandi* limites & opportunitatem. Nec metallorum inops creditur solum in variis provinciis, *præsertim auri*, & quidem *satis absoluti*, viginti duorum & semis caratiorum, ut loquuntur. Nihilo tamen secius Imperator Carolus præfecturam & cæteras immunitates, in ejusmodi concessionibus tribui solitas, *amplissimo dpilomate indulsit Velseris Augustanis ; vel, si propriè loqui volumus, provincias hasce illis oppignoravit*. Agebant tum res Velserorum, in aula Hispaniæ, *Ambr. Alsingerus*, *Hier. Saylerus*, *& Georg. Evigerus*. Quorum quidem Alsingerus, assumto sibi Legato *Barthol. Saylero*, rebusque omnibus ritè præparatis, atque

Lib. II. Descript. Indiar. c. 19.

atque quadringentis militibus, & octuaginta equis in naves impositis, solvit ex Hispania anno 1529. Et cùm hìc feliciter appulisset; *Joannem de Ampues* (qui ante biennium Provinciam hanc, ex mandato Conventus Juridici Insulæ Hispaniolæ, esset ingressus) statim submovit, tribus tantummodo Insulis, *Curacao*, *Bonaire & Aruba*, quæ haud longè hinc continenti objacent, illi relictis. Deinde Barbaris, qui lacum *Maracaybo* accolunt, quem Hispani tunc vocabant *de Nostra Semora*, ad obsequium cogendis nonnulla opera impensa, omnes conatus suos convertit *ad auri aut argenti venas* indagandas: Et cùm illud ex voto minus succederet, tum demum aliquot expeditiones in Mediterraneas provincias suscepit; in quibus ita fuit versatus, ut summam, quaqua transibat, agris inferret vastitatem, & Barbaris indigenis magnas clades incuteret, & vicissim ab illis pateretur: Instituerat iter suum per *Cupiaren*, & per longa terrarum spatia penetravit usque ad vallem *Eupari*. Idem *Alfingerus* alteram expeditionem suscepit anno 1530. & iter suum instituit ad Barbaros, qui *Pocabuyes* appellabantur, & *plurimum auri* credebantur possidere, quod cum vicinis suis permutabant: Ab his transiit ad aliam Barbarorum nationem, qui *Alcoholadi* vocabantur, & *auro* ad eundem modum *abundabant*: Horum ager solo erat haud infœcundo, ipsique pro captu Barbarorum, ingenio haud inurbano; ita ut in ipsorum provincia pedem figere, & municipium aliquod moliri, si rebus suis rite consuluisset, omnino tempestivum fuisset: Potuisset enim tum quàm facillimè inde in *Novum Regnum*, quod postea *Granatense* fuit dictum, penetrare, & Dominorum suorum res egregiè stabilire; verum id susque déque habens processit inde ad flumen Grande, atque ita deinceps ad *Tamalemequen*, omnes regiones miserum in modum pervastans, usque ad *Lebrixam*: A qua divertens subiit montanam & frigidam regionem, quam ab infinitis Barbaris invenit cultam; à quibus cum insigni clade fuit repulsus, & vulnere hic accepto remeavit ad *Corianam* sive *Coranam*, hujus præfecturæ metropolim, & ibidem decessit è vulnere, anno à Christo nato 1535. Huic deinceps successor à Velseris fuit missus *Joannes Allemannus*, qui nullas expeditiones in provincias suscepit, sed brevi è vita excessit: In illius locum itidem fuit suffectus *Georgius de Espira*, cum Legato suo

Nicolao Federmanno, vel *Vredemanno*, anno a Christo nato 1535. Hic cum trecentis peditibus & centum equitibus movit è *Coriana*, mense Majo, versus Austrum iter agens, & vestigiis Alfingeri insistens. Legato suo, ubi ante coloniam collocasset juxta promontorium *de la Vela*, cum reliquis copiis sequi jusso. Legatum interim sibi sumserat *Franciscum de Velasco*, Hispanum; qui cum jam pænè ducentas leucas processissent, milites (quod Hispanis familiare est, cum peregrinus parent) ad seditionem tentavit permovere; verum dux molitiones illius maturè animadvertens, illum munere suo movit, & ibidem destituit, nullo alio supplicio irrogato. *Federmannus* autem illum secutus, & vasta terrarum spatia emensus, penetravit in vallem *Tucuyo* angustam & undiquaque montibus cinctam, in qua hybernavit; & interea quoque adiit provinciam *Bariquizemeto*, ita dictam ab amne, qui illam permeat. Hybernis in *Tucuyo* ablolutis, & pro Præfecto hic constituto *Franc. Vaniga*, hinc promovit *Federmannus*, mense Decembri, & magnis itineribus, per asperos montes & densas sylvas, atque impeditissima loca tandem penetravit in *Novum Regnum Granatense*. Dum hæc in America in diversis partibus a Germanis hisce geruntur, *Espira* præfectura sua movetur, & *Federmannus* in illius locum substituitur; Verum cum plurimæ quoque querelæ contra hunc fuissent institutæ, denuo fuit amotus, & *Espira* in pristinum locum & gratiam restitutus. Is anno 1538. Coro um revertens, expeditionis suæ pænè triennalis hanc reddidit rationem, quam ad Regem Hispaniarum destinavit; se *ad quingentas pænè leucas* cum copiis penetrasse in Mediterranea, & pervenisse ad fines barbarorum, qui *Choques* nominantur: Licet autem tantum viginti quinque leucis abesset, uti opinabatur, a loco, quem hactenus investigaverat, reverti tamen fuisse coactum, ut necessaria militibus compararet. Obiit autem paullo post, nulla alia re memorabili gesta. Denique dum Velseri cunctantur alium Præfectum mittere, manum admovit huic negotio Conventus Juridicus Insulæ Hispaniolæ, qui in oppido *S. Dominici* residebat; variósque huc destinavit Subpræfectos, quorum quidam obierunt, quidam ob provinciam malè administratam fuga se subripuerunt. Hæc in compendium misisse & summatim exposuisse, quæ Vir magno rerum Jndicarum usu præditus,

tus, & ipſe Occidentali Indiæ Præfectus, dilatavit nobis atque expoſuit, ſatis & abundè erit.

His rebus & ſuam rem familiarem auxiſſe, & facultates ad largiendum magnas comparaſſe, ſemper prudentis eſt habitum: Sed quid opes, ſine virtutibus? cum veriſſima fronte dixerim: Hac Familia nulla virtutum feracior fuit, & quaſi lumen aliquod, extinctis cæteris, ſanctitas ac RELIGIO Illius elucebat. *Julius*, Conradi F. ob glorioſiſſima facta, in Expeditione Sacra anno 1225. fortiter ac feliciter edita, propitia voluntate Friderici II. Imp. Eques creatus & gloriam maximis in patriam quoque meritis, præſtantiſſimisque rebus geſtis conſecutus, anno 1243. datu benevolentiaque Conradi, Haſſiæ Landgravii, Summique Ordinis Teutonici tunc Magiſtri, hunc ipſum in Boruſſia adeptus eſt: Forti occubuit morte anno 1278, cum Imp. Rudolphus I. Ottocarum Bohemiæ Regem, in ipſis S. Bartholomæi vigiliis, prælio ſuperaſſet. Epitaphium Ipſi Elbingæ Boruſſorum, in templo primario, datum, & clypeus Ejusdem Norimbergam, in Sacellum S. Ordinis transmiſſus fuit: Similis quoque in cœnobio Hailsbrunenſi, prope Onoldum, effulſit. *Antonius* Freiſingæ, *Hieronymus Chriſtophorus* & *Antonius* Ratisbonæ, *Præpoſiti* fuere Canonicorum: *Canonici* ipſi non incelebres occurrunt *Emmanuel* Baſilienſis, *Hieronymus* Wirtzburgenſis, *Paullus* Argentoratenſis; *Joh. Antonius* Eichſtadienſis, *Joh. Bartholomæus* Argentoratenſis, Ludovico IV. Imperatori á Sacris Confeſſionibus, intimisque Conſiliis; *Fridericus* Ratisbonenſis, *Severinus* Conſtantienſis, & *Paullus* Auguſtanus. *Albertus*, Ratisbonenſis Canonicatus, ceu vocant, Primarius, Ingolſtadii degens, in Danubio ſubmerſus & in æde S. Salvatoris ſepultus fuit. *Philippus*, Canonicus Regularis, Ordinis S. Auguſtini, Baumburgi in Bavaria, Salisburgum inter & Waſſerburgum, anno 1617. ibidem fatis conceſſit. Nec *Fridericus*, Ottonis & Catharinæ de Baillecourt F. Cameracenſis Canonicus omitti hoc loco debet. Ex his (qui quidem omnes cum doctrina aliquid habuerunt commercii) in omnium bonarum artium diſciplinis egregii laudantur quatuor illi: *Emmanuel* (in Sacra Scriptura, ex aſſidua Bibliorum lectione, verſatiſſimus) nec non *Hieronymus*, *Paullus*, & *Severinus*; quorum veſtigia anxio quidem pede premere *Antonius*, Conradi F. animo obſtinaverat, magnumque religionis

æquè ac eruditionis impetum ceperat; ſed immatura morte præventus eſt. Sic enim in Eccleſia olim res gerebatur, ut doctrinam cum ſanctitate morum veteres diligenter conjungerent; nec querela hac opus erat, qua dolorem ſuum, de his temporibus, impertit nobis Nic. Vernulæus, in Academia Lovanienſi, dudũ Hiſtoriographus & Profeſſor Regius, Jac. Pontano cenſore: *In Eccleſia*, inquit, *ſimiles fraudes inveniuntur; nam cum ad dignitatem Epiſcopalem nemo admitti debeat, niſi Theologiæ aut Canonum Doctor, vel Licentiatus, quidam ſine harum Facultatum cognitione, & aliquando vix Latinam linguam callentes, uno die Doctores vel Licentiatos ſe renuntiari curant, & ſic Epiſcopatum conſequuntur.* Verùm quid ego de cæteris Ordinibus loquar? *Joh. Antonius* fraternitatem Societatis Jeſu amplexus, res ſacras Confeſſionis primò apud Reginam Hiſpaniarum, deindè apud Seneriſſimum Ducem Wolfgangum Wilhelmum curavit, ceu Rector illius Societatis, Neoburgi ad Danubium. *Alexander*, anno 1466. ſoleas, ſive ſandalia, quibus Capucini Patres utuntur, rite ſubligavit. Majorem hominum religioſorum, hodiéque ſuperſtitum, copiam fortaſſis afferre poſſem; ſed nec Nobiliſſimæ lectiſſimæque feminæ (queis mira quoque pietas eſt) ſanctitudine ſua viduari debent: Ecquis virtutes ac merita cujusque ſatis dignè proſequatur? Aliæ ſummum, aliæ medium inter Religioſas locum habuerunt. Super eas erat *Barbara*, in Auguſtano S. Catharinæ monaſterio *Abbatiſſa*: Multum etiam ſororibus ſuis ad honorem antecellebant *Priores* binæ, *Vrſula* in eodem, *Juliana* in Ruſſenbacenſi Suevorum cœnobio. Monialium nomina percenſebo tantùm: *Eliſabetha* hanc vitæ ſectam tenuit Ottiliæ-burgi, in Aſſatia, anno 1278; *Anna*, Auguſtæ Vindel. anno 1461. *Vrſula* major, Dillingæ, anno 1472. *Vrſula* ſecunda, Auguſtæ, anno 1541. nata; *Brigita*, in ſolitudine Billenreuthenſi, anno 1511; *Anna*, Auguſtæ, anno 1588; *Helena* Eichſtadii: Item tres illæ ſorores *Maria Jacobina*, Geiſſenfeldæ Diaconiſſa, in ſuperiore Bavaria; *Renata*, in Valle beatorum prope Landshut; nec non *Scholaſtica* Kühbachii, in Bavaria; Porrò *Catharina*, Meſſinæ in Sicilia: *Maria Johanna*, in Valle S. Catharinæ: *Cæcilia & Afra*, Kühbachii; denique *Maria Anna & Maria Franciſca* (ætate noſtra) Zickenhovii. Apagete vos, cum profanis im-

In Tac. lib. XI. Ann. Obſ. 7.

impietatibus veſtris, Meliſſa Cybeles, Hypecauſtria Minervæ, Iphigenia Dianæ, Mera Veneris, Thyades Eleidésque Bacchi ſacrificulæ; nil has moramur!

Non patiuntur me Sacerdotibus inſiſtere fortiſſimi Duces, ſiquidem tanta eſt VIRTVS MILITARIS, ut latius mihi circumſpicienti ante omnia ſe VELSERORVM fortitudo offerat: Hi enim caſtra ſecuti ſunt, non ut quondam Eretrienſes, quos falsè ajebat Themiſtocles ſimiles eſſe piſcium, qui gladioli vocantur; quippe uti enſem hi habent, ſed corde deſtituuntur: ita & illos fuiſſe quidem armatos, ſed animatos non item. At *Julius* Antonii F. ut verſiculum Mœonii vatis in Latiale eloquium hìc meum faciam, erat

Plutarch. in ejus Vita.

Hoſti non tergo, ſed fortipectore notus.

Strenuam enim navans operam, non modo gloriam obtinuit excellentiſſimi Ducis; ſed Viri quoque continentiſſimi immortale adeptus nomen fuit. Tres militum chiliades fidei Ipſius concreditæ erant ab Ottone M. Cæſare, à quo divortium nunquam faciebat,

-- Phalaris licet imperet, ut ſit
falſus, & admoto dictet perjuria tauro.

Nempe ſcitum illud Socraticum animo inſcripſerat penitiſſimo: Vt ſtatua ſemper inſiſtit baſi, ſimiliter Virum bonum inſtituto niti honeſto; nec inde vel periculis, vel promiſſis dimoveri unquam. Miles paucis contentus, nihil rapiebat, quod ſanctis uſibus majores conſecraſſent; ceu iſtud Siciliæ everriculum Verres ſolebat, qui cum ſigna & imagines deorum è ſacrariis plurimas abſtuliſſet, dixit de eo Tullius: *Plures eſſe à Syracuſanis iſtius adventu Deos, quam victoria Marcelli homines deſideratos.* Mira profectò, ſi quæ unquam, in ſectante ejusmodi vitam, abſtinentia; à qua ferè milites noſtri quam longis diſtant ſpatiis! Quippe iis ſi Pegaſi darentur, in cœlum adſcenſuros dixeris, & prædam acturos uncatis manibus, ante thronum DEI, in Sanctorum omnium conſpectu; utpote quibus

Cic. II. & IV. in Verrem.

-- ibi fas, ubi maxima merces.

Sed in eo quoque vitæ genere habet Deus, qui plurimos cujusvis Ordinis longiſſimè Numinis reverentia poſt ſe relinquant. O fides alma, quam inviolatam Imperatori ſuo ad Lycum, in prælio adverſus Hunnos præſtitit! Servavit enim & fortunam & vitam Illius, ac equo ſeſſorem

ſuum

ſuum reſtituit: Quamobrem tantæ fidelitatis memor Otto, hunc in conſiliis militiæ capiundis Neſtorem ſemper habuit ſecum, quem anno *971.* creârat Equitem; annua XXXV. marcarum argentearum penſione pro Eodem liberaliter conſtituta. Cum autem, imperante Henrico II. rurſus nova legio ex Bavaria & Suevia conſcriberetur, primum pilum Lauingam duxerat quidem; ſed in tentorio ſuo, vitæ pariter ac militiæ ſatur, ſexto & nonageſimo ætatis anno, ardente febri extinctus, ad perennem fonticulum, vitæ redituræ indicem, in agro quodam, inferias à filio ſuo Octaviano ſibi datas, humili ſepultura accepit. Generis hanc celebritatem virtute ſua plurimum, in regno Neapolitano & Siculo, adauxit *Philippus*, Eques ab Henrico VI. Imp. anno *1196.* clementiſſimè declaratus; cui inſuper chiliademm ilitum Teutonicorum tribuit conceſitque. De *Julio II.* Conradi F. Chriſti milite, in numero Religioſorum jam dixi, nec dixi ſatis; nam militiæ nomen apud alios dare noluit, quam eos, qui tum ſuo & optimi cujusque judicio optimam foverent cauſſam (ne forte pro bello latrocinium ſectaretur) tum etiam, qui rei totius militaris ſupra alios eſſe intelligentes perhiberentur: Erant illi Mariani Equites, paganos ſubigentes, Chriſtianæque religionis pomœria longius proferentes. Sub horum auſpiciis ac ſignis ita meruit Ille ſtipendia, ut non modò victrici manu varias reportaret coronas, ſed dignitate etiam Equeſtri ab Illuſtriſſimo Ordine, magno Friderici II. Imp. ſtudio, & omnium applauſu, anno 1225. fuerit ornatus. *Omnium iſtorum*, inquit Romanus Sapiens, *quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt*, ſed *Felix* ea ſemper uſus felicitate, quæ pro ſpecie ac cruſta aliquid ſolidi habet, eandem ab Imp. Ludovico V. dignitatem, ſimul ac turmam quingentorum peditum, ob fortia facta, anno 1327. pro eo, ac meritus eſt, Romæ recepit. De *Carolo* autem ſic habeto; Sanctæ hic Crucis Dominus, & S. Stephani Eques, natus anno 1614. in mari, ubi Mars eſt atrociſſimus, pugnam iniit cum Turcis, & corpore adverſo vulnera excepit; donec de genu pugnans, fortiſſimam mortem anno 1648. oppeteret: Quia pro Chriſto mori, pulcherrimum eſt!

Senecaep. 115.

Nos quia jam initia procurſúsque Virtutis patefecimus, actum ipſum perſequemur; cujus ponderoſiſſi-

ma

ma vis, & efficacisſimi lacerti, in longa poſteritate conſiſtunt: Nec præterit me, principatum *Joh. Bartholomæo*, Johannis F. hoc in genere laudis aſſignari oportere; qui cum per annos benè multos in Gallia, Hiſpania, ac Luſitania vixiſſet, Angliam, Scotiam ac Hiberniam amfractu maritimo intuitus, ad ſuos ſe recepit: Sed quia virtus impatiens moræ ac quietis eſt, patria denuo relicta, Romam commeavit ad Cardinalem Ludovicum Madrucium; mox aulam Archiepiſcopi Salisburgenſis, Wolf. Dieterici à Rottenau inſpectavit; ſed caſtra omnibus aulis antehabuit, atque hoc egit, ne ignavus ac ſine animo miles eſſet: Quapropter anno 1594. Capitanei haud incelebris, Tiberii Coſtedi, Tridentini, Signifer factus eſt, in legione Illuſtriſſimi Comitis Hieronymi de Ladron: Anno *1607*. Centurio Illuſtriſſimi Comitis, Joh. Gaudentii Madrucii (qui Ludovici Cardinalis è fratre nepos, Fortunati filius erat) plurima enumeravit ſtipendia: Quid? quod per annos ſeptendecim de equeſtri ſimul ac pedeſtri militia Vrbis Auguſtæ (ſalario ſibi decreto) curam geſſit; donec anno *1614*. conſilio ac ſapientia ipſam gubernare Rempubl. cœpit. Reddendus etiam nunc eſt Velſerianæ juventuti debitus honos, & gloriæ titulus, quæ eodem Virtutis genere uſa fuit: *Johannes*, frater Illius & *Johan. Carolus*, Joh. Lucæ F. hoc loci nobis occurrunt, quorum propoſito, opere, exitu nihil fortius; alter enim Ductoris à Schönau, ſub Seb. Hudleri ſigno, miles impavidus, in oppugnatione Strigonienſi, vehementiore lapidis ictu, decore in terram cecidit; & Poſonii, remiſſa humana vita, à bello requievit: Alter adverſus infenſiſſimos hoſtes in Hungaria belligerans, inter arma, vitam immatura morte finivit. *Otto Henricus*, Emmanuelis F. celebri copiarum duce Rusvvormio, Hungarica quoque cum Turcis militia perfunctus, Poſonii defunctus eſt. *Philippus* Johannis & Reginæ Manlichiæ F. ex eodem bello Viennam reverſus, purpuream inibi animam efflavit: *Hieronymus*, Johannis & Jacobinæ Weiſſiæ F. vexillum duci ſuo, Henrico Julio, Saxoniæ Principi Strenuiſſimo, reſtituens, in Imperatoris Ferdinandi II. armis deinceps fuit. *Johan. Fridericus* integrum quadriennium in Hungaria æquè ac Belgio, ſemper illud cogitavit: *Diſce miles militare!* nec fefellit ipſum hæc cogitatio, ſed id effecit, ut in Vrbis patriæ Capitaneum quoque evaderet. Quodſi pulchrum

ducitur, paternas imitari virtutes; unde Amasim apud Ægyptios legem sanxisse accepimus, ut patris artem faceret filius, ac statum conditionemque vitæ ejus sequeretur; *Joh. Albertum*, Joh. Friderici F. meritis laudibus quare non feremus, qui militaris rei callidior, in obsidione Pesti, cum hoste simul ac morte in æquum descendit, ipsamque necessitatem fortiter toleravit. Nec alias quidem terras præterire possumus, in quibus Velseri senes æquè ac juvenes arma sua circumtulere: Siquidem *Otto*, Joh. Jacobi F. Regis quondam Hispaniarum Centurio, postea verò Serenissimi Ducis Neoburgici Wolfg. Wilhelmi Locumtenens, usque ad annum 1620. senectam diem obiit. Cum *Ferdinandus*, Georgii F. sub Gallicis Engelharti Curtii signis militasset, in febriculam pariter ac mortem incidit. Italia quoque militaribus Velserorum operibus inserenda est, quia eandem laudem, *Christophorus*, Henrici F. meretur: Venetis servire, summa libertas est! Quid enim *divinius* Illorum *Republica aut Superi terris commodare, aut homines optare potuerunt? Ad quam condendam non pastorius grex, non flagitiis onerata colluvies, non facinorum omnium asylum; sed vetustissimæ Nobilitatis (quod olim de se Athenienses jactarunt) eodem solo editæ cœtus confluxit: In qua exornanda contendisse Virtus ac Fortuna videntur. Et ut cæteris pænè partibus cum Romana majestate contendat, ita libertate, qua nihil majus in terris esse constat, multò antecellit.* Aurea hæc Ferrarii verba Prolus. 1. sunt, qui non sine gravi suspiritu meo, cum plenus annis, plenus honoribus, in altissima tranquillitate sibi vixisset, qui aliis vixit, famámque in tuto collocasset, post graviora senectutis incommoda, vi morbi oppressus, vitam, nec gloriam amisisse modò nunciatur. *Sauciavit me longè altius* (ait M Ant. Bonciarius in epistola ad M. Lib. XI. Ep. 36. Velserum, de Lipsii obitu) *& longè immanius, quàm unquam putassem, nuntius acerbissimus de amisso* Ferrario: *Quamquam enim erat valetudine perimbecilli, & jam adeo tenuata, ut minimum spei superesset vitæ longioris; tamen mihi animus blandiebatur interdum, & quod vehementer optabam, id nimirum fore facilè credebam, ut longùm perennaret.* Clarus vixit, clarior decessit, culmen gloriæ transcendit; quò rari Veterum, nulli Recentium adspirarunt: Juvit cum vivos, tum posteros, quàm qui maximè: Laudavit Germaniam, æterna Germanorum

laude

laude digniſſimus: Amavit Norimbergam, & Proceres ejus coluit, meo cordi chariſſimus! Sed amor ſimul ac dolor quaſi ex compacto rem gerunt, ut in oblivionem adducar, nec tamen cogitatio mihi omnino excidit eorum, quæ dicenda adhuc reſtant: *Chriſtophorus*, inquam, in caſtro, *Cividad di Friuli* dicto, quod ſub jurisdictione Venetorum eſt, (apud Hos enim bellica laus, & militaris gloria clariùs ſemper effulſit) tamdiu operam militiæ navavit, donec fatalis inibi & ſuus dies veniſſet. Ita ſe habent vota ac fata mortalium; alii armorum, quidam ſtudiorum atque itinerum honore & gloria ducuntur; parum ſcilicet curantes (dum calet ſanguis) quod

-- *calor intuſo decedat frigore mortis.* Val. Cato in Dir. v. 116.

Quoties enim Italia in mentem venit, quoties Venetiarum recordatio ſubit, toties *Vlrici VVilhelmi* SCHLÜSSELFELDERI à Kirchenſittenbach, Hieronymi Wilhelmi, Senatoris ac Scholarchæ olim Graviſſimi F. immatura mors animo repræſentatur: Secutus hic caſtra Apollinis, velut ille (de quo modò diximus) Martis, per omnem Italiam, Galliam, Belgium, Germaniamque doctrinam æquè ac prudentiam, genti ac menti ſuæ congruam convenientemque, anxio pede inveſtigavit quidem, ſed ſua ipſe oſſa in patriam non reportavit. Dolentiús quidni deplorem, qui à puero dedit operam literis; & quia erat ei ingenium docile, quicquid traditum fuit, didicit: Cumq; ſtatim ab ineunte ætate multa ac magna celeris ac peracris ingenii ſigna oſtenderet, in *Altdorfinam* Univerſitatem celeberrimam (quæ ſemper optimorum ingeniorum, domi forisque præſtantium, fœcunda genetrix extitit) à familiaribus ſuis miſſus, demigravit; ubi per triennium ferè, omnibus ut doctrinis, quibus juvenilis ætas informari ad veram eruditionem ſolet, inſtitutus eſt. Illic non ſolùm oratione, jucundiſſimæque ſuæ conſuetudinis dulcedine, verùm etiam aſpectu ipſo, ubi mirè probitas elucebat, potuit cunctos adigere, ut ſe diligerent: Erat enim animus mitis, apertus, nulláque ſimulationis arte fucatus; quæ res magnum ſibi omnium amorem & ſtudium conciliabat. Nunquam præponere ſe aliis, neminem contemnere, ſed omnes vereri, atque diligere; nemini in amicorum conventibus oblocutor, nemini orationem præripere, ac velle ſolus omnia dicere; ſed juſtam partem orationis exequi, ſuam itidem partem aliis

relinquere: Quibus rebus aſſequebatur, ut omnes ejus amicitiam expeterent, ſemper cum eo eſſe cuperent, nunquam expleri liberaliſima ac jucundiſſima ejus conſuetudine poſſent. Quacunque iter fecerat, plura virtutum ſuarum, quam adventus ſui veſtigia relinquebat. Nullius pænè ſermonis fuit expers; nam plurimum notitia linguarum, univerſæ eruditionis oram luſtrare cupienti, utilius nihil eſſe cognoſcitur. Sed iniquo planè jure fieri videmus, ut, quibus ſingulare atque admirabile ingenium natura tribuerit, mors illis ejusdem augendi declarandique ſpatium ademerit; & egregia ac præclara multorum, quæ ab illis, ad illuſtrandam Patriam æquè ac Familiam, effici aliquando potuiſſent, tanquam ſemina enecaverint. Ex hoc numero, noſtra ætate (ut de aliis taceam) proferre poſſumus SCHLÜSSELFELDERUM anno 1655. natum, atque ex itinere Neapolitano ſimul ac Romano, ſub finem anni ſuperioris, Venetias reverſum: Sed inibi, cum ſe ita haberet, ut DEO videbatur, cujus voluntatem antepoſuerat ſuæ, die primo Martii anno 1682. circa lucis ortum, illud eſt iter ingreſſus, quod neceſſariò ſuſcipiendum eſt omnibus. Sic in æternam & planè in ſuam domum remigravit, dignus, ut nunquam ex hominum memoria labatur & cadat, ſed in omnium ſermone ac celebritate perpetuò verſetur, qui funere magnifico Venetiis elatus ſepultusq; eſt.

Immemorem me propoſiti mei lugubris lamentatio pænè facit; ſed nemini mirum videri debet, quoniam cum mortuis, ceu vivis adhuc, mihi res eſt: Vt ſuperius priorum ita nunc etiam poſterorum clarum decus, *Julium*, Johannis itidem Velſeri & Jacobinæ Weiſſiæ F. certiſſimam veræ virtutis effigiem repræſentemus. Non omnibus in locis omnes plantæ naſcuntur, nec eadem magnitudine, forma, ac ſuavitate, ex ſe fructus educunt; ſed pro ſoli cœlique varietate, aliæ in Italia plantæ, aliæ in Sarmatia, aliæ in Africa, aliæ in India gignuntur: At ingenia, ubicunq; ea ſeveris, ſive ad armorum, ſive ad literarum ſtudia in primis apta, ſemper benè felicitérque proveniunt. Atque res hæc ita eſt aperta ac perſpicua, ut eorum exemplis illuſtrari non poſtulet, qui vel in remotiſſimis terræ regionibus, vel in barbaris nationibus, & ab omni prorſus humanitate ſejunctis, totum terrarum orbem ſua luce luſtra-

ſtrarunt atque complerunt. Quid enim *Julius* ille *III.* genuina Palladis proles, in literis æquè ac armis intactum reliquit Mirificè ſtudiis flagrans haud quicquam in bellis omiſit; ſed Regis Catholici, in Belgio ſuo, ſigna per integrum ſexennium conſtanter aſſectatus eſt: Poſtea Unionis Norimbergenſis Signifer conſtitutus fuit. Super hæc Amſtelodamenſium navibus in Indias transvectus, cum Barbaris acie certavit; quadriennio autem confecto, in patrias oras anno 1618. reverſurus, ceu Capitaneus navis illius, cui *Concordiæ* nomen erat, haud procul à Bonæ Spei promontorio, legem fati ſui expectavit, undæ nec terræ redditus; exploſis inſuper tormentis aliquot bellicis, quibus cadavera Nobilium funerantur.

Ipſi etiam Velſeri Magnatibus ſe aſſeclas præbere haud inglorium arbitrabantur: Ita eſt profectò, nemo imperat felicius, quàm qui parendo illud didicerit prius. Dabat verò ſe *Ludovicus* in aulam familiamque Sereniſſimi Bavariæ Ducis Alberti, cujus nomen in publica recenſione Aulicorum legitur, qui Dominum ac Principem ſuum anno 1562. Francofurtum comitabantur; cum Maximilianus II. in Regem Romanum eligeretur: Cum eo ſocietate conjuncti erant, *VVilhelmus Schenck, Jacobus Blumenthal, Ludovicus Velſerus*, alii. *Sebaſtianus*, Johannis itidem ex Weisſia F. defuncto patre, conſilio ac iuſſu tutorum, in aulam Pragenſem Rudolphi II. Imper. annorum duodecim puer, ad Illuſtriſſimum Comitem Fridericum à Fürſtenberg abiit: Cujus imperiis cum aliquandiu ſerviſſet, Illuſtriſsimus Comes à Sulz ipſum in Hungariam ſecum deduxerat: Tandem & voluntate Superiorum in aulam Polonicam, ad Regem Sigiſmundum, verſus Moſcoviæ oppidum Smolensko emiſſus fuit. Vbi verò Norimbergam ſe retuliſſet, ob exortas tunc in regno Bohemiæ turbas, equeſtribus Norimbergenſium, deinde Ulmenſium copiis inſertus, tandem cataphractis centum Fürſtenbergianis præfuit. Neque *Vlricus* aulam Eminentiſsimi Cardinalis à Dietrichſtein averſatus eſt, apud quem paullatim animum confirmabat præceptis optimis ad diſciplinam militarẽ; quam deinceps in officiis Ferd. II. ſincera fide præſtitis diligenter exercuit. Sed quod ad excellentem *Marci Antonii* virtutẽ attinet, Sereniſſimi Electoris Bavariæ Dapifer *(il Sig. Velſer, Scalco)*

Bernh. Hertzog lib. II. Chron Alſat. cap. 90

Gal. Gualdus lib. II. Hist. de Reg. Succ. pag. 35.

unà cum Comite de Maischbraun, Barone à Gersheim, & sex aliis aulæ Electoralis Proceribus, Glorioſiſſimam Sueciæ Reginam Monachii demisſiſſimè excepit, & in colloquiis miniſtrum ſe præbuit.

Relatis Aulicorum laudibus, offerunt ſe mirificæ PRVDENTIÆ Viri, qui vel à Principibus in conſilium advocabantur, vel in Senatum legebantur. Audaciter hoc dixit Keckius, nec temerc confirmavit, gravi plenóque carmine:

------ Jam ſanguinis hujus
inter honoratas quot habentur nomina ceras,
quæ MAIESTATEM mundi juvere SVPREMAM
conſilio, aut PROCERES? quorum ſapientia felix
vel Patriam rexit, vel iniquas arcuit iras
à populis animoſa manus? ſors vota ſecuta eſt,
VELSERIS humeros oneri ſupponere juſſis;
Hi Domino fecere ſatis, vis indolis Horum
Promovit commune bonum! Qua ſidera verò
laude feram, quæ Muſa genus ſatis æquet Olympo,
unde per annorum tot longa volumina creti
VINDELICVM radiis illuſtravere SENATVM
Obruor Heroum ſerie, dumq; acta per omnes
Lumina VELSEROS nil non venerabile cernunt;
præcipuas dotes JOANNIS, & alta DAVIDIS
pectora mirantur, quorum Reſpublica letho
fulcra ſibi ſubducta dolens firmiſſima flevit.

Adeò autem magna charitate Patriæ omnes tenebantur, ut multi ex his in ordinem Senatorium ab Auguſtanis (quorum potiorem hic meritò rationem habendam eſſe arbitror) optimo jure allegebantur; quamvis nec ejusdem laudis commemorationem externis invideamus. Quid *Lucas* Paulli F. Octaviani N. Senator? potéſtne hæc Ipſius dignitas à quoquam magis verè magisque propriè demonſtrari, quàm ab ipſis Annalibus expreſſa eſt? Nam anno 1140. mutavit calceos, & Pater conſcriptus repentè factus eſt: *Bartholomæus* major Magiſtratus ſive Conſul anno 1196. dicebatur: *Conradus*, unus ex Duumviris, vel Conſulibus Auguſtanis Patricius nominatur (inquit Achilles Gaſſarus, MS. Chronico) ut & anno 1246. *Henricus*, qui dicitur ſummum Magiſtratum inter cives Auguſtæ geſſiſſe; ex indicio Marci Henningi.

Cruſ. l. II. part. III. Suev. Annal. cap. 7. & 15.

Digitized by Google

gi. Is ipſe, inquam, literis de area, inædificandis ædibus, beneficii nomine Othoni Bogenario Auguſtano civi à Gottefrido Comite Hohenloënſi tradita, teſtis affuiſſe ab ipſo Marco perhibetur. Præſes Auguſtenſis anno 1264. erat *Sifridus Velſerus*, Gaſſaro rurſus id affirmante. Sequitur dein *Bartholomæus*, Conſul, anno 1326. Ejusdem proſapiæ ac nominis Senator poſt decennium, voto aliis relicto, deceſſit anno 1425. *Bartholomæus* III. ex ordine Conſulari vivere ibidem deſiit anno 1477: Summam hanc poteſtatem, votis quoque civium ſuorum, *Lucas* hujusdem Bartholomæi F. usque ad annum 1498. dignè ac modeſtè uſurpavit: *Bartholomæus IV.* Antonii F. intimus Caroli V. & Reip. Auguſtanæ Conſiliarius, Venetiolæ pignus cuſtodivit: *Johannes* Conſulatum geſit: *Matthæus*, Antonii F. interioris quoque Senatus particeps factus poſt annum 1550. longè ab altero *Matthæo* disjunctus, qui anno 1589. Epiſcopo Conſtantienſi a ſecretioribus conſiliis fuit. *Johannes*, Dominus à Spilsberg & Ober-Schvvainbach, Cæſaris Rudolphi II. Conſiliarius, hunc ſepulchri titulum vivus merebatur, qui in Monaſterii, ceu vocant, Prædicatorum choro legitur, Auguſtæ, hac poſt mortem facta epigraphe:

M. Velſ. lib V. Rer. Aug. f. 263.

DEO. ÆTERNO
JOANNES. VELSERVS. BARTHOLOMÆI. F
CÆSARI. A. CONSILIIS. AVG. VIND. II VIR
REMP. QVAM. SVPERIORVM. TEMPOR. MOTIB
TVRBATAM. ACCEPERAT
OMNIBVS. ORDINIBVS. CONSENTIENTIBVS
TRANQVILLATAM. RELIQVIT
VIXIT. ANN. LXVI. MENS. II. DIES. XXVII
PRÆFVIT. PATRIÆ. ANN. XII.
OB. AN. P. CHR. N. MDXCVI. III. K. SEPT
PRVDENTIA. MODERATIONE. ET. INTEGRITATE
CIVIVM. BENEVOLENTIAM. VIVVS
DESIDERIA. POST. MORTEM. MERITVS
NVLLIVS. VNQVAM. INVDIAM
PASSVS. EST
FELIX. QVÆ. EXEMPLVM. SEQVERETVR. POSTERITAS

Sa-

Sapienti sat; insipienti plus, quam satis. *Matthæus*, Matthæi F. Antonii N. Senator, consiliorum quoque Rudolphinorum minister, & S. Imperii Quæstor sive Rationalis fuit: *Paullus*, Matthæi F. Senator & Consul, paterna quæsivit vestigia. De *Davide* pariter ac filio ipsius cognomine, plura dicere lubens supersedeo; neque de *Johanne Bartholomæo*, insigni milite plura addere constitui: *Johannem* denique *Fridericum* anni fores trabeatum aperuisse, clara res est. Verùm impius ego sim, nec ferendus, si *Danielem* prætermittam ac negligam, velut Intimioris Curiæ Senatorem Prudentissimum, Ærarii Publici Præfectum Fidelissimum, Rerum Ecclesiasticarum Ephorum certè Sanctissimum, Collegiique Evangelici Administratorem Religiosissimum; quem ipsa Pietas suum appellat. Dicat pro me vates, vel si mavult, canat egregiè, ceu in secundis Viri maximi nuptiis solebat Keckius:

O pede non acta æquans candore pruinas,
macte loco, quem forte tenes, virtute mereris!
Sic tua se niveis ad cœlum Gloria pennis
evehat, & Patriæ mox admoveare DVVMVIR
fascibus, Augustæq; regas, Neonymphe, tribunal!

Sed hujus generis dignitas etiam in *Norimbergensibus* præcipua apparuit; de quibus pauca in medium proferre me jubet singularis Ipsorum modestia: Rogarunt enim, qui imperare poterant; obsequii gloria mihi relicta est, utpote qui non novi palpare, & adulando ineptus esse. Præter *Jacobum*, qui genus suum, velut ex arbore per surculos, in terram nostram detulit, & in urbem Norimbergam feliciter demisit, *Sebastianum* F. & *Jacobum* (ex Barbara Nützelia venerandæ Nobilitatis domina) N. latum clavum induisse, neminem latet; & *Sebastianus* quidem Illustris hujus Reipub. Septemvir, non sine acerbissimo civium luctu, anno 1566. è vita discessit; veniente pauperibus æterna hæreditate. Neque alter Ejusdem filius, *Johannes*, Patriæ suæ consilio defuisse censendus est, quem Summum in arce Norica Duumvirum atque Prætorem venerabundi omnes suspiciebant; donec ex illa in arcem cœlorum anno 1601. beatè demigravit. *Sebaldus*, Sebastiani II. & Mariæ Halleriæ (quam gentem nominasse, satis supérque est) F. de salute publica domi

fo-

forisque vehementer solicitus, anno 1589. ad Circularem Conventum, Ulmæ tunc agi solitum, accessit; sed ibi gravitas morbi fecit, ne patria licet gratissima Ipsius ossa haberet. Studiorum ac studiosorum fautor benignissimus tam propensum ad rem literariam animum habuit, ut probos ac sedulos doctrinarum cultores anno 1582. binis afficeret stipendiis; quos rectè Duplicarios dixeris. Reverendo Presbyterorum *Ægidiana Ecclesiæ* Collegio doctas novæ bibliothecæ primitias anno 1581. benigna manu consecravit, symbolo suo insignitas: ASYLVM MEVM DEVS. Et quoniam in *Ægidiana Schola* (ceu Ipse fatetur) studiorũ suorum prima fundamenta jecerat, *mirũ videri non potest* (inquit de fine institutionis librorũ dono dãtorum) *si hunc locum, ut ita dixerim, mutum, qui supereſt, Magistris & Præceptoribus meis, QVORVM MEMORIAM NVLLA VNQVAM EX ANIMO DELEBIT OBLIVIO, ad beatissimam illam vitam evocatis, grata memoria in omnem perennitatem prosequar. Quò verò hanc animi mei gratitudinem aliquo saltem modo declararem, visum mihi fuit, vix gratius, optatius, aut magis accommodatum esse quicquam posse, quàm si ultra Stipendium, quod paucis post annis, annuente D. O. M. initium sumet, libros aliquot usui & utilitati hujus Schola destinarem: Primùm ut ii, qui ob rei familiaris angustias & tenuitatem libros ad studia necessarios sibi comparare nequeunt, his aliquantulum adiuti, eò facilius progredi, & ad maturam frugem pervenire possent: Deinde ut ne Præceptoribus ipsis opus esset multa cumulare scholia; quæ obruere potiùs, quam juvare discentium ingenia certum est; nec singulorum verborum apponere interpretationem, id quod non sine fastidio & temporis jactura fieri potest: Sed ut studiosi adolescentes à Magistris ad verborum origines, & etymologias in his libris, luculenter satis, ut opinor, expressas & enucleatas, remissi, ipsi per se eas legere, & alia multa, quæ Præceptoribus dictare ita non semper in mentem venirent, notare simul & observare assuescerent. Quod majori etiam cum voluptate ipsos facturos, cum purius ex ipso fonte bibantur aquæ, mihi etiam atque etiam persuadeo.* Hæc Ille Nobilissimorum doctissimus, de optimo instituto suo, quod Amplissimis Prudentissimisque Septemviris D D. Philippo Geudero, & Hieronymo Paumgartnero valdè probari tùm tempo-

ris advertit. Nec fortasſis de *Collegio Altdorfino* dicere otioſum erit, ubi *muſeum Velſerianum*, quod anno 1580. cœptum eſt, Occidentem ſpectans, ipſa inſignia indicant: *Auditorium Velſerianum*, Jurisprudentiæ ſtudio in primis, cunctisque actibus publicis deſtinatum, anno 1583. unica molem hanc ſuſtinente columna, Mæcenas ille, ſuis ſumtibus ſplendidè exædificari atque effici curavit. Quas verò Ipſi gratias perhibituri ſumus, niſi ut Deo vota faciamus, pro infinita CAROLORVM poſteritate; quam illa antiquiſima & rerum omnium princeps Natura terris diu commodet! Nomini Velſeriano benè ac feliciter eveniat, Deo approbante, quod agunt, acturique ſunt!

Hæc eſt magna ac vetus illa Proſapia, jam prope in nongenteſimum annum propagata, quam à ſtirpe ad hanc ætatem ordine Virorum Illuſtrium enumeravimus: Verùm nunc res, locus, ordo ac propoſitum exigere & poſtulare videntur, ut de MARCO VELSERO, qui ad Illos originem ſuam refert, reliqua dicamus. Prima ſtatim ætate humaniſimas illas elegantiſſimasque literas, quibus, tanquam Jovis poculo, pectus alebat, cum aliarum pulcherrimarum liberaliſimarumque artium ſtudiis copulavit atq; conjunxit. Illam Germanorum olim eruditricem Italiam ingreſſus, magiſtrum prælectoremq; habuit in arte dicendi Muretum, & Marcum Antonium Bonciarium commilitonem ſuum; cujus ex epiſtola ad Noſtrum Marcum verba citabo: *Heri veſperi cum clariſſimis adoleſcentibus, arctiſſima Tecum propinquitate conjunctis*, Jo. Baptiſta Reimboldo, & Joh. Baptiſta Velſero, *longum ſermonem habui, Lud. Migliorio ante tibi cognito probatoq;, amicitiam conciliante. Quo quidem in congreſſu cùm multa fieret de Te mentio, cujus ego ſingularem probitatem, doctrinam, dignitatem, prius fama, mox è ſcriptis Lipſianis cognitam haberem; paullatim eò ventum eſt conjectando, ut etiam in condiſcipulatu notuiſſe alter alteri videremur. Fuimus enim Romæ luſtrali anno anteproximo; & ſimul MVRETO DOCENTI operam dedimus: ego ad totum ſeptuageſimum ſextum, Tu biennio ampliùs, ut quidem Tui memorabant. Nec eſt dubium, quin interea ſæpe locuti fuerimus inter nos; cùm & Tu eſſes Mureto familiarior, & ego ad illum crebriùs cum Laurentio Pariſiolo, vel cum Angelo, & Gisberto de Oddis ventitarem. Quanquam ego (ne mentiar) propter illam*

Bonciar. Lib. IX. ep. 12.

lam planè puerilem ætatem, memini non memini, Nobilissimum adolescentem à Germania Romam iccircò advectum, ut AVDIRET magnum MVRETVM. Postea verò quàm fuisse illum ipsum Te suspicor (ut sibi amor favet interpretando) certas reperi conjecturas de facie, de oculis, de sermone. Cognomen ipsum Tuum in memoriæ angulo latens erui, & Te totum mihi repinxi; qualem sive antea vidi, grata est recordatio; sive non vidi, gratus error, & species quædam recordationis. Nicolaus quoque Alemannus peregrinatorem hunc summis in cœlum laudibus extollit, præ aliis, qui Italiæ gazas vel non curant, vel prorsus ignorant; ita enim is ad dissertationem suam de Lateranensibus Parietinis præfatus est: *Quid nostros hîc ego dicam*, inquit, *cum è Galliis vel è Germania eruditus Vir nullus Romam profectus sit, qui hujusce musivi spectaculum præterierit. Duos commemoro omnis antiquitatis curiosissimos juxta atque scientissimos, Marcum Velserum Duumvirum Augustanum, cujus in dissertatione testimonium extabit, & Nicolaum Fabricium Peirescium.* Neque testimonium illud adducere piget: *Id, ut præfatus sum, plerique ante nos Viri gravissimi non otiosè sunt contemplati; ex quibus Marcus Velserus, cum abhinc annos fermè quadraginta Romæ, sapientum olim hominum more, peregrinaretur, ita oculis ac animo id perlustrare solebat, ut exemplum summa diligentia ac fide sibi describendum curaverit, doctisq; Viris passim ejus videndi copiam fecerit.* Hujus igitur vestigiis, quæ Romam ducunt, euntes, insistebant & fratris & sororis filii; quos commemoravit. Bonciarius, ad Lipsium de his scribens: *Visus essem facere insipienter, si nactus certam mittendi facultatem per ingenuos adolescentes*, Remboldum & Velserum, *Prætoris Augustani, hominis Tibi amicissimi, alterum sororis, alterum fratris filium, ea non uterer, & per ignaviam, stylo parcerem.* Sed mirari posthac desinant, qui linguæ Italicæ nitorem in Marco attoniti stupent; Orlandus enim Pescetti, in Responsione sua, ad Anticruscam Benii, Florentinam Illius puritatem simul ac elegantiam exosculatur, dum ait: *Se'l Cavalier Guarisii, Vomo pur Ferrarese, prega come nelle sue Lettere sì vede, il Cavalier Salviati, che purghi il suo Pastor Fido da Lombardismi, e dell' Illustrissimo Sig. Marco Velsero, Duumviro della Rep. Augusta-*

Differt. de Lat. Pariet c. 10. f. 70.

Bonciar. l. XI. ep. 6.

Nella Risposta all' Anticr. del Beni, cart. 16.

na, e chiarisſimo lume della Germania, ſcrive all' Eccellentisſimo Sig. Chiocco, che le ſue Lettere gli paiono dettate da Vomo nato, ed allevato in Firenze. Immò judicium Velſeri de lingua Italica mille aliis præfert cenſoribus: *Quando ogn' altra vi mancasse, quella del Sig. Marco Velſero addietro mentovato, mi varebbe per mille; il quale in una Lettera ſcritta all' Eccellentisſimo Sig. Chiocco, dice, che nel legger le coſe del Caſa, ſente tanto diletto, che non vorebbe, che aveſſer mai fine.* Haud aliter Nic. Manaſſes librũ de Viciſſitudine rerum Lud. Regii, è Gallico Italicè verſum ab Hercule Cato, nullam aliam ob cauſſam communi huic Oraculo nuncupavit, quàm ut verſionis iſtius judex foret: *Il preſente libro della Vicisſitudine, e mutabile varietà delle coſe del Mondo, tradotto dalla lingua Franceſe nell' Italiana, non potevo più convenevolmente per ogni riſpetto dedicarlo ad altri, che a V. S. Molto Illre, come parto nuovo delle noſtre ſtampe; poſcia che oltre alla cognizzione, che ella ha delle più gravi, & antiche Lingue, e poſſedendo anco quella particolarmente nella quale l'Opera fù dà principio ſcritta, non meno che queſta della ſua nuova traduzzione; ed oltra di ciò, avendo (merce del ſuo elevato ingegno, e dè' continui ſtudii) fatto acquiſto di una ſcelta erudizzione, potrà eſſere egualmetne ottimo conoſcitore, e gjudice di queſti Idiomi, ed inſieme delle belle materie, e ſcienze che vi ſi contengono.* Galilæus de Galilæis tres de Maculis Solaribus ad Eundem Epiſtolas cur Italicè ſcripſerit, hanc innuit cauſam: *Mà in oltre ci hò avuto un altro mio particular intereſſe, ed è, il non privarmi delle Riſpoſte di V. S. in tal lingua, vedute dà me, e dagl' Amici miei, con molto maggior diletto, è mera viglia, che ſe foſſero ſcritte del più purgato ſtile Latine; e parci nel legger Lettere di locuzzione tanto propria, che Firenze eſtenda i ſuoi confini, anzi il recinto delle ſue mura, ſino in Auguſta.* Hieronymus Ghilinus, in Theatro Eruditorum, laudat exquiſitiſſimis verbis & ingenium & ſtylum epiſtolicum, in lingua Hetruſca nitidè uſurpatum: *Marco Velſeri, figliuolo di Mattheo, nato di nobiliſſima, ed antichiſſima Famiglia in Auguſta, città principale dell' Alemagna, della quale ſua Patria fu perpetuo Governatore; ebbe un ingegno acuto, ſublime, e vivace, col quale dilettandoſi non meno delle belliſſime Lettere Latine, che della*

Riſpoſt. cart 112. 113.

Lettera terza, cart 103. & 104.

Digitized by Google

la Toscana eloquenza, divenne con lo studio continovo di maniera eccellenti, che fece al suo nome grandissimo acquisito di riputazzione tra gl' altri Letterati.

Benè educatum & rectè institutum esse oportuit, qui in studiis simul ac itineribus ingenii opes mirificè auxit; singulare juventutis prudenter instituendæ exemplum, quod utinam omnes penitiùs intuerentur, qui bonas literas discere, vel docere satagunt: *Extinguuntur generosissimi igniculi*, ait Barlæus, *confertis studiis; & uti vascula angustioris orificii superinfusum copiosius humorem respuunt, nimio lectionum numero obruitur avidissima sciendi ætas.* Hæc enim maximè observanda est à præceptoribus in discipulis, qui sæpiùs gestare boves, quam vitulos edocentur. Ostentationem istanc nostro seculo nimis familiarem, exprobrat magistris summus ille ingeniorum æstimator, in sequentibus: *Vti corporum nervis robur accedit ab ætate, ita judicii, memoriæ, phantasiæ, ingenii organis. Hæc fatigata intempestivè languent citius, & spem solidæ & maturæ eruditionis incidunt. Herbas vide, & olera, quæ sub initia veris ab avaris colonis fornacum calore & fimo fervidiore tepefacta germinant ocyus; at mox adultiora deficiũt & exarescunt. Est illud seculi nostri cacoëthes. Gloriamur parentes, si videamus præstare posse puerulos, cruda adhuc ætate, quæ non possunt alii amnis aliquot majores. Ideóque atteri patimur ingenia & spirituum fontes exsiccari per pædagogos, ac affligi rationales potentias, quæ ubi adoleverint illi, marcent & stupent, attrita ad perpetuarum & crebrarum lectionum cotem ingenii acie.* Nihil tale contigit Marco, qui *à teneris* (Mel. Adamo teste) *artium ac virtutum studiis excoctus, maturitatem ingenii, judicii, & doctrinæ feliciter est consecutus. Itaque ut mens generosa cælo affinis motu gaudet: ita & ipse, in Italiam progressus, edidit Antiquitates Augustanas, felix famæ surgentis auspicium, & pium.*

In Method Stud. Duc. Megapol. præscript. p. 494. 595.

Possem modò de styli Latini puritate in epistolis, quam Mureto acceptam referimus, infinita tradere, si singula sectari vellem: Lingelshemius ad Bongarsium pro me dicat: *Dictio ejus pura, propria, constricta; superat (ita rapit me istius hominis vis) antiquos* Annales Boicos, fatente rursus Adamo, scripsit *tanto nitore, ut meditanti videãtur adstitisse hinc Musæ & Gratiæ; hinc Consus, Apollo, Suada, Venus.*

Epist. 38.

Lib.III. Rer. Mog. Notat. 28. Nic. Serarius Velserum, *ut alia omnia, nitidè ornatéq;* narrare de Erenuolfo perhibet: dumque verbis Ipsius utitur, hæc à se *velut in rudi ac depexo centone dibaphum, aut purpuram, & gemmam inseri* haud diffitetur. Joh. Adlsreitterus (vel, si mavis, *P. Joh. Fervaux*, Lotharingus, in cujus nomine, ob certas causas, Annales illos Prudentiores apparere noluerunt) in præfatione ad lectorem tomi primi Annalium Boicæ gentis, minimè sibi ait polliceri *Velseri nitorem, Raderi claritudinem, Brunneri numerosam, & vix ulli imitabilem celsitatem.* Præterea Car. Scribanius, qui Amphitheatrum Honoris sub nomine *Clari Bonarscii* in lucem edidit) adversarium quendam sic affatur: *Quid dicis Phrygiæ monstrum? non tantùm tria Galliæ jugera, sed & Augustam Vindelicorum egesto polluis simo? Magnum Velserum damnabis infantiæ? Vide paginam perpetuo thymo odoratam, quæ morosissimi etiam lectoris acetum detergat; quæ stomachi quantacunque esuritione exasperati, super dapales cœnas, convivia Saliaria, fastidia levet.*

Lib.II. Amphith. Hon pag. 107.

Principum ille Doctor, idémque doctorum omnium facilè princeps Plato, oraculo quasi quodam declaravit, nunquam beatas fore Respublicas, nisi aut illi, qui jam ad earum gubernacula sederent, literis sapientiæq; studio operam darent; aut contrarii, qui jam literati essent, ad commune bonum procurandum promoverentur: Præceptum itaque hoc secuti complures Senatorum, in Augustana Republica, eóque tanquàm Ariadnæo quodam filo ad adyta civilis Prudentiæ deducti videntur. Sensit in primis hujus dicti veritatem MARCVS, qui quam ingenio felix, quàm mentis cultura gnavus & diligens fuerit, vel soli librorum conscriptorum ab Illo tituli satis superque indicarint. Pedetentim verò ad causas Dicasterii anno 1589. accessit; deidne latum clavum, quæ vestis Senatoria est, anno 1592. impetravit; postea sanctissimo secretioris Senatus consilio adscriptus anno 1594. tandem Generosissimo ac Illustri Viro, Octaviano Fuggero, more majorum, justè ac legitimè in Prætorem, anno 1600. lectus fuit: Honores hosce gradatim singulos assecutus, suis cervicibus tanta munia atque Rempub. ad annum usque 1614. consideranter & mansuetè sustinuit; simul ac S. Cæsar. Majestatis Consiliarius enituit. Senator hic imitatus est Agricolam, *qui studio scientiæ fla-*

gran-

Digitized by Google

grantem animum coërcuit tenuitq, , quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Docuit & Virum ſapientiſſimum longa vita, uſusque rerum maximarum, ut Peireskio non modò ob Senatoriam dignitatem Aquis-Sextiis anno 1604. congratularetur, ſed admonitionem etiam, adhortationémque paternam adhiberet, ac inter cætera: *Non eſſe animo ipſi deſpondendum; munus Senatorium tametſi ſpinoſum, id tamen prima fronte dumtaxat; principium ſolum moleſtum eſſe, lenire tempus cætera: Nihil ſupra vires exactum iri; fore Numen propitium, deberi patriæ operam*; & quædam alia in eundem ſenſum ſubjunxit ad ſuadendum paratiſſimus. Delenificam Ipſius facundiam omnes ſunt admirati, qua ſola nos à natura armatos referebat Ariſtides; putabat enim juſtiſſimus rerum arbiter, orationis vim nobis conceſſam pro ferocientibus cornibus, pro petulcis calcibus, pro mordacibus dentibus, aliisque, quæ aminantibus mutis natura tribuit, armamentis: Hac P. Valerius inſolita libertate exultantem populum ad ſaniora conſilia revocavit, & Senatui ſubjecit: Nec diſpari ſucceſſu, eadem in re, iisdem remediis uſi Menenius & Læna: Hac denique omnis eloquii parens M. Tullius, & faſces Romanos, cum inquilinus eſſet, eſt aſſecutus; & Vrbem ab infandæ conjurationis periculis liberavit. Niſi me omnia fallunt, nec fallunt tamen, in mentem Velſero ſemper fuit illud Quintiliani, ut videtur, de Oratore: *Vos verò diſertiſſimi, ut poteſtis, ut facitis, illuſtrate ſæculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi!* Id verò pulcherrimum genus eſt, quod *vitæ, nec ſcholæ* diſcitur. Hinc Belga ille prudentiſſimus, Daniel Eremita, in Epiſtola ad Camillum Guidium Equitem, ſcripta de legatione Magni Hetruriæ Ducis ad Rudolphum II. Cæſarem Auguſtum, & aliquot Germaniæ Principes atque Reſpublicas: *Auguſtam mox Vindelicorum appulimus, ſtatimq, aderant Vrbis Duumviri*; *in quibus flos hominum* Marcus Velſerus, *Vir, in quo nec invidia invenit, quod calumnietur. Legationis officio levi oratione peracto, in alia ſermonum itum; in quibus ferè* ſolus Velſerus *auditus eſt, reliquis admiratione Viri, & diſparitatis metu tacentibus. Nulla ea civitas benevolentiæ & humanitatis officia intermiſit; quod & Illi imputandum, quem Patrem Patriæ, ſicut TOTIVS GERMANIÆ ORNAMENTVM, non ineptè indigites.*

Tac. in Agric. 4. 6.

Gaſſend. l. II. pag. 92.

Tac. vulgò in Orat. c. 23, 5.

Sen. epiſt. 106.

Sub fin. Status Regim. Ferd. II. p. 362.

tes. Quid ? quod Petrus Paullus Boſca Bibliothecarius ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum, in Hemidecade de origine & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, Olgiati pariter ac urbis Auguſtæ dum meminit, mores & vultum & humanitatem & civilem prudentiam Duumviri Noſtri vivis depingit coloribus : *Huc fama Vrbis invitavit Olgiatum ; Vir literatiſſimus coluit Marcus Velſerus, alter ex Duumviris. Junxerant quidem jamdudum amicitiam Velſerus & Olgiatus, miſſitatis invicem literis; ſed eminuit lætitia utriusque oculis primùm : Tum, erectis in admirationem ac reverentiam animis, ventum eſt ad officia humanitatis, & obſervantiæ. Gravisſimis erat moribus Velſerus, ingenio ſpectabili, tanta literarum fama apud exteros, ut ab iis etiam ſibi laudem quæſierit. Conſilii autem experientia præfectus fuerat Auguſtæ, ea lege, ut vivo nunquam abrogaretur imperium. Et quidem nos cum pictam tabulam, quæ expreſſam Ipſius imaginem refert, in Ambroſiano Muſeo ſpectamus, gravitatem eam ex oculis conjicimus, & ex oris ipſius majeſtate vim literaturæ, ac conſilii in adminiſtranda Vindelicorum provincia deprehendimus. Conceperat igitur de Velſero ſpem optimam Olgiatus, quâ conjunctione literarum & animorum, qua dominatu, & imperio, cum ſuo arbitratu regere rem cunctam poſſet.* Hoc uno ipſi Peireskio durus fuit, Gaſſendo memorante, quod ſui effigiem conſtantisſimè denegavit, pro eo, quo omnibus aliis ardentisſimè flagitantibus denegaverat, inſtituto. Et Peireskius tamen, ut alios nonnullos, ſic illum neſcientem pingi procuravit, conducto artifice, qui ipſius vultum è clandeſtino ſpectaret. Sic obtinuit, quod illi Occo ſperare nefas prædixerat; cum id abs Velſero tuliſſet reſponſum: *Cato major poſteros volebat quærere, cur ſibi ſtatua nulla poſita; mihi contra, quantum video, cavendum, ne quis aliquando miretur, ſi non & indignetur, qua ambitione conſortio magnorum virorum, quorum imagines ſe colligere Fabricius oſtendit, irrepſerim.* Nec præteribo, quam præclare Peireskius illud exceperit; quippe ad Occonem reſcribens: *Dixit quidem*, inquit, *Cato non minus argutè quam ſapienter, ſe malle, ut poſteri quærerent, quare ſibi non eſſet, quam quare eſſet poſita ſtatua; nunquam tamen, quod legerim, ſe pingi aut fingi renuit ; cujus rei teſtes eſſe poſſunt Icones ejus non paucæ, quæ in hodiernum diem circum-*

Paul. Boſc. de Orig. & & Stat. Bibl. Amproſp. 21.

Lib. I. de Vita Peiresk. pag. 66.

circumferuntur. Igitur nec Velserus, vera Catonis imago, id abnuere deberet & ne abnuat, precor preceris; ores ipsum, atque exores, iterum oro.

Benè factum! cur enim Is, qui nullam reliquit effigiem morum suorum, virtutis, doctrinæ, pietatis, ingenii filium, (quem Tullius imaginem animi & corporis vocat) non in ære stet, ut monumentum hoc suæ formæ ac nominis nos veneremur? Quamvis jucundissimam atque utilissimam vitæ inter conjuges societatem animo haud sit aspernatus; de qua præclarè Columella proœmio: *Apud Græcos*, inquit, *& mox apud Romanos, usq; in patrum nostrorũ memoriam fere domesticus labor matronalis fuit; tanquam ad requiem forensium exercitationum, omni cura deposita, patribus familias intra domesticos penates se recipientibus: Erat enim summa reverentia, cum concordia, & diligentia mista, flagrabátque mulier pulcerrima diligentiæ æmulatione, studens negotia viri cura sua majora atque meliora reddere.* Quin imò ejus sum sententiæ, aptiores esse studiis, addo & consiliis, conjugatos, quam cœlibes, cum illi de re domestica minus, hi magis solliciti sint: Nec enim habent, in quam curam hanc tutò rejiciant. Et quid durius, aut ab omni humanitate alienius, quàm Timonis instar fugere congressus bellissimæ honestissimæque conjugis? Hanc ob caussam finguntur à Poëtis Gigantes improbo consilio cœlum affectavisse, quod à mulierum in terris connubiis abhorrerent homines barbari & agrestes: Nec aliud sibi vult Orphei fabula, uxorem ab inferis revocantis, & facundia sua feras lenientis, quàm Virum sapientissimum juxta & disertissimum à vago concubitu deterruisse efferos Thraces. Apud Poëtarum turbam tanta conjugii dignitas, ut Deos Deasque hoc vinculo constringant, Jovi suam jungant Junonem, Vulcano Venerem, Neptuno Thetyn, Plutoni Proserpinam. Vagæ libidines non libertatis, sed ingloriæ servitùtis nomina sunt: Vera libertas est, Deo, rationi, legibus paruisse; quibus devinctus esse nec Augustanus Sapiens recusavit, connubia scilicet lege cum *Anna Mayn* sociatus. Liberat se à fœdis voluptatibus, qui se uni thoro devovet: Si servile conjugium, profectò suavissima ea est servitus, è qua conjugum neuter ma-

Colum. lib. XII.

numitti cupiat; quam ſtabilem ambo perpetuamque eſſe volunt. De ea, Noſtris haud indigna, Horatius:

Lib 1. Car. od. 13.

Felices ter & amplius,
quos irrupta tenet copula, nec malis
divulſus querimoniis
ſuprema citiùs ſolvet amor die!

Amavit igitur conjugem, & mirificè dilexit fratres, velut ejusdem partes animæ, & ejusdem pondera uteri, immò ejusdem eruditionis ac diligentiæ ſodales chariſſimos. De his Schottus, in nuncupatoria Bibliothecæ Photianæ: *Quod utinam exemplum Dynaſtæ, ac Reges ſecuti, in iisdem pedem veſtigiis ponerent, ac libros SS. Patrum ineditos cognoſci atque evulgari ſinerent; ne plures longè Græcarum literarum uſum interpretando revocarent, nec ampliùs veluti muta tacerent; quæ in denſis hodiè tenebris, tineas paſcendo, delitescunt. Sed id optare citiùs, quàm ſperare liceat; niſi ſi Velſerorum ſimiles exoriantur, qui concordiſſimi fratres (Vos enim bona venia appello, ANTONI, MATTHÆE, AC PAVLLE) rem literariam longè latéque provehitis, diſciplinarum pomœria effertis, doctisque hominibus, doctiſſimi ipſi, opem re conſilióque ferre non ceſſatis: Vt jam ubiq; gentium non ſit*

- - - - - Phœbo gratior ulla,
quàm quæ VELSERI præſcripſit pagina nomen.

Raderus Martialem ſuum inſcripſit *Nobiliſſimis & Ampliſſimis VVV. Dominis Velſeris, MARCO Duumviro, Vrbis Præfecto, MATTÆO Ædili, PAVLLO Conſuli, Matthæi FFF. Antonii NNN. Patriciis Auguſtanis, B. R. natis.* In ipſa verò dedicatoria elegantiæ doctrina pares hunc in modum alloquitur: *Veſtrorum nominum titulis inſignibus hanc Camœnam meam prodire volui, ut illuſtrior & auguſtior in publico appareret, majorémq; fidem apud Senatum Palatinum mereretur; ſi frons ipſa ANTISTITES ERVDITIONIS, veluti vindices & aſſertores ſtudiorum meorum præferret. Invitatus ſum elegantia ingeniorum Veſtrorum, omni diſciplinarum genere excultorum; quæ quantò ſublimiora, tantò ſimul modeſtiora humanioráq; experiebar: Vt non ſolùm, ad Vos Muſæ omnes, ut quondam ad Herodotum, divertiſſe, ſed cum Gratiis ipſis penitus in Veſtra domi-*

domicilia immigrasse, aut potiùs inter Vos nata & educata videantur. Et post nonnulla: *Eadem elucet virtus in admodum Rev. & Amplissimo Viro, ANTONIO VELSERO, Spalatensi Præsule, Canonico Frisingensi, literis juxta Græcis ac Latinis divinis & humanis instructissimo. Eadem in JVLIO elucet, & eluxisset eadem in HIERONYMO, Ornatissimo adolescente; cujus spem Nobilissimæ indolis immatura fata præter spem nobis eripuerunt.* Olgiatus (Bosca referente) Augustam cum pervenisset; *assectari etiam per Vrbem ANTONIVM suum Velserus, humaniter habere domi, ostendere principibus Viris.* Henr. Canisius, de lectissimo Menologii opusculo loquens, cui simul id acceptum refert: *Non minores gratiæ habendæ Rev. & Nobili Domino ANTONIO VELSERO, Marci fratri, quos quotiescunque nomino, si eos debitis encomiis ab exquisita & admiranda eruditione repetitis non afficiam, scito caussam esse, quia illa nomina ipsum præfert.* Tom. II. Ant. Lect. fin.

Idem in nuncupatoria sua Historiæ Miscellæ Paulli Diaconi, ad Baronem Joh. Fuggerum: *Porrò taceri non debet Nobilis & Amplissimus Dominus Marcus Velserus, Reip. Augustanæ Duumvir, & frater germanus Illius, Admodum Rev. & Nobilis Dominus ANTONIVS VELSERVS, Cathredalis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus, Viri omnia eruditissimi, quorum Ille submisit membranas MSS. Hirsfeldenses Paulli Diaconi, una cum variis lectionibus in Miscellam Jac. Bongarsii, & MS. Anastasium Bibliothecarium Rom. interpretem Theophanis, ex quo in Historiam Miscellani pleraque inserta sunt; cum quibus & illam contuli: Hic verò submisit exemplar Petri Pithœi Miscellæ. Quibus meritas habemus gratias.*

Hac re motus insuper Dav. Hœschelius, vitam Antonii Eremitæ, ab Athanasio Græcè scriptam, unà cum interpretatione ac notis, Eidem Græca etiam προσφωνήσει dicavit: Nec non Hier. Wolfius *Matthæo*, Scholarum Curatori diligentissimo, Orationes Isocratis consecravit. Aug. Vind. a. 1611.

Neque *Johannes* sui oblivisci sinit; nam assiduè occurrit mihi Collegium Lauinganum Mich. Fendii, in quo Augustanum, inter complures discipulos, cohortatus est ad diligentiam, hoc epigrammate: Lauingæ, a. 1587.

Sic animum, Velsere, sacris intende Camœnis,
ut proprio nomen crescat honore tuum.

Nec patrii tantùm placeant nummive genúsve
ut minor Aonidum cura sit inde tibi.
Mæcenas primo studium dilexit ab ævo,
cum posset nummos vix numerare suos:
Et sibi præclarum nomen quæsivit ab arte,
cum fuerat magnæ Nobilitatis Eques.
Vile genus, nummiq; leves, nisi pondera Virtus
adjicit; hæc, Musas qui colit, illa tenet.

Exciderat fermè animo *Christophorus*, de quo scribere suprà proposui: Reginoburgi enim summæ Ædis Præpositus graviora studia politioribus literis condire solitus, in templo Cathedrali, ad parietem, sub clypeo Gentilitio, superimposito galero Præpositis usitato, marmoreos hosce titulos pro merito suo accepit:

R. D. CHRISTOPH. VELSER. ECCL. R. PRÆPOSITVS. ET. CANON. NON. TAM. OPVM. QVAM. VIRTVT. DIVES. AC. RARA. CORP. MAJESTATE. PRAEDITVS. HOSPITALITATIS. EXEMPLVM. PAVPER. PR. MAGNUMQVE. FAMILIAE. SVAE. DECVS. CVM. INTER. GRAVES. ECCL. PROCELLAS. ANNOS. LVI. M. V. D. XXIV. PIE. INTEGRE. AC. MAGNIFICE. VIXISSET. MORTE. RAPTVS. HIC. VT. VIVENS. DISPOSVIT. CONDITVS. JACET. OBIIT. ANNO. SALVT. M. D. XXXVI. D. XXI. AVGVSTI.

In progignendis elegantissimis hominum ingeniis, ad præstantissimas omnes artes à natura factis, Augustæ civitas semper felix est habita; itaque quæ olim Marcum, ac paullò supra nostram memoriam doctissimos Viros genuerat, hac ætate DANIELEM, Operum Velserianorum promotorem benignissimum, edidit: Musas omnes Senator ille rectissimus de facie novit, adeò nullius rei rudis, ut maximarum, præstantissimarúmque artium scientia pectus refertum completumque gestet. Jam verò me verborum pudet, cum versiculos Keckii rursus attendo:

- - - - Adultius ævum
per Latii leges studia ad civilia, curas

Ma-

MATERNI Te duxit AVI, poterásq; tiara,
non ut eam pretio rudis emendicat asellus,
discipuli fastum, sordes explente magistri;
sed tanquam in castris Astraæ lege severa
exactorum operum justa mercede potiri.

Nec satis est, Nobiles cum Nobilibus sangninem & genus miscere, nisi etiam eruditio animos eorum consocier. Mora nulla: Haud gravatim Illi ex templo se applicuit CAROLVS, Inclutæ Reipubl. Norimbergensis Provincialis ac Senator Graviſſimus. Hos, inquam, Dominos ac Mæcenates meos, novæ editionis hujus studiosissimos cupidissimosque grata significatione appello, & honoris gratia subjectissimè nomino; qui Opera hæc inter prima gloriæ Velserianæ numeranda posteritati famæque tradiderunt. Sed artes, quæ quoniam ingenii non corporis viribus constant, liberalium nomine nuncupantur (ceu Pictura, Geographia, Antiquitatis & Literarum studia) dudum in paterna *Sebaldi* domo locum invenerunt, suæ saluti convenientem; quam Pater æquè ac Filius domum, pro suo erga probos ac literatos viros studio ac voluntate, non minus patens ac tutum afflictæ eruditionis perfugium constitutum esse voluerunt: Pergit Vtrumque vestigiis sequi Nepos, qui optimis disciplinis eruditus, ingenii cum probitate conjuncti laude jam floret; cui par ingenio ætas contingat precor, ne desint Velseri posthac, qui Musas in sinu atque in deliciis habent!

Hactenus de conjuge & familiaribus egi, de amicis porrò videamus: Sanctissimum amicitiæ vinculum, quo nullum in terris arctius inveniri potest, tunc inexplicabili nodo connectitur, cum illud non ambitio, non cupiditas, non quæstus, sed virtutis amor adstrinxit; nullum enim gluten ad amicitias conglutinandas tenacius existit, quam eorundem voluntas societásque studiorum: Hæc autem cum in Nostro admirabilis existeret, ita Celeberrimorum ætatis suæ virorum ad se animos rapuit, ut eo amicitiæ nexu se Illi implicarent; quem, nisi mors, nemo dirimeret. Verum quantæ in Marco literæ, quanta vis doctrinæ, quanta disciplinarum omnium notitia inesset, illud convinit, quod in tanta doctorum hominum copia, atque ad omnium do-

ctrinarum gloriam efflorescentium, potissimùm eligeretur Velserus: Ciere modò nomina singulorum, honestatis amplitudinisque gratia, satis est. Prædicari se ac nominari volunt *Aleander, Baldus, Bencius, Bisciola, Bonciarius, Brantius, Brouverus, Canisius, Casaubonus, Chioccus, Clavius, Clusius, Contarenus, Delrio, Freherus, Galilæus, P. Gualdus, Gentiles, Gretserus, Grillus, Gruterus, Hæschelius, Livinejus, Lipsius, Lollinus, Meibomius, Mercurialis, Migliorius, Muretus, Nicherola, Occo, Olgiatus, Pancirolus, Peireschius, Pignorius, Pinellus, Pontanus, Raderus, Remus, Rittershusius, Rubenius, Rycquius, Scaliger, Scheinerus, Schottus, Scioppius, Titius, Vandermylius, VVindeckius, VVotonus,* ad Venetam Remp. olim Legatus, alii. Adversarios, quosdam obtrectatores laudum suarum habuerat; idque ob singularem hominis excellentèmque virtutem: Sed Rosern ineptissimas nugas, suasu Scaligeri & aliorum, facilè contemsit. Assiduè animo obversatur, Amandi Rosacii de his sententia, in epistola ad Conr. Ritterhusium JC. qua poëtastro Biloviano, id est, Westhovio responsum fuit: *Videtur fato quodam hac tempestate nostra ita evenire, ut non possit esse Scaliger sine Clavio & Titio, non Dousa sine Tragora & Brassica, non Lipsius sine Diodoro Domanno, & qui nuper isti successit, Lampugnano; non Scriverius sine Meursio; non denique Ritterhusius sine VVesthovio*; neque Velserus sine Cluverio, qui in Germania antiqua mortui leonis barbam vellicare (res admiranda) ausus est; altero nempe post obitum Illius, anno. Sed neque Cluverius sine Pontano fuit, qui Disceptationum chorographicarum de Rheni divortiis & accolis populis adversus eundem partes duas, una cum responsionum ad ea, quæ idem Cluverius Germaniæ suæ passim insperssit, sylloge. Nec placet istud hominum genus, quibus indocti prorsus videntur veræ eruditionis cultores, nisi suo, hoc est, nasutulorum more Facultatē aliquam cum Philosophia pariter ac Philologia tàm arctè, tàm cōtulè, tam accuratè socient, ut quivis unus Tricipitinā hanc aperto capite salutare in via, in tramite teneatur. Imitari hos credo Rutilium Gracchum, qui Romæ tres sibi pileos, aptè inter se cohærentes, ita ut unus seorsim ab altero extrahi posset, concinnavit, inque eos caput inseruit; atque inferioris amicis unum, superioris duos,

Hardervici, an. 1617.

Joh. Nicol. Erythræus Pinacoth. I num. 120.

duos, ſummo verò loco poſitis tres ſibi è capite detrahebat; hoc ordine, ut dextera manu unum, ſiniſtra alterum apprehenderet, tertium in collum rejiceret: Ob quod inventum à S. P. Q. R. per epiſtolam petiit, ut ei victus quotidianus in Capitolio præberetur; quod civitatem tam pulchris moribus exornaſſet, ubi nullum ferè in honoribus habendis diſcrimen adhiberi querebatur. Stultior ſtulto foret, qui iſtis fabulatoribus crederet; ſed horum inſcitiæ libenter ignoſcimus, quia & juvenes aliquando delirant.

Tantum certè abfuit, ut doctiores Velſerum, ob ineptos vilitigatores iſtos, minoris æſtimarint; ut potiùs reſtituta auctoribus ſuis ſcripta, in domo Ipſius, ceu ſpolia in æde Jovis ſollemni dedicatione quàm ſæpiſſimè dono fixerint. Nonne *Galilæus Galilæi*, Nobilis Florentinus, Philoſophus & Mathematicus princeps Magni Hetruriæ Ducis Coſmi II. Illi dicavit epiſtolas tres *de Maculis Solaribus*, diſquiſitione *ficti Apellis* ſub finem addita? In quo ipſo opere epiſtolæ quatuor Velſeri ad Galilæum extant. *Angelus de Filiis Linceo*, in nova dedicatione ad Phil. Salviatum porrò ſic ait: *L' Illuſtriſſimo Sig. Velſeri, fortiſſimo d' ogni ſcienza, e virtù, come quello che ben la conoſce, ed ama, prenderà contento patricolare.* Idem Angelus ſub finem præfationis ad lectorem: *Gl' invidi, e detrattori s' aſtenghino pur dà tal lettura, non ſendo ſcritte per loro; anzi eſſendo dall' Autore inviate privatamente a un ſolo, dotato di molta intelligenza, e di mente ſincera.* Inde & *Chriſtophorus Scheinerus* tres de maculis iſtis epiſtolas ad Eundem exaravit, velut *Apelles latens poſt tabulam*: Super has tres alias multò longiores, *de Maculis ſolaribus, & ſtellis circa Jovem errantibus*, dedit, accuratioris titulo diſquiſitionis fulgentes; tertiam hoc obſignans ænigmate: *Apelles Tuus tibi ſoli notus, aliis ignotus luceat; vel, ſi mavis, Vlyſſes ſub Ajacis clypeo.* De his verò literis Leo Allatius, in Apibus Vrbanis, annotavit ſequentia: *Epiſtolæ hæ manuſcriptæ, unà cum aliis multis, poſt mortem Velſeri, pervenere in Bibliothecam Archiepiſcopalem Mediolanenſem, ut mihi relatum eſt; in qua etiam dicuntur aſſervari.* Hinc erroris reum Pet. Scavenium agit Celeberrimi per omnem quoque Germaniam nominis Vir, Magliabechius: *Res clarior Sole*, ait in ſuis, *quod P. Scheinerus non ſit Galilæus,*

Iſtoria è Dimoſtraz Rõ. A 1613. Bon. 1655. cart. 9. 29. 97. 98.

Apes Vrb. pag. 62.

In Catal. nonnull. libb. p. 376

ceu

ceu vult Scavenius ; verum quidem est, Galilæum scripsisse de Maculis Solaribus, sed sub nomine proprio, nec sub isto Apellis. Nunc autem ad alios quoque progrediamur: *Bernardinus Baldus*, Guastellæ Abbas, dedicavit Velsero *Lib. de Vitruvianorum verborum significatione.* In dedicatoria (quam in Amstelodamensi editione Vitruvii omissam dolet, ceu solet, Magliabechius) Baldus favorem ac benevolentiam, qua Magnus Hetruriæ Dux Velserum dignatus est, his inter alia exposuit verbis: *Mitto*, inquit, *probante etiam Serenissimo Duce nostro, Mecenatéque meo, immò & studiorum meorum patre ; cui cum desiderium Tuum, & animum meum hunc commentarium Tibi dedicandi, occasione arrepta aperuissem, Is non modò utrumq; laudavit, sed me ad efficiendum, quod statueram, honorificis de Te verbis interpositis, prorsus impulit.* Cardinali Dominico Pinello *Paul. Gualdus*, Patricius Vicentinus, consecravit quidem *Vitam Joh. Vincentii Pinelli*, Patricii Genuensis ; in qua studiosis bonarum artium proponitur typus Viri probi & eruditi ; postea autem indiverticulum hoc abiit, Velsero simul eandem, hoc verborum honore nuncupans : *Me verò hæ* (Amicorum) *preces ut non permulcebant, gnarum videlicet tenuitatis meæ, ita in eam sententiam traxerunt, ut fœtum hunc meum dispiciendum traderem examinandumque Tibi Viro Clarissimo, Pinelli amico, bonarum artium patrono, qui prudentia, eruditione, & animi candore in consilium advocatis, tum demum pronuncies, an ère Pinelli, an ère literarum, an è mea sit, ut in lucem hominum prodire sinam qualescunq; hasce subsecivarum horarum reliquias. Hoc tibi arbitrium ut deferam, faciunt multa, &c.* Petrus Scavenius, in Catalogo Auctorum, qui suppresso vel ficto nomine prodierunt, scribit : *Vitam Pinelli in Latinum traduxisse Laur. Pignorium.* Sed ego fidem ipsi non habeo, inquit haud indiligens talium rerum scrutator Magliabechius, quoniam Gualdus homo fuit eruditissimus, & quod super omnia est, in lingua Latina versatissimus : Quid ? quod ipse Pignorius post annos duodecim, Gualdum admonet, ut in altera Vitæ illius (quam *plausu ingenti Eruditorum conscripserat*) editione quædam adjiciat : *Illam*, ait, *Tu recudas oportet, quando exemplaria propè omnia divendita sunt : Et multa mihi fuerunt adnotata Tuo jussu, de Joh. Vincentio, clarorum ho-*

Amstel. a. 1649.

Pignor. in Symb. Ep. 22.

hominum testimonia, quæ ad posteritatem transmitti, uno veluti fasciculo comprehensa, publicè interest privatimq; Fieri sane potuit, censente Magliabechio, ut Gualdus Pignorio, suo æquè ac Pinelli quondam amico, ceu correctori atque emendatori commiserit: Verùm quid hæc ad versionem, quam affirmat Scavenius, familitariter hîc admonendus? Hæc ille. Ab hoc aditu januáque patefacta, Gualdi occasionem captans *Aloysius Lollinus*, Patricius Venetus, & Belluni olim Antistes, (quem Cardinalis Baronius in Annalibus suis maximè laudat) Velseri amicitiam his sibi conciliare literis sustinuit: *Facit nominis Tui claritudo, ut etiam Tibi ignotis innotescas; neque hodie eorum sit, qui Numen, sacráque Musarum rite colunt, qui Te, faciente amorem eruditione ac virtute, non in oculis ferat, haberique Tuorum in numero vehementer cupiat. Hanc ego conjecturam de me ipse facio, qui, ex quo primùm Clarissimorum Virorum de Te elogia perlegi, sermonibúsq; laudum Tuarum refertissimis interfui, mirifico Tui desiderio flagrare cœpi; neq; id immeritò. Necessitudo mihi fuit cum* Pinello, Bencio, Aicardo, Guillandino, *summa*; Quærengo, Gualdo, Bello *adhuc utor perfamiliariter. Vnus Tu restabas ad sacrum illum, & concordiæ dicatum numerum explendum; cujus ego in amicitiam admitti sicuti nunc expecto, ita in posterum enitar, ut [si doctrinam exceperis, cujus quàm sim expers, planè sentio] nullum in me studium, nullum grati animi officium sis unquam desideraturus.* Gualdo *ipsi in Tui amorem effusissimo vix cessero, reliquos, nî vota destituant vires, anteibo omnes: Tu modò Tuæ famæ non absimilis nos Tui cupidissimos mutuò ama.* Verùm amicitiis dedicationes porrò jungamus, quas eædem pariunt: *Elias Putschius* Nobilissimo huic Mæcenati *Diomedis de Oratione, & partibus Orationis, & vario Metrorum genere libros III.* cum codice Fuldano diligentissimè collatos, transmisit: *Joh. Meursius* annotationes suas ad *Bacchides Plauti*, quem tantopere olim in deliciis ipsæ Musæ habuerunt,

Ep. Misc. Luduni a. 1642. edit. p. 101, 102.

Belluni Non. Febr. 1611.

In Exerc. Crit. Lugd Bat. a. 1599.

Eidem obtulit: And. *Schottus* exhibuit *Vitas comparatas Aristotelis ac Demosthenis*; nec non Latinam *Bibliothecæ Photii* interpretationem, annotationibus illustratam: *Arnoldus Mylius Opera*, quæ reperiri potuerunt omnia, *Joh. Genesii Sepulvedæ*, Cordubensis, SS. Theologiæ Doctoris, Caroli V. Imperatoris Historici, nominis Velseriani auspicio, publicavit: *Inscriptiones* antiquas totius Orbis Romani, in corpus absolutissimum redactas, velut æternum opus, auspiciis Josephi Scaligeri ac M. Velseri, in lucem prodire voluit *Gruterus*: Qui ipse præterea *Historiæ Augustæ Scriptores Latinos minores*, à Jul. Cæsare ad Carolum M. Velsero simul ac Remboldo inscripsit: *Joh. Livineius*, Gandensis, notis illustravit *XII. Panegyricos veteres*, quos Heroi huic Literatorum vovit: Fulgentissimæ Illorum bigæ *Hæschelius* commendavit *Annæ Comnenæ Alexiada*, quam quidem Historiam Galli sub incudem revocarunt, cum vetere dedicatione; sed obstetricem infelicissimam nacta est: Quamobrem Petrus Seguierius, Galliæ quondam Cancellarius, liberè ac verè in literis ad Amicum de ista judicavit: *Hæschelianorum Excerptorum Augustanam emissionem illam nemo æquus opinor magis gratulandam Cæsarissæ putaverit, quàm puerperæ abortum passæ infelicem ejectionem fœtus monstrosè mutili & mortui.* Idem insuper *Hieroglyphica Horapollinis* Marco eundem παλαιοτήτων, quas vocant, instauratori atque interpreti jure dicanda duxit: *Marq. Freherus* ad Eum misit *Sapphirum Constantii Imp. Aug.* expositam; unde Gruterus in epigrammate suo:

Aug. Vind. a. 1603.
Col. Agrip a. 1602.
Hanov. a. 1611.
Antverp. a. 1599.
Aug. Vind. a. 1610.
Paris. an. 1651.

Jure Tuæ illa modò famæ, VELSERE, dicantur,
Teutona quo majus non habet ora decus.

Figuras *Bayerianas ethnicas*, separatim excusas, & Illustribus Duumviris, Quirino Rehlingero ac Marco Velsero inscriptas, Velschius in Addendis ad Ruznamen Naurum commemorando quasi renovavit.

Addend. pag. 102.

Atq;

Digitized by Google

Atque utinam istorum voces audire possemus, qui Magni illius Viri ope multa publici juris fecerunt; tum quod unus propemodum in Germania literas literatósque foveret:

Solus enim tristes hac tempestate Camœnas

respexit; tum quod in eruendis Codicibus, & explorandis Bibliothecis, saltem ut doctos homines juvaret, nihil prætermitteret, *Heronis Ctesibii Belopœeca*, Bern. Baldo interprete, item *Heronis vita*, eodem auctore, ut ornatè prodirent, humanissimè procuravit: Inter alias lucubrationes Divinationem in Tabulam Eugubinam, lingua Etrusca veteri perscriptam, evulgavit idem, sed simul opera Marci Velseri (Schoockio judice) Viri cæteroquin judicioſissimi abusus fuisse dicitur. Georgius Ritterhusius in Vita Conradi patris (quæ Salviano præmissa est) inter alia delsidori Pelusiotæ epistolis ex MS. Ducis Bavariæ editis loquitur, cujus copia aliter impetrari nō poterat, quàm sub cautione mille florenorum: *Hanc vir Nobilissimus pariter ac Literatissimus Marcus Velserus*, inquit, *inscio Parente nostro præstiterat*. Hinc ipse Rittershusius in sua ad Gruterum, de Isidoro hoc, ne quis pro sua laude & gloria defraudetur, reticendum non putavit, quorum beneficio manuscriptus ille codex Bibliothecæ Principis Bavariæ suis usibus impetratus est: *Sciant illi*, ait, *qui antea nesciebant, debere istius beneficii gratiam Viris Magnificis, atque Amplissimis, Marco Velsero, Reip. Aug. Duumviro, & Joh. Georgio Herwarto ab Hohenburg, Cancellario Bavarico, qui & per literas & per interpretem ac proxenetam optimum ac gratiosissimum Dav. Hœschelium nostrum à me rogati usum pulcherrimi illius Codicis, quem Monaci extare inaudieram, non difficiles sese mihi præbuerunt; quin eum mihi ab Serenissimo & Celsissimo Bavariæ Principe impetrarent.* Aug. Vind. a. 1613.

In Fab. Hamel Part III. cap. 4.

Neque Gretserum pudet fateri, in præfatione ad alterum de Cruce tomum, per quem profecerit: *Hanc*

ipſam quam ſubii moleſtiam, multum, ut id, quod res eſt, ingenue confitear, levavit Nobilis & Clariſſimus Dominus, Marcus Velſerus, Reip. Auguſt. Septemvir; qui pro ſua inſigni in ſacroſanctam Crucem religione, & in omne Literarum & Literatorum genus ſingulari amore, & humanitate, hoc opus operámque meam ſtrenuè adjuvit; cujus beneficio non tantum ex Reipub. Auguſtanæ Bibliotheca aliquot calamo exaratorum Codicum copia mihi facta eſt; ſed etiam à Maximo Margunio, Epiſcopo Græco, Græcè & Latinè perquam docto, Homilias non paucas adeptus ſum; quibus hoc volumen plenius & ornatius effectum, & Crucis gloria celebratior reddita. Viro huic, præconiis noſtris majori, poſteritatem debere *Conſtitutionem D. Caroli III.* Imperatoris Aug. Craſſi dicti, *de expeditione Romana*, libens profitetur *Freherus*; quam Idem in Codice manuſcripto benè veteri, in quo cum Bojorum leges illæ caſcæ, tum ſacra quædam continebantur, primus invenit, fideliter deſcripſit, & liberaliter cum Frehero communicavit. Poſteaquam *Geographica Marciani, Scylacis, Artemidori, Dicæarchi & Iſidori* in Velſeri manus inciderunt, illa primo quoque tempore, imprimenda eſſe cenſuit, cura Hœſchelii; non neſcius, Hiſtoriarum & in primis Geographiæ Scriptoribus plurimum inde lucis afferri poſſe. Illius beneficio typis adeò elegantibus myſtica Horapollinis πονημάτια prodierunt. Vinc. Pinellus Eidem *Malchi vitam Pythagoræ* manuſcriptam miſit, teſte Hœſchelio ad Photium; & Woverius eam ſe editurum fuiſſe promiſit, ſed dum editionem differt, C. Rittershuſius primus illam è tenebris produxit: Ejus liberalitati, fatente rurſus Hœſchelio, *Eclogæ* debentur *Legationum Dexippi Athenienſis, Eunapii Sardiani, Petri Patricii & Magiſtri, Priſci Sophiſtæ, Malchi Philadelphienſis, Menandri Protectoris*, cū corollario *Excerptorum* è libris *Diodori Siculi* amiſſis: Quanquam gravioribus occupatus curis, tamen de quibuscunque ipſum conſuluit in *Photii* Bibliotheca Hœſchelius, ſcrupulum huic omnem, nullo negotio exemit, neque iis conferre gravatus fuit. *Jac. Pontanus* in annotationibus ſuis ad *Joh. Cantacuzeni* Hiſtoriam, Pariſiis editam, principium epiſtolæ, ſive titulos, quibus Imperatorem cohoneſtat, lingua veteri ſcriptos eſſe monuit; reliqua tota, lingua, quam nunc

Confer. Scip. Gent in jure Publ Diſp. de Regal. th. 156.

Aug. Vind. a. 1600.

Aug. Vind. a. 1595.

Eclog. 259. Polymath. c. 28.

Not. ad Phot. fol. 919.

Digitized by Google

nunc vulgare Græcum appellant : Itaque ſtudio M. Velſeri factum, ut ea ab homine utriusque ſermonis, Græci & Scholaſtici, inquam, & vulgaris periti Græco puro puto redderetur, quò eam Pontanus convertere in Latinum poſſet. Dan. Furlani *Theophraſtus* ad Joh. Vincentium Pinellum, omnis liberalis doctrinæ, & pulcherrimarum artium, dum vixit, patronum delatus, ab illo ad Noſtrum, quo amiciſſimo Pinellus uſus eſt, pervenit ; Is Claudio Marnio vulgandum credidit, hac lege, ut Cardinali Borromæo inſcriberetur. *Henric. Savilius*, Operum *Chryſoſtomi*, Græcè tantùm, *voluminibus octo* conſtantium, editor nobiliſſimus, in præfatione ad lectorem mente grata agnoſcit, & deprædicat, ſe inter alios adjutum fuiſſe opera M. Velſeri & Hœſchelii ; quorum nomina cæterorum cum elogio ſingulari apponit, hujus etiam in ſubjunctis annotationibus non paucam facit mentionem ; quod laudabili memoriæ viri aliàs etiam celebratiſſimi cum mundo duraturæ inſervit: Hinc gratitudinis debitæ documentum redhoſtimenti loco in illuſtri Auguſtanorum Bibliotheca extare voluit, illa Chryſoſtomi volumina ſingulari inſcriptione eidem conſecrando. Quanta, ſed quam inani diligentia manuſcriptum *Annæ Comnenæ* Codicem (ut ex epiſtola ad Robr. Titium ſatis apparet) in Medicéa Laurentiana latitantem, cunctis precibus expetiit, ut deſcriberetur? ſed ſurdis narravit fabulam. Pro Moguntinis verò editoribus, ex Heidelbergenſi Bibliotheca binos *Anaſtaſii* Codices, hiſtoriola iſtac de Johañna Papiſſa haud carentes, opera Marq. Freheri, ab Electore Palatino, facillimè impetravit; neque iſti tam fuere ingrati, quin excuſa duo exemplaria unà cum Codicibus reſtituerent, eandem exhibentes narrationem, quæ tamen in cæteris prorſus omiſſa fuerat: Cujus facti allegare teſtes opus eſt Moyſen & Dav. Blondellos fratres, nec non Salnaſium, Rivetum, & ſine controverſia eruditiſſimum ac politiſſimum Colomeſium. Primus etiam

Etonæ, a. 1613.

Reiſer in Ind. MSS. Bibl. Aug. n. 36. ſeqq.

Melang. Hiſtor. p. 55.

auctor fuit Velserus, ut ex Augustana Bibliotheca recenserentur Patrum Græcorum manu exaratorum nomina, & inscriptiones; hæcque in Catalogo sic proponerentur, ut impuris auctoribus semotis, tanquam gemmæ, in quibus catholica (*inquit Possevinus*) fides elucet, oculis omnium, qui Christianam Rempubl. sartam tectam copiunt, objicerentur. Neq; hoc officio contentus Catalogo præfixit hæc animi candidissimi verba:

Append. ad Tom. III App. Sacr. fol. 83.

Quisquis reip. literariæ faves, horum omnium Codicum, sive interpretandi, sive conferendi, sive edendi, ita tibi futura copia est; si de iis incoluminibus restituendis caveris.

Quare Velschius, in procœmio Dissertationis de Tabulis æquinoctialibus novi Persarum & Turcarum anni, sedulò cogitare cœpit, qua ratione Præfectis & Senatui Augustano persuaderet; ut Marci Velseri Duumviri exemplo, tot præclaris Codd. Græcis, quos *Hier. VVolfius & Xystus Betulejus*, quondam *ab Antonio Eparcho*, Episcopo Corcyrensi, inganti ære, jussu & munificentia Illius publica redemissent, hos quoque Orientales adderent. De cætero gratias, quæ habendæ sunt ipsis auctoribus, qui rerum memoriam scriptis suis signarunt, easdem meritò deberi censet Canisius iis, qui ejuscemodi libris, altis tenebris immersos, in lucem vindicant, & restituunt: *Inter quos eminent hodiè*, inquit, *Marcus Velserus, reconditæ eruditionis laude notissimus; Ejusque germanus Antonius Velserus, Vir sine ambitione doctissimus.* Idem in præfatione ad lectorem, exquisitæ eruditionis Ocellum vocans Marcum, misisse sibi prædicat Codicem MS. Augustani Monasterii SS. Afræ & Vdalrici; ubi *Eusebii & S. Hieronymi Chronicis subjunctus Prosper:* Nec non ex eodem, *Henr. Steronis Altahensis Annales*; item *Metelli Quirinalia*, ex Codice MS. Tegerseensi. Præfationem secundi tomi his concludit gratiis: *Vt autem & eos nominemus, quorum ope MSS. Codices nacti sumus, habuimus pleraque beneficio Nobilissimi Marci Velseri; de quo, quid aliud dicam*

Dedic. ad Tom. I. Ant. Lect.

cam, quàm illud Plinii? Alius aliud, ego beatisſimum exiſtimo, qui bona manſuræq; famæ præſumtione perfruitur; certiusq; poſteritatis cum futura gloria vivit. Gruterus de *Hiſtoria Miſcella* diſſerens, quædam tam puerìliter verſa eſſe in *Latinum ſermonem* dixit, ut vix intelligi queant, ſine inſpectione *Codicis Græci*; quem ſperabat paullò poſt proditurum in lucem auſpiciis Viri illius Summi, collatum accuratè cum membranis Bibliothecæ Palatinæ. Friderici II. Imp. *libri duo de Arte venandi cum avibus*, inter alia præclarum monumentum eruditionis ſingularis & rari ingenii, cura itidem Marci (qui illos Maximo Principi Ferdinando Caroli F. Auſtriæ Archiduci, tunc Germaniæ Spei dedicavit) editi ſunt Auguſtæ Vindelicorum, ex autographo manuſcripto membraneo, quod Joachimus Camerarius, Joch. F. in Bibliotheca ſua habuit; adjecto etiam Alberti M. de Falconibus, Aſturibus & Accipitribus tractatu. *Capitulare Gregorii II.* datum Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero, in Bavariam ablegatis, ex vetuſtiſsimo Codice MS. Monaſterii Weingartenſis à laudatiſsimo quoque Duumviro communicatum Lud. Jac. à S. Carolo prædicat: Ex quo rarioris doctrinæ ac ſublimis judicii Vir Gerh. à Maſtricht falli Ant. Auguſtinum probat, qui *Capitularis* vocem inventam ſtatuit Caroli M. Anſegiſi & Theodulfi temporibus, qui vixerunt ſeculo nono; nam ſeculo octavo ineunte occurrit Capitulare iſtius Gregorii; qui anno 714. ad Epiſcopatum Rom. evectus eſt. Primas Hiberniæ, Jacobus Vſſerius (quem vivum coluiſſe in colloquiis, mihi curæ cordique erat) gratus agnovit, quod ſingularis Auguſtini ad Aurelium tractatus (quem periiſſe exiſtimaverat Baronius) de Dioſpoliatnæ Synodi Actis, & inter àlia Pelagii geſtis, apud Feſulanos, in Bibliotheca Canonicorum Regularium Abbatiæ S. Bartholomæi, à D. Rothæo Hiberno primùm repertus, indéque à P. Lombardo item Hiberno, extractus, M. Velſeri D. Hœſchelii opera, Auguſtæ Vindelicorum in lucem poſtea protractus fuerit. Placet etiam Primati de Lucio Rege Britanniæ loquens *Sig. Meiſterlini Chronicon*, quod commemoravit Velſerus in Rebus Auguſtanis; id verò *Sigiſmundi Religioſi* eſſe autumat, à Velſero rurſus acceptum, & cum aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus à Joh. Piſtorio poſtea evulgatum. Eodem animi fervore & amœniorum ſtu-

Annot. ad lib. XVII. cap. 5.

Pancirol. in Nov. Rep. tit. 23.

Lib. I Bibl. Pontif. p. 88.

In Hiſt. Jur. Eccl. & Pont. p. 229. 230.

In Brit. Eccl. Antiqq. cap. 10. & Append. pag. 994.

lb. c. 6. & App. p. 980

Digitized by Google

dioſos literarum juviſſe, nuncupatio alterius tomi Orationum M. Anton. Mureti verbis exponit diſertisſimis: *Tanti Viri reliquias, partim à Te ſtudiosè collectas, partim ab amicis acceptas, magnáq; cura conſervatas, non Tuas eſſe ſolius voluiſti; ſed, quæ vis bonitatis eſt atq; natura, communes omnium, qui earum deſiderio tenentur, & amore devincti. Bene Te Superi ament ob hanc tam inſignem, támq; beneficam voluntatem; nec non ob indefeſſum illud Tuum inflammatumq; ſtudium, quo rem literariam tam Tuis quam aliorum eruditorum hominum vigiliis, in publicum proferendis, florentiorem illuſtrioremq; non deſiſtis efficere!* Cauſſam verò nullam aliam ſubeſſe crediderim, quam Oratorem illum excellentem & gravem, Muretum, quem audierat docentem; uti *Chriſtophorus Furerus* eundem Romæ θεὸν τίμα veneratus eſt. Quanta alacritate Inſcriptiones promovit Gruterianas? *In primis virgula mihi fuit* (Gruteri verbis utar) *plusquam divina Marcus Velſerus, Germaniæ ſuæ verè Phœnix, hoc eſt, omnibus virtutis doctrinæq; numeris emendatiſſimum exemplar. Tali enim in me fuit candore, tali comitate, tali propenſione, tali etiam vultu, tali lingua, tali manu; ut præ pudore neq; oculos attollam, neq; vocem: Quippe ante ullas preces, depoſita perſona, quam gerit in Vrbe ſua Principis, & candidati & proxeneta induit; illéq; alias ad vitium usq; verecundus,*

ultra decori tranſilire limites,

donec univerſas Librariarum Italicarum Epigraphas, unà cum pulviſculo converriſſet in hunc meum ſinum; ac tanquam parum eſſet ei rei impendere veredarios ſuos, etiam peculiaribus ſemper epiſtolis hoc ſuum donum proſequendum ſtatuit: Tam anxie quidem aut potius ſuperſtitiosè, ut ſi vel unica fortè obveniſſet Inſcriptio, ne unicam illam quidem ſine literis ſuis ad me dimitteret. Huic ergo uni ſit gratia! Amales, Inſcriptiones, & Menſuras provinciarum ſingulari ſtudio conjunxit, ne unquam prodeſſe deſineret; orbem enim terrarum à Geometris juſtis dimenſionibus deſcribi curavit Theodoſius, cujus rei *MS. Dicuilis libellus*, de ſe ipſo loquens, meminit:

Dicuil accipiens ego fracta auctoribus iſta
pauca loquar, ſenis metro de montibus altis.

Quem à M. Velſero acceperat Matth. Raderus, docens, Dicuilem verſu octavo, operi præmiſſo (*dum ſcribit*

Memor. Furer. pag. 40.

In Aula Theod. Jun. c. 4.

ſcribit, pingit & alter) conjectura admodum probabili, Tabulam antiquam Itineriam reſpicere, ex qua Noſter, omni genere doctrinæ cumulatiſſimus primùm fragmenta notis additis vulgavit; dein integram in nobili Peutingerorum Bibliotheca repertam Abr. Ortelio edendam miſit. Eam vel à Theodoſio M. vel à filiis curatam putavit, eſſe tamen Theodoſii Junioris, poſtea animadvertit, & Raderum ex B. Rhenano docuit; qui ad Bonifacium Amerbachium præfatione ad Procopium meminit duarum deſcriptionum Orbis, quarum altera Junioris Theodoſii, niſi titulus fallat, juſſu facta ſit, altera non multò poſterior videatur. De hoc ipſo *Diculo* ad Scaligerum ſcripſit Velſerus, & ad Cluſium; ne theſaurus ille diutiùs lateret. Rem verò nummariam in certum ordinem redigendo plurimùm juvit *Occonem*, cujus *numiſmata* Velſerianis hinc inde referta & illuſtrata, quis non miretur? Vidit Raderus, apud Illum, quem jure antiquitatis theſaurum dicas, *nummum*, qui *Arſacis* os præfert: Sive nummum, ſive ſigillum hominis nudi, ſervi, ut apparet ſtantis, ore camo obturato Andr. Schottus à Velſero ſe accepiſſe notat, ad Proverbia apppendicis Vaticanæ: Marſyæ videri iconem eruditum par fratrum Rubeniorum opinabatur, ſed Marſyas ut & Satyri plerumque barbati pingebantur: quidam Sigalionem & Harpocratem ſilentii Deos ſomniabant: Sed nummum illum Velſeri meliore jure ex eo ritu explicari poſſe, quo cantores labia & faciem capiſtris conſtringebant, ne tumeſceret, Gisb. Cuperus, & cum eo Caſp. Bartholinus rectè pertendunt. Ezech. Spanhemius Noſtro libenter aſſentitur, in nummo, qui pinum in tractu Coloniæ Auguſti frequentem *exhibet*; ubi & imago ſedens dextra Cornucopiam tenet. Eundem obſervavit Jac. Oiſelius, & explicationem Coloniæ valdè probavit. Ad hæc libro ſexto Rerum Auguſtanarum, & in aliis eruditiſſimis operibus nonnulla repræſentavit numiſmata magno ſtudio collecta celebrante Labbeo. Adhortatione Marci Pignorius *menſæ Iſiacæ* explicationem tum inſtituit, tumabſolvit: Aleander in accurata explicatione *Tabulæ marmoreæ, Solis effigie ſymbolisq; exculptæ*, ex pavimento teſſellato Velſeri, quod Auguſtæ Vindel. extat, quomodo tyrones ad palum ſe exercebant, libenter didicit: Val. Chimentellius veram Illius ſen-

Epiſt. V. & XXX.

Ad Mart. lib. IX. ep. 26.

Ad Prov. 75.

Cap. lib. 1. Obſ. c. 12. Barth. lib. III. de Tib. Vet. cap. 3.

Diſſ. IV. de Uſu Num. pag. 168.

Tab. XIV. n. 1.

Digitized by

sententiam, contra Pomponium, ambabus amplectitur, & reprehensionem laudat; nam alioquin tot fuissent *Decuriones* nonnunquam in ulla *Colonia*, ac civitate, quot Roma Senatores nunquam habuisset.

In Marm. Pisc. 37.

Nec dubitavit Baronius scribere, ex mendoso Codice factum, ut cum loco *Diocletiani*, *Domitianus* positus legeretur, in prima editione Romæ facta primi Annalium tomi, sub Domitiano iidem passi dicantur; quod in secunda editione ab ipso est emendatum, *admonitione Viri Clarissimi, & Eruditi, D. Marci Velseri; qui res gestas Sanctorum Augustanorum egregiè illustrandas suscepit.* Quapropter ingenue fassus est Scioppus in epistola ad Eundem, nec se, nec quemvis alium de ejusmodi antiquitatibus veri aliquid judicare posse; de quibus ipse verissimus, præter cæteros omnes, illarum æstimator dubitare soleat. Denique tam probus, tam ingenuus bonorum ac doctorum Virorum fautor extitit, ut non solùm de Augusta sua, sed aliis etiam civitatibus Academiisque sollicitus, sui similes amaret: Quare & *Hæschelio* suasit, ut Illustribus Viris, *Christophoro Fin*ero (solidæ eruditionis Atlanti) & *Paullo Harsdorfero*, cæterisque Septemviris *Procopium* nuncuparet: Sine dubio ut in Academiam Norimbergensem evocaretur; *Furerus* enim æquè ac *Velserus* de studiorum incrementis semper fuere solliciti, æternæ laudis gloria dignissimi.

Tom. II. Annal. an. 303. n. 125.

Lib. II. ep. 1.

Sed nullus erit scribendi finis, si sit consilium omnia exponere, quæ Ille rectè ac sapienter in vita fecit: Ad senectutis terminos cum tandem perveniisset, podagra confectus, Patriæ suæ sidus, & Orbis eruditioris decus illustre, cum jactura rei literariæ sempiterna, anno Christi millesimo sexcentesimo, decimo quarto, die decimo tertio Junii, rebus humanis eximebatur; cum vixisset annos quinquaginta sex, memoria nominis sui relicta immortali: Nam *mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud Posteros, vel gloria distingui*, monet Tacitus. *Ingrata* quidem laus *temporibus, quibus sinistra*

Lib. I. Hist. c. 21. n. 5.

ſiniſtra erga eminentes interpretatio; nec minus A.
periculum ex magna fama, quàm ex mala : Agric. 1,6.
Sed prava quorundam judicia ne hili quidem facimus. Scribi non poteſt quod factum non eſt : Illuſtre factum non eſt, quod in gloriam agenti non cedit. Nec cedit, niſi ſit, qui ſcribat ; niſi, quod ſcriptum eſt, alii ſequantur. Itaque deſinere liceat in recepta olim formula : POSTERI VIRTVTEM IMITANTOR ! Particulatim ante me id egere quidem *Melchior Adamus, Zeilerus, Königius*, & alii fortè in Germania ; *Poſſevinus*, Scanzia III. Bibl. Vol. *Ghilinus, Rhodius, Ricciolus, Boſca, & Cinellus* noviſſimè in Italia : Verùm, an plus effecerim, judicabit poſteritas equidem ſpero ; ſin autem, ſaltem bonæ voluntatis conſcientia me conſolabor : Solet enim in rebus omnibus, ſi minus effectus ſequitur, conatus placere, laudarique. Induxit hanc legem naturæ humanæ imbecillitas ; nam labimur plerunque, cum minimè volumus, & maximè contendimus, ut ſtemus. Socios mortalitatis eodem habuit anno, qui feralis fuit amicorum Illuſtrium morte, *Contarenum* Procuratorem Venetiis, *& Lælium Paſchalinum* Romæ, & Veronæ *Nicherolam*. Ad ultimum inter omnes flores, quibus Veteres ſepulchra ſua accumulabant, principatum quendam obtinuiſſe videntur LILIA : Gaſſend. in Vit. Peir. l. III. p. 211. Kirchm. l. IV. de Fú. Rõ. cap. 3.

Tu Velſerus *eris ; manibus date LILIA plenis !* Virg. 6. Æn.

Purpureos ſpargam flores, animámque Beati

His ſaltem accumulem donis.

Ecquid adumbrandæ SPEI aptius unquam poteſt excogitari ? LILIVM (ſive *candidum*, ſive *rubrum* ſit, nihil refert) Spei ſingulare eſt hieroglyphicon. Id docent plerique veteres nummi, in quibus una parte LILIVM, altera verba hæc, SPES POPVLI ROMANI, expreſſa videntur. Et ſignificationis illius ratio non à colore petenda, ſed ab eo, quod LILIVM etiam EXCISVM effloreſcat : Hoc Pald. de Calc. c. ult.

Hoc enim Spei familiare, quod rebus afflictis meliora ſemper expectanda ſuadeat. *Etiamſi occiderit me Deus*, inquit ille, *in ipſum ſperabo*! Hæc ipſa Spes cum vita ſemper efflorescit: *Vita enim mortuorum*, inquit Cicero, *in memoria poſita eſt vivorum*. Et quanquam, uti Silius Italicus loquitur,

Philip. IX. Lib. XIII.

Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces:
Dulce tamen venit ad manes, cum Gloria vitæ
Durat apud Superos, nec edunt oblivia laudem!

IV.

JUSTI RYCQUI
GANDENSIS

PIETAS

IN

FUNERE

AMPLISS. ET CL. V.

MARCI VELSERI

R. P. AUGUSTANÆ VINDEL.
PRÆF. PERP.

AD

CL. V. JOANNEM BRANTIUM,
SENATUI ANTVERPIENSI
AB ACTIS.

C. Pli-

C. Plinius Cæcilius Epistolâ ad Maximum libro V.

QUi voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat.

Pindarus Isthmiis, Ode I.

Κύφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ,
αὐτὶ μόχθων παντοδαπῶν ὑπὲρ ἱππόται' ἀγαθὸν,
ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν.
Levis donatio est VIRO SAPIENTI,
pro omnibus ei laboribus honorifica loquendo,
commune bonum stabilire.

Appulejus in Floridis.

O CELERES BONORUM HOMINUM DIES!

JO. BRANTIUS LECTORI.

HIC verò M. VELSERI Musarum & Virtutum patroni memoria mihi manum injicit, suoque quodammodo jure flagitat, ut Elegiam & Lacrymas, quibus illi parentavit insignis nostri Poëta temporis I. Rycquius, pro re nata subjiciam. Idque tibi, Lector, qui V. Cl. de Rep. hac etiam nostrâ litterariâ quàm optimè meritum meritissimo juxtà mecum amasti, minimè fore injucundum, meo ipse ex animo perfacilè metior. Vale.

JUSTUS

JUSTUS RYCQUIUS IOANNI BRANTIO V. C. S. D.

QUOD debebam SANCTIS VELSERI noſtri MANIBUS, occupatiſſimus perſolvi, nullam enim occupationem adeò gravem eſſe putavi, quæ tale mihi officium eriperet. Dabunt alii alia, grandiora gravioraq; , ego farre meo & mola ſalsâ contentus ſum; & erit etiam is, (ita ſpero, O BEATA ANIMA!) cujus exſequiis hæc *Parentalia* perſolvi. Quidquid hujus eſt, CL. BRANTI, ad cognitionem tuam defero & Cenſuram, hoc eſt: Primus PIETATEM meam noſces, qui DOLOREM iſtum primus nuntiaſti. Scio vix dignum eſſe, quod deferatur homini adſueto elegantiſſimi RUBENI Muſis: ſed jucundum interdum eſſe vidimus Primatibus viris, ab inſtructiſſima mensâ ad horridulam & incomptam venire. Neq; ſummus ille Deorum ideò minor eſt, quia Arcadiæ tuguriola, aut Baucidos tabernulam aliquando intravit. Itaq; V. C.

- - - te quoque dignum
Finge Deo; - - - - -

Muſasque noſtras, quo cœpiſti oculo, id eſt, candido benigneque ſemper reſpice. Ego ſatis me beatum felicemque putabo, ſi PIETATE complacui, qui VENUSTATE inter tot negotia placere vix poſſem. Have mi BRANTI, cum Optimo Doctiſſimoque Viro P. ANDREA SCHOTTO, & illo ævi noſtri Apelle PETRO-PAULLO RUBENIO genero tuo. Lovanî (ut volunt) in Grudiis, Eid. Decembr. CIↃ. IↃC. XIV.

Digitized by Google

ELEGEIA
IN FUNERE
Viri Ampliſſ. & Clariſſ.
MARCI VELSERI
Reipubl. Auguſt. Vindel.

PRÆF. PERP.

OMNIA, quæ miſero facere & præſtare neceſſe eſt,
Cùm venit extremæ littera mœſtitiæ:
Cùm ſubitò ingentis narratum eſt funus AMICI,
Aut iſto ſiquid nomine amabilius;
Omnia præſtitimus, cùm te VELSERE fuiſſe
Nuntiat infauſtum nuper Epiſtolium,
Quod mihi ab ADVATICA facundus BRANTIUS orâ
Conſcriptum lacrymis miſerat & gemitu.
Ipſe quoq; ingenti exſternatus corda dolore,
Et cunctis animi ſenſibus attonitus:
Ut neq; jam dulceis Muſarum viſere cœtus,
Nec Charitum lubeat dona beata ſequi.
Nec jucundum aliquid triſti comprendere mente
Tantis hei! curarum æſtibus obruitur.
It comes, & rigidis accuſat Numina verbis,
Numina quæ Mundi Fata vicesq; regunt,
SCHOTTUS, Hiantæi lux & decus omne ſuperſtes
Conſilii, ingenti pectora cordolio
Ipſe etiam attactus, nec quiſquam eſt munere in ullo
Pieridum, aut aliquo nobilis ingenio,
Quin fleat audaci correptum funere MARCUM,
Et pullas veniat mœſtus ad INFERIAS.
Et meritò; quis enim teneras lugere Camœnas
Suſtineat ſiccis cernere luminibus?
Quis niſi Marmaricâ duratus pectora caute, aut
Tygridos Armeniæ paſtus ab uberibus,
Aſpiciat lacrymas tibi, Rex Pataræe, fluentes,
Aſpiciat doctis undiq; Virginibus?
Non aliter Phrygio porrectum vulnere ACHILLEM,
Cæruleis flevit mater in æquoribus.
Multos illa dies luctu confuſa ſedebat,
Fluctibus, & rapidis multa querens Zephyris:

Quamvis

Quamvis fata sui prænoverat omnia Nati,
Parcarum rigidis edita staminibus.
Non aliter cari miserabile funus amici
Pelides tonsâ flerat inantè comâ.
Hectoreo donec saturati sanguine Manes
Senserunt magni Vindicis officium.
Quam sibi vindictam non longo tempore abesse
*Divinus cecidit ipse * Menætiades,* * Iliad. ç.
Prælia cùm circum morientem plurima Graij
Pugnarent misto Dardanidûm generi:
Ipse sed exuviis per vim fraudatus Achillei
Purpuream querulo funderet ore animam.
Quo tibi tum casu fortissime Tyndaridarum
Ereptum est, eheu! dulce sodalitium.
Quod nuper sancti nexum tibi vinculo amoris,
Vitâ etiam dulci dulcius, atq; animâ
Constiterat; cum quo nigrum Briseïdos ignem
Atridæque dolos, Priamidæq; minas,
Et cunctas solitus animo deducere curas.
Nunc unà pereunt omnia vestra bona.
Et mea, VELSERE, heu! tecum trahis omnia, tecum
Gaudia, & oppressi delicias animi.
Jam tua nec nostras solatur epistola curas,
Nec blandis mentem pascit imaginibus.
Jam neq; me Sacro collaudas Monte furentem,
Quod Tragoras numquam Fusidiusq; probent;
Aut modò Romulidûm saxis insculpta ferentem
Nomina, sacrilegus quæ tibi salva furor,
GRUTEROq; tuo, & lepidis dedit esse Camœnis.
(Heu! quantum potuit hic nocuisse furor.)
Sic quoq; non visum fidè complexus amantem,
Quantum nec veteres Attica Peirithoos
Progenies coluit: nec, tu Thebana, furentis
Ductorem Pyladen semper - amicitiæ.
O! mihi Dî saltem tribuissent antè benigni,
Stelliferis quàm te sedibus impositum,
Sordibus eriperent miseræ mortalibus auræ,
Semideosq; inter pænè Deum facerent;
Lumina luminibus junxissem, atq; oribus ora,
Una meis dudum vota cupidinibus!
Ah! quoties crudumq; gelu, infestumq; pruinâ
Alpis inaccessæ molle putavit iter
Noster amor, cùm te optatarum fine viarum
Speraret patriis visere VINDELICIS!

VINDELICIS, queis te Duce reddita Fama, Decusq;,
Nomen & æternâ nobile in Historiâ.
Tunc licuit Persas opibus superare Tyrannos,
Et plus quam Attalicâ conditione frui.
Sæpè quò (ah! memini) sanguis tuus ipse movebat
** REMBOLDUS justo pectora consilio.*
Sæpè etiam tua me FEDERICE audita voluntas,*
Quem roseo annumerat Curia Flaminio:
Omnis & Augustum venerata INSUBRIA Patrem,
Inter cœlestes panè recenset Heros.
Sæpè FABRI voceſq; piæ, suadelaque GRAVI;*
Sæpè sed adversi distinuêre Dei.
Votaq; tantorum rapuit levis aura virorum,
Insperſitque Notis impia ludibria.
At tu, PRIAMA VIRUM, seu Te plaga vitrea cœli
Augustum magnâ in parte recepit onus,
Seu frondosâ pios recreant viridaria Manes,
Quâ piger occultâ rivus inerrat aquâ,
HEROUMq; manet series generosa priorum,
Sive aliâ atque aliâ sede Beatus habes;
Sis memor, & nostro faveas quicumq; labori,
Si quis adhuc priscæ sensus amicitiæ.
Si neq; nostrarum tangunt te oblivia rerum:
Nec tangent; sidus sic mihi dictat amor.
Interea exutæ quæ servat pignora vitæ,
Inque rosâ tellus, inq; natet violâ.
Semper Achæmenio conjungat cinnama costo,
Aut isto siquid dulcius esse potè.
Semper & assistat, qui mollem MANIBUS urnam
VELSEROq; levem dicat humum cineri.

* JOANNES BAPT. REMBOLDUS XII-VIR litib. in urbe judicand.
*FEDERICUS BORROMÆUS Cardinalis, VELSERO addictus.
* JOANNES FABRI & HENRICUS GRAVIUS amici Romani.

THRE-

THRENUS.

QUALIS in aëriæ nemorosis vallibus Idæ,
Mobilis arboreo fraxinus in populo,
Quam circum Nymphæ alternas duxêre choreas,
Et septemgeminos Pan dedit ore sonos:
Quam teneræ verno decorabant flore corollæ,
Nympharum niveis compositæ manibus:
Delicium populi, & turritæ gaudia Divæ:
Paulatim superis nubibus inseritur.
Multi illam pueri, multi accubuêre capellæ,
Arcentem capiti torrida solstitia.
Sæpè sua in vegetis fixerunt tympana ramis
Sacra Cybellæo turba ministerio.
At simul hanc rigido secuit manus impia ferro,
Aut animæ furor impervius Æoliæ,
Frondiferis jacet heu! cervicibus inclinata,
Et jam pallidulis emoritur foliis.
Non illi patriæ divinus rivulus undæ,
Nec dulci potis est munere Terra parens
Reddere vitaï, quem jam deperdidit, usum;
Nec celsis iterùm nubibus inseritur.
Solæ (quod possunt) lacrymarum munera Nymphæ,
Asperaq; in rigidum vota ferunt Boream.
Sic tua, VELSERE, nos circum funera mœsti
Exiguum surdas carmen ad inferias
Fundimus: hei! miseri vana argumenta laboris!
Non exorata sed tibi vita manu
Frangitur interèa, vacuæq; infunditur auræ,
(Heu! non tam paucos currere digna dies!)
Et tecum *Probitas*, nostroq; incognitus ævo
Candor, & antiquæ *Simplicitatis* opes.
Et blandæ *Charites*, tenerorum & vita *Lepôrum*,
Et ferè numquam aliis *Suada* locuta labris.
Et formosa *Salus* & pleno *Copia* cornu,
Quæq; tuus Patriæ commoda multa favor,
Quæq; tuis sanctis amor indulgebat Amicis,
Quæ nunc frustrà atro quærimus Elysio.
Sed qualis levis, & solitis sine viribus ignis
Nequidquam arenti perfurit in stipulâ:
Perfurit ille tamen, solitasq; videtur in iras
Tendere: cùm interèa fumida materia

Deficit,

Deficit, & toto langueſcentem aëre liquit.
Haut ſecùs accenſi pectora mœſtitiâ
Nil profecturas miſeri laxare querelas
Cogimur, & rigidis increpitare Deis.
Nequidquã; quia quem retulerunt luminis uſum,
Non ullâ redimunt Numina mœſtitiâ.

TUMULUS.

QUIS locus hic? CHARITUM. Quæ circum Numina? MUSÆ.
Quis Tumulo hos flores addidit? ipſa VENUS.
Qui circum Faſces? Auguſti præmia HONORIS.
Quæ Laurus? Sacri Symbola APOLLINEI.
Quæ coma? de flavo ſecuit GERMANIA crine.
Quæ lacrymæ? AUGUSTÆ deciderunt oculis.
Quæ Dea tam miſerùm lugens? SAPIENTIA, ſed quæ
Mœroris comes eſt addita? PALLAS Hera.
Quis ſitus heic? MARCUS VELSERÆ gloria gentis.
Nil poteras majus dicere: nunc abeo.

JUSTUS RICQUIUS
VIRO MAGNO
EXIGUUM MONIMENTUM
P. P.

MARCI

MARCI VELSERI

Aug. Vindel. II. Viri, Præfectiq;

VII. Virûm Collegio,

MANES,

AB AMICIS MANIBUS.

Et hoc quidem pacto exſequias ivimus,

NORIMBERGÆ.

Digitized by Google

ξλω̃ θιᾷ.

Viro Clarissimo

DAVIDI HŒSCHELIO,

Augusst. Vindel. Gymnasiarchæ Annæo, de Græcis literis optumè promerito, civi meo & amico Pyladeio, &c.

Hosce pios M. Velseri MANES, Historici summi, & in omni Antiquitate versatissimi, Bonarum artium ac disciplinarum Mæcenatis bene merentiss. ab Amicis omni officio pietateq; parentantibus conscriptos, totidem amoris sine offuciis ἐφημερίδας, ne perirent, congestos-modo editos G. Remus *neminis candidi & boni offensam subveritus: neque inanem-adplausum expetiscens,*

CONSECRAT.

IN

Digitized by Google

IN OBITUM
Nobiliſſ. & Incomparabilis Viri,
DN. MARCI VELSERI,
Curatoris Reip. Auguſt. II. Viri :
die 23. Junii: hor. 4. matut. An. 1614.
defuncti.

THRENUS.

CUria cum Patribus, Cives, Respublica, plangunt:
Et Fora, cum Templis plena dolore gemunt.
Compita mœſtitiis, tota Urbs caligine ſqualet:
Flet meritò quævis, triſtia fata, domus.
Occidit *AUGUSTÆ* Sol, manè abeuntibus aſtris,
Phœbus ubi Cancri cœpit adire viam.
MARCUS obit, Lumen Patriæ, *VELSERUS*, ocellus
Europæ; Clarii gloria prima Chori.
Cui Genus antiquum, Pietas, Prudentia, acumen
Ingenii, Mentis dexteritate vigens;
Atque animi candor, Morum probitate, fideque
Conſpicuus, ſummo ſtare dedêre loco.
Quem penes Hiſtoria omnis erat; quæcunq; vetuſtas
Alma ſuo occuluit, nec latuere, ſinu.
Thucydidi gravitate ſtyli par, parq́; Maroni:
Ut faciunt certam plurima ſcripta fidem.
Principibus paſſim Summis, Doctisq; per Orbem
Omnibus, eximio gratus honore fuit.
Singula quæ multos decorant, cumulata videres;
Nec tamen elati ſigna animi ulla dabat.
Felicis Genii laudes numerare, perinde eſt,
Ac mare curvata continuiſſe vola.
Spiritus ætherias lætus remeavit ad auras:
Corporis exſuvias lenta tuetur humus.

SIMON TOELMAN, Pom. D. Reip.
Auguſt. Vind. Conſiliarius, fac. 24 Iunii, 1614.

I.

SI mihi *Praxitelis* foret ars, ſi fucus *Apellis*,
Cælaq́; Lyſippi, Phydiacæve manus:

Omne forum, VELSERE, *tuâ ſub imagine vivat;*
Templorumq́ decus ſtes geniale tholis.
Ærea ſed nequeam cùm ſigna polire, meoq́
Pollice molliri læve recuſet ebur:
Sed cùm periculo deſperem animare colores,
Et vitam lapidum ſuppeditare choro:
Unum, quod ſupereſt, peragam, Velſere, rudiq́
Te tabulis carbone effigiabo meis.
Innumeris tabulis, quibus ipſe deinde, Cupido
Poſtremæ imponat jura fidemq́ manus.
Parva mora: unaquamq́ dabit volitare per Orbem,
Quacumq́ Oceani circulat humor humum.
Nec ſatis hoc: illas etiam linet unguine tali,
Quò pluviam ſpernant deſpiciantq́ faces;
Quò ſenio, quòq́ invidiæ, ferroq́ reſiſtant;
Nec fures metuant, ſacrilegáſve volas.
His placeam, VELSERE, *tibi, ſi ſedulus auſis;*
Ingrati effugiam forſitan ipſe notam.
Sin minus: at vel ſic, mundo teſtabimur omni,
Nil in me officiis par meritisq́ tuis.

II.

SI verum eſt, Erato, *quod plurima fama ſuſurrat;*
Velſerum involvit jam Libitina peplis:
Illeq́ honos & amor terræ cœliq́ puſillum
Sandapilæ fit onus, Perſéphoneſque rubor.
Ah! ah! ſi noſtrum decus unum atq́ unicum obivit,
Muſa, animis opus eſt pectoribusq́ novis:
Non ut ei inferiæ fiant gemitu ac ſingultu,
Pectus & invadas unguibus atque genas:
Non ut eum Oceano lacrimarum pallida inundes;
Et tua vel ſurdos vulneret Oda Deos.
Mons nihil heic Helicon; nihil heic Permeſſidis humor,
Muſa, valet: Funus ſic triviale colas.
Inſolito de more mihi Velſerus *amicus,*
Mortuus inſolito more colendus erit.
Scilicet, ex animo ſi conjux ſe Inda marito
Jungere amat, præbens pectora viva rogis;
Tute etiam, eia, Erato conjungere viva ſepulto:
Velſeri tumulum læta lubensq́ ſubi.
Omnis honos, decus omne tuum ſi venit ab illo,
Quid dubitas cum ipſo viva videnſq́ mori?
Viva videnſq́ ſubi Velſeri, Muſa, ſepulcrum,
Cum pare velle mori vitaq́ luxq́ nova eſt.

Vitaq́

Vitaq; luxq; nova est, cui mors nequit ulla nocere:
Imò ipsam Mortem quæ dabit inde neci.

III.

V Elsere Marce, seu colis Deûm insulas
Mensis celebres, ac capace amystide,
Excludis omneis artuum molestias,
Quæ tot ab annis te arcuêre somnio:
Sive incola axis gemmei recens, caput
Illustre magnis adderis Quiritibus;
Admitte justa hæc facta Manibus tuis
Planctu insolenti, flebiliq́ue murmure.
Non ceu quietis gloriæque nos tuæ
Tantilla possit tangere invidentia.
Corde est adhuc tuus, tuusque pectore est,
Janus Gruterus: nec movere eum gradu
Integritatis ulla vel Mentis bonæ
Fortuna quibit; non si Olympi misceat
Ignes Stygis mari profundo, & ad chaos
Priscum reducat omne mundi hujus latus.
Virtus tua ingens parque ei eruditio
Nobis dolores atque luctus suscitat,
Crudos dolores atque luctus perpetes,
Velsere Marce, ob longulam hanc absentiam,
Quâ nos relinquis, orbitatis compotes,
Cæcis tenebris lucidisque noctibus.
Doctrina quippe, quippe Virtus ut tua
Regale terris abstulit procul jubar,
Germaniæ Sol occidit simul tuæ;
Doctosque cunctos ac probos, heu destinat
Cæcis tenebris lucidisque noctibus.
Illosque major quò terat crux, heu dehinc
Germaniæ Sol nullus unquam erit tuæ:
Nullus tuæ unquam Sol erit Germaniæ.

IV.

E Rgò jaces vili vix corporis umbra feretro,
Velsere? *at tecum lux quoq; nostra jacet,*
Te duce, Germanas quâ ibam velut alpha per urbes
Invidiâ major, major & exsilio.
Ah! ah! non ego nunc Hermæ talaria, Persei
Non ego nunc alas, curriculúmve Jovis;
Non ego nunc Veneris capiar considere bigâ,
Junonisve vehi, Delphicolæq; rotis.

Plutonis piceo magis optem insistere curru
Cornipedeisq; manu Nox regere atra tuos:
Squallidus ut pectus mentemq; & pullus amictum,
Velseri Augustam sistat ad inferias.
Non ut ibi lessus, velinania murmura sudem,
Dum populos lassat præfica, voxq; tubæ:
Sed rapiam Velsere *tuum celeri axe cadaver;*
Suppeditante suas heic mihi Amore manus.
Magne Cupido, Cupido *hominum impetrabile numen,*
Æternæ quos fax nutrit Amicitiæ;
Velseri exuvias stat olenti excludere cippo,
Aëris & medio dulce locare decus:
Dulce decus, curvo quod adorent poplite gentes,
Quotquot Sol oriens occiduusq; fovet.
Tu rege Ditis equos, tu lucis coge micanteis
Ore pati radios, purpureumq; diem.
Aeolidûmq; ubi transieris pomœria fratrum,
Vis ubi fulminibus, vis ubi nulla nivi est;
Velsero exonera plaustri curvamen, & ipsi
Inde suam, eia, animam, sitq; Cometa recens:
Stella, inquam, roseo fiat spectabilis ore;
Sed quæ nil tetricum crine mináxve ferat.
Tantum sub facie primâ aut meliore perennet,
Par bonitate Jovi Cyprigenæve, caput.
Usq; adeò exemplar stet ut omni nobile mundo,
Quod reliquas fonteis non sinat esse faces.
Hœdus & Arcturus mites reddantur ab illâ,
Sitq; salo Orion, sitq; solo æqua Canis.
Ipse gelu Saturnus, Ares ipse exuat æstum:
Cuncta Nape irroret, cuncta serenet Hyas.
Deniq; perpetuum toto Ver proferat Orbi.
Cui faveat semper Chloris, & alma Ceres:
Cui Pomona frequensq;, frequensq; appareat Evan,
Paxq; oleæ festum cincta virore caput.
Fallor? an aspiceris micidum jam alto aëre sidus?
Sive sit hoc, seu meme entheus error agit,
Præsidio Aönidum vives, Velsere, *perennè,*
Donec erit cœlum, sidera donec erunt.
Quâq; patet Nereo tellus circumflua, tete
Posteritas duplici nomine sera canet.
Nam quis te melior jus dicere civibus, atque
Haud dominum, sed eis exhibuisse patrem?
Nam quis te melior Cyrrhæ penetrare recessus,
Et meditari unctâ non nisi digna cedro?

Nam quis te melior? Sed jam mihi deficit; & ſic
Eſt quoq; vox meritis nulla ſat ampla tuis,
O Velſere: *es enim Oceanus decumanus honorum;*
Virtutis littus nec reperire tuæ eſt.
Salve igitur, longéq; vale, vale ô unice noſter,
Exemplumq; ſupra omne, Unio amicitiæ.

V.

ERgò jam ſucciſus atrâ falce Fati funditùs,
Omnium domi foriſque vir jacet virtutium?
Ergò jam *Velſerus* expers luminis Marcus ſui eſt,
Unde tot docti probique fœnerabant lumina?
Triſte fatum! dira Parca! ſic item cœli queas
Aſtra mille mille mille Sole in uno tollere:
Sic queas occidere uno Numina omnia in Jove.
Sic: ſed actum, imò peractum eſt. Sol periit Germaniæ,
Unioque Europæ, & Orbis cæteri Carbunculus.
Excidit Moneta regno prole cum ter triplici.
Excidit: ſed jam peractum eſt. Ergò Muſa, quod tibi
Relliquum unum eſt, ante fatum triſte; Manibus piis
Saltem amici luculenti, præbe te munem ac piam;
Præbe te piam atq; munem: idq; unum ubi peregeris.
Viva mortem obi videnſq;; mortem obi viva ac videns.
Dulce commori illi amico eſt optimo atq; maximo,
Optimo illi maximoq; commori vita altera eſt.
Digna ſed quæ munera ejus erues virtutibus?
Digna ſed quæ munera ejus erues ſcientiis?
Digna ſed quæ munera ejus erues adoreis?
Digna cuncta, indigna Marci ſunt piis virtutibus.
Digna cuncta, indigna Marci ſunt meris ſcientiis.
Digna cuncta, indigna Marci ſunt ratis adoreis.
Ergò quid? quid ergò? parce Muſa linguæ, os obſera
Muſa, nec vel ſyllabam ullam de palato proferas:
Sed comâ teſtata vulsâ, lacrimisque luminum,
Sed genis teſtata ſciſſis, lividoque pectore,
Sed piis teſtata palmarum artuumq; flictibus,
Cordis intimum dolorem, mentis ac vulnus ſerum.
Igne Velſeri rogali viva jungere ac videns:
Viva eia videnſq; jungere oſſeo cadaveri.
Dum cinis fiatis ambo; ſic ſed, ut circumflua
Turba colligat, nequire te illud ore ullo eloqui,
Orbis hic cui exprimendo vix quit eſſe ſat duplex.

VI.

Digna si Velsere, dignis obvenirent; non brevi
Iam recondaris sepulcro, plebis unus ceu fores:
Candidi ac fulvi coloris te metallum multiplex,
Gemma crebra te, unioq́ plurimus condat sinu
Delicato, ô Gemma, ô ingens Unio Germaniæ.
Et tamen si numine ullo prædita est Virtus, suos
Eruditioq́ mystas non relinquit mortuos;
Haud bibes, Velsere, Lethes pocula unquam, nec peplo
Totus involvêre Fati nigricante: sed velut
Sidus ingens, sidus igne liberali lucidum,
Orbe vives hoc & illo; sæculisq́ pluribus
Lingua docta, lingua nullo felle livida, haud minus
Te celebrabit coletq́, quâ mare exit ac subit
Lucifer, quâ solis æstus fervet, ac fervet gelu;
Quàm si Ionicæ Dianæ creditum templo inclito,
Candidi ac fulvi coloris te metallum multiplex
Gemma crebra te unioq́ conderet creber sinu
Delicato, ô Gemma, ô ingens Unio Germaniæ.

VII.

HOc ergò vili tegeris, *Velsere*, sepulchro,
Europæ ille prius totius almus honor?
Hoc, inquam, recubas tenui sub pondere saxi,
Qui tot eras Divûm vivus inante domus?
Ah! Parcarum expers debebas vivere: vel si
Cuncta suo tandem Mors fera falce metit;
Debebas saltem Pylii superare senectam,
Cumæasq́; dies vincere vatis anus.
Imò debebas potius, post secla volucris
Assyriæ, è proprio te reparare rogo:
Phœnicemq́; Orbi renovatum reddere, sicut
Orbis eras Phœnix totius ante vetus.
Id quamquam tibi vis Fati, *Velsere*, negavit;
Arbitrii ipsius non tamen omnis eris:
Sed tua te Virtus, tua te Doctrina per æthram
Remigio semper perpetuante vehet.
Te Virtus Doctrinaq́; ovantibus efferet alis,
Quaq́; oritur Titan æquore, quaq́; cadit.
Quamq́; diu Virtus vivet Doctrinaq́;, Phœnix
Per latus omne orbis hujus & hujus eris.

VIII.

DUm Mors dolet Livorq; Velſerum ſuis
Virtutibusq; atque eruditionibus
Illuminare Teutonum fuliginem
Caliginoſam, hic Sortis immiſit feræ
Altas procellas, illa Morbum, cui foret
Impar mederi dextera Æſculapii.
Oppugnat ergò, ecce, hic & illa viribus
Unum artibusq;, nec quietis quidpiam
Noctu diûve largiuntur; hinc duo
Unum opprimunt, nec opprimunt: nullam enthea
De mente dum ejus exprimunt victoriam,
Virtutibusq; atque eruditionibus.
Nunc, ut priùs, ſuæ præeſt Germaniæ.
Tantum trophæum ſpiritus de ergaſtulo
Macro excitatur, ipſe nam alite impetu
Se luminoſis floribus cœli intulit,
Pulcrumq; paret lacteâ Sidus viâ.
Io, io, triumphas morte de ipſa, de ipſo ovas
Livore Marce, hoc Oſculanum prælium eſt.
Livore Major, Morte major jam es: quia
Perſona non obivit, aſt infirmitas:
Promotus es, Velſere, fato, haud perditus.

IX.

CUi feſtâ genito Majeſtas Junoq; luce
Explicuit gremii molle calentis ebur.
Cui dedit infanti Pallas cunabula, mammam
Cui Themis exhibuit, Mnemoſydumq; parens.
Cui puero ambroſiam almus Honos, Aſtræaq; nectar,
Oſcula ſed tetulit millia mille Lepos.
Cui Cytherea adoleſcenti Parnaſia pandit
Antra, cui Bacchus Bellerophontis aquas.
Cui Phœbus, cui Muſa viro ter terna perennis
Adfuit, Atlantis cœliferiq; nepos;
Hoc canus nondum abriperis, *Velſere*, ſepulcro.
Gloria nempe Orbis heic jacet ante diem.

X.

OSsa Velſeri tuetur perpuſillum vaſculum;
Vaſculum tamen vocari perpuſillum ſi queat.
Quod Deos decem, decemq; continet ſinu Deas.
Quippe Suada, Gratiæq; quippe Comus & Jocus,

*** Et

Et Lepos Honorq́, nec non cum Pudore Delius.
Quippe Conſus ac Moneta, cumq́ filiâ Themis,
Et Minerva cum Cupidine, & Venus cum Atlantio,
Oſſibus ſe miſcuêre principis nutricii.
Vaſculum ergò perpuſillum nominari ſi nequit
Quod Deos decem, decemq́ continet ſinu Deas;
Oſſa Velſeri tuetur multiplex mundi orbita;
Oſſa Velſeri tuetur cælitum fulgens domus.
O novum fatum Orbis! Orbis ô novum miraculum!
„ *Urna parva, grande cœlum eſt: grande cœlum, urna eſt*
brevis.

XI.

CUncta ſunt repleta fraude, plena cuncta ſunt dolo;
Eque terra ad alta cœli Candor ac Fides abſit.
Nemini id fas eſt negare: ſed tamen ſi qua eſt Fides,
Si quis eſt Candor ſuperſtes noſtro in orbe, orbe impio
Prorſus ac vano, reſedit corde utrumq; adhuc tuo,
Marce, Velſere: hunc & illam mille epiſtolis mihi
Indicaſti luculenter, per recurſus bis decem
Solis atque Lunæ ovanteis: ô cor, ô mens, ô jecur
Clarius quovis criſtallo, clarius carbunculo!
O manus, ô dexteram, ô os igne magno fervidum
Multi Amoris, multi Honoris! ergò quid queam minùs,
Quam tibi modo viciſſim me exhibere mortuo,
Ipſe qualem te exhibebas vivus? haud is ſolum amor
Eſt habendus igne forti qui benignius micat
Quamdiu in vitâ eſt amicus, & perit cum mortuo.
Is mage eſt amor vocandus, qui faces quoque exſerit
Præpotentes, cùm cadaver factus eſt compar, nihil
Ætheri debens & aſtris. Candor, inquio, ac Fides
Vera adhuc vivit valetq; poſt ſuprema funera.
Ergò quid tibi ipſe quæſo, quid tibi ipſe debeo?
Imò quid non debeo ipſe, *Marce*, Manibus tuis;
Qui me amore, qui me honore proſecutus maximo es,
Per decem decemque meſſes? cuncta certè debeo,
Quæ poteſt debere amicus, quæque amicus non poteſt.
Cuncta debeo: at grave unde nomen hoc ſolvam
tibi?
Solvere id nullâ profectò eſt parte: non ſi defluat
Jura ſub mea unda Hidaſpis aurea, ac liquor Tagi
Fulgidi: non ſi uniones atque gemmas ingerat
Aequoris ſui univerſas terriquaſſatrix Thetis.

Digitized by Google

Ah quid, ah *Velsere*, dignum sit tuis amoribus?
Ah quid, ah *Velsere*, dignum sit tuis honoribus?
Vix sit iis sat unda, vix sit æthra, vix sat sit solum,
Vix polus, poliq; Divi, vix sit universitas.

JANUS GRUTERUS, JC. Antverp.
jure meritoq; Viro incomparabili dedicavit L. M.

MARCE VELSERE,

TE sortem, pium, beatum Cœlo receptum si lugeamus, nefas:
At publica damna, publicam jacturam nisi lugeamus, quantum nefas?
Tibi Religio, cui tu patronus, pietas, cui tu vindex, studium Boni & Aequi, cui tu assertor nuper fueras, certatim funus ducunt.
Dicunt tuas laudes, uno ore, Modestia, Candor, Ingenuitas.
Tibi patria effusis comis demisso vultu lacrumabunda præfert clavum solutum, fasces inversos.
Ponit eadem tibi titulos amoris & Caritatis supra omnia exempla,
Titulos lectissimi Civis, qui patrem induerat:
Titulos optimi Patris, qui Dominum exuerat:

Merito Merito

Te Germania sidus suum sibi extinctum:
Te Italia alumnum suum sibi ereptum justissimis fletibus conqueruntur:
Subeunt feretrum tuum Fama per te constantior,
Honos per te illustrior,
Virtus per te nobilior,
Gloria per te solidior.
Te illæ tibi congenitæ, illæ tibi coalitæ solertia & elegantia florem ingeniorum, Suadæ medullam, fastigium literarum fuisse, notis perpetuò mansuris conditorio inscribunt.

Ah nimis ex vero illud fuisse!

Fuisti enim, & tecum unà fuerunt, Deliciæ, Lepores, Veneres sobriæ & castæ eruditionis, vis doctrinæ, pondus sapientiæ, quæ tu aliò migrans tecum extulisti omnia.
Heu perniciem! Heu cladem!
Heu nos in tuâ felicitate infelices!
Studia laudata, artes ingenuæ, Thesauri eloquii, & mentis æternùm abiistis; Philologia, Musæ, Charites, æternùm periistis.

LAURENTIUS PIGNORIUS, Patrono & amico optimo, inferias calamo solvebat XVI. Kal. Aug. M.DC. XIV. Patavii Euganeorum.

Excerpta è Sylva D. BENEDICTI SOSSAGI Insubris,

ECce Palatinas doctis probat auribus arces
Velserus, quo jam pridem Germanica tellus
Attollit cœlo fœlix caput, atque minorem
Italiam tanto despectat Rhenus alumno,
Sublatisq; fremens perfundit cornibus Urbes.
- - Nemorum *Feronia* præses
Et syncera Pales, Sylvanusq; arbiter Umbræ
Obstupeant tecum, & latè mirentur amica
Robora secta manu, libabunt oscula Nymphæ
Arboribus cæsis, tua totq; illustria facta
Sæpè legent oculis, & mecum ad sydera tollent,
Velserum passim resonare per avia discent
Insubrum montes, *Velserum* sylva loquetur.
Velserum fluvii, rupes, vaga nubila clament.
Intereà me nulla tui lux arguet unquam
Immemorem: priùs æstivis immugiet Austris
Caucasus, ante premet Libyæ deserta Boötes.
O quando niveam roseis Titonia lucem
Maturabit equis, notos qua denique vultus
Hauriam, & intenta possim bibere aure loquentem.
Non lateri patiar divelli, non tua nostro
Pectore labetur facies, sed mente sub alta
Hærebit penitùs longo indelebilis ævo.
Si verò ante tuos conspectus nescia flecti
Mors immaturo rumpet mihi funere vitam;
Ilicet hæc anima abruptis compagibus ad te
Emicet, & propiùs divina tuebitur ora:
Durabit gelida tecum irrequieta sub Arcto.

Ejusdem.

- - Ah vos abscindite saltem
Aërii Montes, quibus insedêre potentes
Vindelici, saltem nostras descendite in oras,
Et veterem mutate situm, confinia saltem
Jungite, & Insubriæ *Velserum* immittite terræ
Vindelicis mixtos Insubres. Utraque tellus
Una sit, atque Lyco fraternas misceat undas
Abdua, gurgitibus sociis duo flumina currant.
O quoties oculorum aciem convertere ad oras
Arctoas juvat, & Borealia sydera visu
Dulce sequi, quamvis spacioso tramite cœli
Caligent oculi, vincantur & aëre longo.

Oppositos

Oppoſitos quoties immani vertice montes
Adverſos humeros, laterumq; opponere molem
Indolui, charasq; oculis avertere terras,
Quin etiam ſtudio tete, *Velſere*, tuendi
Mente pererratos compellor diſcere mundos,
Quos manus exiguo pictoris claudere gyro
Auſa fuit, pictasq; animare coloribus Urbes.
Inter tot populos, inter tot regna, tot Urbes
Tu tantùm, *Velſere*, lates, nec te mihi ſaltem
Crudeles referunt tabulæ, nec pictor adumbrat.
Proximus hærerem lateri, propiùsq; tuerer
Ut te Vindelici Proceres, utq; ambiat omni
Prole Lycus, denſo ſtipet Germania cœtu,
Et circumſeptum trabeis *Auguſta* coronet.
Ut ponas Leges populis, culpasq; ſerenâ
Fronte domes, nec ſydereos vis ignea vultus
Aſperet, aut oculis tranquillos turbet honores.
Non auri maleſana fames, non gratia flectat
Ignaros animos, & neſcia pectora lucri.
Ut Tu Tartareas peſtes detruſeris Orco
Luxum, fraudesq; & maculoſum carcere cæco
Clauſeris omne nefas, veteres revocaveris artes,
Et niveos mores invexeris, ut tibi crebros
Ingeminent plauſus cives, colleſq; remittant,
Forſan & hæc audax æquarem facta canendo, &c.

Idem.

Adſpires mihi tu, *Velſere*, perennibus auris:
Aurum quippe tui nominis aura dabit.
Ergò fove patriis Phœbeas artibus arteis:
Inde tui me me ſanguinis eſſe probem.

Atque hæc quidem cIↃ. IↃ. C. VII. ſuperſtite adhuc VELSERO à SOSSAGO ſcripta, quæ his adnectere viſum

CL. V.

GEORGIO REMO JCto.
Conſiliario Norico.

Quid REME, ô columen DICES,
REME ô NORIACI Conſe Synedrii,
Cordis dimidium mei,
Et rebus dubiis cognite plurimùm,
Et latis quoq; plurimùm:
Quid deſiderii vulnera frica
Obducta heu leviter modo?
Sicne unguem tenero figis in ulcere,
An viſus meus eſt dolor
Tracto jam fieri tempore languidus,
Et, ceu ſat lacrymis datum
VELSERO fuerit, carmina poſtulas?

Quæ laudes meritas viri
Virtutum & ſolidum commemorent
Non, non: quin dolor acrius (decus.
Scindit cottidiè pectoris intima:
Ægrâ ſollicitudine
Semper cura iecur dilacerat retens.
Non ſtenda hæc brevibus viri
Jactura eſt lacrymis, qui propius ſuo
Contingens animo DEUM, illuſtravit Patriam mentis acumine,
Et ſcriptis Patriæ decus.
Quæ terrâ egregiè geſſerit aut
Pacem & prælia dicere (mari;
Auſus Vindelicûm, Bojici item ſoli.
Doctorum Pater unicus,
Phœbus Pieridum, qui & Charitum
Pondus corporis exſuit, (fuit.
Liber remigio vectus in æthera
Diæ mentis & ingeni,
Quà per ſideream lacteus enitet
Noctu circulus orbitam;
Ipſus ſideribus nunc magis omnibus
Sidus conſpicuum nitet
Divûm concilio redditus, atque ibi
Nectar perpetuum bibit
Et ver perpetuum cum ſuperis agit.
At deſiderium ſui
Leſſumq́ & lacrymas, cordolium
Nobis liquit & omnibus (merum
Virtutem pretiis qui reputant ſuis.
Qui dona ingenii ſtupent
Velſeri Patriæ luminis & Patris.
Incaſſum at queruli diu
Sublatum ex oculis quærimus heu
Nec ſi viſceribus dolor (virum!
Tamdem deſineret, mœſtitiæ dies
Si pauſam faciat, tamen
Sudores hominis carmine didere
Non eſt ingenii mei,
Nec Muſæ hic operam ludere me ſe-
GRUTERIUS faciat meus, (rant.
Pater Pieridum, frater Apollinis:
Aut REMUS faciat meus.
Cujus ſtat niveo vertice laurea,
Pulchrum munus Apollinis,
Qui faſceis etiam ſubdidit huic ſuos.
Semones mihi ſeculi
Suſpexiſſe datum eſt altius, haud loqui.
Sic ſalve ô columen DICES
REMÆ, ô Noriaci Conſe Synedrii.
Cordis dimidium mei,
Et rebus dubiis cognite plurimum,
Et latis quoque plurimùm,
Et rectè valeas uſque tibi ac mihi.

MICHAEL PICCARTUS FRANC.

Aliud.

AUguſtâ, fateor, vix quicquam auguſtius urbe eſt,
Quæ ſic Vindelicos inter honora micat,
Lucidulos inter pictaï noctis ocellos
Ceu Phœbes pleno lumine fulget honos,
Utque alto feriens Urbs Norica vertice cœlum,
Teutonicis latè ſplendet & ipſa plagis.
Sed tamen Auguſtæ fors mœnia deſtruet olim,
Cui ſenſim cedunt omnia, tempus edax.
At quæ, *MARCE*, tibi victuris condita chartis
AUGUSTA, haut ullâ eſt interitura die.
Jure igitur totum volitat tua fama per Orbem,
O patriæ columen grande decusq́; tuæ!
Jure tuos celebrat manes nunc doctior Orbis
Poſt cineresq́; viget gloria, vivit honos.

Michaël Virdungus f.

Aliud.

AUGUSTÆ, *venerande decus*, VELSERE, *ſenati*,
Cui Sophiæ dulci lingua madet latice.
Quæ tibi ſe inſinuat nunc Mors, & te invida terris
Surripit & geſtit jungere Cœlitibus;
Ut Sophiæ Themidoſq́; piæ reſponſa poteſſis
Tradere Cœlitibus, maxima cura Jovis?

O reſpon-

O responsa tua! Scripta ô dignissima Cedro!
O docta! hausta puto Mercurii è cerebro.
Hæcce vehunt niveis nomen tuum ad astra caballis;
Terraï recinunt omnibus inq; plagis:
O salve, VELSERE, *ter inclute* MARCE, *valeq;!*
O tellus mollis contegat ossa tua.

Georg. Mundius, Francus.

ALIUD.

VIrtuti debentur eburneus axis, & albi
Equi, atq; honos triumfi.
VELSERO non Vindelicûm mihi doctior alter,
Fors nec cluebit olim.
Marcus ἀμιμήτῳ calamo, si nostis, Amici,
Civesq;, quotquot estis,
Vindelicas ivit res sedulus illustratum;
(*ATE* calumniatrix
Quicquid garriat, aut obganniat, oblatretvè:)
Præcone non egebit
URBS alio Patria. Hoc meritorum plus satis exstat.
Opus perenne durat.
Cetera prætereo diis memoranda Poëtis,
Quæ posteris sacravit.
MANIBUS ergò piis solvamus justa, favillæ
Terram levem adprecati.
Sedibus ætheriis immixtus, *MARCE*, quiescas,
HAVE, *VALE*: vale ævúm.

Hoc quicquid est metrorum, TIBI, *Historicorum Principi & Patri,* MARCE VELSERE, *patriæ sidus illustre, adeoq; orbis eruditioris decus immortale, ob reconditam admirandamq; doctrinam, quam Justus Lipsius, ocellus Europæ, M. Freherus, Scip. Gentilis, Andr. Schottus, I. Douza, F. I. Gruterus, L. Pignorius, alii sexcenti, totusq; τῶν συναριθμίων Senatus in Cœlum laudibus evexêre, quam divinis ingenii monumentis prodidisti, cui paria nemo civium fecit: anne faciet quisquam? ambigo:* TIBI, *inquam,* VELSERE *næ* MAGNE,

ΣΥΜΠΟΛΙΤΗΣ, καὶ φίλος πάλαι πιφαλὴ,

Tuus ebeu GEORGIUS REMUS; LUB. MER. *ac mœstiss. affectu puro cano pectore posuit, dum Cives, exteri, amicive potiora-pretiosiora parent;* QUID? *Te Pario marmore ærevè Corinthio sistant,* VIVET, VIVET *tua fama, honos, nomen tuum,* VELSERE, *seros ad Posteros, dum Bonæ Litteræ erunt, dum Historia vivet, dum Gratiæ cum Musis & Apolline doctos complectentur viros: dum* AUGUSTAM VINDEL. *rapidus ille Lycus alluet, & in* ISTRUM *fluviorum maximum, exonerabit,*

Alpesq;

Alpesq; nivibus canescent. Sed molestus ne sim; æternum vale: vale æternum.

VIVITUR INGENIO:
Huic stat sine morte decus.

Elogia Justi Lipsii, Freheri, Douzæ & aliorum, quibus exornatunt Velserum vivum, passim in omnium manibus versantur; Petas (qui voles & si libido,) ex Epistolis Lipsianis, Carminib. Douzanis, &c.

Cenotaphium Velseri.

PRo re pauca loquar: jacet hâc VELSERUS *in urnâ;*
Astræa, Charitum, Mnemosynesq; jubar.
Vir; quo nec quis erat, nec erit, (sit gratia dictis!)
Consiliis melior, moribus, arte, stilo.
Chr. Hœfflichius P. L. facieb. Norimb.

CATALOGUS LIBRORUM,

Quos partim M. VELSERUS edidit; partim edendos procuravit novos; aut veteres politiores, emendatioresq; dum contulit Symbolam, Editiones ope consilioq; juvit, auctoritate, auspiciisq; suis prodire jussit, voluitq;.

RErum Augustanarum Commentarii, Venetiis & Francofurti editi.
Annales Bojorum, Augustæ excusi.
Opus inscriptionum Vetustarum, à Jano Grutero collatum.
Annæ Comnenæ Historia Græca: &
Procopius, Græcè, operâ D. Hœschelii:
Itemque Hieroglyphica Horapollinis: ejusdem studio.
Demosthenis & Aristotelis Paralleli, And. Schotti opus.
Tabula Itineraria antiqua ex Bibliotheca Peutingerana.
Publii Optatiani Porphyrii Panegyricus Constantino Magno dictus.
Rabani Mauri Opus singulare.
Historia Apollonii Tyrii.
Historia Eugippii de S. Severino Noricor. Apostolo.
Vita D. Ulrici.
Conversio & passio S.S. Martyrum, Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, cum Commentario M. Velseri. Venet. 1591. apud Aldum.
Photius, Græcè & Latinè, Operâ Hœschelii & Andr. Schotti, Augustæ editus.

Synopsis

Synopsis Conciliorum VII. œcumenicorum, è Bibliotheca Aug. Græcè.

Gennadius Scholaris, Patriarcha Constantinop. de Prædestinatione, Græcè.

Vita Antonii Eremitæ, à D. Athanasio scripta, Græcè, Latineq́;

Adriani Isagoge S. literarum, Græcè; Augustæ V.

Phrynichi Epitome dictionum Atticarum, cum Notis.

Philonis opuscula prius ἀνέκδοτα, è Bibliothecâ Aug. & Andr. Schotti.

Siracides è m. s. cod. Augustano.

Jambi Naz. ἔπη πανυμνῶν, & alia ejus poëmatia.

Geographica opuscula Marciani Heracleotæ, Scylacis Caryandensis, Dicæarchi Messenii, Isidori Characeni, &c. Græcè. Augustæ.

Appiani Illyrica, è Cod. Aug. Græcè, quorum anteâ non nisi extabat fragm.

Eclogæ legationum Dexippi, Eunapii, Petri Patricii, Prisci Sophistæ, Malchi Philadelphiensis Menandri Protectoris, Græcè.

Alia pluria Græcorum Patrum: imprimis Gr. Nazianz. Nysseni, Basil. M. Jo. Chrys. & Homiliæ non paucæ.

Laurentii Pignorii de Servis.

Ceterum natus est M. Velserus Salutis anno cIↃ IↃ LIIX. XII. KL. Quinctil.

Idem denatus Gratiæ anno, cIↃ IↃ CXIV. IX. KL. Quin.

Icona Velseri non exhibemus: quod se neq́ fingi neq́ pingi unquam passus sit: sed ex animi dotibus se æstimari, & scriptis cedro lini dignis de se judicare mortales voluerit. Fallax est cælum glyptarum pictorumq́ peniculus: fit, ut Thersites pro Nereo sæpe numero venditetur, pro Helenâ non rarenter Hecuba obtrudatur. Evolve Rer. Commentarios Vindelic. evolve Velseri *Boica, quantus vir fuerit, perspicies: neque scrupulosius (aut fallor) de fronte, oreq́ toto, quo fuit liberalissimo compositoq́ vultu Velserus, inquires. Sedentur alii hoc ad immortalitatem nominis compendium fragile ac lubricum. Quin capita vilia sibi viam sternunt hodie ad famam, Apellis aut Lysippi opera: non hoc cordi aut volupè fuit nostro Semoni, qui eruditionis suæ remigio astra petivit: cujus virtutes fama loquetur anus: ringatur, rumpatur invidia:* Sed, Tu Livor, post fata quiesce: quiesce, & rumpere. Expliciunt justa.

CENSURA.

Carmina hæc exequialia cedro, nec dum typis plumbeis digna, nî publici juris fiant, Remp. litterariâ detrimenti quid capere censeâ.

M. MELCH. RINDERUS, Norimb.

****

ELO-

ELOGIA
VELSERIANA
VIRORUM ILLUSTRIUM.

JUSTUS LIPSIUS.

In Musis Errant. pag. 54. & 55.

MARCE, diſpeream, niſi inter omnes
Quos amo, te ego amo: idque jure ſive
Virtutem videam tuam, aut amorem.
Virtus, Solis ad inſtar: illa lucet:
Nec tuæ modò Rætiæ, ſed omni,
Quàm lata eſt, Alemanniæ, & propinquæ
Galliæ, Italiæque Iberiæque.
Addamne ipſam Aſiam? addere hanc quoq; auſim.
Et ſplendor tuus ora inhoſpitalis
Ponti percutit, ipſaq; urbs Byzantis
Te novit ſimul & colit merentem.
Quid jam porrò ego debeo? qui amorem
Tam largum mihi candidumque defers.
Certè debeo, quod nec ulla lingua,
Quod nec concipere ipſa mens potiſſit.
Ergò me tibi ſiſto mancipandum:
Et habe tibi, quidquid eſt, eritque
JUSTUS LIPSIUS, hoc ab ævo in ævum.

TOBIÆ SCULTETI I. C. ac CONS. CÆS. PARODIA.

VIX Roma tantis ſoſpes ab ignibus
Sibi ipſa credit: tam lepidè omnia
Redegit in priſcos decores
Verus hic Italiæ ruentis
Aſſertor: etſi *Scaliger* hinc ſuam
Fert jure partem; nec minus incluta
Debetur, ob jus auſpicale
VELSERIO capiti Corona.

ANTONIUS MAUCLERQUIUS.

AC *Janus Quadrifrons* eſſe, gemente vel
Ter triſti invidia: præcipuè decus,
Suſtentante tuum grande *Duumviri*
Illis Cecropidum ac Romulidum rei:
Planè *Scaliger* hinc dum juvat, hinc ſuis

VELSE-

VELSERUS ſtudiis, auſpicio pari;
Theſeus unus adeſt, alter & Hercules.
Quos dum cogito; non amplius iſtius
Molem ingentem operis, comparo Sæculi
Miraclis veteris ſeptem: id Olympicum
Sed cœlum potius dixero: quia id eſt
Cœlo Cœlum etiam majus Olympico,
Quod tanti ille *Duplex* æſtimii putas
Atlas, ut humeris ſuſtineat ſuis.

CUNR. RITTERSHUSIUS,

De

OBITU FULVII URSINI ROMANI,

Ad

ILLUSTR. MARCUM VELSERUM REIPUBL. AUGUST. II. VIRUM.

TE quoq;, quem impoſitũ fulgenti Gloria curru
Pieridum haud vulgò per loca nota rapit,
Auguſtâ, VELSERE, nihil quo Auguſtius Urbe
Jurat ſe Aonidum noſſe loquive Chorus,
Vidimus humenti tergentem lumina dextra,
Dum deſiderio carperis icte pio,
Suſpirasque tuos luctu deperditus ignes,
Et bona, quæ pariter commoda Mors rapuit:
Ità bona, præ quibus ignores Jovis altitonantis
Nectareos latices Ambroſiasque dapes.
Vivebat quippè ille tibi notiſſimus, & tu
Pendebas veris, hæc bona ponderibus.
At nunc parce oculis tandem, VELSERE, fugato
Et gemitu pectus ſolve age lætitiâ.
Hem, luctum qui mutet adeſt in gaudia, præſtetq;
Ubertim Urſini funere damna data.
Gruterus, cujus cata mens opus arduum & ingens
Molitat, à tenebris vindicat atque ſitu.

IDEM POST PAULLO:

QUod facis, huic, VELSERE, operiq; viroq;
faveto,
Præbet cui liquidum & *Scaliger* auſpicium.
Sint modo Patroni ſtudiis, artesque vigebunt:
Urſinosque etiam Teutonis ora dabit.

IDEM

In Elegia, pro Criticis Operibus Gaſp. Schoppii:

SIve tua, VELSERE, Auguſtæ qui Pater Urbis,
Conſul conſiliis hanc regis usque bonis:
Qui tàm multa tenes antiqua, ſepulta, vetuſta,
Ut ſtupeat meritò, qui tua ſcripta legat:
Annales Patriæ clara qui in luce locaſti,
Optime Bojaricæ conditor Hiſtoriæ.
(Verùm ego quò laudũ feror abripientibus undis,
Quæ condignè aliud dicere tempus erit.)

JOHANNES MEURSIUS.

JUpiter æternam Veneri promiſerat Urbem,
Cœperat ille tamen penè carere fide.
Nam miſerè collapſa, ſuâque ſepulta ruinâ
Nunquam poſſe caput tollere viſa fuit.
Quæq; tot attulerant extremam gentibus horam,
Fata timebantur conteritura ſemel.
Et meritò, ſi non aut enthea Scaligeri vis,
Labentem prompta ſuſtinuiſſet ope.
Aut tua per ſeros pietas memoranda nepotes
Maxima Vindelici gloria MARCE ſoli.
Aut etiam flagrans ſollertis cura Gruteri,
Quem tenero eduxit Calliopéa ſinu.

PETRUS SCRIVERIUS.

RElliquiæ ſuperant: ſed quas quoq; tollere Tempus
In barathrumq́; Ignes, vel dare Bella queant:
Ni vetet antiqui reparator Scaliger ævi,
VELSERUSQUE atavis nõ minor ipſe ſuïs.

HUGO GROTIUS.

Quæ prodeunt auſpiciis SCALIGERI & VELSERI.

ATtu, ſupremum *Stirpis Antiquæ* jubar
Alumne Cœli, *Cæſaris Magni* genus,
Qui das vetuſta poſt-futuris ſecula
Bataviæque gentis Eoæ tonos,
Polumque terris, teque nobis, dum licet
Succurre Mundi *Scaliger* damno. Tuum
Te Tempus audit. Te decet Luſtris dare
Leges, & annis. Ille felici manu
Ferventis Ævi raptus ex *Incendio*
Theſaurus, Orbis naufragi lectæ tuâ

Dextra

Digitized by Google

Dextrâ Tabellæ, parq; VELSERI labos
Perosa dudum clauſtra privati Laris
Ibunt in auras, Regna ne poſthac ferant
Nocturna, ſeq; mancipabunt publico, &c.

JANUS GRUTERUS.

In novam Photii editionem Auguſtanam.

HOeſchelii gemino nam perſuaſere Patrono,
Æquoris Hœſchelium per vaga terga ſequi.
VELSERO reſidere datur Cythereide concha,
Non modo uti conto tentet iniqua vadûm;
Vocis at & ſuæ dia dulcedine, cæte,
Neptuniq; feras non ſinat eſſe feras.

Tandem Is longiſſimam elegiam ſuam his obſignavit verſiculis:

Te te præcipuè celebret, VELSERE Duumvir,
O Patriæ jam non unio vere tuæ,
Totius aſt Orbis quacunque vigentibus alis
Enceladi & Cœi regnat opima ſoror.
Non quod avis proavisq; potens, & divite cenſu,
Non fratrum niteas quod potiore choro;
Sed mage, quòd colis ingenuas inſigniter artes,
Hujus ſupra ævi præteritiq; Viros;
Sed mage, quod legis Hiſtorias genus omne vetuſtas
Quasq; tulit Latium, Græcia quasq; tulit:
Sed mage, quod columen vatum culmenq; vocari
Non pudet, id titulis ſed titulum eſſe putas.
Macte animis, MARCE ô iſtis VELSERE per Orbem,
Ob quos es Phœnix Ordinis une tui.
Sintq; alibi ſanè, qui vena ſanguinis alta;
Sint auri certent qui potiore modo.
Sint, qui præcellant numero graviore clientum
Atque aliis, quorum ſors mera habetur herâ;
Dummodo tu præeas doctrinæ fulgure cunctos,
Ingeniique palam luce perenne premas,
Qualiter aut roſa flos urticæ ignobile germen,
Qualiter aut adamas turpia fruſta molæ.
Hæc verè tua ſint, tua ſint hæc, Fortunarum,
VELSERE, unde nihil arroget ulla ſibi:
Unde nihil laudis communicet ille veliſte,
Unde nihil poſſit demere & ipſa dies.
Non ſi Mulciber Oceanusq; eat omnis in unum,
Mavortisq; inſtet hinc furor, inde Jovis.

JAC.

JAC. BIDERMANUS è S. J.

Lib. III. Epigr. XXXVI.

MARCI VELSERI

eruditissimæ epistolæ:

PYrrhus Erythreo quoties digitum induit auro,
Vidit in aspecta totum Helicona manu:
Parvus enim palæ in gremio lucebat Achates,
Phidiacus poterat quem secuisse labor.
Non eguit sectore lapis, natura sed illo
In lapide est cælo doctiùs usa suo.
Namq; ibi gemmatas Heliconia turba sub umbras
Propria cognatis abdidit ora notis.
Musicus in bacca Phœbus requievit eadem,
Facundoq; suum pectine mulsit ebur.
Hæc Pyrrhi non pala mihi, sed fabula visa est;
Fabula jam tandem desiit esse mihi.
Nam tu, MARCE, doces hodieq; hanc vivere gemmam:
Signat enim chartas annulus ille tuas.

BENEDICTUS SOCIAGUS,

DOCTOR COLL. AMBROS.

AD

MARCUM VELSERUM.

Libr. Epigramm. pag. 171. Mediol. An. 1616.

JUsserat intonsi genitor me devia Pindi,
Inq; salutatas deseruisse Deas.
Quis tibi nate furor primævum absumere florem,
Dixerat, & cantu continuare dies;
Ah ego si possem tali pubescere vultu,
Gorgoneo valeat potus ab amne liquor.
At juvet assiduis legum impallescere chartis,
At juvet in medio dicere jura foro.
Tu mihi VELSERI *doctos irrepere saltus*
Auctor, & Aonio mergere fonte sitim.
Ergo fove patriis Phœbeas artibus artes,
Mi fuerit certè mens tua mente Patris.

ANT.

Digitized by Google

ANT. QUÆRENGUS,

ad Vitam

Joh. Vincentii Pinelli, Patricii Genuenſis,

Auctore Paulo Gualdo, Patricio Vicentino ſcriptam, curaque ac beneficio *M. Velſeri* Aug. Vind. editam.

Gloria Germanæ gentis Te VELSERUS heros,
ante alios per docta Virûm
agmina dimittat celebrans: illo auſpice tutam
ad Gades, ad Bactra viam
carpe volans, famæq; diu te crede vocanti, &c.

PHILIPPUS MENZELIUS P. L.

Medicinæ Doctor & Profeſſor Ordinarius Acad. Ingolſtadienſis, in Carmine ad Jac. Gretſeri S. J. tomum ſecundum de S. Cruce.

——— tum Vindelicorum
Nobilis illa Auguſta, potens opibusque virisque,
Et pacis ſtudiis, & recti inſignis amore,
Marce tuum, Velſere, ſolum natale, tuæque
Patritio quæ conſurgit de ſanguine gentis.
Salve, Marce, Decus Patriæ, virtutis ocelle,
Doctrinæ columen, Graji Latiique lepôris
Candide flos, lux Hiſtoriæ clariſſima Bojæ.
Cui pietas ignota tua eſt? cui pectoris ardor
In Muſas? ſtrepitu licet obturbante forenſi,
Hinc atque hinc curis, ad commoda publica natus,
Nocturnis agitere frequens: agitere diurnis.
Multa tibi debent, Muſarum ſacra ferentes,
Ob meritum in commune alii: ſed plurima longè
Gretſerus ſeſe ante alios debere fatetur.
Nam ductu, ſtudioque tuo, non pauca tenebris
Eruit, eſtque adeò Græca exemplaria nactus,
Abdita theſauris, ævoque inviſa priori,
Nec deinceps, (nî tu faceres) fortaſſe videnda.
At quò, Marce, tuæ ſuccenſum laudis amore
Me rapis? O mentem Superi dent pluribus illam,
Ut faſtu procul inſano, livoreque caſſi;
Quæ ſervant tineis, quæ longi dentibus ævi,
Doctorum monumenta Virûm, non edita luci,
Laxatis ultrò pedicis, & carcere rupto,
In vulgus prodire ſinant, uſuque ſecundo,
Qua licet illuſtrent humanæ commoda vitæ.
Gratia theſauri quænam queat eſſe ſepulti?

MATH.

MATTH. ZUBERUS
MARCO VELSERO,
Patritio, & Duûmviro Augustano.

Part. 1. Poëmat. p. 99.

SI quis muneribus cupiat contendere tecum:
Audeat ille etiam Carmine, quando placet.
Nullus ego ambobus, vinciq; paratus, honorem
Do, Velsere, tibi; juncta Duûmvir habes.
Vilia cur igitur mittamus Carmina, quæris?
Credimus Alcinoo poma fuisse data.

IDEM EIDEM

SI magni stirpem facimus, Velsere, beatum
Cur non te liceat dicere? Nobilis es.
Si magni linguas, majoris pendimus artes:
Humanis major rebus, acuta sapis.
Si miramur opes, Patriæ si munia, dives
Consul es, & Cives Judice-lege regis.
Hæc in te valdè sunt pulcra, at pulcrius hoc est,
Inter quòd fastu tam bona magna cares.

MARCI

MARCI VELSERI
RERUM
BOICARUM
LIBRI QUINQUE.

Historiam à gentis origine, ad Carolum M. complexi.

*****

PRIN-

MARCI VELSERI
RERUM
BOICARUM
LIBRI QUINQUE.

Digitized by Google

PRINCIPES BOICI.

QVi quáue sive apud Bojos, sive exteros dominati sunt: tum plerique qui hos, sive sanguine sive affinitate, attigerunt. Intermixtis qui Bojis exteri imperarunt. Utrobique interdum conjecturis indultum, quarum rationes explicata.

Libro primo.

SIGOVESUS. *pagina.* 5.
BRENNUS. 7.
ATES & GALATUS. 12.
BRITOMARUS. 18.
GARGENUS. 19.
MATALUS *sive* MAGILUS. 21.
CHRIXUS. 22.
DUCARIUS. 23.
CAROLAMUS. 29.
DORULACUS. 30.
BOJORIX, CUM DUOBUS FRATRIBUS. 31.

Libro secundo.

Quibus T.B. *additum, Tolisto-Bojos spectant. Quibus* M. *Marcomanos, sub quorum nomine Boji aliquamdiu latuerunt.*

THESSALONUS, *sive* THESSALORUS. 38.

T.B. TOLISTUS, *sive* TOLISTO. *38.*
T.B. ORTIAGON. *40.*
T.B. CHIOMARA, *Ortiagontis uxor. 41.*
T.B. PÆDOPOLITES, *Ortiagontis filius. 42.*
T.B. SINATUS & SINORIX. *ibid.*
T.B. CAMMA, *Sinati uxor. ibid.*
CLONDICUS. *44.*
BOJORIX. *46.*
T.B. DEJOTARUS. *47.*
T.B. BOGO-DIATORUS. *ibid.*
T.B. ADO-BOGION. *ibid.*
CRIXUS. *48.*
T.B. DEJOTARUS, *Deiotari filius. 53.*
T.B. STRATONICA, *Deiotari majoris uxor. 53.*
T.B. TARCUNDARIUS CASTOR, *Deiotari majoris gener. 54.*
T.B. CASTOR, *Tarcundarii filius, Deiotari majoris ex filia nepos. 54.*
T.B. BROGITARUS, *Dejotari majoris alter gener. 55.*
T.B. CASTOR, *Dubium an idem cum superiore. 56.*
T.B. AMYNTAS. *ibid.*
T.B. M. LOLLIUS. *ibid.*
T.B. BOAMUNDUS & INGRAMUS. *ib.*
CRITASIRUS. *57.*
M. MAROBODUUS. *58.*
M. CATUALDA. *62.*
M. JUBILLIUS. *63.*
MARICUS. *ibid.*
M. TUDRUS. *64.*
T. AURELIUS FULVIUS BOJONIUS ANTONINUS PIUS. *64.*
M. AURELIUS BOJONIUS ANTONINUS. *ibid.*
FULVIUS BOJUS. *66.*
M. SALONIA PIPARA. *ibid.*
M. ATTALUS, *Saloniæ pater. ibid.*

ADAL-

ADALGERUS. 67.
M. FRITIGIL. 69.
KREINHILDIS, *Bojorum reguli filia, Attilæ uxor.* 71.

Libro tertio.

Quibus B. P. *additum, Boicæ principatum tenuere.* *Quibus* L. R. *Langobardorum Reges ex Bojis fuere.*

B. P. THEODO, AGILOLFINGORUM PRIMUS. 77.
B. P. UTILO, &
THEODO VACARUS, *Theodonis primi filii.* 84. 96.
B. P. THEODIBALDUS, *Theodonis Vacari filius.* 95.
B. P. GARIBALDUS, *Alienus ab Agilolfinga familia, ut videtur.* 98.
THEODELINDA, *Garibaldi filia, Autharis uxor.* 100.
GUNDOALDUS, *Garibaldi filius.* 101.
GRIMOALDUS, *Garibaldi filius.* 101.
B. P. THASSILO, *Theodibaldi filius.* 101.
GAILA, *Gisulfi filia, Principis Bojorum uxor. Incertum an Garibaldi secundi.* 108.
B. P. GARIBALDUS SECUNDUS, *Thassilonis filius.* 108.
GUNDOBERTUS, *Gundoaldi filius.* 109.

Libro quarto.

B. P. THEODO TERTIUS. 110.
REGINODRUDES, *Childeberti an Theodeberti filia, Theodonis tertii uxor.* 110.
B. P. THEODIBERTUS, *Theodonis tertii filius.* 113.
B. P. HUGIBERTUS, *Theodiberti filius.* 116.

PLECTRUDIS, *Hugiberti filia, Pipini Heriſtalli uxor.* 116.
RODOALDUS. 117.
AGILOLFUS. 117.
B. P. THEODO IV. 119.
UTA, *Theodonis quarti filia.* 119.
LANTBERTUS, *Theodonis quarti filius.* 120
L. R. ARIBERTUS, *Gundoaldi filius, Garibaldi nepos.* 121.
L. R. PARTHARITUS, &
L. R. GUNDEBERTUS, *Ariperti filij.* 121.
RODELINDA, *Partharitiuxor.* 122.
SOROR PARTHARITI & GUNDEBERTI, *Grimoaldi uxor.* 122.
L. R. CUNIBERTUS, *Partharitifilius.* 125.
HERMELINDA, *Cuniberti uxor.* 126.
L. R. LIUTBERTUS, *Cuniberti filius.* 130.
L. R. REGINBERTUS, *Gundeberti filius.* 130.
L. R. ARIBERTUS, *Reginberti filius.* 130.
S. PETRUS, *Liutberti conſanguineus.* 131.
B. P. THEODIBERTUS II. *Incertum an Theodonis quarti frater.* 131.
GUNDEBERTUS, *Reginberti filius, Aripertifrater.* 132.
REGINBERTUS & DUO FRATRES, *Gundeberti filij.* 132.
GUNTRUDA, *Theodiberti ſecundi filia, Luitprandi uxor.* 132.
B. P. THEODO V. 132.
B. P. THEODIBALDUS, *Theodonis quinti filius.* 133.
B. P. GRIMOALDUS, *Theodonis quinti filius.* 133.
B. P. HUGIBERTUS II. *Theodonis quinti filius.* 133.
PILIDRUDES, *Franca, Theodibaldi uxor.*

Libro

Libro quinto.

B. P. UTILO SECUNDUS, *Incertum an Hugiberti filius. 142.*

HILTRUDIS, *Caroli Martelli filia, Utilonis secundi uxor. 145.*

B. P. THASSILO SECUNDUS, *Utilonis filius. 145.*

LUITPURGA, *Desiderii filia, Thassilonis secundi uxor. 159.*

GUNTHERUS, *Thassilonis secundi filius. 159.*

B. P. THEODO SEXTUS, *Thassilonis secundi filius. 159.*

NAAMAN. *167.*

B. P. CAROLUS MAGNUS. *174.*

EPISCOPI.

JUVAVIÆ, *sive* SALISBURGI.

Rupertus. 110
Vitalis. 114
Ansologus. 142
Savolus. 142
Ezius. 142
Flobargisus. 142
Joannes. idem Aquila ab Alcuino appellatus. 143
Virgilius. 158
Bertricus. 170
Arno. 170

REGINOBURGI.

Lupus. 111
Emmerammus. 119
Ratharius. 139
Garibaldus. 143
Simpertus. 160

LAUREACI.

Laurentius. 91
Ierardus. 91
Eutherius. 91
Maximilianus. 91
Quirinus. 91
Constantius. 93
Theodorus. 94
Philo. 114
Vivilus sive Vivilo. idem.
Adda. 141.143

BATAVIS.

Valentinus. 93.135
Erchensridus. 114
Bruno. 116

POST HÆC LAUREACENSIS ET BATAVENSIS SEDES COALUERE.

Sidonius 158
Antelmus. 160
Visericus. 160
Valdericus. 166

FRISIN-

FRISINGÆ.

Corbinianus. 133
Erimbertus. 143
Josephus. 160
Aribo.idem Heres & Cyrinus. 160
Atto. 169

NUENPURGI.

Manno. 160

TIBURNIÆ, sive TLGURINÆ.

Paulinus. 93

EISTADII.

Vlibaldus. 146
Gerochus. 169

SABIONÆ IN BRIXENTIBUS.

Cassianus. 93
Ingenuinus. 102
Constantius. 160
Præconius, sive Procopius. 160
Constantius. 160
Ursus. 160
Pigencius. 160
Proiechus. 160
Maturninus. 160
Marcellus. 160
Valerianus. 160
Agnellus. 160
Anrihanus. 160
Antonius. 160
Laurentius. 160
Joannes. 160
Alimus. 160

ARGUMENTA.

Libro primo.

GEntis origo. Nomen. Insignia. Transitus in Italiam, & res ibi potissimùm, per annos circiter quadringentos, gestæ.

Libro secundo.

RES in reliqua Europa, & Asia, ante constitutum in Boica principatum, à Bojis gestæ. Bavariæ nomen unde natum, & ejus ad Bojos analogia.

Libro tertio.

PRincipatus à Theodone in Boica constitutus, anno post Christum natum DVIII. *Boicæ descriptio: quiq; eam populi ante Bojos habuerint. Res gestæ ad annum usque* DCXVI.

Libro quarto.

RELigio Christiana, Ruperto docente, recepta. Res in Boica, & à Bojis in Italia gestæ ad annum DCXXX.

Libro quinto.

RELiquum historiæ ad annum DCCLXXXVIII. *Thassilo cum Theodone filio à Carolo Magno exauctoratus.*

MARCI

Digitized by Google

MARCI VELSERI RERVM BOICARVM LIBRI QVINQVE, AD MAXIMILIANVM BOJORVM DVCEM.

Liber primus.

Pietatis tuæ in patriam fuit, Sereniſſime Princeps, univerſam Bojorum gentem, quæ ſive jam nunc eſt, ſive poſt hac ſequetur, ſed & quæ præteritis annis unquam uſquam extitit, ab omni antiquitate, benefaciendo velle demereri. Quod vivis atq; præſentibus repræſentare, promptum & proclive, religione, prudentia, juſtitia, æquitate, clementia, virtutibus regiis aliis, quarum fructus deinceps ad poſteros permanaturi ſunt, cum memorabili nominis tui commendatione. Sed quâ majores, morte dudum functos, poſſint attingere, via nulla retrò eſt; niſi quod hoſce, in beatis etiam nunc ſedibus, ubi æternum ævum felices agitant, te talem tantumque genuiſſe, lætari exiſtimandum.

Cæteroqui ad illos privatim, unum beneficii genus pertinet, quod nemo unquam bonus contempſit, nominis rerumque geſtarum famam, diuturni temporis vetuſtate langueſcentem, atque intermorientem, ex ſitu & tenebris, in vitæ quodammodo lucem & ſplendorem revocare. Scriò enim, mortuorum vita, in vivorum memoriâ poſita, memoria, ſine litterarum monumentis, obſcura & caduca eſt. Hiſtoriam itaque ſcribi voluiſti: iſti primùm fini, poſterùm inde exemplo, documento, Boici generis bono universè. Piè hoc. Illud prudenter; cum ſub imperio tuo degerent homines eruditionis laude florentes, magna etiam exterorum quorundam fama eſſet, antetuliſſe cæteris & legiſſe præ omnibus, ſcriptorem ex amica & fœderata potiſſimùm civitate, qui malevolentiæ, & invidiæ, & adulationis cauſſas, procul haberet. Veritatis hæc nimirum fiducia virtutis conſcientia eſt, narratori nullis affectibus obnoxio, res tuas tractandas credere. Nam nos ſanè liberum pectus afferimus, nec inania ſcientes captaturi, nec rectè cujusquam facta volentes preſſuri, nec quæ ſecus evenere, ut in longo temporis curriculo multa utrimque accidere neceſſe eſt, parſuri prodere, publicè intereſſe rati, fugienda ſequenda juxta noteſcere. Cæterum non ſuſtineamus affirmare dubia, non item ſubducere, quæ vero accepimus ſimilia. Magnitudinem oneris aſpectu æſtimavimus, verſatum libratumque deinde, ſenſimus multò magis: ſuperiorum annorum ſcriptores Boici, feramus ſi non ſublevant, niſi verò aggravant etiam, quamquam nullius labores obtrectamus, res in confeſſo eſt: humeros tamen non ſubduximus, ſed tuo freti maximè judicio, memoriæ populi amici, belli pacisque artibus incluti, pro virili parte lubentes conſuluimus.

IN Europę diviſione, veteres multò maximam partem Celtarum populis tribuiſſe comperio. Regionem ad ambas Rheni ripas, quod Dio ſcripſit, tum hinc omnem quæ poſtea Gallia & Hiſpania fuit, Gades uſque, uti Ephorus, inde porrò quicquid terrarum ad Scythas jacet. Celtiberiæ & Celtoſcythiæ clara utrimque nomina, rei fidem ad poſteros propagarunt. Extremas etiam ſub Septentrione oras, Celtas tenuiſſe ex Hipparcho pâret; hic ſolem æſtivas noctes perpetes in Celtica lucere memorat, quod, præterquam ſi qui ad ipſum prope cæli cardinem colunt, nulli hominum generi poteſt contingere. Ad miraculi ſpeciem in fabulam auxit Eudoxus Rhodius, eſſe gentem circa Celticam, quæ noctu videat, interdiu non videat. Sed Celticæ appellationis fama, vetuſtate hebetata, de cæteris eſt obſcurior: in Gallia, & quæ, nomine ſerò mutato, nunc Germania eſt,

Dio lib. 39

Eph. apud Strab. lib. 4

Hipp. apud Strab. lib. 2

Eud. apud Apollon. hiſt. mirab. 84.

eſt, diutius tenuit. Ultra tamen Rhenum arctata paulatim, acciſis poſtmodum magis magisque finibus, in ultima demum Gallia hæſit, partem ejus complexa circiter tertiam. Nec eſt vocabulum Celtico vetuſtius, aut omninò aliud, quo Germanos Græci Latinique homines, ante inventum Germaniæ nomen, uuniversè appellarint, cum privata Celticarum gentium ſuperſint. Nam quod ſacrarum litterarum interpretes fere conſentiunt, Aſcenezem, natum Gomerò Japheti filio, cui Noë pater, imperium hac extendiſſe, univerſæ genti nomen feciſſe, & Hebræi ex vetuſtiſſima antiquitate hodieque uſurpant, reliquorum populorum linguæ nunquam ſequutæ ſunt. Scio Cimmerios & Cimbros nuper in hac cauſa ſuffragatorem inveniſſe, qui eos non Germanis tantùm et Gallis, ſed innumerabilibus præterea gentibus, Aborigines auſus eſt aſſerere, ſecundis multorum ſententiis, qui novitatis ubique amor eſt. At præjudicatæ opiniones evaluere, nec Cimmeriæ tenebræ ullis ingenii & litterarum luminibus ſatis potuere diſpelli. Ego Celtas, qua longiſſimæ ætatis memoriam reſpicio, Galliam & Germaniam complexos reperio. Et præpoſteram ambitionem interpretor, Germanorum Gallorumque principatum hac illac trahentium, quando uterque populus uno nomine olim cenſus, iisdem originibus ortus cenſendus eſt. Græcos auctores habeo (quos penes tam vetuſtæ tamque incertæ rei fides erit) conditorem fuiſſe Celtum, filium ſive Herculis ex Celtô, aut Celtine, aut Sterope, ſive Polyphemi ex Galatea: Timagenes, ſimpliciter regem dixit. Sanè Herculem apud ſe egiſſe, Germani credi voluere, auctor Tacitus. Qui patria tamen ſequutus carmina, originem Manno, filio Tuiſtonis, Dei terra editi, tribuère maluit. Nos hoc genus narrationes, quo merentur loco, ſeponimus, operam iis ad aliquam veri ſpeciem conformandis, non luſuri. Joſephus Moyſeæ hiſtoriæ interpres non malus, Aſchanaxem retulit (Aſcenezem appellavimus) condidiſſe Aſchanaxas, ſive Regines: eo nomine ſi Rheni accolas reſpexit, ut videri hominibus eruditis intelligo, jam Aſchanaxes Celtarum generatim ſit conditor, ſiquidem Galli & Germani Rhenum æquè accolunt.

Caſ. de bel. Gall. lib. 5.

Geneſ. c. 10.

Joan. Gor. Becan.

Etymol. vc Κελτοί. Parthen. amat. c. 30. Etymol. in Celtica. Appian. Illyr. Timag. ap. Ammian. Marcel. lib. 15. Tac. de mor. German. Joſ. antiq. lib. 1. c. 11.

Celticam autem vocem, Cæſar indigenam eſſe pronuntiavit: inde tot ejus notationes atque explicationes, haud ita dudum exortæ ſunt, quot hominibus otio juxta & ingenio abutentibus, vacavit excogitare. Earum ut una aliqua vera ſit, fieri fortaſſe poteſt, ut certa & comperta nobis habeatur, fieri, quantum video, vix poteſt, itaque cogitatò prætereo. Porro Celtarum gentes, quod pro terrarum ſpatio neceſſe, fuere multiplices. Neque nunc facile explicatu ſit, quam quæque regionis oram,

Caſ. bel. Gall. lib. 1.

utram saltem Rheni ripam, primum occupaverit: nam nullis reliquis domesticis litteris, obscurum, atque incertum adeò est, si quid hîc exteræ suppeditant. Pol. lib. 1. Bona fide Polybius, quæ à Narbone ad Tanaim in Septentriones vergunt, illa etiam tum ætate inexplorata fuisse omnia, somniorum loco quorundam de iis dicta, scripta, habenda monuit. Id quam vellem sibi certi, hujus & superioris memoriæ, scriptores, persuaderi passi, historias quæ dudum periere, duxissent perditas, jam illi nimium quantum operæ, quod inanibus conjecturis excogitandis exornandisque posuere, potuissent compendi facere, lectores simul incredibili tædio, molestæ & absurdæ lectionis, ut meus saltem sensus est, levare. Tac. de mor. German. Taciti sententia, hominis rerum nostrarum apprimè callentis, sua se verisimilitudine approbat, antiquitus utriusque partis populos, ut quisque evaluerat, occupasse permutasseque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia divisas; quantulum obstaret enim Rheni alveus, pari maximè utriusque tunc temporis ripæ libertate? Itaque, non, si alicujus aliquando gentis sedes, ultra citráve Rhenum, videbimur idoneis testibus posse constituere, consequetur ideò, primas illas fuisse & perpetuas, ab usque ultima origine: quandoquidem multas retrò migrationum vicissitudines latêre, verisimile admodum, sed memoriæ, infiniti prope temporis diuturnitas, velum obduxit.

Celtarum Boji habiti, gens ampla & valida. Nomen Tarquinio prisco Romæ regnante, in Italia primùm auditum est. Sim. ap. Plut. Romulo. Vetus poeta Simylus, Romulo olim Rege, Capitolium à Tarpeja Bojis & Celtis proditum significat,

Ἦλ' ἀγχοῦ Ταρπηίας ὤδε Καπιτώλιον αὖτω·
Ναί κοτε, Ῥώμης ἔπλετο τηχολέτης.
Κελτῶν ἡ εἰρξεπα χαμήλια λίκτρα γυναῖκας,
Σκηπτούχων πατέρων σὺν ἰφύλαξε δόμοις.

Et paullò post,

Τλώλ' ὅτ' ἄρ Βόϊοί τι νεὴ ἔθνια μυρία Κελτῶν
Χηραίδμοις, ῥάθρων ἐντὸς ἔθυτο Πάδυ.
Ὅπλα δ' ὑπαιθαλόεντος ἀρειμανέων ὑπὸ χηρῶν
Κύρη δὴ συγαρῇ, κόσμων ἔθυτο φόνῳ.

Sed palam falsus, illa quippe Sabinis prodidit. Tarquinii regno, primus Bellovesus, pleroscque Galliæ populos, Elitovius inde Cenomanorum manum in Italiam duxit. Liv. lib. 5. Sequuti Boji & Lingones, incertum quibus profecti sedibus, & quo duce ex Celtica venisse convenit. A Boijs quæ Laus Pompeja postea dicta, Plin. lib. 3. c. 17. condita, & Pado trajecto, Etruscis atque Umbris pulsis, magnus agri modus, & urbes opulentæ perplures, intra Apenninum insessæ sunt. Etruria media Italia, ad utrumque tunc littus porrecta, cum sapientiæ studio, atque religionis opinione, tum ingenti-

gentibus terra mariq́ue claruit opibus; & verò populum, cui Etruſci loco ceſſerint, animis manibusq́; valuiſſe oportet. Belloveſo SIGOVESUS frater fuit, impigri ambo juvenes, Ambigati ſorore geniti (Ambigatus Celtico Rex erat) avunculi conſilio, prægravantem domo multitudinem, hominum trecenta omninò millia, ductis coloniis exonerare aggreſſi, cum alteri Italia obveniſſet, Hercynii ſaltus huic ſortitò dati ſunt. Quæ Sigoveſum gentes ſequutæ, à Livio, omnis hujus hiſtoriæ ſcriptore, non eſt proditum, nec enim ſuſcepti operis argumentum eò pertingebat: De Belloveſo proditum, maximas peditum equitumq́ue copias, ex Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Aeduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis coactas, Italiæ intuliſſe. Proclive verò conjecturam ducere, fratrem, cui aſpera Hercyniæ peterentur, neque pauciores numero, & æquè bello bonos ac ſtrenuos, ſub ſignis habuiſſe, quod Ambigati voluntate, utrique, quantum hominum vellet, licuerit legere. Tectoſages nimirum potiſſimum, & Helvetios & Bojos: quando ex omnibus Galliæ populis, hæc ad Hercyniam nomina claruere, extra ſylvam Tectoſages & Helvetii, Boji intra, quâ mediâ Germaniâ, magnum terrarum tractum, perpetua vaſti nemoris corona, in orbem cingit. Tum Bojohemo nomen regioni ex re inditum: prioris appellationis, ſi qua fuit, veſtigium omne deperiit, iſthæc poſtea, quantumvis mutatis cultoribus, manet. Belloveſus autem & Sigoveſus, expeditionem, annos circiter ſexcentos totos ante Chriſtum natum, ſuſcepere. Initia ſiquidem Priſci Regis, cui illi æquales, hunc numerum ſuperant, vitæ exitus non aſſequitur. Atque ea antiquiſſima eſt Bojorum memoria, certis litterarum monumentis conſignata. Multis prius ſeculis conditos, vires paullatim, ut habentur res mortalium, extuliſſe crediderim, quæ reſeratis hinc Italiæ alpibus, Hercynii inde ſaltus latebris, fortiſſimis utrimque nationibus pulſis, duobus imperiis felici audaciâ, una tempeſtate conſtituendis, potuerint ſufficere. Verum enimverò hæc ſcriptorum ſilentio preſſa jacent. Quin nec illud promptum explicare, quibus Boji ea ætate in Gallia finibus uſi, & num hos continenter tenuerint, an prioribus aliis aliquando expeditionibus alicunde profecti, illuc immigrarint. Quod Julius multis poſt ſæculorum curriculis, Bojorum aliquos in Æduorum confinio collocavit, id de quo quærimus, longo intervallo non attingit, & ea ſanè manus ex Germania in Gallias retrò redierat.

Memorare poſſim, qui auctores Bojos, magnis emenſis terrarum ſpatiis, iter ex Armenia uſque tenuiſſe aſſerunt. Sed ij neque quem ſequantnr, neque quod tantæ, & tam vetuſtæ rei teſtimonium laudent, idoneum ullum nominant, neq; eorum de

Justinus lib. 24.

Cæſ. de bel. Gall. lib. 1. Tacit. de mor. Germ. Strabo ex Poſſid. lib. 7

ANN. ANTE CHR. NAT. DC.

Omnes chronol.

Cæſar. bel. Gall. lib. 1.

Vitus Arenpek. And. Monachus manuſcr. alii paſſim.

reliquo oratio, quo quidem modo ab ipsis concepta est, veri faciem, probabilemque speciem obtinet. Quamquam enim, Noëticum alveum, humani generis divino consilio servatorem, post universi orbis cluviem, in Armeniæ montibus consedisse, inde mortales omnes effusos esse, convenit: Ex quo fit, non hoc tantùm, quod isti de Bojis ponunt, sed quicquid præterea hominum, ubi ubi terrarum degit, ex Armenia prodiisse: Atque si antiquissimæ populorum profectiones, terra & pedibus, non mari & classe, susceptæ sunt, quod planum existimo atque expeditum, consectarium, Germaniam ante Galliam & Hispaniam, hominum paruisse cultui, quippe quæ ex Armenia huc proficiscentibus occurrat prior: Quamquam inquam hæc testata sint, res tamen eò redit, ut si semel approbetur, Boicum nomen tam vetustam antiquitatem attingere, reliqua ordine consequantur, & ex Armenia originem trahere, & in Germania prius quam in Gallia auditum esse: sin rursus priscæ adeò memoriæ indicium certum nullum extat, nam nullum proferri video, tam fieri potest, Bojorum gentem, hisce demum regionibus, habitata jam Germania & Gallia, sive conjunctim Celticâ verius, quam antea in Armenia fuisse conditam. Quod dum fidei & pudori consultum imus, in medio relinquimus, Bojos universè Celticam gentem appellasse satis habentes, nam hoc tutò & rectè poterat. Cordi nobis geographorum ratio, quorum tabulæ, extremum terræ marisque limbum, ignotæ oræ nomine præscribunt, tantò pudentius, quàm si incomperta & irreperta, pro certis exploratisque afferant.

Genes. c. 8.

De nominis notatione, eadem mihi mens. Etsi fidenti alicui conjectori, non prorsus inane videri queat, quod memini legere, neque antehac observatum esse, admirationem habet, Bojaros an Bojeros, quæ Germanis puta Bojorum appellatio, ista etiamnum ætate, apud Moschos, qui ad Armeniam in orientem vergunt, claritudinis & nobilitatis adhuc haberi vocabulum, quippe quod amplissimo gentis ordini tribuatur. A bobus qui duxere, Bœotico invento, aut Bavaro aliquo, sive Bojoario, qui ex Armenia venientium princeps fuerit, næ illi oppidò ineptiunt. Nisi Brutum Armeniæ & Chaldææ regem, & Archelaum, & filiam principis de Griffis, & Hectorem, & Jonnam, & Simpilionem cum Salandra Ægyptia, Bavari majores, ferre possumus. Insciti item illi, qui Bojum Herculis filium fuisse narrant, fratrem Norici, Hunni & Helvetii, natu minimum, Rhomum, tunc Galliæ imperantem, regnum inter malè concordes divisisse. Jam quid eos producam, nisi ut rideantur profectò, qui Bojos in Jobabo Jectanis filio, Heber nepote, quærunt! Heber autem Salem patrem, Arphaxad, Semo Noë filio natum, avum vocavit.

Herberstein Possev. Heidenstein, alii. Manuscripti obscuri. Meminit Arenpek. Manuscriptorum quorundam ineptiæ varæ.

Saltem

Saltem Jobus nugaturis in mentem veniſſet, ut quo ſe jactarent homines harioli haberent, excogitato nomine, cujus totidem litteræ trajectæ, Bojum exprimunt. Probabiliores fortaſſe aliquantò alteri, acutiores equidem, certiores nihilò, Boger, unde Bojer & Boji prodierint, dictos dixere, qui arcubus pugnarent, quod Bogen patria lingua arcus ſit. Ab imperando alii & ab offerendo, Boji nomen traxere bifariam. Inventi denique, qui Avarum appellatione huc abuterentur, nam Bavaros ex Bojis & Avaribus coiiſſe exiſtimant. At Bavarorum appellationem recentem, à Bajoariis fluxiſſe, Bojoarios nomen Bojis debere, erit cum docebimus. Nunc ad ea, quæ certorum auctorum teſtimoniis comperta, redeo. Bec. Hermath.

Occupatis ergo uberrimis Italiæ campis, victores Galli, ſive illi Celtæ, (Polybius utrumque nomen promiſcuè tribuit) regionem patriuntur. Bojis, quorum centum & duodecim tribus erant, locus inter Padum, Apenninum & Ariminum obtigit, Ananibus, Aegonibus & Senonibus proximus. Ibi omnes pagatim & vicatim habitare, nec ſalutem mœnibus, ſed virtuti concredere, cætera rudes incultique, in herbarum toris cubare, ferina veſci, non artibus, non apparatui paullò humaniori indulgere, duas tantùm res induſtriè proſequi, viros ſcires, militarem diſciplinam, & agrorum cultum, nullas priores pecoribus & auro divitias ducere, quod hæ dominum nimirum peregrè etiam comitentur. Amicitias & clientelas magna ambitione parare, multo ſtudio tueri, neque id temerè & nullo conſilio, qui plurimis clientibus ſtipatus, Devotos, Soldurios, Ambactos & Comites, Cæſar atque Tacitus variè appellant, unus reliquos potens percellere, omnibus terrori eſſe; nam incredibilis iſtius ordinis in patronos affectus, quorum ne dum vitæ & ſaluti, ſed etiam famæ, propriam poſthabere, ſacramentum erat, ſuperſtitem verò principi ex acie decedere, probroſum in omnem vitam reliquam, nec fere repertus, qui eò interfecto cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret, illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, hoc demum in prima commendatione poſitum. Cum ejusmodi inſtitutis Boji Celtæque cæteri, in Italia viverent, & vicinorum plerique ſive metu agerent obnoxii, ſive vi & armis ad exitium & vaſtitatem everterentur, anno quo Veji à Camillo capti, qui fuit, antequam Chriſtus naſceretur, trecenteſimus nonageſimus quartus, & illo prorſus die, Melpum, opulentia præcipuum in Tranſpadanâ oppidum, ab Inſubribus, Bojis & Senonibus deletum eſt, uti Cornelius Nepos retulit. Sexennio non toto interjecto, Galli (tum Cluſium BRENNO duce obſidebant) Fabiorum injuria accenſi, qui cùm legati veniſſent, ſe palam pro hoſtibus geſte-

Pol. lib. 2.

Cæſ. de bel. Gall. lib. 3. & 6. Tac. de mor. German.

ANN. ANTE CHR. NAT. CCCXCIV.

CCCXCIII. BRENNVS.

Nepos ap. Plin. lib. 3. c. 17. Rom. hiſtoriæ ſcriptores paſſim.

gesserant, relicto Clusio, Romam recto itinere petierunt, fusoq; & fugato ad Alliam obvio exercitu, urbem propemodum vacuam & desertam nacti, inflammarunt, reliquias Romani sanguinis, & spem imperii, quod terrarum inde orbem tam latè complexum tenuit, Capitolinæ arcis angustiis conclusas circumsidentes, ad desperationem ferri adegere, proque vita & libertate auro coëgere cernere. Fama Senones vulgo sequitur, an ad Bojos aliquâ pertineat, Livius dubium fecit, est enim ambigens, num Senones soli venerint, num à reliquis omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adjuti. Sed adjutos venisse à plerisque, vero propius. Nam sive Etruscum, sive Romanum bellum, præ Melpino quî potuêre contemnere? cum Melpino Insubrum & Bojorum auxilia asciverint; deinde Polybius, accuratus inter primos, & religiosus, & vetustus auctor, Ananes, Bojos, Ægones atque Senones, hoc loci & temporis conjunxit, quas nobilissimis Celtarum in Italia gentibus accensuit: Strabo Bojos, Insubres & Senones, maximas appellavit: ferocissimorum elogium Boij, eximiè ab Appiano tulere, quamquam homo Græcus, militarem virtutem asperiore paullò vocabulo perstrinxit. Scriptor belli Punici medii poeta Silius, Chrixum Bojorum ducem, Brenni stirpe superbientem memorat,

Liv. lib. 5. Plin. lib. 3. c. 15. Strabo lib. 5. alii.

Pol. lib. 2.

Str. lib. 4. Appian. Celtico, Βοῖοι καλλικὸν ἔθνος ἐπεμάχησαν.

Sil. lib. 4.

Bojorum ante alias, Chrixo duce, mobilis ala,
Arietat in primos, obicitq; immania membra.
Ipse tumens, atavi Brenni se stirpe ferebat
Chrixus, & in titulos Capitolia capta trahebat,
Tarpejoq; jugo, demens, & vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.
Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ vestes, manicæq; rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

Quæ si ad historiæ fidem scripta sunt, ut pleraque Silii, Bojos Romæ capiendæ non interfuisse tantùm, sed præfuisse quoque oportet, qui ducem dederint. Certè Virgilius, cui nullum temerè verbum excidit, Gallos Capitolii obsessores eodem corporis cultusque habitu, quo Silius Bojum hunc descripsit,

Virg. Aen.

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur. ——

Sive gentis morem sequutus, sive tabulam antiquam pictam aliquam, utrumque potuit. At virgata sagula quæ sint, lævè explicavit grammaticus interpres. Versicoloria appellavere Tacitus & Sidonius. Barbarus, inferioris ævi scriptor, Gallos illis ad Caroli ætatem usque, usos esse ostendit. Ex Diodoro pâret, fuisse in tessellatam prope speciem, interstincta, & coloribus varie-

Servius. Tacit. hist. lib 2 Sid. lib. 4. ep 20 Barb. Scriptor Sangallens. de vita Caroli M. sub finem lib. 1. Diod. lib. 5. c 9.

variegata, ut si quem retium plagas & maculas, pictis tabellis explere, & solidare delectet, funiculi decussati virgarum vicem sint, sic futurarum viæ in segmentatis vestimentis istis, quas si auratæ lineæ ad ornatum clauderent, omne enim Gallicum nomen auro apprimè delectabatur, vestes auro virgatæ dictæ, quod de Chrixo Silius scripsit. Ab areolarum autem hoc modo, vetustissima Boicorum insignium pars, cæruleo & candido alternata, perparum abit, quadris modicè in rhombos nimirum compressis, cujus generis virgato sagulo, miles Thoracomachus, in prisco de rebus bellicis libro, ornatus visitur. Atque ego compertum habeo, pleraque insignia quorum meri colores, ex militari primò habitu manasse, seu quod hactenus eodem recidit, in militum saga migrasse ex clypeis. Eant si qui fabulam de Psammetichi panibus probare adhuc possunt, commento vix poëtis decorè usurpando. Rhombos plerique ter septenos observavere, alii aliter constituere: in causas ejus numeri, uti colorum itidem naturam & præstantiam, atque inde significatum, subtilius inquirere, vereor frustra fieri, etiamsi antiqua est numerorum superstitio, & benigna otiosis hæc omnis ad differendum materia. Tenuit apud Germanos mos deinde perpetuo, Tacitus genti universim tribuit, scuta lectissimis coloribus distincta, præcipuum cultum credere, in quem etiam sensum scribit, Germanorum scuta viminum textus esse, vel tenues, & fucatas colore tabulas.

Liber qui Notitiæ utriusq; imperii subjunctus.

Herod. Eut.

Tacit. de mor. Germ.

Tac. Annal. lib. 2.

Galli Româ post septem menses profecti, caussæ variè jactatæ sunt; sive pestilentia abactos & fame, sive Romani exercitus superventu pulsos; sive patriæ denique charitate revocatos, quam Veneti, per eorum absentiam occasionem nacti, popularentur, icto cum Romanis fœdere, urbe relicta, domum rediisse incolumes. Quod Polybio accredimus. Camilli victoria, & extorta hostibus præda, nec Romæ fidem invenit, Drusus quippe demum, qui Drauso cæso primus cognomen reperit, Proprætor aurum Capitolinum ex Gallia retulisse dictus, multis post annis, quod, si Camillus in re præsenti recepit, fieri quî potuit? Atque hoc semel exemplo, quam proni scriptores, res suorum tollere, hostium premere (verè falsò, famæ securi plerique, juxta habent) qua vetustatis præsertim licentia, audendi animos adjicit.

Pol. lib. 1.

Suet. Tib. c. 3.

Gallos inde domestica dissidia exercuere; quod enim Italicorum felicitas & potentia, permagnam apud inalpinos haberet invidiam, in gente irritabili & bellicosa, sæpe ad cædes deventum est. A quibus cum primùm quies, arma in Romanos iterum versa, repetitis sæpe adeò vicibus, & tanta virtutis obstinatione, ut Romani, cætera fidentes virium, & invicti animorum,

Pol. lib. 1.

adusque

Salluſt. Catilin. & Jugurth. aduſque extrema Reipublicæ tempora præ ſe habuerint, alia omnia virtuti ſuæ prona, gloria belli Gallos ante ſe eſſe, cum quibus non de gloria, ſed pro ſalute certaretur, & quantumvis victores pleriſque iis bellis, timorem adeò non poſuere, ut eum, peculiari propemodum tumultus nomine, quo in nullo præterea externo hoſte uſi ſunt, fateri neutiquam verecundum duxerint, quo & ſacerdotum vacationes, & privilegia ceſſare voluere, unde metus magnitudinem æſtimes. Nam Cæſar, acer inprimis, & nulli gratiæ obnoxius in hac cauſſa judex, Gallos virtute belli, omnibus gentibus prælatos, ſcriptum reliquit. Quarum Celticarum Gallicarumve gentium, quæ præcipua tunc extiterint ad laudem facinora, raris litteris conſignatum reperire eſt, & abſurdi proinde conatus Boica divinando ſingillatim proſequi velle atque eruere. Cum tamen magnam eorum partem ad Bojos ſpectaſſe, ut ut rerum & temporum definitione incomperta, pro comperto exploratoque ſit. Nos quæ in eam aut alteram partem obſervavimus, deinceps exſequemur.

Feſt. v. tumultuari. Cic. Phil. 8.

Cæſ. de bel. Gal. lib. 5.

Liv. lib. 7. Eutr. lib. 2. Oroſ. lib. 3. c. 6. Frontin. lib. 2. c. 4. Appian. Celtico.

Memorabilis habita inter primas Gallorum expeditio, anno ante Chriſtum natum trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Cajis Fabio & Plauto Coſs. quam Bojorum ductu & auſpiciis motam Appianus ſcripſit. Hi cum Præneſte veniſſent, porrò progreſſi circa Pæſtum conſederant. Romæ C. Sculpitius Peticus Dictator dictus, M. Valerium magiſtrum equitum cooptavit, & robore militum ex duobus conſularibus exercitibus lecto, in adverſos duxit. Bellum trahere Sulpitio conſilium erat, quando nulla res cogeret ſe fortunæ tradere, hoſte neque commeatu inſtructo, neque munimentis firmo, iis præterea animis corporibusque, nam hæc de Celtis omnibus Romanos habebat opinio, quorum quia in impetu tota vis eſſet, ea exigua interjecta mora, ſponte langueſceret. Sed militum ardore & ferocia impulſus, in aciem tamen deſcendit. Ubi cum ſuis plus animorum quàm virium eſſe cerneret, hoſtem inſidiis captare aggreſſus, agaſones mulis impoſitos, & armis ornatos, aliquot intermiſtis equitibus, clam in proximos montes jubet ſuccedere, ibi ſe ſylvis occulere, quouſque conſerto jam prælio, ſignum movendi oſtendendique daret. Atque pugnâ ad montium radices commiſſâ, primi Romanorum, emiſſis pilis ſubſedêre, donec ſecundi, tertii & quarti mitterent, quibus itidem poſt jactum ſubſidentibus, Bojorum eo invento tela ab illis vitata ſunt, poſtquam verò poſtremi miſiſſent, jam omnes ſimul coorti, clamore ſublato, in hoſtes agmine facto irruere occuparunt. Boji contra, dextrum Romanorum cornu acriter invadere, nec ſuſtineri poterant, ni præſens Dictator, cohortando increpandoque ſuos confirmaſſet; præcipuè pudorem valuiſſe memorant, ne ullum

ANN. ANTE CHR. NAT. CCCLVI.

periculi

periculi genus defugere videretur miles, qui certamen paullò ante tam avidè concupiſſet, impreſſione itaque rurſus factâ, Boica acies turbari, & inclinari adeò cœperat, cum ſe vanus è monte terror, accepto ſigno oſtendit, ſpecie, ut hoſtium caſtra petere crederetur, quo metu pugnâ omiſsâ, effuſa paſſim ad caſtra fuga ſequuta eſt. Illic quoniam magiſter equitum præverterat, fugientes ad montes ſylvasque verſi, victori ſe eripere nequivere, ab agaſonibus quippe excepti, & atrox admodum ubique cædes, in ſylva maximè edita, ut Appianus omnem illum Bojorum exercitum, tunc deletum prodiderit. Sulpitius triumphans urbem ingreſſus, magnum auri pondus ex ſpoliis conflatum, ſaxo quadrato ſeptum, in Capitolio dedicavit. Bella poſtmodum Gallica, interpoſita etiam aliquando triginta annorum pace, complura ſequuta ſunt, non uno fortunæ tenore: quæ ſciens prætereo, quando Boicum illis nomen nullus ſcriptorum intexuit. Polyb. lib. 1.

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXXCII. Anno demum ante Chriſtum natum ducenteſimo octuageſimo ſecundo, cum Galli Romanos, ſub Arretinis ferè mœnibus, magna pugna viciſſent, qua L. Cæcilius, ſive Prætor ſive Conſul occubuit, Tribuni præterea ſeptem, viri nobiles multi, & militum cæſa fuere tredecim millia. Poſtero, P. Cornelio Dolabella, Cn. Domitio Coſs. Romani inſtaurato exercitu, irâ, quam ignominæ pudor acueret, accenſi in Gallorum fines progreſſi, Senones habuere obvios, quos collatis rurſus ſignis, verſâ retrò belli alea, fœda adeò ſtrage caſtigavere, ut ſi qui prœlio ſuperfuere, patriis ejecti ſedibus, regionem victori vacuam reliquerint. Romana colonia in urbem Senonum principem deducta eſt, ea Senæ Gallicæ nomen retinuit. Bojis, quod exemplum ad ſe pertinere exiſtimarent, magnam ea res curam injecit, prope enim Senones colentes, ſatis intelligebant, unâ Gallici nominis gente excisâ, Romanis adverſus reliquas auctos animos, odia non imminuta eſſe. Occupandum ergo rati, coactis quàm maximis potuere copiis & Etruſcis aſcitis ſociis, quibus perpetuæ item in communem hoſtem inimicitiarum cauſſæ ſupererant, Romanis ad Vadimonis lacum occurreunt, mox congreſſi, ſummam rerum unius certaminis pugnæ inclinandam commiſere. Feſtinatæ expeditionis & præcipitis conſilii, ſera, quæ ſolet, pœnitentia comes fuit, multis Etruſcorum cæſis, Bojis plerisque omnibus. Neque fracti eo ſucceſſu Bojorum ſpiritus, ſequenti anno, C. Fabricio, Q. Æmilio Coſs. collectis iterum viribus, & omni juventute quæ arma ferre poterat excitâ, Romanis ſe ſe finibus denuo intulere, conatu ingenti, eventu magis etiam funeſto, dum bellum majore animo quàm conſilio geſtum eunt, Liv. epit. 12. Oroſ. lib. 3. c. 22. Ex Pol. lib. 2. ut pleraque etiam ſequentia.

CCXXCI.

inter-

internecione prope deleti, missis legatis, pacem temerè turbatam invitis animis repetere coacti sunt. Quæ permultos postea annos tenuit, non antea irrita, quàm iis, qui priorum bellorum fortunam præsentes spectaverant, morte extinctis, exorta temeraria juvenum factio, rerum omnium rudis, diuturnæ pacis luxu corrupta, uti fit, adversa quæ experiendo nondum didicerat; nec evenire posse crederet, ergo præsentia fastidire, rebus novis delectari, earum occasiones quærere, atque ultrò moliri, facilè irritari, & leves quasque ex Romanis causas, quoquo modo in calumniam trahere. Principum erant hoc genus consilia, plebe neque volente, neque omninò sciente. Illi clam suos, externis potissimùm fidere, & transalpina popularium auxilia confirmandis augendisque domesticis opibus, evocare. Quæ Ariminum usque processerant, Romanam jam tunc coloniam, ante annos XXX. victis Picentibus deductam, cum Italici, multitudine perterriti; & vicinitate periculi admoniti, sumptis armis, & GALATVM, reges ipsi suos, rei tantæ privatim auctores, occiderunt, novos inde hospites aggressi, mutuâ se cum illis cæde confecerunt. Pulcherrimum visum Romanis spectaculum, maximi belli metu, nullo suo periculo, sola hostium opera defungi; nam ad primum ejus motus nuntium, habito delectu exercitum eduxerant, quem populari Bojorum conflictu audito, domum statim revocaverunt. Et hæc quidem contigêre anno post pacem initam fere quadragesimo quinto, quem ducentesimum trigesimum sextum fuisse reperio ante, quam Christus nasceretur, Ti. Sempronio Graccho, & P. Valerio Faltone Cos. Valerium illo anno bis cum Gallis congressum, primò adversa fortuna usum, postea victorem extitisse, Zonaras & Orosius scripsere, verum si Polybio fides, ea certamina ad Bojos nihil pertinuerint oportet.

Perottus Polybii interpres hæc nomina omisit.

ATEM ET GALATUS.

AN. ANTE CHR. N. CCXXXVI.

Atque hic operæ pretium monere, Atem & Galatum, antiquissimos Bojorum reges esse, quorum post Sigovesum, & si fortè Brennum, certæ auctoritatis memoria extet; quo magis Boicorum scriptorum negligentiæ piget, à quibus cum isti præteriti, tum quos præterea ex Polybio, Livio, Silio, postea memorabimus, tot aliis contra, impudenter confictis nominibus substitutis, quando proximus ab imperitia ad temeritatem & fabulas flexus est.

Biennio interjecto, C. Licinio, Varo P. Cornelio Lentulo Cos. Zonaras auctor est, Gallos multitudine fretos, quam maximam coëgerant, in spem venisse, Romanos terrore perculsos, desponsis ultro animis, nec tentatis armis postulata facturos. Missis ea fiducia legatis, Ariminensem agrum à Consulibus repetiere, colonos illa urbe, quam sui juris esse, injuriâ à Romanis occupa-

CCXXXIV.

occupatam detineri dicerent, jussérunt cedere. Consules ancipiti cura suspensi, nec importunæ legationi concedere, nec irritam ausi aspernari, quod exiguas circa se copias haberent, & subitum bellum formidarent, extrahendo tempori ad Senatum rejecere, pactis induciis, dum legati irent redirent. Hi neutro eorum quæ petebant Romæ impetrato, in castra reversi, res domesticas interim afflictas, & prope perditas reperere. Plerique enim ex fœderatis, reputatione Romanæ potentiæ, & proinde timore, sententia interim demutata desciverant, atque in Bojos populares ipsos suos, levi ingenio versi, magnum eorum numerum, inopinato aggressu conciderant, quamquam non impunè, multis quippe suorum vicissim desideratis, reliqui se se domum, unde venerant, recepere. Boji, sociorum scelere & perfidia in hunc modum deserti, & Romanis proditi atque objecti, pacem longè durissimis conditionibus, magna agri parte mulctati, inierunt.

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXXX.

Anno ducentesimo trigesimo, M. Æmilio Lepido M. Publicio Malleolo Cos. C. Flaminius Tribunus plebis, legem Romæ, patribus quantumvis invitis, tulit, qua ager Picenus & Gallicus militibus viritim dividebatur. Ex Piceno Senones ante aliquot annos ejecti, uti suprà ostendimus; Gallicus is fuerit credibile est, quem Varus & Lentulus Bojis proxima pactione abstulerant. Id vero plerisque Gallorum, Bojis inprimis, qui Senam coloniam ægrè jam inde ab initio passi, Romanis contermini, injuriæ proximi agerent, prorsus non ferendum videri. Quid enim? infinitam esse Populi Romani cupiditatem, nullo victoriarum cursu, nec quantumvis prolatis imperii finibus exsaturandam, domos devictarum gentium, agros, fortunas universas, sanguinem denique sitire, nec hominum more inimicitias atq; bella gerere, qui imperio populos subjungere satis habeant, illum, nisi aut eversis aut deletis, & stirpitus excisis iis, quos subjunxerit, nunquam conquiescere. Eundum maturè obviam latius in dies serpenti incendio, & quoniam periculi metus ad omnes pertineat, communi consilio conjunctisque viribus esse restinguendum, priusquam proximis quibusque comprehensis, longè dissitos amburere incipiat. Moti his vocibus Insubres, se Bojis socios adjungunt. Quod verò plurimis retrò bellorum experimentis, sciri poterat, qualis quantúsque hostis Romanus futurus esset, placuit fœderatorum nomine legatos trans Alpes ire, auxilia à Gæsatis petere. Valida ea ad Rhodanum, & insigni fortitudinis opinione gens, virtutem bella gerentibus stipendio prostituere solita, Concolitano & Aneroëste tunc Regibus suberat. Quibus in præsens magnum auri pondus dono missum, in posterum ostentatæ Romanorum opes, tot bellorum prædis cumulatæ, quæ victores sequerentur: nec dubiam futuram victo-

Præter Polyb Cic. Lucullo, Bruto, 2. de invent. & Catone. Etsi hic Flaminium Q. Fabio Max. iterum Cos. Tribunum Pleb. fuisse scripsit.

riam, Bojis & Insubribus, maximis & florentissimis gentibus auspicibus, anniterentur modo, animos manusque jungerent, quod cognatos populos, quod adversus perpetuum Gallici nominis hostem deceat: majores cogitarent, quandoquidem illis orti essent, qui cæso ad Alliam Romano exercitu, primo impetu urbe nullo labore potiti, eam præda, ferro, flamma vastaverint, post septem menses fastiditam, æstimatis pretio victis, quod pro capitibus solvêre, sponte sua reddiderint, ipsi opulentissimis spoliis onusti, in patriam redierint: nihil esse cur non paria nunc sperentur omnia, cessuras profectò, Diis patriis bene juvantibus, hostium insidias & tectos dolos, apertæ Gallorum virtuti. Inflammati legatorum verbis Reges, summa animi contentione cogendis copiis incubuere, ut satis constet, neque majores, neque florentiores bellóque meliores, ex illis Galliæ partibus unquam prodiisse. Expeditio, sive apparatus magnitudine, sive quod aliud objectum impedimentum, in aliquot annos dilata est. Per quos Romanos perpetuus ejus timor tenuit, emanarant enim plera-que Gallorum consilia, quædam etiam conjectando facile erat assequi. Consules itaque, modo militum habere delectum, modo commeatum convehere, tela & arma fabricare, alia omnia, quæ ad maximum bellum necessaria, expedire, quin exercitum, inani terrore perculsi, aliquando eduxêre, veluti jam præsentibus Gallis, fines mox irrupturis, qui è patria tamen nunquam adhuc moverant. M. Æmilio Barbula M. Junio Pera Cos. enixius veriti, quod Gallos venundatione multarum rerum, captivorum præcipuè, pecuniam corrogare animadverterent, ne quis in posterum homini Gallo, vel aurum vel argentum datum vellet, callido consilio vetuere, nec enim mercenaria Gæsatorum auxilia, interceptâ pecuniâ, motura videbantur. Anno ducentesimo vigesimo tertio, C. Atilio Regulo L. Æmilio Papo Cos. bellum tandem, tot annorum spatio utrimque, adornatum, exarsit. Gæsatorum Reges, trajectis Alpibus, Bojos & Insubres, ad Padum fluvium ex fœdere paratos inveniunt: contracta peditum quinquaginta millia, equitum & essedariorum viginti; nisi numerus in Polybio male corruptus, exiguus scilicet ad id, quod paulò ante dictum, fuisse multò maximum, eorum omnium qui ex Transalpina Gallia in Italiam unquam venerint. Veneti & Cenomani, à Romanis per legatos sollicitati, illis auxilio esse maluere, neque cognati sanguinis respectus Cenomanos tenuit. Collectis viginti armatorum millibus, & totidem Vmbris atque Sarsinatibus ascitis, uterque populus Alpes insedit, inde, quæ prima se offerret facultas, impetum in Boicum agrum facturus. Quæ res, distractis Gallorum copiis, coacti enim fuere relinquere præsidia, quæ provinciam à tergo tutarentur, grande expedi-

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXXIIX.

CCXXIII.

tioni

tioni præpedimentum attulit. Romani contra quâ cura bellum paraſſent, incredibilis exercitus moles oſtendit, quanta neque ad eum diem, neque poſtea, unquam in Italia conſpecta eſt: equitum octoginta, peditum ſeptingenta, hominum omninò circiter octingenta millia fuiſſe narrant, idque à Fabio hiſtorico traditum, qui bello interfuit, frumenti præterea, & omnis generis armorum telorumque vim tanto parem exercitui, immenſam. At ego Polybium in eam ſententiam accipio, quæ vero videtur propior, imanem numerum non ad eos qui arma tulerint, ſed qui à Romanis deſcripti, ferre potuerint, eſſe referendum. Neque verò Romam ſolum imminentis periculi metus invaſerat, quem memoria captæ olim urbis, & obſeſſi ab hoc hoſte Capitolii, magnopere augebat, ſed & reliqui Italiæ populi, Celtico nomine adæquè perterriti, quæ quique poterant certatim conferebant, tanquam pro aris & focis atque ſalute ipſi ſua, non jam pro Romanorum imperio & magnitudine pugnaturi. Copiæ autem diviſæ trifariam, pars in Sardiniam abiit, cum C. Attilio Coſ. quod provinciales ibi turbarent, pars cum Æmilio Coſ. Arimini proximè hoſtes conſedit, ad omnem occaſionem prompta futura & parata, pars denique in Etruriam, Prætore duce miſſa, quod inde maximè irruptio timebatur. Rata ea conjectura fuit, Galli tranſcenſo Apennino in Etruriam delati, agros populati, ingentes latè prædas egere, nemine qui prohibere poſſet obviam auſo progredi. Placuit ergo porrò tendere, & belli arcem majorum exemplo, rectà petere; jamque Cluſium venerant, quæ civitas tridui ſpatio Roma abeſt, unde Brennus ante annos centum ſexaginta quinque, urbem capturus moverat, cum nuntius affertur, coiiſſe Romanorum per Etruriam præſidia, & infeſto agmine à tergo ſequi. Eo rumore converſa ſubito Gallica acies, omiſſa in præſens Roma, iter in hoſtem propinquum flexit, & die ad occaſum inclinante, caſtra juxtim poſuit. Nocte autem ingruente, accenſis ad ſpeciem ignibus, & equitatu omni in caſtris relicto, Fæſulas verſus clam progreſſa, loco opportuno ſubſedit, equites prima luce palam, ut convenerat, ſubſequuti, Romanos opinione fugæ falſos, in inſidas attraxere; ubi ingentibus aliquamdiu animis, dubio Marte, utrimque pugnatum, Celtis tandem, & numero & virtute vincentibus, ſecunda prœlii fortuna fuit, Romanorum cæſa ad ſex milla, reliqui ſibi fuga conſuluere. Demiror quos auctores Oroſius ſequutus prodiderit, certamen prope Arretium commiſſum, Atilium Coſ. cum tribus hominum millibus occiſum, octingenta millia in fugam acta fuiſſe: quæ à Polybii fide, longè apud me potiſſima, multis modis abſcedunt. Fugientium plerique ſe in tumulum recepere, natura munitum, cujus obſidione Celtæ tunc abſtinuere, quod

Plin. lib. 3. c. 20.

Apud Eutrop. lib. 3. Oroſ. lib. 4. c. 13.

Lib. 4. c. 13.

præteritæ noctis vigiliis & itinere, atque diei prælio fessi, reliquum temporis curandis corporibus existimarent largiendum, missi tamen equites collem custodire, ut inposterum, nisi deditio sequeretur, obsidionis adhuc consilium maneret integrum. Æmilius Cos. quem Arimini resedisse diximus, cum primùm hostes exercitum per Etruriam ducere, & Romæ appropinquare audisset, quàm maximis potuit itineribus opem suis ferre contendit, & cum pugna jam commissa superveniisset, castra prope Celtas metatus est. Illi qui in collem confugerant, adventum ejus ex crebris nocturnis ignibus conjectantes, receptis aliquantum animis, misere silente nocte per densa nemorum inermes, quo hostiles excubias fallerent, quo rerum statu degerent nuntiatum. Tum Æmilius trahendis consiliis nullum locum esse, omnia in celeritate posita intelligens, Tribunos primo diluculo peditatum instructum jubet educere, ipse cum equitibus ad verrucam iter tenet. Hostes animadversis itidem per tenebras ignibus, Consularem exercitum adesse æquè suspicati, coacto concilio quid porrò agendum deliberant. Ibi Aneroestes Rex, sententiam omnium assensione comprobatam dixit, Videri in præsens certamine abstinendum, neque periculo exponendam prædam, quam multò maximam omnis generis peperissent, quin domum referendam, & in tuto collocandam esse, si tum deinde Romanos iterum aggredi placeat, se tantis sarcinis allevatos, paratiores & expeditiores redituros. Signa itaque ante lucem mota, Galliam retrò versus, secundum Etruscum mare. Æmilius iis qui in tumulum evaserant receptis, victores, quamquam abeuntes, aperto Marte non ausus lacessere, subsequebatur, temporum locorumq; occasiones captans, si quâ vel extremum agmen carpere, vel ex præda aliquid daretur recipere. Interea temporis alterum Cos. C. Atilium contigit ex Sardinia redeuntem Pisas appellere, inde rerum huc usque omnium ignarum, iter cum exercitu Romam tenere. Gallorum pabulatores ad Telamonem obvii, inferi maris promontorium id & portus est, ab ejus præcursoribus intercepti, interrogati de prœlio indicant, exercitus præterea ecce utrosque instare, citeriorem quidem Gallicum, Romanum pone sequi. Inexspectatus is nuntius, Atilii animum variè affecit, adversæ quippe pugnæ dolore perturbatum, præsens bene gerendæ rei spes recreabat, quod fortuna hostem id loci clausum, duobus Consularibus exercitibus veluti ad lanienam ultrò destinasse videretur. Tribunis ergo aciem mandat instruere, & paullatim progredi, frontem, quam maximè locorum spatia patiantur, extendere. Ipse conspicatus collem imminentem viæ, qua Galli procedere necesse habebant, effuso ad eum cursu cum equitatu latus, occupavit. Galli, qui Atilium ex Sardinia redi-

rediisse nescirent, rati Æmilium noctu cum equitibus præcurrisse, & tumulum insedisse, ipsi etiam equites suos, expeditis aliquot peditibus intermixtis, illum deturbatum mittunt; sed ut Atilium adesse ex captivis intellectum, jam pro re nata consilium capiunt, quod duplici se bello urgeri animadverterent, ancipitem aciem constituunt, à tergo & fronte eodem simul tempore pugnaturi. Æmilius hoc uno plus Gallis sciebat, collegam Pisas cursum tenere, de ejus adventu nihil dum inaudierat, verum ex ea quæ sub oculis ad collem pugna, promptum erat conjecturam capere, quare equites suis illicò auxilio submittit, ipse cum quadrato legionum agmine mox in hostem pergit. Ei Galli Gæsatos & Insubres aversos retrò, Atilii legionibus Tauriscos & Bojos à fronte opponunt, carpenta cum impedimentis longè extra aciem collocant, prædam in propinquo tumulo, relicto quod satis esse crederent præsidio. Atque ea insignis visa Celtici exercitus species, non ad terrorem modo, sed & ad firmitatem ac robur. Insubres & Boji brachati sagatique, cætera expediti constiterant, Gæsati stolida jactantia feroces, abjectis vestibus, nudi ante ipsam aciem exsultabant, vestium involucra constringere corpora & implicare rati, locis præsertim asperis. Equitum interim in colle certamen, ingentibus enim animis, irarum spei que pleni, ante ora trium exercituum concurrebant, eximium præbuit spectaculum. Ibi Atilius Cos. temere dimicans cecidit, abscissum caput Gallorum Regibus allatum est. Quæ res Romanos adeò non fregit, ut acrius connixi, Gallos paullò post loco pellerent. Æqua verò campi planitie, in Gallos medios legiones utrimque tendebant, quo maximè memorabile prœlium habitum, & difficulter constituas an Galli, an verò Romani potiore conditione pugnaverint; nam Galli obversis quidem tergis se se mutuò tutabantur, ut cum in hostes pectore omnes æquè ferrentur, nulla cuiquam retrò effugiendi spes superesset, qui confirmandis animis præcipuus bifrontis aciei usus est: Romanis gemimus exercitus, & in medio tanquam indagine conclusi hostes, spiritus addebant, metum objiciebat contra ipse Gallorum ornatus, & incredibilis buccinatorum atq; tubicinum multitudo, trucibus & horribilibus militum ululatibus, cantuq; adjuta, ut non tubarum clangor, hominumque modo clamor, sed classicum proximis montium jugis vastisq; saltibus, à terra matre videretur emissum, terribiles visu in prima acie Gæsati, viribus & magnitudine præstantes, corpora patrio ritu motantes cætera nudi præter scutum, torquibus & armillis fulgebant aureis, ea species cum Romanorum animos pavore & stupore perstringeret, cupiditate spoliorum & spe prædæ simul accendebat. Pugnâ à sagittariis cœptâ, mox apparuit, Gæsatos futile con-

silium sequutos, cum interiorem aciem saga protegerent, isti omnibus passim missilium jactibus inermes essent expositi, quæ grandinis ritu densa cadebant, exiguo quippe immanibus corporibus in Gallico scuto præsidio, itaque turbari primò & fluctuare, plerisque jam vulneratis, deinde cum sagittarios eminus jaculantes assequi non possent, & telorum copia assiduè obruerentur, magna pars salutem desperare, in confertissimos hostes ultrò, furore acta irruere, atque se certæ & destinatæ morti objicere, reliqui manifestam fugam fractis animis capessere, & sociorum retrò ordines confundere. Ut Gæsatorum eo prœlio ingens ostentatio, usus nullus extiterit. Romani hac velitatione defuncti, sagittarios recepere, & agmine promoto, stataria deinde cominus pugnam cum Insubribus, Bojis, Taurisci commisere, quorum omnium virtus atque opera enituit, sed virtutem arma destituêre, siquidem Gallorum tum scuta tum gladii, ad Romanos comparati, longè erant impares, scuta illis ex cortice aut vimine infirma, Romana ex tabulis, nervo ferroque munita, gladii inde prælongi ac sine mucronibus, quibus miles cædendo fere frustra fatigaretur, hinc brevitate habiles, mucronibus acutis & validis, punctim crebra & angusta, sed mortifera vulnera inferebant. Ad eum modum multi Gallorum exanimabantur, sed pertinax reliqui in spe mala prœlium sustentabant, donec Romani equites ex colle decurrentes, in alterum cornu acerrimam impressionem fecerunt, qua primùm pulsus Gallicus equitatus, terga vertit, peditatus usque resistens, ita concisus est, ut quem quisque pugnæ locum vivus cepisset, eum etiam mortuus, prostrato corpore tegeret. Interfecta hominum circiter quadraginta millia, capta non pauciora decem millibus, inter captivos rex Concolitanus inventus, Aneroestes cum paucis fugiens, voluntaria sua suorumque morte, vinculorum ludibria prævertit. Æmilius Cos. spolia victor legit, Romamque misit, prædam receptam prioribus dominis dilargitus est. Post illa cum exercitu per Liguriam profectus, Bojorum fines invasit, atque tantam vastitatem reposuit, ut ingentes populationes vel infinitæ militum cupiditati sufficerent. Paucos dies moratus, Romam reversus, signa cum torquibus & armillis aureis in Capitolio suspendit, reliqua spolia & captivos, præ se triumphans egit. Apud Zonaram lego, Æmilium superatis Bojis triumphantem, captivorum principes armatos in Capitolium perduxisse, acerbo irriso insolenti voto insultantem, quo se ferebantur obstrinxisse, thoraces nisi in Capitolio non posituros: paullò aliter Florus, jurasse Gallos BRITOMARO duce, non prius se baltea soluturos, quàm Capitolium ascendissent, factum, victos ab Æmilio ibi discinctos esse. Britomari nomen alibi

Armorum comparatio ex diversis auctoribus petita.

Flor. lib. 2. c. 4.

BRITOMARUS.

non

non invenio, Florum Zonaramque si conjungas, Bojorum regem fuisse intelligas. Atque eo quidem rerum successu Gallicus tantus motus repressus, ad nihilum recidit, qui paullò ante urbem præcipuè Romam, tum reliquam Italiam, terrore & tumultu concusserat universam.

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXXII. Romanis proinde crevere spiritus, & fiducia addita, Gallos agris circa Padum posse ejici. T. Manlio & Q. Fulvio, ambobus Coss. eam provinciam, anno ducentesimo vigesimo secundo, antequam Christus nasceretur, decernunt. Conjunctis uterq; maximis & apparatissimis copiis, in Bojos ducunt, sed cum eos pellere majoris operæ & laboris esse coram cernerent, imminutos ad tempus ex præterita calamitate animis, in fidem deditionemque recipiunt. Varia deinde fama est, Consules sive trajecto Pado multa millia Insubrum cæcidisse, sive quod Polybius credidit, imbrium & pestilentiæ magnitudine deterritos, à reliquis Gallis tunc bello persequendis abstinuisse. C. Flaminio P. Furio Coss. Bojos religio nuperi fœderis, & accisarum virium conscientia, quietos continuit, domi quidem; nam quorum nondum perdomiti spiritus, turbulenta adhuc coquebant consilia, eos foras in Insubriam GARGENI regis ductu militatum abiisse, Silius indicat, quo loco Flaminii cassidem, Gargeno detractam, describit. Oros. lib. 4. c. 13.

CCXXI.

GARGENVS. Sil. lib. 5.

Ære, atque æquorei tergo flavente juvenci,
Cassis erat munita viro, cui vertice surgens
Triplex crista, jubas effundit crine Suevo,
Scylla super, fracti contorquens pondera remi,
Instabat, sævosq; canum pandebat hiatus,
Nobile Gargeni spolium: quod rege superbus
Bojorum cæso, capiti illacerabile victor
Aptarat, pugnasq; decus portabat in omnes.

Sanè Flaminium rem in Insubria hoc anno gessisse constat: sed maximam belli partem Bojos fuisse, ipsius apud Silium oratio, extra dubium ponit.

Siccine nos, inquit, Bojorum in bella ruentes
Spectastis, cum tanta lues, vulgusq; tremendum
Ingrueret, rupesq; iterum Tarpeja paveret?
Quas ego tunc animas, dextrâ quæ corpora fudi,
Iratâ tellure fata, & vix vulnere vitam
Reddentes imo? jacuere ingentia membra
Per campos, magnisq; premunt nunc ossibus arva.

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXX. Anno sequenti M. Claudius Marcellus, Cn. Cornelius Scipio Coss. Insubres adversis prœliis fatigatos, in potestatem redegere. Marcellum adversus Gallos Insubres & Gæsatos certasse, omnium scriptorum consensus est, uni Capitolini lapides, DE. GAL-

LEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMAN. triumphaſſe oſtendunt: unde quod antea à nobis dictum, Celticum & Gallicum nomen uſurpatum olim promiſcuè, in Germanico quoque verum eſſe apparet. Marcellus ſpolia opima Virdumaro Gæſatorum Regi detracta, legit: Virdumarum genus à Rheno jactantem, virgatas brachas indutum pugnaſſe, Propertius memorat.

Propert. lib. 4. el. penult.

Redactis in ordinem Bojis & Inſubribus, longum res Gallicæ, quæ horum potiſſimum populorum virtute in Italia viguiſſent, quieturæ videbantur: cum vix toto exacto quadriennio, P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Longo Coſs. novæ irarum cauſſæ exortæ, præſenti bene gerendæ rei ſpe, & præclara in ſpeciem occaſione ulciſcendi Romanos, quam Boji ſibi inexſpectatam obveniſſe gaudebant, magnopere accenſæ ſunt. Geminas Romani colonias, Placentiam cis Padum in Bojorum agro, Cremonam ultra, Inſubribus coërcendis, reprimendisque Gallis decreverant, ſcriptis duodecim colonorum millibus, C. Lutatio, C. Servilio, T. Annio Triumviris, quamquam Triumvirorum nomina ab auctoribus aliter atque aliter prodita. Has perpetuæ ſervitutis compedes interpretati Boji, gravius aliquantò quam agrariam Flaminii ante legem accepere, nullum tandem injuriarum finem fore rati, ita alias ex aliis oriri, ſi ſe Romanorum fidei permiſerint, non vinciendos tamen ideo nectendosque dediſſe, nam hoc manifeſtò agi, extremum dominantium faſtidii gradum eſſe, mancipia ſub vicariis habere, colonias huic rei delectas, & ne quid contumeliarum abſit, Latinas, erat enim Latina utraque, tam fœdi dedecoris maculam, & Bojis, & Celtis, & viris denique, vel ſanguine profectò elue ndam. Annibal tunc temporis capta exciſaque Sagunto, trajecto Ibero flumine, iter per Hiſpaniam & Galliam in Italiam tenebat, Romanos totius Africæ viribus oppugnaturus. Magna ducis, magna exercitus virtutis fama, Bojos defectionem maturare impulit, & ſolicitati Inſubres, ſe ineundæ protinus ſocietati, promtos paratosque juxta reſponderant, quod optima ſpe uterque populus duceretur, rem Romanam, & Gallorum, & Carthaginienſium antehac incurſu atque illiſu ſæpius inclinatam, conjunctis amborum viribus, aliquando prolapſuram, everti poſſe. Romani proxima pactione fœderum obſides à Bojis exegerant, quorum tunc ſalus, præ indignationis impetu vindictæque cupiditate, neglecta. Arreptis enim derepente armis, tantum terroris ac tumultus in Placentinum agrum illatum eſt, ut non agreſtis modo multitudo, ſed ipſi Triumviri, qui agrum aſſignandum venerant, diffiſi novæ coloniæ mœnibus, Mutinam confugerint. Habent quidam annales, legatos ad expoſtulandum miſſos, à Bojis violatos, cæteri in Triumviros agrum metantes,

AN. ANTE CHR. N. CCXVI.

Aſcon. in Piſon. Liv. lib. 21. Polyb. lib. 3.

Ex Polybio, Livio, Silio, aliis.

tantes, factum esse impetum. Mutina confestim obsidione cincta, quæ cum diutius traheretur, simulari cœptum de pace agi, evocatique à Gallorum principibus Triumviri, per colloquii speciem comprehensi sunt. Romani queri, non jus modo gentium, sed & fidem, quæ in id tempus data esset, violatam, Galli negare eos se, nisi redditis obsidibus, dimissuros. Cum de legatis resciisset L. Manlius Prætor, Mutinamque & præsidium in periculo esse intelligeret, ira accensus, effuso agmine obsessis subsidium ferre accelerat. Id quamprimùm Bojis nunciatum, insidias in silva, quæ circa viam erat, collocant, in eas Manlius, inexploratò profectus, præcipitatus, plurimis suorum desideratis, ægrè in apertos campos emersit: ibi communitis castris, quamquam accisis rebus, militum animi refecti, quod hostem oppugnatione abstinere cernerent. Iter deinde de integro cœptum, per patentia primùm loca, ubi silvæ rursus intratæ, Boji à tergo iterum apparuere, tum postremos adorti, cum magna trepidatione ac pavore omnium, octingentos ex Romanis occiderunt, sex signa ademere. Finis cædis fuit, ut ex saltu invio atque impedito evasum, inde Romani per aperta præcipiti fuga Tanetum, vicum propinquum Pado, contendêre, ubi à Bojis circumsessi, se munimento ad tempus, commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio, adversus crescentem indies multitudinem hostium, tutabantur. Romam tumultu perlato, Senatus, veritus ne Manlius diuturna obsidione periclitaretur, C. Atilium Prætorem cum una legione Romana, & quinque millibus sociorum, delectu novo à Cos. conscriptis, auxilium ferre jubet: qui sine ullo certamine Tanetum pervenit, Boji enim eo non exspectato, abscesserant. Annibal interea superato Rhodano, incertus utrum quod cœperat iter, rectâ in Italiam intenderet, an cum Scipione consule, cujus sub oculis coram exercitus, manus consereret, Bojorum legatos, regulumque MATALUM, ut nomen à Livio scriptum est, Polybius Magilum appellat, tempore obvios habuit, qui se duces itinerum, socios periculi professi, Italiam integro bello, nusquam ante libatis viribus, aggredi persuasere. Postquam sententia stetit pergere ire, advocata concione legatos producit, ad multitudinem itidem verba jubet facere, illi per interpretem eadem consilia ferre, ad transitum Alpium hortari insistunt, se cæterosque Galliæ populos auxilio futuros polliceri, sine metu esse iter his ducibus, ut ut asperum, certè non inexsuperabile, commeatum præterea affatim promittunt, & uberes Italiæ campos, quibus statim ab Alpibus potituri essent, ostentant. Subsequutus Matalum legatosque Annibal, exercitum viæ difficultate & Alpium nomine consternatum, oratione confirmat, argumento inter prima usus, ne in-

MATALUM.

Perottus Polybii interpres Magili nomen omisit.

ne invias crederent, quas illi ipsi quos cernerent legati, non pennis sublime elati, sed pedibus essent transgressi, nec majores quidem eorum indigenas, sed advenas Italiæ cultores, ingentibus sæpè agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tutò transiisse. Incitatus exemplo & adhorationibus miles, in potestate fuit. Alpes decimo quinto die, difficili hominum jumentorumque labore, magno utrorumque desiderato numero, superatæ sunt. Annibal prima castra ad Alpium radices, in Taurinis metatus, refecto exercitu, in Insubres movit. P. Cornelius Scipio, ut se delusum à Pœno, & ad Rhodani ripas nequicquam destitutum vidit, misso in Hispaniam Cn. fratre, cum optima copiarum parte, ipse admodum paucis comitatus, Italiam defensurus mari repetiit. Pisis exscensione facta, per Etruriam movit, & accepto tirone, quo Prætores Manlius & Atilius adversus Bojos usi, maximis itineribus ad Padum contendit, hostem omnia imparatum, priusquam se ex via colligeret, aggressurus. Inter Padum & Ticinum uterque exercitus in conspectum venit, congressis, victoria à Carthaginiensi stetit. Eo se prœlio Annibali Bojorum virtus, CHRIXO duce probavit, neque illi ferocius ad Rhodanum loquuti, quàm fortius ad Ticinum pugnasse visi, tanta animorum vi, quod à Silio poëta proditum, ut reliquæ aciei ne certandi quidem spatium relinquerent. CHRIXUS.

Nec locus est Tyriis belli, pugnæve, sed omnem
Celticus implevit campum furor: irrita nulli
Spicula torquentur, stataq; omne in corpore ferrum.

Sive ea ambitio fortitudinis & audaciæ, adversus novos hospites, sive ira furorque in Romanos fuit. Sed longum sit omnes Silii versus exscribere: paucos istos non pigebit, quibus Chrixus Scipioni Romam captam objicit,

Nemone incensæ, captæq; superfuit urbi,
Vt tibi, quas Brenni populus ferremus in arma,
Narraret dextras? ——

Et verò regerit Scipio,

—— Ferre hoc umbris, proavoq; memento,
Quam procul occumbas Tarpeja à sede, tibiq;
Haud licitum sacri Capitolia cernere montis.

Quæ Chrixum Brenni propinquitatem, quod supra diximus, attigisse, idque per illa tempora clarum exploratumque habitum, profectò ostendunt: neq; nos Brennum Bojis tralatitio illo more vindicare, quo pleræque & Germaniæ & Galliæ, & Britanniæ quoque gentes solent. Chrixus multorum cæde insignis, à Scipione hasta eminus confixus, occisus est. Tum demum populares se recipere, reliquos in laudis & victoriæ consortium admittere.

tere. Annibalem, trajecto Pado cedentes hoſtes inſequentem, Bojorum iterum legatio adiit, & quo magis rata promiſſa crederet, Triumviros Romanos, Mutinæ interceptos, vinctos tradidit, erant ii Conſularis unus, Quæſtorii duo. Pœnus collaudata egregia voluntate, data acceptaque fide, fœdus icit, cæterum Triumviros remiſit, recipierent per eos ſanè obſides ſuos Boji, ſibi ſatis jurisjurandi ſanctitate, religione numinum confirmata, & ſpectata gentis benevolentia cautum eſſe. Bojorum exemplum reliqui Gallici nominis in Italia populi ſequuti, ſe ſe Carthaginienſibus, præter unos Cenomanos, omnes adjunxerunt. Inde cum altero Conſule Sempronio ad Trebiam, eâdem quâ ad Ticinum fortunâ, pugnatum eſt. Proximus annus Cn. Servilium & Cn. Flaminium II. Conſules habuit, tertia Romanorum ad Traſumenum clade, Flaminii temeritate contracta, celebris. Ominoſum eventu æſtimari potuit, nam omnia ex eventu conjici, quàm contra verius eſt, quod Flaminius prius quam pugna committeretur, Bojos à ſe olim victos ferociter gloriatus, tremendum vulgus, animis & corporibus juxta ingentibus, Tarpejæ etiam iterum rupi horribile appellavit, oratione quàm paullò ante ex Silio attulimus: DVCARIVS quippe Bojus, Flaminium armis & manu inſignem tota acie volitantem conſpicatus, facie quoque noſcitans, ad populares ſuos converſus, hic hic eſt Bojorum terror Conſul exclamat, qui legiones noſtras cecidit, patres ante ſe vinctos triumphans egit, jam ego hanc victimam Dis patriis ultoribus, & peremptorum fœdè civium manibus devoveo, ſubditisque calcaribus equo, per confertiſſimam hoſtium turbam impetum facit, atque obtruncato prius armigero, qui ſe infeſto venienti objecerat, Flaminium lancea transfixit, ſpoliare cupientem, triarii objectis clypeis arcuere. Eo haud dubiè momento victoria ſtetit, nulla inde pugna, diverſis diſſipatisque Romanis, effuſa in omnes partes fuga ſequuta. Sed Inſubrem Ducarium Livius appellat. Credo quod ante ſex annos Inſubribus cum Gargeno auxilio venerit, ubi Flaminium noſſe potuit. Silius diſertè Bojum dixit,

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXV.

DVCARIVS.

Advolat ora ferus, mentemque, Ducarius acri
Nomen erat gentile viro, fuſiſque catervis
Bojorum quondam patriis, antiqua gerebat
Vulnera barbaricæ mentis, noſcensque ſuperbi
Victoris vultus. ——

Conſulem autem à Ducario transfixum, ex Livio eſt, Silius incertis telorum jactibus obrutum ſcripſit. Traſumenum Cannæ excepere, exitiabile prope rei Romanæ vulnus. Tum L. Poſtumius Albinus & Ti. Sempronius Gracchus conſules deſignati. Verum Poſtumius antequam iniret, cum Galliam provinciam Prætor obtineret, à Bojis cum exercitu occiſus eſt, callido ex-

ANN. ANTE CHR. NAT. CCXIV.

do excogitato consilio, quod fidem difficile inveniat, nisi Romani ipsi scriptores proderent. Sylva vasta erat, Litana nomine, qua Romanus exercitus transiturus, ejus dextra lævaque circa viam arbores, Boji ita inciderant, ut exigua parte sustentatæ, donec impellerentur immotæ starent, levi momento impulsæ corruerent. Legiones duas habebat Postumius, sociorum tantum, ut viginti quinque armatorum millia conficeret, eæ copiæ ubi saltum intravere, Boji sylvæ oras circumsedentes, extremas arborum succisarum protrudunt, illæ alia aliam cadendo impellunt, itaque propagata ancipiti strage, arma, viros, equos obruunt, ut vix decem homines effugerint, nam cum plerique exanimati essent arborum truncis, fragmentisque ramorum, cæteram quoque multitudinem Boji, inopinato malo trepidam, occasione usi trucidarunt, pauci è tanto numero capti, qui pontem fluminis, ab hostibus antea obsessum, petentes, intercluси sunt. Postumius omni vi obnixus ne caperetur, pugnando occubuit, spolia corporis caputque præcisum, Boji ovantes, templo quod sanctissimum habebant intulere, & purgato capite, calvam patrio more auro cælavere, sacri vasis vicem, quo solemnibus libarent, & poculi, sacerdoti ac templi antistibus. Atrox visum Romanis in mortuum hostem ludibrium, & barbaræ feritatis facinus, qui superioribus tamen annis, per religionis & ipsi speciem, Gallos in foro boario vivos defoderant, adeò de aliorum quàm suis quisque moribus inclementius arbitratur. Præda Bojis haud minor quàm victoriâ fuit, quamquam magnam animalium partem strages sylvæ oppresserat, cæteræ tamen res, quod fuga nihil dissipasset, stratæ per omnem jacentis agminis ordinem inventæ sunt. Romæ autem tanta nuntium trepidatio sequuta, ut Senatus, qui Cannensi ruinæ non succubuerat, ad hanc calamitatem animos, secundioris fortunæ desperatione, prope submitteret, populus per dies multos clausis tabernis, veluti nocturna solitudine, ferale justitium ageret, donec Ædiles aperiri tabernas, & publicæ mœstitiæ faciem urbi demi jussere, Ti. Sempronius Senatum, oratione consolatus, erexit. De bello adversus Carthaginienses continuando agitatum, Gallicum sive Boicum, quamquam stimulante ira, dilatum est, quod Pœno Italiam armis vastante, multorum dissimulandæ injuriæ, gentis propinquæ & validæ animi amplius irritandi non viderentur.

Polyb. Liv. Zonaras, Frontin. lib. 1. c. 6.

Plut. Marcello, & quæst. Rom Oros. Zonaras.

Liv. lib. 27. Anno belli undecimo, C. Servilius (filius C. Servilii, qui Triumvir agrarius in Placentinæ coloniæ deductione captus) cum Tribunus plebis Romæ fuisset, Aedilis plebejus factus est, plerisque negantibus, jure aut Tribunum plebis fuisse, aut Ædilem esse, quod patrem, quem occisum à Bojis circa Mutinam, opinio per decem annos fuerat, vivere, atque in hostium potestate esse, satis constabat. AN. ANTE CHR. N. CCVII.

Anno

ANN. ANTE CHR. N. CCV. Anno duodecimo, Asdrubal Annibalis frater cum maximis copiis in Italiam venit, & Placentia in Bojorum gratiam frustra tentata, ad Senam Gallicam à Claudio Nerone & Livio Salinatore Consulibus, cum exercitu deletus est. Eo prælio, uti & per reliquam Punici belli historiam, multa est apud scriptores Gallorum generatim mentio, facili negotio ad Bojos privatim plerumque derivanda, sed ancipitib⁹ conjecturis certam fidem adjungere, ego nemini sim auctor. Illud manifestam interpretationem habet, cum cæso Asdrubale, victoria, non jam unius alicujus prœlii, sed totius belli, à Pœnis ad Romanos, etiam Annibalis confessione inclinaret, itaque se se occasio priores injurias ulciscendi a- CCIV. periret, eoq; jussus esset Q. Manlius Thurinus Prætor, L. Veturio Philone, Q. Cæcilio Metello Consulibus, agros Gallorum, qui Asdrubalem sub ejus adventum juvissent, populari, eâ procella Bojos præcipuè fuisse involutos; quippe cum se Annibali non in Italia, ut alii plerique, adjunxerint; sed eo veniendi fuerint auctores, quam cupidè fratrem subsidio subeuntem exceperint, ne conjectura quidem indiget. Ad Bojos & Insubres quoque illud pertinet, quod Livius scripsit, Placentinorum & Cremonensium legatos, questos Romæ iis Consulibus, agrum suum ab accolis Gallis, incursari ac vastari, magnamq; partem colonorum dilapsam esse, & infrequentes se urbes, agrum vastum ac desertum habere. Placentiam enim Boji, alteram Insubres accolebant, Manlio Prætori mandatum, ut colonias ab hoste tueretur. Liv. lib. 31.

CCI. Anno post Annibalis in Italiam adventum decimo quinto, C. Servilius Consul, patrem C. Servilium, & C. Lutatium patruum, ex Bojorum demum servitute liberatos, Romam reduxit, qua id verò occasione, quibusq; conditionib⁹, à nemine proditum invenio, neque quis tertii Triumviri agrarii T. Annii, fue- CIC. rit exitus. Annibal secundum hæc in Africam, Carthaginiensium jussu revertit. Biennio post, Punicum bellum, omnium quæ populus Romanus unquam gessit, in omnem partem maximè memorabile, pace finitum est. Eodem anno. P. Ælius Pœtus Consul, cum audisset à Bojis incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subitariis, tumultus ejus caussa scriptis, & additis ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium sociorum præfectum, per Vmbriam Bojorum agrum jussit invadere, ipse eodem aperto itinere per montes duxit. Appius Bojorum fines ingressus primo populationes satis prosperè ac tutò fecit, delecto deinde ad castrum Mutilum idoneo loco, ad demetenda frumenta (jam enim maturæ erant segetes) profectus, neque explorato circa, nec stationibus satis firmis, quæ armatæ inermes atque operi intentos tutarentur, positis, improviso hostium impetu cum frumentatoribus est circumventus, inde pavor fugaque Liv. lib. 30. Liv. lib. 31.

Digitized

etiam armatos cepit. Ad ſeptem millia hominum palata per ſegetes, ſunt cæſa, inter quos ipſe C. Appius Præfectus, cæteri in caſtra metu compulſi, inde ſine certo duce, conſenſu militari proxima nocte, relicta magna parte rerum ſuarum, ad Conſulem per ſaltus prope invios profugere. Conſul magno ſuorum malo, Bojorum fines populatus, Romam rediit.

Cæterum pacatis Carthaginienſibus, ſuperfuere ex magno bello reliquiæ, & reſtincti incendii quodammodo ſcintillæ; ſubſtiterat in Liguria Pœnus Amilcar quidam, incertum ex Aſdrubalis an Magonis exercitu, eo duce proximo año Inſubres, Cenomani & Boji, parati ſequi omnem, quæ Romanis adverſa eſſet, novitatis auram, excitis Sallyis Ilvatibusque, & cæteris Liguſticis populis, Placentiam invaſerunt, & direpta urbe, ac per iram magna ex parte incenſa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ urbis audita clades ſpatium colonis dedit ad claudendas portas, præſidiaq; per muros diſponenda, ut obſiderentur tamē prius, quam expugnarentur, nuntiosq; ad Prętorem mitterent. L. Furius Purpureo, provinciæ Galliæ Prætor præerat, cætero exercitu ex Senatusconſulto dimiſſo, præter quinq; millia ſociorum ac Latini nominis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ circa Ariminum ſubſtiterat. Is tum Senatui Romam ſcripſit, duarum coloniarum, quæ velut clauſtra ad cohibendos Gallicos tumultus oppoſitæ, ingentem illam tempeſtatem Punici belli ſubterfugiſſent, alteram captam ac direptam ab hoſtibus, alteram oppugnari; nec in exercitu ſuo ſatis præſidii colonis laborantibus fore, niſi quinque millia ſociūm quadraginta hoſtium millibus, tot enim in armis eſſe, trucidanda velit objicere, & tanta ſua clade jam inflatos excidio coloniæ Romanæ augere animos. Litteris in Senatu recitatis, non contemnenda res viſa, juſſus C. Aurelius Conſul exercitum, cui in Etruriam ad conveniendum diem jam edixerat, Arimini eadem die adeſſe jubere, & aut ipſe ad opprimendum tumultum Gallicum proficiſceretur, aut L. Furio Prætori ſcriberet, cum ad eum legiones ex Etruria veniſſent, proficiſceretur ipſe ad coloniam obſidione liberandam. Legati item in Africam ad Carthaginienſes miſſi, Amilcarem civem eorum, excito ad arma contra Populum Romanum Gallorum, Inſubrum, Cenomanorum, Bojorum, Ligurumque exercitu bellum contra fœdus facere, eum, ſi pax placeret, revocandum & dedendum eſſe. Reſponſum à Carthaginienſib⁹, nihil ſe de Amilcare ultra facere poſſe, quam ut exilio eum mulctarent, bonaq; ej⁹ publicarent. Traducto verò conſulari exercitu ex Etruria Ariminum, quinq; millia ſociorum ex Gallia in

Liv. Oroſ. Zonar.

ANN. ANTE CHR. NAT. CXCVIII.

Etru-

Etruriam transierunt. Itaque L. Furius magnis itineribus ab Arimino adversus Bojos & reliquos fœderatos populos, Cremonam adhuc obsidentes, profectus, castra mille quingentorum passuum intervallo ab iis posuit. Creditum Gallos opprimi potuisse, si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset, palati enim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio, sed lassitudini militum timuit, quod raptim ductum erat agmen. Galli clamore suorum ex agris revocati, omissa præda, quæ in manibus erat, castra repetivere, & postero die in aciem progressi, nec Romanus moram pugnandi fecit, sed vix spatium instruendi fuit, eo cursu Galli in prœlium venerunt. Primo Galli omni multitudine in unum locum connixi, obruere atq; obterere se se dextram Romanam alam, quæ ex sociis erat sub M. Furio, sperarunt posse: ubi id parum procedebat, circumvenire à cornibus & amplecti aciem, quod multitudine superantibus facile videbatur, conati sunt. Id ubi vidit Prætor Romanus, ut & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis, dextra lævaque, alæ, quæ in prima acie pugnabat, circundare M. Cæcilio Legato mandat, ipse ædes Jovi duas vovet, si eo die hostes fudisset, quæ re dubia & ancipiti Romanorum religio: L. Valerio item Legato imperat, ut altera parte duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumvenire eos aciem patiatur, simul & ipse, ut extenuatam mediam aciem Gallorum diductis cornibus vidit, signa inferre confertos milites, & perrumpere ordines jubet, ita cornua ab equitibus, & medii à pedite pulsi, ac repente, cum omni parte cæde ingenti sternerentur, Galli terga vertêre, fugaq; effusa castra repetierunt; fugientes persequutus eques, mox & legiones insequutæ, in castra impetum fecerunt. Magna ea strages, nec Romanis incruenta fuit, Bojorum sociorumq; minus sex millia inde effugerunt, cæsa & capta supra quinque & triginta millia, cum signis militaribus septuaginta, carpentis Gallicis multa præda oneratis, plus ducentis. Amilcar dux Pœnus, & tres imperatores nobiles Gallorum cecidere, nomina non extant. Ad duo millia captivorum Placentinorum liberata. Romanorum sociorumque circiter duo millia desiderata, plurimi dextræ alæ, in quam primo impetu ingens vis hostium illata est. Consul Aurelius, confecto jam bello, quod difficillimum appellavit Orosius, in provinciam venit, & indignatus Prætorem se absente rem gessisse, in agrum hostium legiones induxit, populandoque, cum præda majore quam gloria, bellum gessit. Romæ supplicatio per triduum fuit, L. Furio triumphus decretus, is trecenta viginti millia æris, argenti centum septuaginta millia pondo, in ærarium tulit, neq; spolia prælata, neque milites sequuti, quos penes se retinuerat Consul. Oros. lib. 4. c. 20.

Zonaras auctor est, fœderatos legatos de pace mississe, quæ Liguribus data sit, Gallos nihil impetrasse, neque Amilcarem illo anno occubuisse, quo duce postea Galli multas Romanis clades intulerint, & Placentiam sequenti demum anno fuisse oppugnatam ; verum ego Livii fidem sequi malo. Sequenti Cn. Bæbius Pamphilus Prætor, temere Gallorum Insubrum fines ingressus, prope cum toto exercitu circumventus, supra sex millia & sexcentos milites amisit. Sex. inde Ælius Pætus Consul, cum duos in provincia exercitus sub se subque C. Ælio Prætore haberet, nihil tamen memorabile adversus Gallos gessit, totum prope annum Cremonensibus Placentinisq; cogendis redire in colonias, unde belli casibus dissipati erant, consumsit.

Liv. lib. 32.

ANN. ANTE CHR. NAT. CXCVII. CXCVI.

Zonaras.

Galli lentitudine animati, spiritus tollebant, nec mediocria agitare, sed ad veterem majorum fortunam aspirare visi, Romanis curam addidere, ut ambos contra illos consules, C. Cornelium Cethegum, L. Minutium Ruffum mitterent. Cornelius recta ad Insubres via, qui assumptis Cenomanis in armis erant, profectus est ; L. Minutius ad inferum mare flexit iter, Genuamq; exercitu adducto, ab Liguribus bellum orsus, brevi plerisque eorum civitatibus atque oppidis potitus est. Et jam omnia cis Padum, præter Gallorum Bojos, Iluates Ligurum, sub ditione erant, quindecim oppidis, hominum viginti millium deditis. Inde in agrum Bojorum legiones ductæ. Bojorum exercitus, haud ita multò ante Pado trajecto, junxerat se Insubribus & Cenomanis, quod acceperant Consules conjunctis legionibus rem gesturos, ut & ipsi collati in unum firmarent vires. Posteaquam fama accidit alterum consulem Bojorum agros urere, seditio extemplo orta, postulare Boji, ut laborantibus opem universi ferrent, Insubres negare se sociorum caussa sua deserturos, ita divisæ copiæ, Bojis in agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis super amnis Mincii ripas consederunt. Ibi Insubres Cenomanorum perfidia proditi, magna pugna à Cornelio Consule victi sunt. Amilcarem Pœnum imperatorem, qui belli caussa fuisset, quemque ante triennium cecidisse, Livium secuti scripsimus, tunc demum vivum in Romanorum potestatem venisse, quidam auctores habent. Minutius primo effusis populationib⁹ peragraverat fines Bojorum, deinde ut relictis Insubribus ad sua tuenda receperunt se se, castris se tenuit, acie cum illis dimicandum ratus. Nec Boji detrectassent pugnam, ni fama allata victos Insubres, animos fregisset. Itaque relicto duce & castris dissipati per vicos, sua ut quique defenderent, rationem belli Consuli mutarunt : omissa enim spe per unam dimicationem rei decernendæ, rursus populari agros, urere tecta, vicosque expugnare cœpit, oppidorum aliquot & vicorum, in tempus simulatas

CXCV.

Liv. lib. 33.

ullo

ullo pignore deditiones extorsit, magno interim etiam militum numero amisso, inter quos T. Juventius, & Cnæus Labeonis frater militum tribuni, cum multis aliis viris fortibus, civibus ac sociis, adversa pugna ceciderunt. Inde Liguſtini Ilvates, ut Insubres acie victos, Bojos territos audivere, ita ut spem certaminis tentare non auderent, in potestatem veniunt. Romæ ob res prosperè gestas supplicatio quatridui decreta est. Cornelius de Insubribus Cenomanisque in urbe, Minutius de Liguribus & Bojis, injussu Senatus & populi, in Monte Albano triumphavit. Sed Minutii Triumphus ut loco, ita fama rerum gestarum, & quod sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonoratior fuit, signis carpentisque & spoliis alterum ferme æquavit, pecuniæ etiam prope par summa fuit, æris translata ducenta & quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia & ducenti, septuageni æris militibus divisi, duplex equiti, triplex centurioni.

Liv. lib. 32.

Liv. lib. 33.

AN. ANTE CHR. N. CXCIV.

Proximus annus L. Furium Purpureonem, quem Prætorem cum Gallis pugnasse diximus, & M. Claudium Marcellum Consules habuit, uterq; contra Gallos profectus est. Marcellum Bojorum fines ingressum, fatigato per diem totum milite via faciendo, castra in tumulo quodam ponentem, COROLAMVS regulus Bojorum, cum magna manu adortus, ad tria millia hominū occîdit, & illustres aliquot viri in illo tumultuario prœlio ceciderunt, inter quos præfecti sociûm T. Sempronius Gracchus, M. Junius Syllanus, & tribuni militum de legione secunda A. Ogulnius & P. Claudius. Castra tamen à Romanis permunita retentaque, cum Boji à prospera pugna nequicquam oppugnassent. Stativis deinde eisdem per dies aliquot se Marcellus tenuit, dum & saucios curaret, & tanto terrore animos militum reficeret. Boji ad moræ tædium minimè patientes, in castella sua vicosque dilapsi sunt. Marcellus inde emissus, Pado confestim trajecto, adversus Insubres & Comenses rem feliciter gessit. Quamquam inter scriptores ambigitur, utrum in Bojos prius an Insubres exercitum duxerit, adversasq; prosperæ res obliteraverint, an victoria trans Padum parta, deformata sit clade in Bojis accepta. Sub hæc tam varia fortuna gesta, L. Furius Purpureo alter Consul, per Vmbriam in Bojos venit. Jam castro Mutilo appropinquabat, cum veritus, ne intercluderetur simul à Bojis Liguribusque, eadem via qua adduxerat reduxit, & magno circuitu per aperta eaque tuta loca ad collegam pervenit. Dein junctis exercitibus, primum Bojorum agrum, usque ad Felsinam oppidum, populantes peragraverunt. Ad Bojorum decus pertineat, quod Felsinam Bononiæ appellationem à Bojis traxisse sunt qui scripserint, nam conjecturam qua situs, qua fluvius ibi Rheni nomine, juvat.

COROLAMVS

Raph. Volat. comment. lib. 4. P. Marsus in 8. lib. Silii, & recentiores alii plerique.

juvat. Sed nobis vera præ ſpecioſis ſint ; Bononia appellata cum hæc urbs,tum aliæ alibi terrarum,Latina origine, à bene ominantibus colonis,uti Placentia,Pollentia, Valentia, Florentia, Beneventum,& ejus generis pleræque. Felſina tamen,Bononiæ nomen undecunque habeat,Bojorum fuit. Eam tunc cæteraq; caſtella, & Bojos ferè omnes , præter juventutem, quæ in armis erat (in devias ſylvas receſſerat) in deditionem veniſſe Livius
Liv,lib.33. auctor eſt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boji obnoxiam pacem averſi, & negligentius coactum agmen Romanorum, quia ipſi procul abeſſe viderentur,improviſo aggreſſuros ſe rati,per occultos ſaltus ſequuti ſunt, quos non adepti,Pado repente navibus trajecto,Lævos Lebuosq; cum pervaſtaſſent,redeuntes inde extremo Ligurum fine , cum agreſti præda in agmen Romanum incidunt. Celerius prœlium acriusq; commiſſum,quam ſi tempore locoq; ad certamen deſtinatis, præparatis animis concurriſſent. Bojus qui laceſſitum venerat,Romanorum ferocia perterritus,pulſus eſt.Ibi quantam vim ad ſtimulandos animosira haberet apparuit , nam ita cædis magis quàm victoriæ avidi pugnarunt Romani,ut vix nuntium cladis Bojis reliquerint.Marcellus de Inſubribus Comenſibusq; triumphavit ; Purpureoni collegæ Bojorum triumphi ſpem reliquit , quia ipſi propriè adverſa pugna in Bojis evenerat,collegæ ſecunda. Apud
Oroſ.lib. 4.c.20. Oroſium lego , Marcellum in Etruria à Bojis oppreſſum , magnam partem exercitus amiſiſſe , quod ad Corolami victoriam referendum , alterum poſtea Conſulem Furium auxilio acceſſiſſe, itaque ambos univerſam Bojorum gentem igni ferroque vaſtantes,ad exitium propemodum uſque deleviſſe.

Liv.lib.33. M.Porcio Catone, L. Valerio Flacco Coſſ. fractis proximo anno quadamtenus Inſubrum & Bojorum animis, uni Valerio Conſuli Gallia provincia decreta eſt. Is per æſtatem cum Bojo-
Liv,lib.34. rum exercitu propter Litanam ſilvam, quæ L. Poſtumii Conſulis clade, Bojorum victoria, ante annos xx nobilitata fuerat, ſignis collatis ſecundo prœlio conflixit. Octo millia Bojorum cæſa traduntur , cæteri omiſſis in præſens armis, quæ proxima quaque occaſione reprehenderent, in vicos ſuos atque agros dilapſi. Valerius reliquum æſtatis quieta provincia , circa Padum Placentiæ & Cremonæ exercitum habuit, reſtituens, quæ in iis oppidis bello diruta fuerant. P. Cornelio Scipione Africano II. T.Sempronio Longo Conſulibus , ambobus rurſus Gallia provincia decreta eſt. Eo anno L. Valerius Flaccus Procos. circa Mediolanum cum Inſubribus & Bojis,qui DORVLACO duce,ad concitandos Inſubres Padum transgreſſi erant,ſignis collatis depugnavit,decem eorum millia cæſa ſunt. Sempronius poſtmodum Conſul in provinciam profectus , in Bojorum etiam a-

AN. ANTE CHR. N. CXCII. — CXCII. — DORVLACVS

grum

grum legiones duxit. BOIORIX tum regulus eorum, cum duobus fratribus, tota gente concitata ad rebellandum, castra idoneis locis posuit, ut appareret dimicaturos, si Romani fines intrassent. Consul ubi quantæ copiæ, quanta fiducia esset Bojo sensit, nuntium ad collegam mittit, ut, si videretur ei, maturaret venire, se tergiversando rem in ejus adventum extracturum. Quæ causa Sempronio cunctandi, eadem Bojis, præterquam quod cunctatio hostium animos faciebat, rei maturandæ erat, ut priusquam conjungerentur consulum copiæ, rem transigerent. Per biduum tamen nihil aliud, quàm steterunt parati ad pugnam, si quis contra egrederetur, tertio subiere ad vallum, castraq; ob omni simul parte aggressi sunt. Consul Romanus extemplo arma capere milites jussit, armatos pauliſper continuit, ut & fiduciam hosti augeret, & disponeret copias, quibus quæque portis erumperent. Duæ legiones duabus principalibus portis utrimque signa efferre jussæ, sed in ipso exitu ita conferti obstitere Boji, ut clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est, nec dextris magis gladiisq; res gerebatur, quàm scutis corporibusq; ipsis obnixi urgebant, Romani ut signa foras efferrent, Boji ut aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent; nec ante in hanc aut illam partem moveri acies potuerunt, quam L. Victorius primi pili centurio, & C. Atinius Tr. mil. quartæ hic, ille secundæ legionis, signa adempta signiferis in Bojos jecerunt, dum repetũt enixè signum, priores secundani se porta ejecerunt. Jam hi extra vallum pugnabant, quarta legione in porta adhuc hærente, cum alius tumultus à diversa parte castrorum est exortus, in portam Quæstoriam sive decumanam irruperant Boji, resistentesq; pertinacius occiderant, L. Postumium Quæstorem, cui Tympano fuit cognomen, & M. Atinium, & P. Sempronium Præfectos sociûm, & ducentos ferme milites. Capta ab ea parte castra Romana erant, donec cohors extraordinaria missa à Consule, ad tuendam Quæstoriam portam, eos qui intra vallum erant, partim occîdit, partim castris expulit, & irrumpentibus obstitit. Eodem ferè tempore & quarta legio cum duabus extraordinariis cohortibus porta erupit. Ita simul tria prœlia circa castra locis distantibus erant, clamoresque dissoni, ad incertos suorum eventus, à præsenti certamine animos pugnantium avertebant: Usque ad meridiem æquis viribus, ac prope pari spe pugnatum est, labor & æstus, & sitis inter hæc intolerantia, cum decedere pugna coëgisset, in paucos restantes impetum fecerunt Romani, fusosq; in castra compulerunt. Signum inde receptui à Sempronio datum est, ad quod major pars receperunt se se, pars certaminis studio, & spe potiundi castris Boicis, perstitit ad vallum, quorum paucitate contempta, Boji universi ex castris

BOIORIX CVM DVOBVS FRATRIBVS.

erumpunt, fusi Romani, quæ imperio Consulis noluerunt, suo pavore ac terrore castra repetunt. Ita varia hinc atque illinc, nunc victoria nunc fuga eo die fuit, Romani tamen scriptores Bojorum XI millia, Romanorum V millia occisa fuisse prodidere. Sanè Boji in intima finium se se receperunt, Sempronius Placentiam legiones duxit. Africanum alii cum Sempronio conjuncto exercitu, Bojorum Ligurumque agros populatum isse, quoad progredi silvæ paludesque passæ sint, scribunt, alii nulla memorabili re gesta, Romam rediisse. Et Asiaticum, Africani fratrem, cum Bojorum gente, viginti millibus interfectis, conflixisse, habent manuscripti quidam codices, ejus libelli, qui de viris illustribus conceptus est. At verò, cum nec temporis nec loci rationem ascribant, & multò plurima exempla ejus ipsius libri iis verbis careant, fit ut germana ab auctore esse, fidem non impetrent.

Annotavit Frid. Sylburgius.

L. Cornelio Merula, Q. Minutio Thermo Cos. Cornelius Galliam provinciam sortitus, per extremos Ligurum fines exercitum in agrum Bojorum duxit. Boji, quamquam in aciem prodeunte eo, pugnam detrectare, Romanos ipsorum artibus, neque feliciter, neque cautè satis, petere, Romani ubi nemo obviam exiret, discurrere. Sed diripi sua impunè, quàm tuendo certamen conferere Boji malebant, ut contemptum & incuriam ea ratione Romano augerent, per quæ occasionem secundiori pugnæ sperabant. Postquam omnia ferro igniq; satis evastata erant, Consul agro Boico excessit, & ad Mutinam agmine incauto, ut inter pacatos ducebat. Boji ubi egressum è finibus suis sensere, sequuti silenti agmine, locum insidiis quærentes, nocte prægressi castra Romanorum, saltum insederunt, qua Consuli prætereundum erat. Id cum parum occultè fecissent, Consul, qui multa nocte solitus erat movere castra, ne nox terrorem in tumultuario prælio augeret, lucem expectavit, & cum luce moveret, tamen turmam equitum exploratum misit. Posteaquam relatum est, quantæ copiæ, & in quo loco essent, totius agminis sarcinas, multa præda graves, in medium conjici jussit, & triarios vallum circumjicere, cætero exercitu instructo ad Bojos accessit. Idem & Boji fecerunt, ubi apertas esse insidias, & recto ac justo prœlio dimicandum viderunt. Hora diei secunda ferme concursum est, sinistra sociorum equitum ala & extraordinarii prima in acie pugnabant, præerant duo consulares legati, M. Marcellus & T. Sempronius prioris anni consul. Cornelius nunc ad prima signa erat, nunc legiones continebat in subsidiis, ne certaminis studio prius procurrerent, quàm datum signum esset, equites earum extra aciem in locum patentem L. & P. Minutios Trib. milit. educere jussit, inde cum signum dedisset, impetum ex aperto facerent.

Liv. lib. 35. ANN. ANTE CHR. NAT. CXCI.

Hæc

Hæc agenti, nuntius à Sempronio venit, non ſuſtinere extraordinarios impetum Bojorum, cæſos permultos eſſe, & qui ſuperſint, partim labore, partim metu remiſiſſe ardorem pugnæ, legionem alteram ex duabus, ſi videretur ſubmitteret, priuſquam ignominia acciperetur. Secunda legio miſſa eſt, & extraordinarii recepti, tum redintegrata eſt pugna, cum & recens miles, & frequens ordinibus legio ſucceſſiſſet, & ſiniſtra ala ex prœlio ſubducta eſt, dextera in primam aciem ſubiit. Sol ingenti ardore torrebat, nullius rei æquè atq; æſtus impatientia corpora Bojorum, denſis tamen ordinibus, vigentibus animis, in ſpe bona, nunc alii in alios, nunc in ſcuta incumbentes, impetum Romanorum ſuſtinebant. Quod ubi animadvertit Conſul, ad perturbandos eorum ordines C. Livium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quàm concitatiſſimos equos immittere jubet, & legionarios equites in ſubſidiis eſſe. Hæc equeſtris procella, confudit & turbavit, deinde diſſipavit aciem Boicam, non tamen ut effuſa fuga terga daret, obſtabant duces, haſtilibus cædentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes, ſed interequitantes alarii non patiebantur. Conſul ut fluctuantem, & in fugam inclinatam animadvertit, obteſtabatur milites, paullulum adniterentur, victoriam in manibus eſſe, dum perturbatos & trepidantes viderent, inſtarent, ſi reſtitui ordines ſiviſſent, integro rurſus eos prœlio, & dubio dimicaturos, ſimul inferre vexillarios juſſit ſigna, itaque omnes connixi, tandem averterunt Bojos. Poſtquam terga dabant, & in fugam paſſim effundebantur, tum ad perſequendos eos legionarii equites immiſſi. Quatuordecim millia Bojorum eo die cæſa ſunt, vivi capti mille nonaginta duo, equites ducenti viginti unus, tres duces, ſigna militaria ducenta duodecim, carpenta ſexaginta tria. Nec Romanis victoria parvo ſtetit, ſupra quinque millia militum, ipſorum aut ſociorum, ſunt amiſſa, centuriones tres & viginti, præfecti ſociûm quatuor, & M. Genutius & M. Martius Trib. militum ſecundæ legionis. Cornelio Coſ. triumphus negatus eſt, quod fortuna populi Romani & militum virtute, non ſua ipſius opera & conſilio viciſſe, ſua verò potiſſimum culpa magnum militum numerum amiſiſſe, hoſtem qui deleri poterat, è manibus emiſiſſe crederetur, eo quod laborantibus ſubſidia tardius ſubmiſſa, & equitibus legionariis ſignum ſerò datum, nec fugientes perſequi licuerit.

Quam Bojorum ea pugna res afflixerit, ſequens annus aperuit, quo L. Quinctius Flamininus, Cn. Domitius Ahenobarbus fuere Coſs. cum unus per Ligures, alter ab Arimino in Bojos veniſſet, & duobus diverſis agminibus agrum latè pervaſtaſſent, illos tamen quieſcentes non excitarunt, quin etiam primo equites eorum pauci cum præfectis, deinde ſenatus univerſus cum liberis,

ANN. ANTE CHR. NAT. CXC.

beris, poſtremò, in quibus aut fortuna aliqua aut dignitas erat (ſumma omnium mille quingenti) ſe ſe transfugio Romanis credere, quam armati vim repellere maluere. Flagitium inter ea crudelitate & libidine fœdum atque immane, à Quinctio perpetratum eſt, quod cenſoriam M. Catonis notam poſt novem inde annos meruit. Philippum Pœnum puerum à ſe adamatum, ab Roma in provinciam, ſpe ingentium donorum perduxerat: is per laſciviam cum cavillaretur, exprobrare Quinctio perſæpe ſolitus, quod ſub ipſum ſpectaculum gladiatorum abductus ab Roma eſſet, ut obſequium amatori jactaret. Forte epulantibus illis, cum jam vino incaluiſſent, nuntiatum in convivio, nobilem Bojum cum liberis transfugam veniſſe, convenire Conſulem velle, ut ab eo fidem præſens acciperet. Introductus in tabernaculum, per interpretem alloqui Conſulem cœpit, inter cujus ſermonem, Quinctius puero, Vis tu, inquit, quoniam gladiatorum ſpectaculum reliquiſti, jam hunc Gallum morientem aſpicere? Et cum is vix dum ſeriò anuiſſet, ad nutum pueri Quinctius, ſtricto gladio, qui ſuper caput pendebat, loquenti Bojo caput primum percuſſit, deinde fugienti fidemq; Pop. Rom. atque eorum qui aderant imploranti, latus transfodit. Atrox haud dubiè, & barbarum facinus, animos Bojorum, ad omnem jam pacis patientiam compoſitos, avertit. Itaq; P. Cornelio Naſica, M. Acilio Glabrione Coſs. bellum, quanta ante eam diem maxima contentione recruduit, exitu neque pro æquitate cauſſæ, neque pro Bojorum virtute, ſed pro una omnium gentium victoris populi fortuna. Naſicæ demandatum eſt, qui legionibus in hoſtilem agrum inductis, Bojos obvios, ſignis collatis, ingenti victoria ſuperavit. Antias Valerius retulit, duo de triginta millia Bojorum cæſa, capta tria millia & quadringentos, ſigna militaria centum viginti quatuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta ſeptem, ex Romanis mille quadringentos octoginta quatuor cecidiſſe. Naſica, in hanc fere ſententiam, oratione quam pro triumpho habuit, plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hoſtium cæſam, neque cum tot millibus Bojorum quenquam ante ſe imperatorem pugnaviſſe, multa millia capta, ſenes puerosq; ſupereſſe, dixit. Caſtra etiam in Romanorum poteſtatem venere. Boji tot continentibus cladibus attriti, nullis reliquis quas victori objicerent viribus, ſe poſt adverſam pugnam coacti extemplo dedere, imperatis obſidibus, dimidia fere agri parte mulctati ſunt, quo ſi vellet Pop. Rom. colonias poſſet mittere. In triumpho, Gallicis carpentis arma ſignaque & ſpolia omnis generis tranſvecta, & vaſa ænea Gallica, & cum captivis nobilibus, equorum captorum quoq; greges traducti, aurei,

Liv. lib. 39. Alii paullò aliter, ſed fides habēda Livio, qui Catonem ſequitur.

Liv. lib. 36. ANN. ANTE CHR. NAT. CXIC.

aurei torques translati mille quadringenti ſeptuaginta, ad hæc auri pondo ducenta quadraginta quinque, argenti infecti factique in Gallicis vaſis, non infabrè more gentis factis, duo millia trecenta quadraginta pondo, bigatorum nummorum ducenta triginta quatuor, militibus, qui currum ſecuti ſunt, diviſi triceni viceni quini aſſes, duplex centurioni, triplex equiti. Plautus, Latinorum poëtarum feſtiviſſimus, ſive Naſicæ triumphum, ſive ſuperiora bella Boica ſpectans, Capteiveis comœdia Stalagnum Bojum ſervum induxit, & in ambiguo Bojæ nomine jocatus eſt. Gnarus ſcilicet popularis artifex, animos afficere & delectare validius ea, quæ in præſenti uſu & quodammodo conſpectu ſunt, itaque fabulis ſuis non tantum Bojos, ſed & Pœnos, & Reges Philippum, Attalum, atque Antiochum, aliaq; ejus temporis aſperſit.

ANN. ANTE CHR. NAT. CLXXXVIII. L. Cornelio Scipione, C. Lælio Conſulibus, Lælio Galliæ provincia decreta. Placentinorum & Cremonenſium legati in ſenatu queſti inopiam colonorum, aliis belli caſibus, aliis morbo abſumptis, quosdam, quod & antea contigerat, tædio accolarum Gallorum reliquiſſe colonias, ſupplementum impetravere. Lælius Conſul ex Gallia Romam reverſus, non ſolum colonos in id ſupplementum ſcripſit, ſed ut novæ coloniæ duæ in agrum qui Bojorum fuiſſet deducerentur, retulit, atque eo auctore ſenatus cenſuit. Anno proxime ſequenti imperium cum exercitu in Gallia prorogatum. Ante diem tertium calendas Januarias Bononiam Latina colonia deducta eſt, deduxerunt L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappus, Triumviri, tria millia hominum ſunt deducta, equitibus ſeptuagena jugera, cæteris colonis quinquagena ſunt data, ager captus de Gallis Bojis fuerat, Galli Tuſcos expulerant, uti à nobis ſuis locis memoratum, Boici nomen tenuit, etiam poſtquam in Romanorum poteſtatem venit, quod Sextus Pompejus ex Verrio Flacco retulit. Bononiam, olim Felſinam, Etruriæ quondam principem Plinius appellat.

Liv. lib. 37.

CLXXXVII.

Sext. Pompej. v. Boicus ager.

Lib. 3. c. 15

CLXXXVI. M. Valerio Meſſalla, C. Livio Salinatore Coſs. Boji, cum Romana arma annos ſupra ducentos ab urbe capta exercuiſſent, multis prœliis victores, pluribus fortaſſe victi, bello demum inferiores, quæ omnium populorum adverſus Romanos fortuna fuit, anno circiter quadringenteſimo, poſtquam in Italiam commigrarūt, ea exceſſerunt. Sive ſponte id ipſi ſua, qui ea carere mallent, quam obnoxiam pacem, reliquarum Italicarum gentium exemplo, atque ſervitutem fœderis ſpecie colere: ſive quæ Strabonis ſententia, vi pulſi. Julius Obſequens ſine prœlio ejectos eſſe ſcripſit: Bojos Gallorum nomine complexus, nec enim cæteræ Gallicæ gentes Italiam tum reliquere. Sed utrovis modo

Strabo. lib. 5. Cujus rei vel illud argumentū

res

est, quod sequentibus statim Cos. Gallia provincia M. Furio Prætori decreta Liv. lib. 38.

res gesta, est ad gloriam eximium, & nescio an exempli unici, aut tam constantem in universa gente fuisse libertatis respectum, aut populum Romanum, tantis jam tunc opibus, ut maximi quique Reges, & florentissimæ orbis terrarum civitates, obsequium certatim deferrent. Italiæ sibi tamen nunquam satis certam & fixam possessionem destinasse, quamdiu Bojus cis Alpes consisteret. Notæ hæc & expertæ fortitudinis confessio. Cujus à nobis hoc omni libro documenta prodita, sed ea haud dubiè pauciora & exiliora quam pro re, quod nullis domesticis monumentis adjuti, testimonia à Romanis, propalam hostibus, & à Græcis, qui Romanis vixere obnoxii, habuimus necesse emendicare.

Liv. lib. 39. Mútina posthæc & Parma, coloniæ civium Romanorum, in reliquum agri Boici sunt deductæ, bina millia hominum octona jugera Parmæ, quinta Mutinæ acceperunt, M. Æmilio Lepido, T. Ebutio Caro, L. Quinctio Crispino trimviris.

MARCI VELSERI RERVM BOICARVM

Liber ſecundus.

AEtate, qua Bojos in Italiam transgreſſos diximus, Hercyniam ab iis quoq; ſylvam inſeſſam, ſupra demonſtratum eſt. Hæc Eratoſtheni & Græcis fere cæteris Orciniæ nomine cognita, incredibili tunc temporis magnitudine erat & vaſtitate. Cæſari tanto poſt proditum, latitudinem novem dierum iter patere, longitudinem incompertam eſſe, cum ad ſexaginta dierum iter quidam proceſſerint, neq; tamen ad ejus exitum adierint, certè oriri ab Helvetiorum & Nemetum & Rauracorum finibus, rectaq; fluminis Danubii regione pertingere ad fines Dacorum & Anartium, hinc ſe flectere ſiniſtrorſus, diverſis à flumine regionib⁹, multarumq́; gentium fines propter magnitudinem attingere. Boji in medio ſaltu ad Albis fontes, loco aperto, uberes agros, manſuro Bojohemi nomine tenuere. Elati inde ſucceſſib⁹, porrò per ſylvam pergentes, plur'um populorum armis conſociatis imperium protendêre. Nam quod Trogus memorat, ex trecentis hominum millibus, quæ Galli, veluti ver ſacrum, ad ſedes novas quęrendas misêre, partem in Italia conſediſſe, quæ urbem poſtea Romam captam incenderit; partem Illyricos ſinus penetraſſe, quæ in Illyricum venit, illa fuerit oportet, cui Livius Hercynios in Germania ſaltus, Sigoveſo imperatore, deſtinatos ſcripſit, unde trajecto Danubio breviſſimus eſt in Illyricum tranſitus. Hanc avibus ducibus iter feciſſe creditum, perq́; barbarorum ſtrages in terram Pannoniam perveniſſe. Principes Boji, monumentum in adverſa ripa, ad ipſum ſtatim Danubii trajectum poſuere, Bojodurum, qua Oenus Vindelicos & Noricos interfluit,

Lib. 1. pag. 5.

Cæſ. lib. 6. de bel. Gal.

Juſtin. lib. 24.

Ptolem. Notit. Itin. Anton.

fluit, Germaniæ magnæ objectos utrosq; : magnus præterea circa agri modus, à Vindelicorum quippe finibus ad Pannoniam, Norici longitudine fusus, genti attributus est, quem ob eas, quæ postea rerum varietates consequutæ, Bojorum deserta Strabo & Plinius appellavere. Domandis Pannoniis varia cum finitimis populis bella à Gallis gesta, per multos annos, & resederit forte an Boici nominis vestigium in Biis, Pannoniæ populo, aut Boeis, ut Latini quidam Ptolemæi codices præferunt, quos ex Bojis Græcorum natos, manifestum. Tandem perpetuis animati victoriis, divisis agminibus, alii Macedoniam, Belgio aut Bolgio aliquo duce, Thraces & Triballos alii, sub Cerethio, reliqui multò maxima manus, Græciam sub Brenno & Acichorio & Emano & Thessaloro, aut THESSALONO, omnia ferro proterendo, petiere. THESSALONVS. Brennum Prausum natione fuisse Strabo auctor est, reliquorum patria silentio dissimulata: sed Thessaloni nomen, siquidem cum Thassilone idem est, gentile Boicum inde scias, quod hoc plerique Bojorum principes usi, neque illi, quod constet, præterea. Bellum variè gestum. In Macedonia Ptolemæus Ceraunus captus occidit : Thraciæ expeditionis memoria nulla supereſt: Brenni exercitum Delphos aggressum, Græci narrant, sacrilegii pœnas luisse, per omnia humanæ patientiæ exempla. Interim satis constitit, si Brennus Thessaloni & Emani consilio usus, hostes imparatos aggredi maturasset, serum Apollinis & sororum fuisse futurum auxilium. Delphica autem clades annos centum totos post Romam captam contigit, quod tum Polybius indicat, tum aliàs ostendere proclive est ; ut admodum absurdè senserint, qui cum Camillo istum ipsum Brennum composuere. Sed magna vis hominum, viginti admodum millia, priusquam Brennus Græciæ solum contingeret, seditione in Dardanis orta à reliquo exercitu abruperant, & secessione facta, in Thraciam averterant. Ii Tolistobogii, Trocmi & Tectosages fuere: Lomnorius & Lutarius reguli memorantur, ut hic, quantum existimare licet, Tectosages, ille Trocmos duxerit: primis, TOLISTVS, sive TOLISTO. TOLISTVM an TOLISTONEM præfuisse, non dubia habentur indicia. Tolistobogiorum enim, longum contortuplicatumque nomen, à ducis appellatione tractum, Strabo scriptum reliquit. Idem cum prodiderit, nullos in tota Gallia, citra ultráve alpes, Tolistobogios populos reperiri, unde Asiatici originem duxisse credendi sint, quam tamen hinc manifestè traxerint, facile fuit intelligere, primores syllabas ad ducem privatim pertinere, reliquas populum respicere; Bogiorum nimirum & Bojorum tam nullo discrimine, ut unam eam eandem gentem esse, ne monendum quidem videatur. Non longè Appianus atque Stephanus abeunt, qui Tolistobios vocavere, aut Ptolemæus, qui Tolisto-

Strabo lib. 7.
Plin lib. 3. c. 24.
Editio Rō. an. 1478.
Justin. lib. 24.
Pausan. lib. 10.
Pol. lib. 2.
Liv. lib. 38.
Strab. lib. 12. & 4.
Ap. Syriac.

Toliſtobogos, ut Stephanus tamen Toliſtobogios ab Eratoſthene dictos annotaverit. Sed quando nulla, in aſſerendo eximio gentis ornamento, auxilia aſpernanda, graviſſimum teſtimonium, quamtumvis nuperi ſcriptoris, non præteribimus. Carolus Sigonius, homo noſtræ ætatis inprimis certus & diligens, obſervavit veteres manuſcriptos codices, quibus ille optimis uſus & quorum præcipua debet eſſe auctoritas, Toliſtobojorum vocabulum, totidem prorſus litteris planè & explicatè exaratum præferre. Nos Bojos & Tectoſages conterminos ad Hercyniam coluiſſe, ſuperiori libro oſtendimus, quam ſimul proficiſcendi, & copias conjungendi occaſionem fuiſſe, credibile. Polybius, circa paludem Lychnidiam in Illyrico, Bojorum, ad ipſam prope Dardaniam meminit, quos reliquias eorum qui longius progreſſi, gentile nomen, aſcita ducis appellatione adauxerunt, exiſtimamus. Quamquam vernacula alia vocabuli origo excogitari poterat: cum enim Doll ſive Toll ferocem, & prope furentem, Tolliſt & Tolliſte, ferociſſimum atque ferociſſimos ſignificet, me verum ſcribere ſermonis periti ſciunt, quantum abeſt ut ferociſſimi Celtarum Boji, quod ex Appiano ſupra attulimus, Tolliſte-Boji, & paullò inde mollius, Toliſto-Boji fuerint appellati? Confido conjecturam amatores reperire poſſe: quæ nobis tamen callida, illa altera, Strabonis fulta teſtimonio, viſa potior. Sed utrovis modo, ad Bojos profectò pertinent, nihilo minus quam aut Oſtro-Gothi aut Veſo-Gothi, quamvis compoſitis etiam nominibus, Gothi cenſentur.

Schol. ad 38. lib. Liv. vii.

Pol. lib. 5.

Lib. 1. pag. 14.

Toliſto-Boji ergo, cæteriq; fœderati populi, cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponendo, cum Byzantium perveniſſent, aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. Neq; ſatis ſcio, quod toto propemodum itinere ab Herciniis nemoribus in Aſiam, Boici nominis veſtigia per intervalla ſparſa eſſe videam, an Bojon in Taurica Cherſoneſo oppidum, ad hanc quoque memoriam pertinere interpreter; ſcio in ea peninſula hodieque gentem vivere, quæ ſermone, moribus, ore denique ipſo & corporis habitu, originem Germanicam referat, quæque etiam nunc arcum Bogam nominet. Inde audientes quanta Aſiæ ubertas eſſet, eo transmiſerunt, Ilium primò, nudatam mœnibus urbem, mox iterum deſerendam tenuerunt, ut Hegeſianax auctor. Non plus ex viginti millibus hominum quam decem armata erant, tantum tamen terroris omnibus, quæ cis Taurum colunt, gentibus injecerunt, ut quas adiſſent, quasque non adiſſent, pariter ultimæ propinquis, imperio parerent. Poſtremò, cum tres eſſent populi principes, minores enim plures Plinius enumerat, in totidem partes, qua cuique Aſia vectigalis eſſet, diviſerunt, Toli-

Extat apud Ptol. Ex Aug. Busbequi. epiſt. 4. legat. Turc.

Hegeſ. ap. Strab. lib. 13.

Plin. lib. 5. c. 32.

ſto-Boji Æolida atque Ioniam ſortiti ſunt. Horum urbes à Ptolemæo referuntur Germa, Peſſinus Vindia, Andrus, Vegiſtum Tolaſta vicus, ducis credo Toliſti monumentum: à Strabone Blucium additur, quod Cicero Lucejum appellavit, & Pejum, à Memnone Tabia. Ambigo an eo quidquam faciat, fidem enim ut impetrare poſſit vereor, quod Aſiatica Friderici Ahenobarbi expeditione populos repertos eſſe ajunt prope Armeniam, qui ſermone Boico uterentur. Regio univerſim ad Sangarium & Halym fluvios, Galatia, & Gallogræcia dicta. Reipublicæ ratio fuit fere ejusmodi, ut ſingulis gentibus in quatuor quodammodo tribus diſtinctis, omnes ſimul duodecim tribus conſtituerent, quarum præfecti & judices leviores cauſſas deciderent, de cæde ad commune concilium ccc virorum, quod Drynæmeti cogebatur, referrent. Galatici verò nominis terror indies adeò increſcebat, multitudine etiam magna ſobole aucta, ut Syriæ ad poſtremum Reges ſtipendium dare non abnuerent. Sequutis inde temporibus varia fortuna, ſæpe vincentium, ſed & interdum victorum fuit.

Cic. orat. pro Deiot. Memnonis fragmenta in Photii bibliotheca extant. An. 1190.

Strabo lib. 12.

Toliſto-Bojos quod propriè ſpectet, unum apud Memnonem, qui Toloſtobogios appellat, reperio, Zeilæ Bithyno Nicomedis filio, paternum regnum repetenti, eſſe opitulatos, neque quidquam præterea: quousque transgreſſis in Aſiam Romanis, & ſuperato Antiocho, tum Toliſto-Boji tum Trocmi atque Tectoſages, à Cn. Manlio Vulſone Conſule, quod auxilia Regi præſtitiſſe dicerentur, bello petiti ſunt. Erant tunc trium populorum reguli, ORTIAGON & Combolomarus & Gaulotus. Ortiagon præ cæteris liberalitate & rei militaris peritia inclytus, conſilia de Galatarum principatu in ſe unum transferendo, cui ingenita animi altitudine, & longa exercitatione par eſſet, agitare creditus. Eo duce Toliſto-Bojorum civitas Olympum montem cepit, convectis omnibus, quæ ad uſum quamvis longi temporis ſufficerent: tædio ſe fatigaturos Romanos cenſebant, nam neq; auſuros per tam ardua atq; iniqua loca ſubire, & ſi conarentur, vel parva manu prohiberi ac deturbari poſſe, nec quietos in radicibus gelidorum montium ſedentes, frigus aut inopiam laturos. Et cum ipſa altitudo locorum eos tutaretur, foſſam quoq; & alia munimenta verticibus iis, quos inſederant, circumjecere, minima apparatus miſſilium telorum cura fuit, quæ poſtea negligentia male vertit, quod ſaxa affatim præbituram aſperitatem ipſam locorum credebant. Manlius contra, qui pugnam non cominus, ſed procul locis oppugnandis futuram præceperat animo, ingentem vim pilorum, velitarium haſtarum, ſagittarum glandisq;, & modicorum lapidum qui funda mitti poſſent, paraverat. Subeuntibus itaque montem Romanis, & procurrentibus ad adi-

Liv. lib. 38

ORTIAGON.

Suid. v. Ortiagon.

ad aditum prohibendum Tolisto-Bojis, missilibus ex intervallo loci prœlium commissum est, primò par, Bojos loco adjuvante, Romanos varietate & copia telorum, procedente inde certamine nihil æqui erat, scuta longa, sed ad amplitudinem corporum parum ampla tegebant Bojos, nec jam tela alia habebant præter gladios, quorum eminus nullus usus, cum manum hostis non consereret, cæterum rudibus nec præparatis saxis, ut cuique temerè ad manus venissent, inconditè utebantur, sagittis ex adverso, glande, jaculis incauti ab omni parte configebantur, nec quid agerent, ira & perturbatione obcæcatis animis cernebant, quod iniquissimo pugnæ genere essĕt comprehensi; nam quemadmodum cominus, ubi invicem pati & inferre vulnera licet, Romanis non cessuri videbantur, ita cum ex occulto & procul levibus telis vulnerarentur, nec hostis, quem ulciscerentur, copiam sui faceret, & jam pauci supersessent, castra in vertice montis sita repetere coacti sunt, quæ pavoris & tumultus plena reperere, ut ubi fœminæ pueriq; & alia imbecillis turba permista essĕt. Neque Manlius cunctatus, legiones eo duxit, Boji ne parum se munimenta sua tegerent, armati pro vallo constiterant, obruti deinde omni iterum telorum genere, cum quo plures ac densiores erant, eo minus vani quidquam teli intercideret, mox intra vallum compelluntur, stationibus tantum firmis ad ipsos aditus portarum relictis. In multitudinem compulsam in castra, vis ingens missilium telorum continenter conjiciebatur, & vulnerari multos, clamor permistus mulierum atque puerorum ploratibus significabat. Etiam qui portas stationibus clauserant, scutis pilis transfixis, plerique inter se conserti hærebant, nec diutius impetum Romanorum sustinuerunt. Priusquam verò ii patentibus jam portis castra irrumperent, Tolisto-Bojorum fuga è castris in omnes partes facta est, per vias per invia, perq; præcipitia saxa, qua quemq; fors aut impetus tulit, itaq; pleriq; præcipites per vastam altitudinem prolapsi, inter vepres & rupes exanimati sunt, multi in equites, qui ad radices montis se continuerant incidentes, cæsi aut capti. De interfectorum numero immodica est tradentium diversitas, Quadrigarius, qui bis in Olympo pugnatum auctor, ad quadraginta millia hominum cæsa scripsit, Antias, largus, alioquin in augendo, non plus decem millia, captivorum quadraginta millia fuere, quod Quadrigarium fallere potuit, quia Boji omnis generis ætatisq; turbam secum traxerant, demigrantium magis quàm in bellum proficiscentium modo. Ortiagon Rex ipse gentis evasit. CHIOMARA uxor, miræ pulchritudinis fœmina, in hostium potestate fuit. Custodiæ centurio præerat, libidinosus juxta atq; avarus, is primò ejus animum tentavit, quem cum abborrentem à voluntario stupro videret, corpori quod

CHIOMARA

Præter Liv. Plut. de clar. mul. Florus. Et auct. de viris illustr.

ſervum fortuna erat, vim fecit. Deinde ad leniendam indignitatem injuriæ, ſpem reditus ad ſuos mulieri facit, & ne eam quidem ut amans gratuitam, certo auri pondere pactus; ne quem conſcium ſuorum haberet, ipſi permittit, ut quem vellet, unum ex captivis, nuntium ad ſuos mitteret, locum prope flumen conſtituit, quo duo, ne plus, neceſſarii captivæ cum auro venirent nocte inſequenti, ad eam accipiendam. Forte Chiomaræ ſervus inter captivos ejusdem cuſtodiæ erat, hunc nuntium primis tenebris extra ſtationes centurio educit. Nocte inſequenti, & duo neceſſarii mulieris ad conſtitutum locum, & centurio cum captiva venit. Cumq; Chiomara dato auro, quod ſummam talenti Attici explevit, tanti enim pepigerat, liberata eſſet, patria lingua ſuis, ſtringerent ferrum, & centurionem ipſam tum amplectentem valedicentemq; occiderent imperavit. Jugulati præciſum caput involutum veſte ad virum Ortiagontem domum tulit. Quem priusquam complecteretur, caput ante pedes abjecit, mirantiq; facinus haud quaquam muliebre, & exclamanti, O conjunx, præclara res fides eſt! ſuſpicabatur centurioni fidem de pretio non ſervatam, ideò cæſum eſſe: Omninò, illa inquit, hoc verò pulchrius, unum te marite in terris vivere, qui corporis mei habueris copiam, inde injuriam centurionis, & ultionem violatæ per vim pudicitiæ, viro confeſſa eſt, & reliquæ vitæ ſanctitate ac gravitate, hujus matronalis facinoris decus ad ultimum conſervavit. Polybius ſe cum ea Sardibus collocutum, animi magnitudinem & prudentiam admiratum ſcripſit. Vtrâque re haud dubiè Romanæ pudicitiæ principe Lucretiâ Boja tanto intervallo ſuperior, quanto & caſtitate vicit, captiva probrum vi paſſa, liberam infamiæ metui ſponte ſuccumbentem. Ortiagonti Suidas. PÆDOPOLITES filius fuit. PÆDOPOLITES.

Proxima & germana pudicitiæ laus, conjugalis amoris fides eſt, cujus eximium alterum in Galatarum gente ſpecimẽ editum, cum omnibus priſci ævi heroidum exemplis contendere non verear: Toliſto-Bojorum proprium eſſe, neque pro vano, neq; pro comperto poſuerim, ſed Plutarchus cum Chiomaræ & Stratonicæ Toliſto-Boicarum mulierum memoria conjunxit: neque qua temporis circumſcriptione definiam ſatis ſcio; ut iſto tamen loco narrem, nihil aberraturus ſum, quando is, qui patrum memoria inter poëtas Italos princeps habitus, ſola egregii facinoris magnitudine adductus, pulchrum exiſtimavit carminibus in nobili poëmate celebrare. SINATVS & SINORIX gentis principes, potentia inclyti, iidem ſe ſanguinis conjunctione attingebant. Horum Sinato uxor erat, quam virginem duxerat, CAMMA nomine, cum forma & ætatis flore ſpectanda, tum ob robur animi & virtutis indolem, multo etiam magis, præcipua maritum chari-

Areoſt. cant. 37. Druſillæ nomine.

Plut. de clar. mul.

SINATVS, SINORIX.

CAMMA.

charitate complectens. Venerationem augebat Dianæ ſacerdotium, viſebatur in obſequio Deæ, cujus cultui Galatæ inprimis dediti, ſacerdos ipſa, inter pompas & ſacrificia, ornatu religioni numinis & ſplendori principalis fortunæ convenienti. Cammam deperivit Sinorix; nequicquam, ſatis ſciebat, ſive vim ſive blanditias vivo marito paraturus, quod ergo proximum, Sinatum dolo aggreſſus, necat. Statim à mariti morte, ne lugendi quidem relicto ſpatio, impotens amator uxorem ambit, ſceleris confeſſione ad amoris commendationem impudenter uſus, ſe Sinato nulla alia re inferiorem, amore etiam ſuperiorem petitorem venire, qui cognati hominis ſanguinem nuptiarum ſpe, nullis præterea inimicitiarum cauſſis impulſus, non horruerit fundere. Camma mariti caſum nec abjectè ferre, nec muliebriter lamentari, ſed magno & erecto animo vindictæ intenta eſſe, aſſiduas Sinorigis preces neque præfractè aſpernari, neque planè admittere; donec in ſpeciem iis amicorumque conſiliis victa, aſſenſit, veniret, nuptias in templo, teſte Dea, cujus illa antiſtita, auſpicaretur. Sinorix confeſtim affuit, blandè exceptus ad aram ductus eſt. Ibi cum Camma Deæ ex patera libaſſet, partem hauſit, reliquum Sinorigi ebibendum propinavit, erat autem plena mulſi veneno miſta. Quamprimùm bibiſſe vidit, claro ſublato ejulatu, Deam procidens ſupplex adorat, & Te te, exclamat, ſanctum & præſens mihi numen, te Diana teſtor, hujus me diei cauſſa vitam à Sinati morte traxiſſe, acerbam utique & ærumnoſam, niſi qua me vindictæ ſpes ſolata ſuſtentavit, cujus nunc pleno voto potens, ad chariſſimos mariti manes, læta & exultans deſcendo: Ad Sinorigem ſimul converſa, Tu verò teterrime, ſcelere omnes mortales vincens, age fac, tui tibi jam pro nuptialibus tædis & geniali thalamo, funereas faces & tumulum, te dignam conjugii pompam apparent. Ille triſtiſſima verba accepit attonitus, & cum vim veneni ſe in omnes corporis partes inſinuare, perſentiſceret, currùm conſcendit, ut agitatione malum vel vinceret vel rejiceret; cum fruſtra utrumque eſſet, eo relicto, ante proximum ſolis occaſum in lectulo mortuus jacuit. Camma per totam noctem obluctata, cum Sinorigem vita functum audiviſſet, circa ſolis exortum, hilaris & gratulabundæ ſimilis expiravit.

Nec infra mulierum virtutem viri. Toliſto-Bojos & Tecto- Flor. lib 2. c. 22.
ſages captivos (poſt Toliſto-Bojos, Tectoſages victi & Trocmi) miraculo fuiſſe proditum, adeò catenas etiam morſibus & ore tentavere, ſuffocandas fauces invicem præbuere, omnia præ ſervitute toleranda, pro libertate decora exiſtimantes. Romani quamtumvis victores, pacem fortiſſimis gentibus non duriſſimis legibus dederunt, morem vagandi cum armis finirent, agrorum ſuorum ſe terminis continerent, tributi aliquid nomine pen-

Machab. lib. 1. c. 8. derent; postremum enim caput, ex sacra Machabæorum historia eruimus; ea Judæos Galaticâ victoriâ magnitudinem Romanæ potentiæ æstimasse indicat. Quo ipso tempore Boji Italia excessere, siquidem anno post Messallæ & Salinatoris Consulatum, ANN. ANTE CHR. NAT. CLXXXV. Pag. 35. quibus Consulibus eos excessisse ostendimus, Manlius de Gallis Asiaticis triumphavit.

Italici autem Boji, ut unde deflexit redeat narratio, trans Alpes in Tauriscos abiere, ad Istrum flumen, Norici tractu consi- Strabo lib. 5. dentes, quo aliam ex Germania magna Boicam coloniam, mul- Pag. 37. to ante immigrasse, initio libri dictum est. Taurisci corum, quod inter pauca admirandum, nomen interiit, nominis interpretatio in alia lingua mansit, Stiri sunt, ut ut mutatis aliquantum finibus, quod plerisque omnibus populis accidit, Stieri Germanis Tauri. Hic cognatas utrimque ab una Bojorum stirpe gentes, brevi coaluisse, & conjunctis inter se animis armorumque viribus, veterem adversus vicinos virtutis atque potentiæ existimationem asseruisse, credendum. Quod constat, anno postremo belli Persici, priusquam Christus nasceretur centesimo sexagesimo quin- CLXV. Liv. lib. 44. to, valida & expedita Gallorum manus ab Istro profecta, Macedonibus auxilio venit; quam Boicam fuisse, incertum Tauriscam an Dardanam, ut nullius certi scriptoris testimonium evincat, re persuademur, & temporis atque locorum ratione, neque non validis in Romanos irarum causis, qua veteri multiplici, qua recenti gravissima offensione exasperatis, tum eo demum multo maximè, quod Livius quem sequimur, Gallos generatim pro Bojis frequens soleat usurpare. Venere CLONDICO regulo duce decem millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum jungentium cursum equis, & invicem prolapsorum equitum vacuos equos ad pugnam capientium. Hi pacti erant, eques denos præsentes aureos, pedes quinos, dux mille. Venientibus Perseus profectus obviam, ex castris quæ ad Enipeum habebat, cum dimidia copiarum parte, denuntiare per vicos urbesque quæ viæ propinquæ sunt cœpit, ut comeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia esset. Ipse equos phalerasque & sagula, donum principibus ferre, & parum auri, quod inter paucos divideret, multitudinem credens trahi spe posse. Ad Almanam urbem pervenit, & in ripa fluminis Axii posuit castra. Circa Desudabam in Medica, quæ Thraciæ regio est, exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam opperiens. Eo Perseus Antigonum mittit, ex purpuratis unum, qui juberet multitudinem Gallorum ad Bylazora Pæoniæ locum castra movere, principes ad se venire frequentes, septuaginta millia ab Axio flumine & castris Persei aberant. Hæc mandata ad eos cum pertulisset Antigonus, adjecissetque quanta per viam Regis curâ omnium rerum copia multitudi- CLONDICVS.

titudini præparata foret, quibusque muneribus vestis, argenti equorumque principes advenientes excepturus esset, homines rudiores, quam qui istis artibus fallerentur, de his quidem se coram cognituros respondent, illud quod præsens pepigissent, interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesq; dividendum esset, secum adduxisset. Cum ad id nihil responderetur, Clondicus, Abi, renuntia ergo Regi, inquit, nisi aurum obsidesq; acceperint, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos. Hæc relata Perseo cum essent, advocato consilio, cum quid omnes suasuri essent appareret, ipse pecuniæ quam regni melior custos, instituit de perfidia & feritate Gallorum disserere, multorum jam ante cladibus expertum, periculosum esse tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne graviores eos socios habeant quam hostes Romanos, à quibus sibi unis tunc cavendum, quinque millia equitum sat esse, quib' & uti ad bellum possent, & quorum multitudinem ipsi non timerent. Apparebat omnibus non multitudinem, sed multitudinis mercedem timere: verum cum, quod usus poscceret, suadere consulenti nemo auderet, qui primus ad dominantium pernicem gradus est, remittitur Antigonus nuntiatum, quinque millium equitum opera tantum uti Regem, contemnere multitudinem aliam. Quod ubi Galli audivere, cæterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustra excitos sedibus suis, Clondicus rursus interrogat, Ecquid ipsis quinque millibus quod convenerat numeraret: Cum adversus id quoque miscri ambages cerneret, inviolato fallaci nūtio (tanta animi moderatio, jurisq; gentium publici respectus fuit, quod Antigonus vix speraverat posse contingere) retro ad Istrum, per populatus Thraciam, qua vicina erat viæ, rediit. Perseus præsenti auxilio, illiberali malignæ tenacitatis vitio nudatus, quo subnixus Romanos vel vinceret, vel profectò sustineret, hostibus prædæ, aliis documento fuit, blandas Regum assentatrices, perjuria & avaritiam, certas regnorum pestes esse.

Boji, qui in Hercynia interea sylva, regione Bojohemi nomine, restiterunt, eorum obscuram & intermortuam fere historiam esse oportet, quod ab Romanis & Græcis magnis terrarum tractibus dissiti, procul egerint, eæ verò, nec aliæ in Europa tunc gentes, litteras aut habuerint, aut ad nostram ætatem propagaverint, neque sine litterarum monumentis ulla usquam certa diuturnaque esse queat memoria. Vnum Posidonium mirari habeo, unde hauserit, quod in litteras ab eo relatum, ad Bojorum gloriam eximium est, Cimbros, homines prædones & vagos, in Hercyniam silvam delatos, fortiter à Bojis repulsos esse. Inde Istrum & Scordiscos & Teuristas ac Tauriscos petivisse, tum Helvetios, auri per ea tempora divitem, cęterum pacatum populum, Helve-

Posid. apud Strab. lib. 7.

Helvetiorum Tigurinos Tugenosque præsertim, splendore Cimbricæ copiæ perpetuis bellis partæ perstrictis oculis, se se proficiscentibus in Italiam adjunxisse, ubi à Romanis internecione cæsi omnes fuerint. Difficile temporum rationem in tantis tenebris omninò constituere, proclivi interim conjectura, rem inter Bojos & Cimbros multis prius annis gestam esse, quam Cimbri in Italiam vel etiam Galliam venerint, interjectis quippe Scordiscorum & Teuristarum atque Tauriscorum bellis. Venere autem in Galliam transcenso Rheno Cimbri, armatorum millia trecenta, mulierum & infantium multò major adhuc numerus, C. Cæcilio Metello, Cn. Papirio Carbone Cos. multis inde Romanorum cladibus nobiles, inter quas longè eminent Cn. Mallius Consul, Q. Servilius Cæpio Proconsul victi fugatique, & binis castris exuti, cæsis octoginta Romanorum sociorumq;, sexaginta calonum ac lixarum millibus, decem ex omni omninò exercitu hominibus reliquis. Alliam & Cannas ea dies vicerit, ad cujus nuntium omnis Italia metu contremuit, qui sine Mario fuisset, in exitium verterat. Marius quartum & quintum Consul, victores magna strage castigavit, rem Romanam inclinatam erexit. Cimbrorum ibi virtutem, versa jam fortuna, mulieres, ingentibus animis nec credenda fortitudine æmulatæ, fusa acie victisque maritis se certamini accinxerunt, & objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper quasi è turribus, lanceis contisq; pugnarunt. Egregiam pugnam specioſa mors sequuta, cum desperatis demum rebus, missa ad Marium legatione, libertatem, ac sacerdotium ausæ sperare, neutrum impetrassent, suffocatis passim elisisq; infantibus, aut mutuis concidêre vulneribus, aut vinculo è crinibus facto, ab arboribus jugisq; plaustrorum pependerunt. Tantus ergo à Bojo hostis, integer adhuc, nec ullis bellorum adversis fractus, pulsus abiit. Quod quantum fuerit, & in quam magna tunc temporis laude positum, Belgarum exemplo, Cæsaris docemur testimonio. Est quippe apud hunc, omni Gallia à Cimbris & Teutonibus vexata, solos eos Belgas intra fines suos ingredi prohibuisse, quare factum esse, ut præ cæteris etiam Gallis Belgæ post illa auctoritatem sibi atq; spiritus in re militari sumerent. An Bojorum aliqui Cimbros sponte ipsi sua, eodem quo Helvetii consilio, & veterum præterea sedum desiderio, in Italiam migrantes sequuti fuerint, quod in gente magna & bellicosa fieri potuit, interdum ambigo, sanè inter Cimbros BOIORIGÊM tunc Regem egisse, qui Marium die & loco præstituto ad pugnam vocaverit, idoneum auctorem Plutarchum habeo, eum in acie cecidisse, Orosium, neque ambitiosius Bojis Bojorix, quam Teutonibus Teutobocchus transcribatur.

Vell. lib. 2. Tac. de mor. German. Obsequēs. Flor. Oros. & alii. Plut. Mario.

AN. ANTE CHR. N. CXI. CIII.

C. IC.

Cæs. lib. 2. de bello Gall.

BOIORIX.

Plut. Mario. Oros. lib. 5. c. 16.

Elapsis

ANN. ANTE CHR. NAT.

LXXXVI. Elapsis aliquot annis, bellum à Pop. Rom. in Mithridatem Plut. Appian. Livii. epit.

LXXIX. Ponti Regem decretum, Luciis primum Sulla, inde Murena &

LXXII. Lucullo ducibus, gestum est. P. quoque circa illa tempora Servilius Isauros domuit. Neque utroque bello, tum cæteris in Asia gentibus, tum Galatarum populis otiosis spectatoribus esse licuit; DEIOTARVS maximè Tolisto-Bojus Tetrarcha (alius à Dejotaro Paphlagone, qui vel tunc, vel non multo post, Philadelphi cognomine vixit) virtute & fide erga Romanos constanti, egregium se socium suarum copiarum strenuum ducem præbuit, atque omnibus, quos diximus, Imperatoribus operam voluntatemque ita probavit, ut ab iis Romam reversis, ampliter & magnificè in Senatu fuerit laudatus. Sub Lucullo Eumachum Mithridatis præfectum, Phrygiam incursantem, magna clade repressit. Cn. Pompejum Luculli successorem postmodum adeò demeruit, ut is eum pulcherrimo elogio, unum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem Pop. Rom. judicatum, ornaverit, bello confecto, Trocmos & Gadilonitidem, qua ad Pharnaciam & Trapezuntem pertinet, & Colchos ad minorem Armeniam, atque Armeniam eam denique ipsam, paternæ ditioni adjecerit, Regemq; appellarit. Ille tantis provinciis auctus, regni caput veterem sedem Tolisto-Bojos esse voluit, regia Luceji constituta, Peji Gaza recondita: neque latius alio tempore à Bojis in Asia regnatum est.

Strabo, lib. 12. Strabo. Plut. Dio.

DEIOTARVS.

LXIV.

LXI.

Cic. Phil. 11 Appian. Mithridat. Cic. loco s. cit. Cic. de Divin. Strabo lib. 12. Eutrop. lib. 6. Strabo.

BOGO-DIATORVS. ADO-BOGION.

BOGO-DIATORI præterea cujusdam Galatæ, quem Pompejus Mithridatio urbe donaverit, & ADO-BOGIONIS ex tetrarcharum stirpe, Strabo meminit: de quorum, deq; Dejotari nominis origine, quæ verosimilia existimo, sic afferam, ut judicium & fidem in medio, apud me unum esse nolim. Quamquam interpretationem Græcam Diatorus palam, Dejotarus obscurius, aptè uterque ad bellicæ fortitudinis laudem recipiat, mihi tamen ex Galatarum Diethero nati ambo videbantur, appellatione à Græcis paullatim, uti fit, ad aliquem sui sermonis sensum modicè inflexa. Dietum & Dietherum autem antiquissimum Bojorum nomen esse, sequenti libro demonstrabitur, in quo mutando corrumpendoq; variè scriptorum imperitia lusit; nam & Deudorix Sicamber Bætoritis filius, quem à Germanico in triumpho ductum Strabo scripsit, Diethericus populari-bus suis fuit, haud dubium ex hoc fonte. Itaque primores Bogo-Diatori syllabas ad Bojos pertinere, tam mihi liquet, quam Tolisto-Bojorum & Ado-Bogionis postremas; nec quidquam utrimque interest, nisi quod qui Tolisto-Bojorum exemplo Diethero-Bojus, is versa præposterè vice, Bojo-Dietherus est appellatus. Jam Ado Germanicum, non Græcum esse, nemo in controversiam adducet.

Strabo lib. 12. Strabo lib. 13. Διαπέτορος, penetrans. Διαίτορος bellicosior. Strab. lib. 7.

Mithri-

Plerique Rom. hist. scriptores.

Mithridatico bello Spartacium in Italia, gladiatorium idem atque servile, ætate compar, Spartaco & CRIXO & Oenomao ducibus gestum Thrace illo, his Gallis, uti distinxit Orosius. Crixum adverso prœlio à Gellio Consule oppressum, collega Spartacus inferiis trecentorum captivorum muneravit. Quod ego hîc non ascriberem, nisi Silium Chrixi nomine inter Boica usum esse jam supra meminissemus; & verò Orosius, tum Gallos tum Germanos, inter Spartaci auxilia retulit, Cæsar servilem tumultum Germanis non dubiè tribuit, Plutarchus, Germanos à Gellio cæsos esse disertè scripsit. Quod si cui hæc humilis videtur atque obscura, nec pro cætera fortissimi populi majestate narratio, Primùm nos vera, non speciosa scribere professi, deinde, servitus atque libertas, fortunæ sunt nomina, ad laudem aut ignominiam nihil pertinent; & si fidum Plutarchi testimonium, nam nihil erat, cur in servorum gratiam falleret, hos nullum ob flagitium, sola emptoris iniquitate in gladiatorium Lentuli ludũ, quo effracto profugerunt, datos esse, multa prudentiæ & fortitudinis exempla edidisse, inter quæ insigne unum, quod cæsis memorabili pugna duodecim illorum millibus atque trecentis, duo tantum à tergo vulnerati reperti, reliqui omnes versis in hostes frontibus & pugnaverint & ceciderint; quid sit, cur non virtutem fortunæ succubuisse fateamur, hos quantumvis servos & victos, præ Romanis & dominis & victoribus, veris pretiis æstimemus? Cato huic bello miles claritudinem attulit: qui inde in Macedoniam, atque porrò Asiam profectus, ibi paterno Dejotari Regis hospitio usus est. Dejotarus declivi jam ætate, cum ei liberos suos atque omnem familiam commendaret, ut munera, quæ Regio more offerebat, vel ipse acciperet, vel suorum quenquam accipere pateretur, omni conatu enixus, impetrare nunquam potuit.

CRIXVS.

Oros. lib. 5. c. 24.

Lib. 1. pag. 22.

Cæs. lib. 1. bel. Gall.

Plut. Crasso

Plut. Catone.

Juxta hæc Boji, Hercynia iterum egressi, trajecto Danubio in Noricum, cui Voccio Rex præerat, venere, auxilio nimirum popularibus, qui id loci dudum consederant. Ibi Norejam oppugnarunt, incertum quo eventu, ut habentur pleraque in tam caliginosa vetustate. Plinius urbem interiisse, sub Vespasianis scripsit, sed an Bojorum ista oppugnatione, verius conjicere, quam constituere possumus. Noreja Tauriscorum fuit, auri lavacris ferrariisq; secturis nobilis, Tauriści in Norico, eo antiquissimus scriptor Homerus, æs Noropium cognominat, quod alioversus scimus traxisse grammaticos; sed disertè Clemens Alexandrinus, Noropes ait, qui postea Norici appellati sint, æs elaborasse, & ferrum primos purgasse. Nunc, quoniam Norici frequens deinceps mentio accidet, neque iidem ejus semper fuere fines, semel dicendum, regionem, quo Romanis modo usurpata est,

Cæs. lib. 1. bel. Gall. Plin. lib. 3. c. 19. Strab. lib. 5

Hom. Iliad. lib. 2. & 11. Eustath. & Didymus

ναῶπις explicant per λαμπρὸν splendidũ, ut sit compositum ex νὴ privandi particula & ὄψ oculus, velὄψις visus.

Clem. Alex. Stromat. lib. 1.

est, dirimi septentriones versus à Germania magna Danubio, in meridiem Italiæ Alpibus committi, ad occidentem solem qua Rhætiam & Vindeliciam spectat, flumen Oenum, ad orientem qua Pannoniam, Cetium montem limites accepere. Magnum terrarum tractum esse, multorum olim populorum sedem, ingenti rerum vicissitudine exercitum. Nomen à Noreja urbe fluxisse vero simile, sed plerisque domesticis scriptoribus Norix an Noricus, Herculis filius fecisse creditus, cui quam externarum litterarum monumentis fidem astruam non invenio, neq; omninò hujus soni vocabulum inter fabulas, præterquam quod Theodontius aliquis scripsit, Noracem quinto Mercurio ex Oschyra nympha Pyrenæi filia natum, Tartesso in Sardiniam venisse, ubi cum Sardum Herculis filium insulam indigitasse reperisset, ipse conditam à se urbem Noram dixerit; at hæc narratio nimium quantum ab illa altera dissidet.

Ptolemæus.

Arenpekius, Trithemius, alii.

Theodont. citatur à Boccatio geneal. lib. 7. c. 37 fabulæ etiam Solin. meminit. c. 10.

AN. ANTE CHR. N. LVI.

Bojis domum reversis, cum L. Pisone, A. Gabinio Coss. Helvetii regionis suæ angustias caussati, tectis domi incensis, novas per Galliam sedes instituissent quærere, & aliarum gentium auxilia ei fini asciscerent, Bojorum valida manus, capitum admodū triginta duo millia, quorum quarta pars arma ferret, se se illis conjunxerunt, & ut nuper Danubio, sic nunc Rheno trajecto, Galliam, veterem, ut multorum habet opinio, patriam, postliminio repetiverunt. Vbi ad Rhodani ripam perventum, eos Cæsar, qui tunc Gallias Pop. Rom. nomine provinciam obtinebat, progressu arcuit. Hac spe dejecti, in Sequanos flectunt, perq; eorum fines, Santones petituri, datis inter se obsidibus sine maleficio & injuria transeunt; Æduos & Ambarros & Allobrogas, qui trans Rhodanum vicos possessionesq; habebant, ubi primum attigere, populantur. Ii, cum se suaq; defendere non possent, legatos ad Cæsarem mittunt, auxilium rogatum. Cæsar ad Ararim flumen, quod per fines Æduorum & Sequanorum in Rhodanum influit, hostes ratibus ac lintribus junctis transeuntes nactus, cum tres jam copiarum partes transduxissent, quartam partem reliquam, quæ ex Helvetiis pagus Tigurinus fuit, multa nocte cum tribus legionibus è castris profectus, impeditam & inopinantem aggressus, fere concidit. Inde pontem in Arare faciendum curat, ut reliquas copias consequi possit, atque exercitum traducit. Helvetii sociiq; populi repentino adventu commoti, legatos de pace mittunt, quibus re infecta reversis, proximum deinde prœlium Romanis, equitatu pulso, adversum fuit. Compluribus interjectis diebus, prope Bibracte, maximum & copiosissimum Æduorum oppidum, iterum pugnatum est. Cæsar copias suas in collem subduxerat, equitatumque, qui Helvetiorum impetum sustineret, miserat, ipse interim in colle medio triplicem

Cæs. lib. 1. de bel. Gall.

cem aciem legionum quatuor veteranorum instruxit,ita ut supra in se sumo jugo duas legiones, quas in Gallia citeriore nuper conscripserat, & omnia auxilia collocaret, ac totum montem hominibus compleret,sarcinas in unum locum conferri, & eum ab his,qui in superiore acie constiterant,muniri jussit. Helvetii cum omnibus suis carris sequuti, impedimenta in unum locum contulerunt, ipsi confertissima acie, rejecto Romano equitatu, phalange facta, sub primam Cæsarianam aciem successerunt. Cæsar primum suo, deinde omnium equis è conspectu remotis, ut æquato periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit. Romani è loco superiore missis pilis, subeuntem hostium phalangem perfregerunt, ea disjecta, gladiis districtis in eos impetum fecerunt. Helvetiis magno ad pugnam erat impedimento & loci iniquitas,& quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis & colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque evellere,neque sinistra impedita satis commodè pugnare poterant,ut multi diu jactato brachio,præoptarent scutum manu emittere & nudo corpore pugnare: tandem vulneribus fessi,& pedem referre, & quod mons suberat, circiter mille passuum,eo se recipere cœperunt. Capto monte,& succedentibus Romanis, Boji & Tulingi, qui hominum millibus circiter quindecim agmen Helveticum claudebant, & novissimis præsidio erant,ex itinere Romanos latere aperto aggressi,circumvenerunt: id conspicati Helvetii,qui in montem se receperant,erectis animis rursus instare, & prœlium redintegrare cœperunt. Romani conversa signa bipartitò intulerunt,prima ac secunda acies ut Helvetiis jam victis ac summotis resisteret, tertia ut venientes Bojos atque Tulingos exciperet. Ita ancipiti prœlio diu atque acriter pugnatum est: cum Romanorum impetus diutius sustineri non posset, Helvetii se ut cœperant in montem receperunt, Boji & Tulingi ad impedimenta & carros suos se contulerunt. Illud præcipuum virtutis atque fortitudinis argumentum in Helvetiis cæterisq; fœderatis gentibus fuit,quod toto prœlio, cum ab hora diei septima ad vesperam pugnatum esset, quenquam eorum aversum videre nemo potuit.Ad multam noctem, etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros objecerant, & è loco superiore in Romanos venientes tela conjiciebant, & nonnulli inter carros rotasq; mazaras ac tragulas subjiciebant,Romanosque vulnerabant.Diu cum esset pugnatum, Romani impedimentis castrisque tandem potiti sunt. Et quamquam magna cædes extitit,ex eo tamen prœlio circiter millia hominum centum triginta superfuerunt, eaqe tota nocte continenter ierunt, nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum die quarto pervenerunt, cum Romani & propter

pter vulnera militum, & propter sepulturam occisorum triduum morati, eos sequi non potuissent. Cæsar ad Lingones litteras nuntiosq; misit, ne eos frumento, néve alia re juvarent, si juvissent, se eodem loco illos quo Helvetios habiturum. Ipse triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit. Helvetii omnium rerum inopia adducti, legatos de deditione ad eum miserunt. Cæsar præter pagum Vrbigenum, hominum circiter sex millia, qui noctu effugere tentauerant, reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. Helvetios, Tulingos, Latobrigos, sociorum ea populorum nomina, in fines suos, unde erant profecti, reverti, oppida vicosq; quos incenderant restituere jussit, ne in eam regionem, si vacare contingeret, Germani trajecto Rheno transirent, & finitimi Romanorum provinciæ Allobrogibusque essent.

Vnis Bojis eximium ab hoste testimonium obtigit: quod egregia erant fama, & proximo bello virtute cogniti, in finibus petentium Æduorum collocati, Gergobinam & Bojam urbes habuere, Ædui datis agris in parem juris libertatisque conditionem, atq; ipsi erant, receperunt. Erant olim totius Galliæ factiones duæ, harum alterius principatum tenebant Ædui, alterius Arverni atque Sequani. Æduos fratres consanguineosq; Romani sæpe numero appellaverant, soliti quippe has blanditias, servitio sive parando sive velando, nuperæ gentium patientiæ prætexere. Cum de potentatu utrimque multos annos magnopere contenderetur, factum uti ab Arvernis Sequanisq; Germani mercede accerserentur. Cum his Ædui semel atq; iterum armis congressi, magnam calamitatem pulsi acceperant, omnem Senatum omnem equitatum amiserant. Quibus prœliis calamitatibusque fracti, in Sequanorum, & proinde Germanorum ditionem coacti fuerant concedere. Sequanos mox satias Germanorum cœpit, quod Arioviſti Regis, nihilo in se æquiora mitioraque, quam in hostes ipsos Æduos imperia experirentur. Alienatos animos amborum populorum defectio sequuta est, Cæsaris maximè auctoritate & pollicitationibus confirmata. Ædui quod se ingenti bello illigassent, occasionem rati, fœderis qua diximus specie, Bojorum sibi præsidium adjunxerunt. Atque id deinde memorabile, cum Æduorum nomen dudum interciderit, hospitum adhuc Bojorum, illustre usque adeò supereſſe iis locis (siquidem Gallicarum rerum scriptores Borbonios inde haberi fere consentiunt) ut Regium totius Galliæ decus in Boicis, sive quod isti idem esse rentur, Borboniis regulis hodieque resideat. Bojos præterea in extrema Aquitania reperio, ad Garumnam flumen sitos, quos poëta Christianus antiquus Paullinus, piceos cognominat, ob vim nimirum picis, quam excoquunt; vestigium periti re-

Cæs. lib. 7. de bel. Gall.

Cæs. lib. 1. & 6. de bel. Gall.

Paul. epist. 3.

Vinet. & Scal. in Auson.

gionis, homines eruditi, restare affirmant. Sed quâ casuum varietate eo pervenerint, mihi constare non potest, nam ut isto Helvetico bello, nec verosimile est, nec propemodum fieri potuit; tantum suspicari habeo, cum P. Crassus Cæsaris Legatus, tertio post victos Helvetios anno, omnes propè Aquitaniæ populos ad deditionem coegerit, eo bello Boicorum auxiliis usum, præsidia collocasse, quæ sequutis temporibus in gentem excreverint. ANN. ANTE CHR. NAT. LIV.

Libellus provinc. Scal. in Auson. lib. 2. c. 7.

Bojates etiam in Novempopulana populus, aut cum Bojis idem fuerit, aut originis saltem ejusdem, unde Bajonæ nomen manasse credunt, quasi Bojonam dicas, quod per me quidem in ambiguo, fides conjecturæ apud auctores erit.

Quadriennio interjecto, pleræque Galliarum gentes, Pop. Rom. imperium conatæ excutere, defecere, bello Vercingentorigem Arvernum legêre ducem. Is Gergobinam Bojorum oppidum in Æduorum finibus, sub hyemis fere exitum oppugnare instituit. Quæ res Cæsari magnam difficultatem ad consilium capiendum afferebat, si reliquam partem hyemis legiones in hybernis contineret, ne Bojis expugnatis, cuncta Gallia deficeret, quod nullum in eo amicis præsidium videretur esse positum, sin maturius ex hybernis educeret, ne ab re frumentaria, difficili subvectione, laboraret. Præstare visum omnes difficultates perpeti, quam tanta contumelia accepta, omnium suorum voluntates alienare. Itaque cohortatus Æduos de supportando commeatu, præmittit ad Bojos, qui de suo adventu doceant, hortenturque ut in fide maneant, atque hostium impetum magno animo sustineant, ipse cum exercitu subsequitur. Adventus Gergobinæ saluti fuit, nam ubi Vercingetorix Cæsarem adesse cognovit, oppugnatione dimissa obviam profectus est. Ab altera Bojorum urbe Boja (nisi certè Cæsariani commentarii, ex quibus ista haurimus, in hoc nomine corrupti, quod nonnemo suspicatur) vici atque ædificia quoquo versus, quousque Romani pabulandi caussa adire posse videbantur, Vercingetorigis hortatu sunt incensa. Romani Bojorum deinceps opera aliquamdiu fideli usi sunt, eo tenujori tamen, quod cum frumentariis subvectionibus præcipuè indigerent, Boji nova illis regionibus, ideoque infirma gens, tractandis armis promptior, quam colendo agro aptior, nondum facultatibus uterentur quæ, tanto præsertim exercitui, alendo sufficerent. Verum maximis Galliarum sequutis motibus, factum ut Boji tandem plurium auctoritati cederent, seque iis adjungerent, qui patrium libertatis decus, atque vetustam bellicæ fortitudinis laudem, specioſa rebus novis nomina prætexentes, Pop. Rom. imperium armis ibant imminutum. Contulere ei rei Boji una cum Rauracis, nam utrorumque ratio simul habita, hominum triginta millia, cæteræ

Cæs. lib. 7. de bel. Gall.

Fulv. Vrsinus *ab hoste* legit, pro, *à Boja*.

quæ

quæ conjuraverant gentes, ad portionem quæque virium. Sed bello non diutissimè tracto, Vercingetorigis deditione Gallis manifesta iterum servitutis confessio expressa est.

M. Crasso interea temporis, cum magna exercitus parte in Asia à Parthis deleto, grave vulnus Pop. Rom. accepit. Vbi scitũ est, quod narrant, proficiscenti ad expeditionem Crasso, & Dejotarũ Tolisto-Bojum, quod sumã prope senectute novam urbem conderet cavillanti, ô Rex, duodecima demum hora ædificare incipis! falsè à Dejotaro relatum esse, Nec tu quidem, quantum video Imperator, valde matutinus contra Parthos proficiscēris, erat enim natus Crassus hæc loquens annos supra sexaginta, & plus aliquanto vultu præ se ferebat; neq; irritum omen cecidit, sive Dejotarus belli exitum, auspicia sequutus conjecit, mirè enim eam disciplinã coluit, ita ut nihil unquam nisi auspicatò gesserit, perſæpe etiã reverterit ex itinere, cum jam progressus esset multorum dierum viam, semel aquilæ volatu admonitus, se ab ejus tecti usu abstinuerit, quod nocte insequenti ruina solo æquatum est, sive verosimilius, quãdo auspicia vanitatis manifesta, Parthorum hinc vim, inde Crassi imperitiam & temeritatem æstimasse. Plut. Crasso, Appian. Parth. 1. Cic. 1. & 2. de Divin. Val. lib. 1. c. 4.

AN. ANTE CHR. N. 51. Anno à Cæsaris de Vercingetorige victoria, post Crassi clades biennio, Cicero Proconsul in Giliciam cum imperio venit, rebusq; prosperè gestis, Imperator appellatus est. Ibi Dejotarum in castris habuit, cujus benevolentiam & fidem erga Romanos singularem, tum præstantem magnitudinem & animi & consilii, ornatissimis verbis sæpe comẽdavit, tantiq; fecit, ut Ciceronem apud eum, suum fratrisq; filium seponeret, credo quod Dejotarus literarum etiam studiis teneretur, nam à Varrone proditum, Diophanem, Magonis Carthaginiensis libros duodetriginta de re rustica, ad sex redactos, ei misisse. Adduxit autem cohortes quadringentarias, ut apud Ciceronem lego triginta, ut legendum existimo viginti, equites quadringentos, etsi is quoque numerus variat; atque eæ mihi legiones videntur fuisse duæ, quas ex commentario belli Alexandrini cognoscimus, habuisse Deiotarum ex genere civium suorum, disciplina atque armatura Romana complures annos constitutas, cum id ipsum Cicero significet. Cic. lib. 15. epist. fam. epist. ad Cæsonem. Cic. lib. 5. ad Attic. sæpe. Var. de re Rust. lib. 1. c. 1. Cic lib. 6. ad Attic.

DEIOTARVS FILIVS. DEIOTARVS filius, cui Artabasdis filia pacta erat, tum Rex à Senatu appellatus est, quantumvis matre ancilla editus.

STRATONICA DEIOTARI MAIORIS VXOR. STRATONICA enim patri uxor fuit, quæ cum matrimonium suo vitio sterile animadverteret, marito liberos ex quacunque muliere tollere persuasit, conciliata etiam elegantis formæ ancilla Electra nomine, cujus filios, summa charitate complexa, pro suis educavit. Plut. de Clar. mul.

ANN. ANTE CHR. NAT. XLVII. Sequuto civili inter C. Cæsarem & Cn. Pompejum bello, Dejotarus, Pompeji legatis atque litteris evocatus, cum Senatus Cic. pro Dejot.

Cic.1.& 2. de divin. Cæſ. 3. de bel.civ. Tarcundarium Cæſ. appellat, Strabo lib. 12. Saocondarium. De Caſtore Dejotari nepote Cæſ. Cic. Strab. Plut. Pomp.

consentientis auctoritate arma sumpta audiret, auspicia eum præterea impellerent, auxilio sexcentos equites adduxit, octingentos gener TARCVNDARIVS CASTOR, & Donilaus dedere, Gallogræci ambo. Donilaus una venit, Castor CASTOREM filium ex Dejotari filia genitum misit. Dejotarus, quamquam exacta jam ætate viribus defectus, ut quem à pluribus in equum sublatum, quo in eo hærere posset mirarentur, Pharsalico tamen prœlio interfuit, & rebus perditis Pompejum profugientem proximè assequutus, ab eo in navim cum paucis receptus est. Inde verò in regnum suum abiens, spem infinitam persequi noluit, sed fortunæ obsequutus, Cæsari se applicavit, eumq; bello Alexandrino deinde juvit. Cn. etiam Domitium Calvinum, cui Cæsar Asiam finitimasque provincias administrandas tradiderat, cum exercitu tectis & copiis sustentavit. Huic de Pharnace Mithridatis filio questus, qui captato tempore civilium armorum, pleraſque paternas ditiones in potestatem reduxerat, oravit ne Armeniam minorem, regnum suum, néve Cappadociam regnum Ariobarzanis, eum possidere vastareque pateretur, quo malo nisi liberaretur, imperata sibi facere, pecuniamque promissam Cæsari se non posse persolvere. Motus Domitius, tum præsenti damno, tum quod turpe Pop. Rom. & Cæsari victori, sibique infame esse statueret, regna sociorum atque amicorum ab externo occupari, Pharnacem primò per legationes aggreditur, quibus cum parum proficit, manifestum hostem diutius dissimulandum non existimat; ducto igitur adversus eum exercitu, & commisso ad Nicopolim Armeniæ minoris oppidum prœlio, male omninò acceptus est, altera quippe ex legionibus, quas proprias duas habuit, pæne tota amissa, & Dejotarianis etiam totidem magnam partem interfectis. Pharnaces secundo successu elatus, occupato protinus Ponto, omnia sævitiæ exempla in cives Romanos edidit. Cæsar ordinata Ægypto, hujus rei curam suscipiendam ratus, cum propius Pontum finesque Gallogræciæ accessisset, Dejotarum, depositis Regiis insignibus, non tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, supplicem obviam habuit, orantem, adeò offensio præ meritis, in metum quàm spem validius inclinabat, ut sibi ignosceret, quod in ea parte positus terrarum, quæ nulla præsidia Cæsaris habuisset, exercitibus imperiisque in Cn. Pompeji castris fuisset, neque enim se judicem esse debuisse controversiarum Pop. Rom. sed parêre præsentibus imperiis. Contra Cæsar, cum plurima sua commemorasset officia, cumque defensionem ejus nullam posse excusationem imprudentiæ recipere coarguisset, se tamen concedere dixit id factum superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitiæ, dignitati ætatique hominis, precibus eorum qui frequen-

Commem. bel. Alex.

TARCVNDARIVS CASTOR. CASTOR MINOR.

ANN. ANTE CHR. NAT. XLVI.

XLV.

tes

tes concurrerant, hoſpites atque amici Dejotari, ad deprecandum, inter quos M. Brutus ornatiſſimè & copioſiſſimè egit, Regioque veſtitu ei reſtituto, legionem quam diſciplina Romana inſtructam habebat, ex duabus paullò ante commemoratis reliquam, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere juſſit, de controverſiis Tetrarcharum, qui maximam Gallogræciæ partem à Dejotaro, præter leges moresque gentis, teneri querebantur, poſtea ſe eſſe cogniturum oſtendit. Victo itaque ad Zelam Pharnace, remiſſisque domum auxiliis, minorem Armeniam Dejotaro ablatam, Ariobarzani dedit, Trocmorum Tetrarchiam jam aliquot ab illo annis poſſeſſam, Mithridati Pergameno jure cognationis adjudicavit, ſed Regium tamen nomen tum ipſi reliquit, tum filio.

Cic. de clar. orat. Plut. Bruto, verente & corrigente Xylandro.

Cic. Phil. 2. de divin. lib. 2. Comment. bel. Alex. Dio. lib. 41. qui quod indicare videtur Cæſ. Dejotaro plura tribuiſſe quã abſtuliſſe, vereor ut verum ſit, certe cum Cic. non convenit.

AN. ANTE CHR. N. XLIII.

Cujus jacturæ detrimentum, exitiabilis propemodum, quæ ſequuta eſt, calamitas oblitteravit. Nepos Dejotari Caſtor, avum inſidiarum crimine, quas Cæſari paraſſe diceret, in capitis periculum arceſſivit: Cum Pharnacis bello Cæſar in caſtellum Lucejum veniſſet, & domum Dejotari hoſpitis Regis diverſiſſet, locum fuiſſe quendam, in quo fuerint ea compoſita, quibus ipſum Dejotarus munerare conſtituiſſet, huc illum è balneo priusquam accumberet, ducere voluiſſe, ibi enim fuiſſe armatos, qui eum interficerent, in eo ipſo loco collocatos: Cæſarem ſua, qua ſemper uſus fortuna, & tunc, & repetitis poſtea inſidiis, ſervatum eſſe. Additæ criminationes aliæ, & quo adverſariis præcipuè viſus confidere, Regius medicus Phidippus index. Dejotarus contra, miſſis Romam legatis, defendente Cicerone, oratione, quæ omnium manibus teritur, abſolutus quidem eſt, ſed Cæſaris tamen odium & offenſionem meritus, quoad hic vixit, nunquam lenire potuit. Interfecto, cum legati, ſi Ciceroni omnia credimus, vendente Antonio, decretum emiſſent, quo Cæſar, quæ Dejotaro vivus abſtulerat, mortuus redderet, ipſe nihil eo exſpectato, ſua ſponte, ſimul atque Cæſaris interitum audivit, & ſuo Marte, res ſuas recupaverit. Tum generum Caſtorem, quem Philoromæum ab amore Romanorum cognominatum, pleraque litteraria ingenii monumẽta poſteris reliquiſſe Suidas prodidit, quod illo auctore accuſatio inſtituta, regio more ultus, nam regni arctior quam ſanguinis plerumque neceſſitudo, una cum uxore, filia ſua, interfecit: in liberos & aliâs crudelis, quorum cum plures haberet, & ſolum Dejotarum in ſpem ſucceſſionis aleret, reliquos filios necare ſuſtinuit, ne uni regnum aut dubium, aut imminutum relinqueret, Gorbejum, quod genero caſtellum ſedes, diruit, maximam etiam pagi partem vaſtavit. Brogitarum alterum Dejotari generum, Matris Deorum Peſſinunti aliquãdo P. Clodii conceſſione ſacerdotem, Cicero nominat, de quo no-

Cic. Phil. 2.

XLII.

Strabo lib. 12.

Suid. v. Caſtor.

Plut. de Stoicor. repugnant.

BROGITARVS.

Cic. de aruſpic. reſponſ. pag. 40. bis prætereà nihil conſtat. Peſſinuntem verò ad Toliſto-Bojos pertinuiſſe, ſupra oſtenſum.

Reſumentibus civilia arma Bruto & Caſſio, Dejotarus ab utroque ſollicitatus, cum huic negaſſet, illi in memoriam ſuſcepti apud Cæſarem patrocinii aſſenſus, eâdem ſe qua prius fortuna Romanis iterum rebus miſcuit, Amynta ſcriba auxiliorum duce miſſo, qui ſtatim à Philippenſi pugna ad Antonium tranſiit, perfidiæ præmium amplas poſt aliquot annos in Galatia, Pamphylia atq; Lycaonia ditiones nactus. Extincto enim Dejotaro, anno ante Chriſtum natum trigeſimo octavo, CASTOR quidam, dubium an is quem nepotem ex filia paullò ante diximus, ſucceſſit, credo quod Dejotarus filius prior obiiſſet; Caſtorem quadriennio poſt AMYNTAS excepit, Antonii beneficio, cui peſſimam Actiaco bello gratiam retulit, non exſpectato prœlio ad Cæſarem verſus. At nono principatus anno, Antipatro Derbæo per inſidias cæſo, multisq; caſtellis captis, dum in Homonadenſes expeditionem parat, Cilicum inſidiis uxoris dolo & ipſe interceptus, fidei toties flagitiosè proditæ pœnas luit. Cujus morte Galatia in provinciæ denique formam ab Auguſto Cæſare redacta, primus Lollius Proprætor datus eſt, anno centeſimo ſexageſimo quarto, poſteaquam Cn. Manlius Vulſo Romana eo primum arma intulit, cum Galli centum circiter antea annos in Aſiam tranſiſſent; quæ propemodum Galatici, atque adeò Toliſto-Boici in ea terrarum parte imperii ſumma.

Dio lib. 47

Dio lib. 47. 49.

ANN. ANTE CHR. NAT. XL.

Strab. lib. 12. Dio. 48.

ANN. ANTE CHR. NAT. XXXVIII.

CASTOR, dubium an idem cum eo, quem minorem pag. 54 appellaſſimus.

XXXIIII.

AMYNTAS. XXIIII.

Strabo, Dio, Rufus.

LOLLIVS.

Facio non invitus, ſi quæ patriis Bojorum annalibus, ob ignoratas, ſuperiorum ſcriptorum errore, rerum temporumque rationes, inconcinnè & obſcurè, atque eo incredibiliter ſunt poſita, ad germanam veri ſpeciem interpretatione revocare licet, ea vero ut revocem. BOAMVNDVM & INGRAMVM memorant, ſive Julii ſive Auguſti ſive Tiberii ætate, nec enim conſentiunt, Armenia, cujus provinciæ nomen neſcio quomodo, frequens eſt in omni priſca Bojorum hiſtoria, ſive pulſos, ſive ſponte profectos; nam & ea fama variat, viâ progreſſos illâ, qua primus Boici nominis conditor, in has oras veniſſe, ubi gentem Duces rexerint. Hîc ego, quod ſociorum populorum auxilia in Romanis caſtris verſari ſolita, Toliſto-Boji reliquiq; planè Galatæ, majeſtate Pop. Rom. comiter conſervata fuerint ſocii, & in Toliſto-Bojorum poteſtate Armeni minores, deſcendo, ut bellorum aliquò, quæ Auguſtus & Tiberius in Rhætia Vindelicia q; & Norico atq; omni Illyrico complura geſſere, Toliſto-Bojos Principes, adductis popularibus Galatis, mixtimq; Armenis, militare potuiſſe, mihi patiar perſuaderi. Neque disjunctior Armenia quàm Parthia, neque Romano nomini hæc illa amicior, Ornoſpadem tamen Parthum bello Dalmatico Tiberium juviſſe ſcimus, Pannonico, frequenti regio equite eum uſum Vellejus ſcripſit, quod ad

Arenpek. Andr. Ratiſpon. Trithem. alii.

BOAMVNDVS. INGRAMVS.

Tac. annal. lib. 5.

auxi-

auxilia fœderatorum Regum nimirum pertinet. Et inferioribus temporibus Rhætorum cohortem Analibæ in Armenia ſtativa habuiſſe, in Notitia annotatum, ut idem de Armenis in Rhætia credere, eo etiam minus abſurdum ſit. Aut his ergo cauſſis occaſionibusque Boamundus & Ingramus impulſi, iter ex Armenia huc tenuere, aut mihi quidem potiores præterea nullæ ſuppetũt. Nominum origo ex patrio ſermone eſt, Boamundo ad Bogodiatori quodammodo formam compoſito. Memini apud Vopiſcum legere, Aurelianum longo poſt hanc ætatem temporum tractu, inter auxilia habuiſſe cum Hartomundum, Haldegaſtem, Hildemundum & Carioviſcum, tum Armenos ſagittarios ſexcentos, quæ mihi certa & præſens viſa imago eorum, quæ de Boamundo ſuſpicionibus veſtigamus & conjecturis. Vop. Aureliano.

Armis inter hæc Boji, Tauriſcorum in Norico accolæ, cum Dacis contendêre, quamquam longè diſſiti, & medio inter utroſque fluente Danubio: ſed ſuperior belli memoria vetuſtate excidit. Sub Auguſti ætatem, Bojorum regnum ad CHRITASIRVM, Dacorum ad Bœrebiſtam Getam recidit. Bœrebiſta regios animo complexus ſpiritus, populum, quem bellorum incommodis atque difficultatibus afflictum acceperat, brevi temporis ſpatio, prudentibus conſiliis, & perpetuis militaris diſciplinæ exercitiis, adeò erexit, ut finitimis plerisq; gentibus imperio ſubjunctis, jam Romanis timendus, rerum ſuarum curam injiceret. Gnarus quantas religionis opinio ad continendos animos vires haberet, Ceneum ſibi præſtigiatorem hominem adjunxit, qui per Ægyptum vagatus, atque arcana ſacra edoctus, ſecretiora cum Diis alloquia agitare creditus, parum aberat quin Zamolxidis exemplo, pro Deo coleretur; hunc ſibi eorum, quæ aggredi pararet, auctorem ſimulans, tam certam ſuis addiderat fiduciam, ut præſenti numinum ductu omnium ſibi rerum lætos felicesq; exitus pollicerentur. Iſtro itaque trajecto, Thraciam ad Macedoniam uſque & Illyricum perpopulatus, Celticas ibi gentes Thracibus & Illyriiis permiſtas evaſtavit, Bojos & Tauriſcos ita attrivit, ut agri eorum vacui atque deſerti, vicinis Illyrici populis paſcendis pecoribus fuerint contributi, quæ Bojorum inde deſerta & ſolitudo, non ſemel à nobis commemorata. Neque ego quidquam hujus præterea apud veteres ſcriptores invenio: nuperos ſcio quoſdam omnia licentius, & proinde fuſius tradere, quorum fidem, quod poteram, non damno, quod debeo non ſequor, confidentiam & temeritatem impensè miror. Annum Dacicæ expeditionis Dio mihi ſignare viſus, quo loco retulit, decreto Romæ facto Julo Antonio, Q. Fabio Coſſ. de claudendis Jani portis, pace ubique terrarum parta, Dacorum motibus eſſe interceſſum, qui Danubium frigore conſtrictum tranſgreſſi, præ-

CRITASIRVS.

Strabo lib. 5. & 7.

Strabo de Bœrebiſta narrans, ſe ſui temporis hiſtoriam ſcribere indicat, tum Auguſtum adverſus Bœrebiſtæ ſucceſſorem exercitum miſiſſe. Jornandes pro Bœrebiſta Boroiſtam, pro Ceneo Diceneum habet.

Dio lib. 54.

AN. ANTE CHR. N. VIII.

prædas ex Romanis provinciis egerint, satis enim credo, victores Romano solo non abstinuisse. Fuit verò is annus ab eo, quo Boji ex Italia ad Tauriscos primum venere, centesimus prope octogesimus.

Alia tum in Germania magna calamitas, ipsum gentis jugulum aggressa petiit. Documento, imperiorum vices atq; conversiones, proviso & constanti supremæ mentis consilio, haudquaquam incertis & fortuitis occasionibus circumagi; quippe quod, ut iidem fere casus unius gentis diversas propagines, semel atque iterum, nam antea quoque, Bojos uno tempore Italia pulsos, & in Asia victos esse observavimus, simul complexi affligerent, temere profectò contigisse non existimandum. MAROBODVI Regis præcipua ferebatur in Germania auctoritas, qui cum juvenis Romæ beneficiis ab Augusto affectus vixisset, dominandi artes ita imbibit, ut in patriam reversus maximo facinori, parando regno, animum privatus adjecerit, aderant tantæ rei conandę instrumenta, genus nobile, corpus prevalens, animus ferox, ingenium rationis capax, supra quam Romani ab homine Germano exspectarent, adeò illi conceperant, trans Alpes corpora nasci, quæ sonum ederent, & externum aspectum præferrent, hominum intus mentem non haberent, Maroboduus cum Marcomanos sibi subjecisset, quorum, quæ antiquissima memoria apud Cæsarem est, expeditione Arioviſti Gallica, tum Luios, Zumios, Butones an Gutones, Mugilones, Sibinos, & ex Suevis Semnones (nunc vestigia gentium deperdita, nomina ægrè superant) principatum inter eas constituit, non tumultuarium neq; fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium constantem, sed certum & stabilem, suis nixum radicibus, regiumq; fastigium animo complexus, finitimis omnibus aut bello domitis, aut conditionibus sui juris factis, ascitis corpori custodibus, & cæteris pæne ad Romanæ majestatis effigiem conformatis Romanos vario ingenio, ipsis illorum artibus ita petebat, ut cum metui propiores haberet, bello tamen non lacesseret, at si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet, legati quos mittebat, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur, gentibus hominibusque desciscentibus tutum apud eum erat perfugium, exercitum septuaginta millium peditum, quatuor equitum fecerat, quem assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori quam quod habebat operi præparare videbatur. Illud altissimæ prudentiæ hominis memoratur consilium, cum Romanos trajecto Rheno Germaniam ex illa potissimùm parte aggressos, victis Sicambris, Vsipetis, Frisiis, Cauchis, Cheruscis, Cattis, ad Visurgim & Albim progredi, se se mox petendum, jam immipentibus victori-

MAROBODVVS.

Cæs. lib. 1. bel. Gall.

Dio lib. 54. Vell.

ctoribus imparem, nondum confirmatis viribus animadverteret, ne obnoxius ageret, excîta Marcomanorum gente ſedibus ſuis patriis, eam procul à Romanis avocavit, eò potentiora arma refugiens, ubi ſua faceret potentiſſima. Placuit campos Hercynia ſylva incinctos veluti arcem legere, quod inde Germaniam à læva & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo haberet Noricos, & tamquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timeretur: nam Pannoniam trajecto Danubio etiam vexaſſe, Rufus indicat, qui Marcomanos tractu inter Danubium & Dravum pulſos prodidit. Hercyniæ hanc oram Boji à Sigoveſo inde tenuerant, annos plus minus ſexcentos, eos Maroboduus tunc pepulit, pulſis, præcipuam Marcomanis virium virtutisque gloriam cum ſede peperit.

Verum illud ad eam omnem memoriam, Boicamq; inprimis hiſtoriam illuſtrandam, perincommodè accidit, ſi qui antiquitus ſcriptores rerum Germanicarum occaſione, horum bellorum eventa ſtudiò enarranda ſumſere, eorum monumenta dudum periiſſe, reliquis, qui aut brevitate inſignes, vix nos indicio tantum juvant, aut quorum in diverſum tendens oratio, huc obiter, & aliud fere agens, deflectit. Itaque, quod plerique ſæpe nec neceſſariò, nec probabili cauſſa admiſere, nos judicio & ratione jam nunc iſto loco facturos opinor, ut in eas delapſi anguſtias, conjecturis quadamtenus indulgere, quam ſubſiſtere exiſtimemus ſatius, eæ, dabitur opera, quando certæ eſſe non poſſunt, nec enim nomen, nec ipſius rei natura patitur, veroſimiles habeantur, & certis proximæ. Atque ut ab iis quæ explorato primùm conſtant, iterum exordiamur; Marcomani pepulere ſanè Bojos, cujus rei fides, Taciti nixa teſtimonio, dubia eſſe non poteſt: excivit autem Marcomanos ſedibus ſuis, inq; ſaltuoſa Hercyniæ loca duxit, Maroboduus, quod diſertè admodum à Strabone & Vellejo ſcriptum: Maroboduo ergo duce Boji pulſi ſunt. Jam Maroboduum, antequam regnaret, Romæ cum Auguſto vixiſſe, Strabone auctore diximus: ſupereſt, ii rerum temporumque connexiones planiſſimè perverterint, quibus viſum prodere, Julio in Galliis agente, Bojos à Marcomanis ejectos, transq; Danubium pulſos, cum Norejam fruſtra oppugnaſſent, errore vago tandem ad Helvetios, excidium Galliarum tunc meditantes, eſſe delatos, cujus ſententiæ longè maximum vitium, non mediocrem reliquæ hiſtoriæ offundat caliginem, erroremq; multiplicem poſt ſe trahat, neceſſe eſt. Nam ridenda illa altera, non confutanda, Tarquinio Priſco Romæ regnante, Bojos à Marcomanis fugatos in Italiam abiiſſe. Nos Vellejum ſequuti, oſtendimus, Maroboduum expeditionis conſilium, metu Romanorum cepiſſe, qui trajecto Rheno, per mediam Germaniam

Rhen. lib. I. rer. Germanic.

maniam victricia arma circumferebant, Druſo nimirum & Tiberio viciſſim ducibus : ſed Druſus poſt Lollianam cladem in Germaniam miſſus eſt, ea Domitio & Scipione Conſulibus accidit, ſe ipſo & L. Quinctio Conſulibus, maximis rebus geſtis, fortiſſimisq; gentibus debellatis, mortem obiit: Tiberius ſucceſſor datus, proximo anno Rhenum tranſmiſit, quem omnes Germaniæ partes ſic perdomuiſſe Vellejus aſſerit, ut in formam pæne ſtipendiariæ provinciæ redigeret, elogio quantumvis ſupra verum, imperantis gratia inflato. Hoc itaque potiſſimum tempore, & poſtremis quidem duobus annis, quorum altero Caſſiodorus Germanos inter Albim & Rhenum, Tiberio omnes deditos retulit, Marcomanos deſperatione reſiſtendi, retrò ceſſiſſe, verum ſit, cum tentata prioribus fruſtra fortuna, manus infeliciter contuliſſent; ſiquidem Oroſius, ſemel pæne ad internecionem cæſos, Florus eorum ſpoliis tumulum in trophæi modum à Druſo excultum fuiſſe memorat. Atque hæc firma & conteſtata ſatis ſunt. Sed obſcura deinde & impedita altera diſquiſitio conſequitur, quo terrarum Boji, Bojohemo pulſi, conceſſerint; quos pulſos Tacitus perſpicuè, non deletos aut exciſos ſcripſerit. Nam in omnibus omnium priſcorum ſcriptorum commentariis, quantum eorum hodie eſt, hujus nihil extat, nec qui res Germanicas poſtea diligentiſſimè pertractavere, Strabo, Tacitus, Ptolemæus, Bojis ullum in Germania locum tribuunt. Vt quis Bæmos apud Ptolemæum, aut Buros (Burios appellavit Tacitus) eorum vicem habeat, erret, de utriſque ſecus eſt. Bæmi palam à Bojohemo, nec ambigendum, Ptolemæum gentis nomen pro regione poſuiſſe. Buris ſonus aliqua ſuffragatur, nimirum modicè à Bojeris, Bojris aut Bojaris divertens, prioris quippe tantum ſyllabæ vocalibus litteris mutatis, quæ frequens eſt & ſolens demutatio, manentibus conſonantibus, apud homines præſertim peregrinos, & linguæ exteræ. Accedit Lutorum cognomen, Buris à Ptolemæo tributum, quod cum Germanis Luti, Liudi, Leuti & Leudi, ut variat dialectos, populos ſignificent, quo ſenſu in vita Caroli, gentes ad Septentriones ſitæ, Normani vulgo ſcriptorum, Nord-leudi ſunt & Nort-liudi, non nemini probetur, Boicos populos Bojer-Lutos, & Buros inde Lutos fuiſſe appellatos. Sed nobis vera pro ſpecioſis. Tacitus Burios ſermone cultuque Suevos referre, Bojos Gallicam gentem eſſe ſcripſit; quo tanto intervallo, à prima uſque origine diſparatos fuiſſe fateamur oportet. Cæterum, ut eo revertamur, cum Marcomanorum vis, à ſeptentrione & occidente ſole ingruerit, Bojos fugientes in ortum aut meridiem declinaſſe neceſſe eſt: at neutrobi ſe tantæ rei aſſerendæ dant veſtigia, quin arcuerit à meridie Danubius, Romanis præſidiis prætextus, Rhætia & Norico jam tunc provinciis,

Dio lib. 54.

AN. ANTE CHR. N. VIII.

VI.

Or. lib. 6. c. 21. Flor. lib. 4. c. ult.

Vita Car. M. ſcripta à monacho S. Eparchi.

Digitized by Google

vinciis,ortum Bœrebiſta Dacus clauſerit. Quod ſi ſcriptor medii ævi ſemibarbarus Jornandes, Boiſcorum longè gentium, ad paludem Mœotidem meminit,inter monſtra illa populorum Alipzuros,Alcidzuros,Itamaros,Tuncaſſos,& BoiſcosBojos fuiſſe, ſimilitudini nominis largiri placet, qua ſcilicet forma Syriſci & Syriſcæ, Threciſci & Daciſci, pro Syris Threcibus & Dacis ab idoneis auctoribus uſurpati ſunt, & quo ſenſu Magidius Boiſcus in antiqua inſcriptione legitur, quod neque præfractè negandum exiſtimo, neque admodum fidenter ponendum, profectò ſit dubii ſoli fundamentum, tantis ſuperſtruendis molibus; ſed ut largiamur tamen, quis tandem nullius teſtis auctoritatem ſequutus,animo ultrò concipiat, eam coloniam,Bojohemo mille paſſuum millibus disjunctam, tot interjectis barbaris gentibus, Dacis inprimis, potentia id temporis & odio in nomen Boicum inclytis, à profugis tunc eſſe poſitam, veroſimilius, quam à Galatis & Toliſto-Bojis olim, quos permenſa Europa in Aſiam victores multis antea ſæculis migraſſe, compertum,non arbitrarium eſt? Quamquam me præterea reditus, ab uſque Mæotide in has iterum oras, per paſſuum totidem millia, juxta atque itus habet ſolicitum,& ut ratio excogitetur, Attilam reduxiſſe, ego excogitatæ fabulæ fidem non adjunxerim, qui abſurdam ſententiam exiguo negotio, commoda unius vocabuli interpretatione,vitari,Bojos non neceſſario tanto labore levari poſſe videam. Pulſos enim Tacito confirmanti aſſentior, verum regno & dominatu interpretor, non regione; quomodo ſi quis, quod non nemo fecit, Langobardos Italia à Francis pulſos narret,nunquam erret, tametſi Langobardi Italia nec exceſſere, neque ſedes omninò mutavere,& ut omnia conveniant,Langobardicæ regionis appellatio, regno ad Francos translato,nihilo minus quam Bojohemi apud Marcomanos manſerit. Argumenta hujus rei duo maximè capio, quorum primum dixi, nullo ſatis certo monumento evinci, Bojos tunc ſolum vertiſſe; alterum me aliquanto etiam magis movet,Bojorum poſtea nomen à nemine ſcribentium, per aliquot centum annos,quibus Marcomani rerum potiti ſunt, uſpiam terrarum liquido uſurpatum eſſe, (liquidò inquam & explicatè, cum ſubobſcura veſtigia certis deinde locis ipſi ſimus indicaturi) his everſis,ſtatim iterum emerſiſſe,ut flumina ſpecubus hauſta ſolent, magnis emenſis ſub terra ſpatiis,in apertum redire, aut quæ lacubus miſcentur,confuſis pleraque aquis nomen ab influxu mox ponunt,receptura,qua caſtigato rurſus alveo majore vi erumpunt;ſic Marcomanus victor,quamdiu rerum potitus eſt,Boicam famam preſſit, & ut in illis aquam fluminis à lacuſtri, difficulter diſtinguas, ita nemo pronuntiet, quæ Marcomanicis poſtea expeditionibus Bojorum

Jorn. de regnor. ſucc.

Syriſcus, Aus. in Eun. Syriſca Copa inter Catal. Virg. Threciſcus Capit. Maximin. Daciſcus Vopiſc. Aurel. & Not. ſub Ducib. Mœſ. ſec. & Dac. rip. Magid. Boiſc. inſcript. Grut. pag. 983. n. 10.

privatim fuerit opera, quando honor ad eos redit, apud quos imperium & auſpicia reſedere. Nam idem uſu veniat, Sabinorum aut Æquorum aut Volſcorum hiſtoriam meditanti ſcribere, cum Romani orbem terrarum non tam virtute ſua, quam ſociorum ope vicerint, & verò hi numero plerumque præſtiterint, unos tamen Romanos gloria ſequitur.

IESVS CHRISTVS NASCITVR.

Cn. Cornelio Lentulo, M. Valerio Meſſallino Coſſ. extremo anni, omnium gentium exſpectatio IESVS CHRISTVS, Dei filius, Deus ipſe, ex Maria virgine natus eſt. Ad quem cum annorum hactenus numeros, uti antemeridianas umbras progrediendo contraxerimus, illos ab eo etiam deinde porrò extendemus. ANN. POST CHR. NAT. VIII.

Vel. Tac. An. 2.

Anno poſt eum natum octavo, Tiberius Maroboduum duodecim legionum bello petens, Pannoniæ & Dalmatiæ motibus retractus, pax æquis conditionibus firmata eſt. Vndecimo, cæſis ab Arminio ad internecionem Romanis legionibus, Vari ducis capite potitus Maroboduus, Auguſto gentilitii tumuli ſepultura honorandum miſit. ANN. POST CHR. NAT. XI.

Poſt hæc, conſtituto firmatoq; diuturni temporis mora regno, & urbe principe, fluxo in futurum omine, à ſe appellata, cum ad omnes creſcendi occaſiones intentus, Germanicum Druſi filium, qui patris exemplo, magnis Germanos affecerat incommodis, à Tiberio revocatum in orientem abiiſſe, unum in Germania Arminium Cheruſcum eminere animadverteret, ne veterem virtutis famam ſeneſcere pateretur, cum ſibi ſumſit incurſandum. Cæterum Regis nomen Maroboduum inviſum apud populares, Arminium libertatis favor gratum reddere, huic ſe ex illius regno Semnones & Longobardi adjungere, illi contra Ingviomerus, Arminii patruus, cum magna clientum manu auxilium ferre. Anno poſt Chriſtum natum decimo nono acie congreſſis, virtus utrimq; ducum in æquo æmulatione gloriæ accendebatur, neuter aut jactantia ſui, aut probris in hoſtem abſtinere. Rarò alias majore mole concurſum, neque ambiguo magis eventu, fuſis utrimque dextris cornibus. Exſpectari rurſus pugna, & pares diſceſſiſſe videri poterant, ni Maroboduus caſtra in colles ſubduxiſſet, id ſignum perculſi fuit. Inde transfugiis paullatim nudatus, retrò in Marcomanos conceſſit, miſitq; legatos ad Tiberium, auxilia ne quidquam oraturos: objectum, non jure Romana arma adverſus Cheruſcos invocare, qui Romanos in eos pugnantes nulla ope juviſſet. Fractus itaque, & occultis præterea inſidiis à Tiberio per Druſum filium petitus, qui illiciendis Germanis ad diſcordias, haud leve decus apud patrem quærebat, anno ſequenti à Catvalda regno pulſus eſt. CATVALDA nobilis apud Gotones juvenis, profugus olim vi Marobodui, tunc dubiis ejus rebus ultionem auſus, valida manu Bojohemum ingreſſus, corruptis ad ſocietatem Marcoma-

XIX.

ANN. POST CHR. NAT. XX. CATVALDA.

comanorum primoribus,regiam caſtellumq́; juxta ſitum irrumpit.Maroboduo undique deſerto,non aliud ſubſidium quam Romanorum miſericordia fuit,transgreſſus Danubium, qua Noricum præfluit,ſcripſit Tiberio, non ut profugus aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ,multis nationibus clariſſimũ quondam Regem ad ſe vocantibus, Romanam amicitiam prætuliſſe. Reſponſum à Tiberio,tutam honoratamq́; ei ſedem in Italia fore ſi maneret, ſin rebus ſuis aliud conduceret, abiturum, fide qua veniſſet.Tiberius apùd Senatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum Populo Rom. perinde metuendos fuiſſe, magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quam propinquus Italiæ hoſtis,ſuaq́; in deſtruendo eo conſilia efferens. Et Maroboduus in hunc quidem modum per blanditias & promiſſa extractus, nec unquam remiſſus, per duo de viginti annos Ravennæ honoratè habitus, conſenuit. Idem haud multò poſt Catualdam caſus excepit,idemque pulſo, IVBILIVS. Jubillii ductu Hermundurorum opibus, perfugium, Forum Julium Galliæ Narbonenſis colonia exilium fuit.

Suet.Tib.c. 37. Vell.lib.2. Tac. An. 2. Vibillium, 12.Jubillium nominat.

ANN. POST CHR. NAT. XXXIV. Anno trigeſimo quarto, JEſu Chriſto cruci pro ſalute generis humani affixo,Stephano lapidibus obruto, cum Judæorum principes Chriſti doctrinam infenſiſſimis odiis proſequerentur, Chriſtianos omnes, præter unos tamen Apoſtolos, civitate Hieroſolymis exturbarent, variè ii per provincias ſparſi, propagandæ religioni navavere operam: pars in Galatiam delati, eccleſias conſtituerunt,ad quas principum Apoſtolorum extant epiſtolæ, nam eo pertinet,quod Petrus ad electos advenas ſcripſit diſperſionis Ponti, Galatiæ, aliarumq́; provinciarum; & Paulus Galatas,quos in epiſtola illis inſcripta alloquitur, Hieroſolymis, quo tempore Chriſtus paſſus ſit,egiſſe oſtendit. Sed & alia habent ſacræ litteræ teſtimonia, de Galaticis tunc temporis eccleſiis, quibus conficitur,eas tum à Clemente Pauli diſcipulo, tum ab ipſo Paulo eſſe aditas. Atque hæc prima,& inter primos, Evangelii lux Bojos, enimverò Aſiaticos, illuſtravit, Europæis alta per multos adhuc annos caligine demerſis.

Gal.3.Ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt. Act 18.ad Cor. 1.16. ad Tim.1. 4.

ANN. POST CHR.N. LII. LXXI. MARICVS. Apud Marcomanos pulſo Catualda, Jubillium victorem regnaſſe,crediderim,quem año quinquageſimo ſecundo ſuperfuiſſe conſtat.Septuageſimo primo,cum mortuoNerone variè fluctuaret reſpublica, MARICVS quidam ex plebe Bojorum,quos Julius poſt Helveticum bellum in Æduorum finibus collocavit,numinum ſimulatione arma Romana provocare auſus. Jamq́; aſſertor Galliarum, & Deus audiens, quod ſibi nomen indiderat, concitis octo millibus hominum,proximos pagos trahebat,cum Æduorum civitas electa juventute, adjectis à Vitellio cohortibus,fanaticam multitudinem disjecit.Captus prœlio Maricus,ac

Tac.An.12 Tac. hiſt. lib.2.

mox feris objectus, quia non laniabatur, vulgo inviolabilis creditus, donec spectante Vitellio interfectus est. Domitianus, Titi fratris anno octogesimo tertio successor, Marcomanos, quod nulla ab eis in Dacos impetraret auxilia, bello aggressus, victus inque fugam conjectus abiit, ut à Dione quidem proditum; nam Statii perridicula est adulatio, Domitiani clementiã prædicantis, XXCIII.

Dio in excerpt. Theod. Stat. sylv. lib. 3.

Quæ modo Marcomanos, post horrida bella, vagosq;
Sauromatas, Latio non est dignata triumpho.

Reges illis porrò ex sua ipsorum gente aliquamdiu, inter quos clarum TVDRI nomen, neque quidquam præter nomen tamen. Taciti primum ætate externos pati cœpere, quibus vis & potentia ex auctoritate Romana esset, corruptis jam tunc fractisque patriis institutis, pecunia magis quam armis Romanorum; nam hoc etiam Tacitus, libello quem de Germanorum moribus, anno post Christum natum centesimo edidit, professus est. TVDRVS.

ANN. POST CHR. NAT. C.

Centesimo quadragesimo, mortuo Hadriano, T. Aurelius Fulvus BOIONIVS Antoninus, Senatus consulto Pius appellatus, imperium adiit. Bojonii nomen unde tulerit, à nullo veterum proditum, ipse quodammodo habitus & facies, à Bojis esse indicat, eo credibilius, quod Antonino paternum genus ex Transalpina Gallia, patre Aurelio Fulvo Consule, avo T. Aurelio Fulvo bis consule, cum Boici seminis reliquias in Gallia & mansisse olim, & hodie supereresse, supra dixerimus; Fulvum autem aut Fulvium aliquem, post hos amplius centum viginti annos clarum, infra simus memoraturi, quem Vopiscus planissimè Bojum nominat. Pio adoptionis jure M. Aurelius BOIONIVS Antoninus, orbis terrarum consensu Philosophus cognominatus, successit. Qui cum Bojonii appellationem patri fuerit gratificatus, fit ut duo optimi Imperatores, pulcherrimorum cognominum, quæ nullis devictarum gentium titulis invideant, Bojis quadantenus transcribantur. Romæ L. Bojonium Olympum, & L. Bojonium Gentilem in antiquis lapidibus legi scio, de quibus quod præterea afferam, nihil habeo.

CXL. T. AVRELIVS FVLVVS BOIONIVS ANTONINVS PIVS.

Capitol. in vita; Eutrop. lib. 8. Vict. epit.

CXLIII. M. AVRELIVS BOIONIVS ANTONINVS.

Vict. in hist. Cæs. M. Aur. & Const. Antonino, atque ad eum Sylburg.

Grut. inscript. pag. 763. n. 10. & pag. 861. n. 13.

Imperatore Philosopho, gravissimum bellum, quantum nulla ætas meminerat exarsit, cui nomen Marcomani principes fecere, porrò Quadi præterea conjuraverant, Vandali, Sarmatæ, Suevi, haud dubium Boji, & quos Capitolinus his annumerat, Narisci, Hermunduri, Latringes, Buri, Victovali, Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci, omnis pæne denique Germania & Sarmatia, ut nummis, qui ad memoriam ejus expeditionis bene multi publicati, Germaniæ & Sarmatiæ victæ nomen universè fuerit impressum, sed in vulgus, quin & penes scriptores, sola Marcomanorum fama evaluit; quo unos ei

Oros. lib. 7. c. 15.

Bojos

Bojos conceſſiſſe, minus aut incredibile aut mirandum eſt. Coſtobocos (Ammianus Marcellinus Coſtobocas nominat) eoſdem Toliſto-Bojos eſſe, vereor levi conjectura à Sylburgio aſſeri. Anno centeſimo ſeptuageſimo primo, bellum ingenti apparatu cœptum, varia deinceps in utramque partem fortuna geſtum eſt, nam nos ſigillatim proſequi nihil neceſſe. Inter ipſa initia, incredibilis ejus apud Romanos exſpectatio, tum timor. Imperator undique ſacerdotes accire, Romanas peregrinasq; ſuperſtitiones impſere, eo tandem deſcendere, ut Alexandro cuidam, impudentiſſimo homini, de oraculo fidem haberet, quod geminos leones Danubio certis ritibus immittenti, victoriam pollicebatur; atque ii quidem immiſſi, in adverſam ripam enatarunt, Marcomani ignotas feras, canum aut luporum vicem æſtimantes, fuſtibus coercuere, Romanorum, contra quam oraculum ſpoponderat, nihilo ſecius ingens cædes, cæſis viginti circiter millibus, ſequuta eſt. Quinquennio poſt, hoſtis ſuperati gloria penes Chriſtianos fuit. Chriſtianorum enim precibus divinitus impetrata tempeſtate, in Romanos ſecunda, hoſtibus exitiabili, Quadi, qui poſtremi reſtiterant, ſummo prœlio, magna accepta clade, ſuperantur. Sed & in Germania illà ætate, aliquam Evangelii ſementem ſparſam fuiſſe, magni auctores, Irenæus & Tertullianus, tradunt. Quod ego de Marcomanis, illuſtri inprimis populo, ad Romanos fines colente, quæ Chriſtianis propagandæ religioni prompta & idonea occaſio, vel præcipuè interpretor, à Marcomanis ad Bojos deduco. Juſtinus utroque vetuſtior, nullum mortalium genus eſſe jam tum ſcripſit, ſive Græcorum ſive barbarorum, quocumque nomine, Chriſtianæ pietatis exors, ſed Germaniæ ille nomen non poſuit. Marcus ſucceſſu lętus, cum Marcomanos parta victoria cogitaret in provinciam redigere, Avidii Caſſii motibus, qui ſe in oriente Imperatorem appellaverat, revocatus, pacem dedit, plurimis Marcomanorum in Italiam translatis. Victo Caſſio, anno centeſimo ſeptuageſimo nono, in Germaniam reverſus, cum Marcomanis, & Hermunduris, & Sarmatis, & Quadis, per tres iterum annos bellum geſſit; quod de provincia prius animo agitaverat, tunc proximè perfecturus fuiſſe creditus, niſi ingentibus conatibus mors interceſſiſſet. Filium Commodum ægrotans ad ſe vocat, bello inſiſteret, nec reliquias prope confecti contemneret monet; eo enim Marcomani reciderant, ut neque jam juventus tot conciſa prœliis, ferendis amplius armis ſufficere, neque commeatus ex agris perpetuis populationibus vaſtatis, poſſet ſuppetere. Sed Cõmodus honeſta omnia poſt voluptates habuit, patre mortuo, ut ſe quamprimum Romam referre, urbanisq; deliciis vacuus frui poſſet, pacem Marcomanis poſtulantibus conceſſit, trans-

ANN. POST CHR. NAT. CLXXI.

Amm. lib. 22.

Sylb. in Pauſ. lib. 10

Lucian. Pſeudon.

ANN. POST CHR. N. CLXXVI.

Meminere plerique Chriſt. & gent. ſcript. Ex Chriſt. antiquiſ. Tertull. apol. c. 5. ad Scapul. c. 4. Imp. etiam epiſt. extat. Iren. lib. 1. c. 3. Tertul. adverſ. Jud. c. 7. Juſt. dial. cũ Tryph.

CLXXIX.

Capitol. Dio.

ANN. POST CHR. NAT. CLXXXII.

fugas & & captivos cum frumenti modo annuo, & armorum militumque numerum pactus. Monstro deinde hominis Antonino Elagabalo, bellum post annos circiter quadraginta retentaturo, quod ejus perficiendi gloriam Antoninum aliquem, ex veteri responso manere inaudisset, fama obstitit, qua ferebatur M. Aurelius Marcomanos Chaldæorum & magorum opera, secreta carminum devotione obligasse, ne à Romana amicitia unquam desciscerent: vulgo credo eo trahente victoriam Christianorum precibus impetratam, cum Christianos plerique magorum nomine censerent.

Lamprid. CCXXII.

Anno post Christum natum ducentesimo quinquagesimo secundo, cesis Gallo & Volusiano Imperatoribus, Valerianus cum Gallieno filio imperium tenuit. Quo tempore Marcomani, longissimis in solum Romanum factis excursionibus, & Thessalonica obsessa, ingenti terrore omnem Græciam concusserunt. Borani paullo post, neque eo minus Gothi, Carpi & Vrugundi, quas gentes Zosimus ait propter Istrum colere, perpetuis populationibus Italiam & Illyricum simul vastavere. Borani longius progressi, Asiam trajecto Bosporo adiere, ibi, Pityuntis castello, & maxima opulentissimaque urbe Trapezunte expugnatis, præda latè circumacta, domum regressi sunt. Quod asseverem non habeo, tamen Borani Bojorum ad Istrum manus esse potuit; nam quos latina fini Bojeros supra diximus, illi se patriâ Bojeren, aut Boiren plurium numero, appellant, & à Boranis haud dubiè nullo consonantium, solo vocalium litterarum sono dissident. Quod si Zosimus Scythas appellat, scimus Germanicas origine Scythicasque ad Istrum gentes appellatione passim confusas, & omninò mirum, ut Boji non fuerint, tam potentis populi nullum alibi superesse vestigium, neque enim nomen præterea legere memini.

CCLII.

Zosim. lib. 1.

ANN. POST CHR. NAT. CCLXI. FVLVIVS BOIVS.

Anno post Christum natum ducentesimo sexagesimo primo, FVLVIVS BOIVS Rhætici limitis Ducem egit, quem Valerianus Imperator inter amicos habuit. Proximo, Valeriano à Persis capto, Gallienus imperio solus potitus, SALONIAM PIPARAM, Marcomanorum Regis, cui ATTALVS nomen fuit, filiam uxorem accepit, & perditè adamatam, Augustam appellavit, socero superioris Pannoniæ partem pactione concessit.

Vopis. Aurel.

Vict. in Cæss. & epit. & rebelli. nummi.

CCLXI. SALONIA PIPARA. ATTALVS.

ANN. POST CHR. NAT. CCLXXI.

Annus ducentesimus septuagesimus primus, Aurelianum Imperatorem habuit: sub quo Marcomani, Italiam omni denuo malorum genere exercuere. Prima prope Mediolanum contracta clades, Aureliani ipsius errore, quem venientes fefellerant; hanc ingens circum populatio, Romæ tanta trepidatio sequuta est, ut jam extrema quæque desperatis animis timerentur, & aditis Sibyllinis carminibus, procurata ex eorum præscripto certis

Vopisc. Aurel.

locis

locis sacrificia, ne hostes ulterius progrederentur; qui restitere sanè paullisper, & minutis carptim prœliis ab Aureliano concisi sunt, sed ad Placentiam contractis rursusutrimq; copiis, summa iterum vi concursum, Marcomani sylvis densissimis, quibus se condiderant, sub vesperam erumpentes, Romanos aggressi, immensa adeò strage confecerunt, ut is dies maximo post homines natos imperio, prope postremus illuxerit. Sed fortuna brevi vertit, belli exitus secundum Romanos stetit. Vopiscus Marcomanos monstris quibusdam, divinisq; speciebus per sacrificia implicatos, victos scripsit, quod fabulæ opinor propius. Subit interim, in reputatione hujus narrationis, animum admiratio, Romanos omnibus bellis statas sollennesq; Deorum cæremonias coluisse sedulò, nullo superstitionibus largius indulsisse hoc uno, quippe qui in Marcomanos nec damnatis toties magorum artibus, neque, quam haud paullò pejus odere, Christiana religione abstinuerint, fassi profectò, etsi sentio ut hoc turgidum & inflatum, sed rem æstimemus, se sibi de hostibus, humanis opibus victoriam non spondere, adversus quos majorem humana vim & potiora auxilia asciscerent.

ANN. POST CHR. NAT. CCLXXXIV. CCCIV.

Sub Diocletiano, qui imperium anno post Christum natum ducentesimo octogesimo quarto iniit, vigesimo inde posuit, Marcomanos quoq; cæsos reperio, loci temporisq; ratione non designata. Domestici Bojorum annales, quorum ego fidei, nisi si qua probabili præterea auctoritate sublevantur, in tanta antiquitate, quam vetustissimi eorum scriptores, nulla ex parte potuerunt attingere, timidè assentiri soleo, cum præsenti editos constet, ab hominibus omnis elegantioris doctrinæ rudibus & imperitis, annales hi inquam, ADALGERVM Bojis præfuisse in dicant, quo tempore Severus apud Romanos imperaverit, & cum Severi nomine Imperatores plures fuerint, illum designare existimantur, qui à Galerio Maximiano Cæsar appellatus, Italiæque præfectus, anno post Christum natum trecentesimo septimo, Maxentii jussu, occisus est. Sed operæ sit pretium narrationem totam detexere, quæ fabulæ de Theodorico Gotho apud Aimoinum, aliquâ respondens, habet exemplum prudentiæ, ad omnem vitam utibile. Adalgerum qui sub Romanis tunc viveret; an pactione victis à Diocletiano Marcomanis inita, an stipendia inter auxiliares merens, parum comperimus, malim tamen stipendia inter præsidia meruisse credere, & habet Notitia, Tribunum gentis per Rhætias deputatæ, Teriolis, gentium autē gentiliumque nomen per hæc jam tempora, nationibus exteris promiscuè tribuebatur; Adalgerum ergo memorant, magnorum criminum reum Severo delatum, accitum, quod capiti timeret, difficulter animum induxisse ut se sisteret, vix tandem, adhibito

Vict. in Cæs.

Manuscripti.

ADALGERVS.

Arenpek. lib. 1. c. 31.

CCCVII.

Aim. lib. 1. c. 10. Idac. lib. 3. c. 9.

hibito veteris amici consilio, paruisse. Cæsarem objecta neganti, gravioris supplicii fecisse quidem gratiam, cæterum succisis per contumeliam genuum tenus vestibus, & coma circumtonsa hominem dimisisse. Eo graviter commotum, nam omnis Germania capillitio inprimis gaudere, amici tamen monitu iram repressisse. Postridie populares, quos comites habebat, ad eandem omnes speciem ornatos tonsosq; produxisse. Qua re, cum cultus novitas hominũ in se oculos verteret, & corpora magna & procera eo etiam augeri viderentur, demiranti, caussamq; quærenti Severo, respondisse, sic esse Bojos, nemini illorum uni fieri injuriam, quæ uni fiat, omnes communem ducere. Domum reversum, hunc oris vestiumq; habitum subditis lege præscripsisse, quæ fuerit perpetua. Amicum, nam nomen non addunt, obsidis vicem apud Severum relictum, postea quoq; fuisse usui; cum enim Adalgerus à Severo iterum evocatus, rursus consiliũ peteret, amicum nuntio per tectas ambages respondisse, credo quod rectâ & palam parum tutum, fuisse olim hortum à gnavo patrefamilias cultum, oleribus diligenter consitum, quem cervus forte intromissus, adesis protritisq; passim herbis, vastaverit, hunc primò captum, accisis cauda & auriculis, lasciviæ pœnas dedisse, neq; tanto tamen damno admonitum, commeasse denuo, donec stultitiam morte luerit. Jacentis cor vulpeculam, de proxima sepe procurrentem, clam surripuisse, id cum uxor patremfamilias inter exta frustra quærentem animadverteret, Tu porrò, subintulisse, mi marite, cervum credis si cor habuisset, unquam huc fuisse regressurum, unde tam fœdè mulctatus, ægrè antea elapsus est? Intellexisse Adalgerum, quo pertineret apologus, neque in Cæsaris postea venisse conspectum. Cæsarem indignatum bellum movisse, sed armis abiisse repulsum. Præfectos nominant, Geraldum, Rudolphum & Virentum, quorum ductu Adalgerus Brennium etiam Suevum, Osinuchum apud Bojohemos Regem, & Hunnos vicerit. Ea re claritudinem Boici nominis omnia pervasisse, quæ Adalgero mortuo iterum retrò lapsa sit, victis Bojis, à Constantino primùm, deinde Juliano Imperatoribus. Ego quicquid hujus, pro certo ponere verear; quamquam exteros auctores habeo, Constantium Constantini filium, & Julianum cum Quadis congressos esse, neq; ferme bellum Quadi sine Marcomanis gesserint, & Marcomanica ad Bojos pertinuerint, atque proclivis à Constantio ad Constantinum lapsus sit. Constantinus autem mortem obiit anno post Christum natum trecentesimo trigesimo septimo, Constantius trecentesimo sexagesimo primo, sexagesimo inde tertio Julianus. Id constat, sub Valentiniano & Valente, qui Julianum non toto interjecto anno sequuti, Marcomanos & Quados unâ, maximis injuriis irri-

Amm. Marc. & Zosim.

Ammian. lib. 29.

ANN. POST CHR. NAT. CCCXXXVII. CCCLXI. CCCLXIII. CCCLXIV.

irritatos;quod Romana præſidia ultra Danubium in Quadorum jam ſolo excitarentur,Gabinius Rex,ne quid novaretur modeſtè petens , tantum non inter hoſpitalis menſæ ſacra , à Marcellino Valeriæ Duce, per ſummæ perfidiæ ſcelus impune necatus eſſet, fluvio trajecto, omnia ferro & igni populantes , incredibili celeritate progreſſos,tentatâ Sirmio,occupatâ Opitergio , Aquileja obſeſsâ,ægrè aſperitate Juliarum Alpium , qua Maricus quidam Primicerius occurrerat,Italiæ aditu fuiſſe prohibitos.

CCCLXXV. Valentiniano anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto vita defuncto, exitiabile conſilium , quo Romanum imperium jam tunc nutans,præcipiti ruina concideret, ſub Valente & Gratiano erupit , receptâ cis Danubium innumerabili barbararum gentium multitudine, à Marcomanis, & Quadis longiſſimo terrarum tractu ad Pontum uſque , cujus numerum comprehendere illi ipſi qui transvexere,ſæpe conati,nunquam potuere,cum diligens navaretur opera,uti graviter Amianus queritur , ne quis everſurus rem Romanam, in adverſa ripa relinqueretur. Patriis ea pulſa ſedibus,agrum per legatos petebat; quietam & innoxiam pace vitam,bello fortem & utilem inter auxilia operam pollicita. Impoſuit ignaviæ ſperatum laborum ſumptuumq; compendium, & ſpecioſus viſus inertibus color , civium ſanguini parcere, ſtipendia lucri facere,bella hoſtium,&periculo,&in utrumque caſum damno, conficere,verum res,gliſcentibus barbarorum viribus,atque proinde audacia,in Romanorum perniciem, uti dicere inſtiti,perbrevi vertit,Romanos,quos defenſum venerant, novi ipſi accolæ reliquis exuere agris, urbibus & præſidiis & totis denique pellere provinciis. Ammian. lib.31.

ANN. POST CHR. NAT. CCCXCVI. Anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo nonageſimo ſexto,quod Ambroſius Mediolani Epiſcopus inſigni ſanctimoniæ laude floreret , fama univerſum terrarum orbem pervagata , ad Marcomanos pertigit.Horum Regina tunc FRITIGIL, cum Chriſtianum hominem ex Italia profectum , de eo narrantem audiviſſet , inſolitæ virtutis admiratione capta , Deum cui vir tantus ſerviret , ſibi colendum ſtatuit,miſſisque Mediolanenſi eccleſiæ muneribus, rectæ fidei formulam, ad quam ſe componeret , ab Epiſcopo petiit. Ambroſius copioſa epiſtola, quæ hodie non extat,reſcripſit,tum fidei quæ petebantur capita proſequutus , tum hortatus Reginam , marito pacem cum Romanis perſuaderet , quod illa diligenter curatum, effectum dedit. Sequenti anno, doctorem ſuum coram viſura , Mediolanum adiit , quo priuſquã illa perveniret,is rebus humanis exemptus eſt.Paulinus Ambroſio à manu,vitę ſcriptor, Fritigildis maritum , ſe ſe populum que Romanis tradidiſſe prodit:credo quod trajecto Danubio,acceptis aliorum exemplo agris , Romanam ripam coluerit , nam id inſtitutæ à Regina Mediolanenſi profectioni eſt conſentiens. Paulinus in vita Ambroſii.

FRITIGIL.

CCCXCVII.

Et

Et Illyricum, Illyrico autem attributæ Noricum & Pannonia, in quarum alterutra provincia Marcomanos collocatos oportuit, ad Ambrosii curam pertinuisse scimus, cum is Avennium Sirmii episcopum initiaverit. Nam Illyricum Galliæ Cisalpinę stante adhuc republica, lege Vatinia adjectum. Neque absurdum suspicari, Fritigildis populares ex Bojorum potissimum fuisse posteritate, qui in majorum memoriam, Bojorum rursus deserta, à Vindelicia ad Pannoniam, Romanorum voluntate tenuerint. Nisi quod hæc simpliciter conjectura est, ego conjecturis, præterquam quod sua sponte verisimilitudinis pondus habent, nolim à me auctoritatem accedere. Meruere post illa Marcomani pedibus & equo inter Romana auxilia, pedites in seniores juniores que tributi, Imperatoris Honorii deinde appellatione honestati, Honoriani Marcomani cognominati sunt. Ad hæc quoque tempora Hieronymi epistola ad Heliodorum scripta pertinet, qua vir sanctus, gentibus Romanum imperium, à viginti & eo amplius annis incursantibus, Marcomanos annumerat: sive epistola data, antequam Fritigil ad Christiana sacra transiit, sive aliæ illæ fuere Marcomanorum manus; quod plerique olim Germaniæ populi, pluribus simul parerent regibus, nominibus forte aliquâ distincti, quæ Romani, indiligentes externæ historiæ, annotare neglexerint.

Suet. Jul. c. 22.

Notit. Imp. occid. inter auxilia Palat. vexillat. Comitat. & alibi.

Hieron. epist. 3.

Viginti & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur.

Annis jam ante hæc Hunni, gens cultu fœda & barbara, fera atque immanis, supra suam unde orta est Scythiam, imperante Valente, ex Asiatico Mæotidis littore in Europam transgressi, Boiscis, & cæteris quos supra memoravimus populis, turbinis confestim more correptis, latè quaqua versus vagati, in regnum brevi coaluere magnum & præpotens, quod cum multas nationes fortitudinis laude insignes presserit, tum reliquis, & Romano inprimis oppugnando imperio par esse videbatur. Cum anno post Christum natum quadringentesimo quadragesimo quarto, Attilæ & Bledæ simul fratrum, quibus pater Mundzuccus fuit, imperio regerentur, Attila consortis impatiens, fratrem dolo necat, & regno solus potitus, homo animo vasto & violento, horrido corporis habitu, truculenta facie, voce terribili, in exitium humani generis natus, certè ei castigando ab infesto numine manifestò immissus, quod nec ipse dissimulare, efferatæ crudelitatis per pleramque omnem Europam ferro, flammis, populorum maximarumq; civitatum subversionibus, tam lugubria vestigia impressit, ut infausti nominis recordatio, in vulgus etiam nunc cum execratione perduret. Numerabantur in subjectis nationibus præter Hunnos, Marcomani, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi, Gothi, Gepidæ, & Alani, quosque Sidonius adjungit, Rugi, Geloni,, Scoti, Burgundiones, Bellonoti, Neuri, Bastarnæ

Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiã, cunctasq; Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunnus, Vandalus, Marcomanus vastant, trahunt, rapiunt, &c.

Ammian. lib. 31. Jornandes, S. pag. 61. Prosper. in chron. alii.

ANN. POST CHR. NAT. CDXLIV.

Hist. miscel. lib. 15. Jornand. Sid. paneg. Aviti.

ſtarnæ, Bructeri, Franci, magnarum ex ſe virium, & celebratæ potentiæ populi, ut fides ſit militari carmini, funebri decurſione ad mortui cadaver jactato, ſolum Attilam, inaudito ad eum diem exemplo, poſſeſſionem Germanicorum Scythicorumq; regnorum conjunxiſſe. Vngarorum annales KREINHILDEM, Bojorum reguli filiam, in magna numeroſi conjugii licentia, uxorem fuiſſe memorant, ex eo matrimonio Aladaricum natum, egregiæ indolis juvenem, qui Chabam majorem natu fratrem, regno aggreſſus dejicere. Mortuo enim Attila, anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo quinquageſimo quarto, ingentes bellorum motus ſequuti ſunt, cum inter tot filios, quorum incredibilis numerus propior populo, nemo de herciſcunda hereditate cogitaret, ſinguli ſolidam vellent cernere. Eminuere principes, hinc Chabas, Jornandes Ellacum credo nominat, inde Aladericus, Chabæ favêre Hunni, fratrum maximo, quem pater in eam ſpem deſtinaſſe credebatur, Aladarico, in maternæ originis memoriam, Germanici populi, Rex inprimis fama inclytus, annales Detrico nomen faciunt, ego Ardaricum Gepidam interpretor, quem Jornandes tum gloria, tum vivo Attila fide & auctoritate floruiſſe ſcripſit: pleriq; de Theodorico Gotho, Italiæ poſtmodum victore ſenſere, prænimis abſurdè, qui Attila jam defuncto demum natus ſit. Prœlium commiſſum in campis prope Sicambriam, tanto utrimq; irarum ardore, & per plures dies pertinacia, ut Danubium cæſorum ſanguine tinctum, rubuiſſe annales prodiderint. Neutra acies læta abiit, Aladaricus fortiter pugnans, armatus cecidit, qua re ſuppreſſo paulliſper partis impetu, cum victoria Chabam ſpectaret, Ardaricus valida rurſus facta impreſſione, ſuos erexit, Hunnos in manifeſtam fugam conjecit, perterritosq; egit, ut non prius conſiſterent, quam ſe victoris oculis ſubduxiſſent. Vngari Chabam effugiſſe credunt, Jornandes Ellacum, quem ipſum videri diximus, pugna periiſſe. Hoc habet, fractis eo prœlio Ardarici potiſſimum virtute, Hunnorum viribus, gentes triſti ſervitio ſubditæ, importuno jugo excuſſo, ſe in priſtinæ libertatis ſplendorem vendicavere.

KREINHILDIS. Vngar. annal. quos ſequutus Nicol. Olahus in Attila c. 17.

ANN. POST CHR. N. CDLIV.

Auctorem habeo, ſed vanitatis manifeſtum, de quo quæ mea privatim ſententia, alias erit explicatius exponendi occaſio, Bojorum populos Schiracios, Hirros, Schiros, Tranos, Salios, Salingos, Stiros, Stiriacos, Halios, Buros, regnum Adalogerioni, Hunni Veliphonis filio, tum detuliſſe, viro forti & prudenti, qui paterna origine Alemanum Herculem contingeret. Verum hujus omninò narrationis, in annalibus paullò vetuſtioribus, domeſticis etiam, nihil comparet. Et ut conniveamus ad Herculis Alemani fabulam, quæ eſt iſta porrò tam pravæ ambitionis ſpecies, aggerere tot hæc gentium nomina, partim huic nunc maxi-

maximè fini excogitata, certè nova incude formata, cætera à Bojis aliena adeò, ut cum iis commune habeant prorsus nihil? Ne eamus per singula, de Buris dictum, & Tacitum præ nuperis scriptoribus fidem impetrare æquum est: Schiros sive Scyros, & Hyrros, Plinius cum Sarmatis & Venedis conjunxit, tum idoneus valde testis Jornandes, Schiros mortuo Attila volentibus Rômanis, cum Satagariis Alanisq; cæteris, in minori Scythia & inferiori Mœsia, Candace duce consedisse retulit, quod illum nimirum scisse oportuit, qui avo Candacis scriba ortus sit. Quid ergo Boicæ historiæ inferere attinebat? At Scheirensis inter Bojos familia floruit; rectè, si quis prius evincat hanc à Schyris esse, nam de cætero, frigidum soni argumentum, quod nullo alio fulcitur tibicine; nisi eâdem facilitate nobis permittimus, Bojos, à Bœotia deducere, quæ Græcis Βοιωτία scribitur, aut his etiam ineptiora comminiscimur. Adalogerionis nomen, inscita affectatione ex Adelgero natum, sive cum eo confusum est, cujus paullò ante sub Severo meminimus, sive cum Aladarico Attilæ filio, parum scio, Aladericum enim pleræque Germanorum gentes sequutæ sunt. Pergit porrò, Bojos hoc Rege nunc Gothis ac Suevis, nunc Hunnis & Rugiis conjunctos, trajecto identidem Danubio, Romanas provincias, quacumque prædæ spes vocaret, esse populatos. Orto inter Suevos & Ostro-Gothos abactis pecoribus certamine, Bojos Suevis affuisse, Valomarum Gothorum Regem pugna interfectum, interfecti fratrem Theodomarum, cum magnitudo frigoris hyeme Danubium glacie constrinxisset, flumine transmisso, Bojis Suevisq;, quos tunc unum Alemanorum nomen comprehenderit, cladem reposuisse. Venedos quoque per ea tempora per Germaniam interiorem cœpisse invalescere, finitimosq; populos, Suevos & Bojos præcipuè, infestasse, qui cum Bojohemo pulsi cederent, Zechum & Crocum Venedorum Reges, successisse. Bojos ad Nariscos abiisse, qua isti lævam Danubii ripam in Germania magna, Vindeliciam contra prætexunt. Ibi controversias cum Francis incidisse, quod Childericus & Clodoveus Reges, latè per omnem Galliam, & prope Germaniam, rerum potientes, novos advenas æmulos non ferrent, à Clodoveo demum Bojos & Suevos, Alemanos uno verbo, cæsis Adalogerione & Alarico Regibus, memorabili pugna ad Tolbiacum victos esse. Bojos ex eo obnoxium cum Francis fœdus iisse, Boji principem ex suo corpore legerent, Ducis nomine, Francorum Reges auctores fierent, Boica arma Francis auxilio essent, iisdem amicis atque inimicis uterentur, cætera suis legibus viverent. Hujus historiæ ut quædam probabilem veri speciem præferunt, ita vana sunt pleraque, & illud perquam inane, quod sibi ratum & confessum sumit, Bojos & Suevos ad

S. pag. 72.

Plin. lib. 4. c. 13.

Alema-

Alemanorum nomen utroſque pertinere. Scimus Alemaniæ appellationem Germanis interdum universè tribui,& eo ſanè ſenſu Bojos,nihilo minus quam Francos, Saxones, & alios quoſcumq; Germaniæ populos complecti,ſed qui Bojos privatim & propriè Alemanos vocaverit, quomodo Suevi crebrò uſurpati ſunt,præterea nemo eſt, quin contra ab Alemanis tam multi,tam diſertè, tam certo limite diſtinxerunt, ut, niſi ſi quem de rebus ante oculos poſitis ambigere delectat, in diſquiſitionem ultra venire non debuerit. Jornandes in Getica hiſtoria, ex qua ſuperioris narrationis anteriorem partem,variè inquinatam, derivatam eſſe apparet, Alemanos & Suevos conjunxit, verum id ad Bojos nunquam quidqu um pertinet, nihil item auxiliares Schiri, quorum eo loco mentio,ne Germanici quidem nominis populus, neque ſeſe ulla hinc aperit ſuſpicio, Bojos cum Gothis per ea tempora armis eſſe congreſſos : Bojorum hactenus meminit, ut prope Suevos in Germania magna, ad orientem ſolem, coluiſſe ſignificet. Quod ipſum eos qui temerè confundunt, erroris poterat admonere. Incidit autem Jornandis de Bojis mentio,in annum poſt Chriſtum natum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, ratione ſic inita. Theodericum Italiæ Regem, anno à Chriſto nato quingenteſimo vigeſimo ſexto mortem obiiſſe comperio, quam cum ætatis ſeptuageſimo ſecundo obierit, quadringenteſimo quinquageſimo quarto natum eſſe conſequitur,atque decimus octavus ætatis,à Jornande eo loco memoratus, numerum à nobis indicatum attingat oportet. Nam hæc intentè & diligenter viſum rimari, quod poſt priſca Romanorum Imperatorum tempora, vetuſtiorem iſto uſque adhuc neminem repererim, qui Boici nominis liquidò & diſertè meminerit. Marcomanicum contra, poſthac extinctum funditus periit, neque renatum unquam eſt ; quo probabilior & confirmatior ſuperior conjectura, Bojos ſub Marcomanorum & imperio & nomine delituiſſe, quibus afflictis iterum emerſerint. Porrò Jornandes delineaturus Suevos, quibus Alemani conjuncti, eos ab oriente Bojis, ab occidente ſole Francis, meridie Burgundionibus, ſeptentrione Thuringis claudi ſcriptum reliquit,eo tanto circuitu, hodieque trans Danubium Sueviam, cum proxima Franconia, longè lateque fuſum terrarum ſpatium,exprimens,quod in alio opere pluribus docuimus. Conſectarium itaque, Bojos ſive Hercyniæ ſylvæ campos à Marcomanis infeſſos, jam olim cognomines, tum adhuc coluiſſe, ſive quod vero opinor propius, illis paullò ante ejectos, Danubium, qua inferiorem Rhætiæ partem & Noricum præterfluit,prætexiſſe,quæ hodieque item Tranſdanubiana Boica eſt. Atque hic exin maximè gradus fuit, ad Romanas provincias, trajecto flu-

ANN. POST CHR. NAT. CDLXXII.

Paul. Diac. lib. 3. c. 18. *Iſte ex Suavorum, hoc eſt, Alemannorum gente oriundus.* Alii paſſim Suevos & Alemanos confundunt. Bojos viciſſim à Suevis & Alemanis omnes diſtinguunt. Eginhart. in Caroli M vita, *Ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Is fluvius Baioarios ab Alemannis diſtidit.*

Rer. Auguſt. Vind. lib. 8.

mine occupandas. Illud dubitationem non habet, Marcomanos sociosq; populos, pulsos esse interiore Hercynia, à Slavis Sarmatica gente, quæ ducis Zechi, ut ipsi sibi persuadent, nomine privatim dicta, nunc appellationem retinet: sed temporis ratio in controversia. Nobis probabilis visa, Cromeri accurati scriptoris, multiplex ad Attilæ ævum derivata ratiocinatio; nisi credibilius, Attilâ demum mortuo, cum unius regni interitu multa passim nova orirentur, Sarmaticis primùm in Germaniam irruptionibus viam patuisse: quod utro modo habuerit, cum alterutro accidisse oporteat, in tam obscura vetustate, neque asseverarverim, neque in magno posuerim discrimine. Nariscos autem initio hunc inter Hercyniam & Danubium tractum obtinuisse, priusquam Zechi Marcomanis & Bojis, Boji vicissim Nariscis succederent, constanter creditum, nos non abnuimus.

Crom terum Polon. lib. 1. c. ult.

Interea subit admirari, cum ab Attilæ morte, labefactata jam dudum Romani imperii majestas, omnibus nationibus fuerit ludibrio, quarum quæq; proximis provinciis totis viribus incubuerint, & verò Germanicæ sibi Rhætiam & Noricum palam diripiendas destinarint, Alemani præsertim, Rugii, Heruli, Thuringi, hæc quippe extant apud Eugippium, qui tunc vixit, nomina, quî factum ut solis Bojis nihil iis locis rei fuerit, quibus illos unius fluminis latitudo arceret, saltem memoria nullis litterarum monumentis consignata celebretur; nam Marcomanorum specie, quorum nec ipsum illis bellis nomen reperias, & interiisse antea diximus, amplius tegi non potuere. An credibile, Bojohemo nuper ejectos, vagos palantesq; de tuendis, quas fors dederat, sedibus, magis quam de propagando imperio & gloria, deq; vicinis lacessendis fuisse solicitos? An fœderis cum Romanis usque eo tenaces, ne injuriæ quidem paratos atque obnoxios, violare sustinuerunt? Sed & utraque caussâ conjungi potuit, quod nullus diuturnior inter confines populos fidei custos, quam imbecillitatis utrimq; conscientia. An casu evenit, quo fere propendeo, ut cùm nihilo cæteris pacatiores, manus non magis continuerint, memoria tamen in tanta scriptorum strage exciderit: nam sine Eugippio esset, de Rugiis, Herulis, Thuringis æquè nescimus. Et verò barbaros is memorat, non expresso gentis nomine, qui Romanas urbes præsidio fœderati tenuerint, hos Bojos fuisse, nihil vetat credere, sobolem fortassis illorum, qui Fritigildis jussu fluvium transgressi sunt. Ego incerta suspicionum affirmare abstineo.

Eugip. in vita S. Severini.

Eugipp. c. 2

Sed restant ex narratione, quam censendam suscepimus, Francica Bojorum cum Childerico & Clodoveo bella, sequutumque fœdus: quorum in omni antiquitate, nullum impressum vestigium invenio, tametsi Francis plures quam plerisq; populis scriptores,

ANN. POST CHR. NAT. CDIC.

ptores, & tanta profectò res ſcriptione digna erat. Anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo nonageſimo nono Alemanos à Clodoveo victos invenio, memorabili ſcilicet pugna, quæ prima apud Francos adaperiendo Chriſtianæ religioni aditui fuit occaſio, verum eam Bojos ulla ex parte attigiſſe, nemo veterum prodidit. Gregorius Turonum epiſcopus, annos non totos quinquaginta poſt hanc pugnam natus, Alemanos in fugam verſos, Regem eorum interemptum, hoc tantum narrat; eodem ſenſu Theodericus Gothus, Clodoveo victoriam gratulaturus, Regem cum gentis ſuæ ſuperbia cecidiſſe ſcribit. Vt impensè mirer, nunc demum in mentem cuiquam veniſſe, Bojos & Alemanos, Alaricum Adalogerionemque Reges miſcere, omnia congeminare. Non equidem pernegem, Francorum majeſtatem, quæ totâ quam latè patet Germania, longè erat maxima, jam tunc, aut etiam antea, certè non multò poſt, comiter à Bojis conſervatam fuiſſe, ſaltem illis qui in Germania magna trans Danubium colerent; nam leges Boicæ argumento ſunt, quas Theodericum Regem Clodovei filium tuliſſe, proœmium oſtendit, nec eas ab æquali quisquam accipit. Rei interim originem, nec in tanta annalium penuria eruere atque conſtituere potui, neque ingenio fingere & excogitare pulchrum putavi, hoc nimirum etiam, inter ea, quorum vetuſtate memoria periit, incompertum repoſiturus.

Greg. lib. 3. c 90.

Theod. in variis Caſſ. lib. 2. ep. 41 In mſ. & in edit. Pariſ.

Prologus legu Bojariorum In Heroldi edit.

Prologus legis Salicæ. Verba ſic habent: *Theodericus Rex Francorum ---- juſſit conſcribere legem Francorum, Alemanorum & Bajoariorum.* Theodericum autem Clodovei F. ſignari, ex iis, quæ ſequuntur, poteſt intelligi.

Verum enimverò, præter cætera vulnera, quæ temporis diuturnitas, & ſcriptorum barbaries, Boicæ hiſtoriæ multa inflixit, fœdiſſimè in ipſum Bojorum nomen graſſata eſt. In Jornande Boibaros, aut Bajobaros, aut ex veteri libro Baibaros legas. Per-vulgatum enim apud Germanos, ut prima & quarta, vaſtæ ambæ vocales, inter ſe migrent. Itaque Paulus Diaconus etiam promiſcuè, Bajoariam & Bojoariam uſurpat, ſed extrita B littera, quod in gentis quoq; legibus & vetuſtis diplomatis invenire eſt, Metellus poëta inter Bojos antiquiſſimus, Bajaricam patriam, & Bajaricum ſolum dixit. Venantius Fortunatus, Bojoariam, Bajovariam, Baivariam, nec enim manuſcripti codices ſatis ſibi conſtant, & apparet B. aut V. temerè interjectas à craſſiori pronunciatu, quomodo in Romanis aliquando lapidibus, POSTERISQ. EVORVM eſt, aut ÆVORVM, pro EORVM. Quin eo deventum, ut reperirentur, qui omnium ineptiſſimè, Vvaivvariam nominarent & Vvavvariam. Guntherus Ligurino, Baugariam, G. novo exemplo, pari cauſſa inſerta. Auctor vitæ S. Vdalrici, & Bajoarios, & Bauuarios, & Bauuuarios, triplici V, variè habet, unde porrò Bavaria paullatim nata. Multiplicis ſcriptionis varietatem, & ultimarum ſyllabarum productionem, ex vernacula appellatione, Bojeris aut Bojaris, tanquam rivos ex fonte duci,

Quidquid Theodericus Rex, propter ſetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem, emendare non potuit, poſt hæc Childebertus Rex inchoabit, ſed Lotarius Rex perficit, Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſ. per viros inluſtres Chlodo, Chadoindo, Magno & Agilulfo renovavit. Grut. inſcript. pag. 980. n. 1. & antiq Boiſſ. Manuſcr. quidam.

manifestum : iis nimirum præeuntibus, quorum aures & linguæ erant barbaræ, Jornandem Paulumque, & ejus præterea classis scriptores intelligo. Nam aliam etymi notationem comminiſci, frustra sit. Neque hinc obscurum, cum Boji idem Bojeri Bojariqúe essent, quibus gradibus ad Bajoaros sive Bojoarios & Bajoarios, ab his ad Bajovarios atque Bavaros tàndem itum. Si qui enim scriptores paullò vetustiores sunt, Bojoarios & Bajoarios præferunt, Bavariæ nomen posterioribus plenè debemus. Audaci nimis deflexu, cum à prisco vocabulo, tum à vernacula pronuntiatione, in qua Bojorum vestigia, ut ut confusa comparebant, atque adeò comparent, quæ in Bavaris prope nulla sunt. Vixit ante annos ab hinc amplius septingentos, post Jornandem trecentos circiter, Otfridus monachus, qui Germaniæ sermonem omnium primus litteris tractare aggressus, linguam appellavit scriptu perdifficilem, propter sonum incommodum, & litterarum plerumque congeriem, multis in eam sententiam collectis argumentis: tum vocalium creberrimum, præ eo quod nunc fit, usum fuisse, perpetuum veluti testimonium ejus scriptio dicit: quæ meo sensu causſa longè planissima; mutatæ, pro scribentium libidine & insciti a, orthographiæ. Qui Bavariæ nomen ex Bojis & Avaribus, Avares autem Hunni sunt, composuere, aut alioqui Bavaros cum Avaribus confudêre, næ illi palam nugantur, Scythica hæc, illa Celtica gens, & rarò duo aliqui populi æquè pertinacibus odiis sese exercuerunt. Neque Paullus Æmilius, gravis alioqui & circumspectus scriptor, tam supini erroris veniam meretur. Nos difficillimam & impeditissimam operis partem, tanquam in mari scopulos, prætervecti, liberiori porrò cursui asuescemus; sic ut tamen vada, quæ complura enaviganda restant, cavenda meminerimus.

Otfrid. in prol. Evang. ad Luitbertum Archiep. Mogunt.

MAR-

MARCI VELSERI RERVM BOICARVM

Liber tertius.

THEODO.

POst eam rerum conversionem, quæ superiori libro explicata est, primum ex Bojis Theodonem, trajecto Danubio, Romanam provinciam, principatus specie tenuisse, Boicorum annalium consensus habet: constanter adeò, ut suum expeditioni annum assignent, nulla variationis levitate. Quod in re magna & antiqua, quæ olim per manus tradi potuit, externis testimoniis confirmari nunc non potest, evincendæ veritatis opinioni non nihil est. Neque enim suspicari animum induxerim, tot quantumvis domesticos auctores, eundem errorem de compacto erasse, quâ præsertim privatæ unius gentis memoriæ publica aliarum monumenta non adversantur. Qui Theodo Latinè scribentibus, Dioto & Dieto populari sermone est, nomine antiquè Celtico, quod excellentem virtutem exprimit, qualis heroum priscis temporibus credita. Eo olim primum gentis conditorem usum, Cæsar mihi auctor, qui Gallos se Dite prognatos dicere, scriptum reliquit. Vnus idem Teuto opinor apud Tacitum, non Tuisto, Deus terra editus, cui gens nomen debet. Idem Theutates, an Theutanes Lucano. Itaque is ipse Tacitus, maximum à Germanis honorem Mercurio haberi credidit, quod Mercurius aliquando Theut appellatus sit, uti Plato in Phædro & Philebo significat. Sed verò Lipsius quem inter prima sæculi ornamenta non nos uni numeramus, ex vetusta psalmorum versione observavit, Thiede & Thiadon gentes nationesque olim universè dictas, quod ego in Otfrido quoque reperio. Dieti sonus in compositis manet, Diethero, Dieterico, Dietbaldo, Dietmaro, quos Theodoros, Theodericos, Theodibaldos & Theodoma-

Consensus omnium qua editorum qua ineditorũ: uno aut altero excepto, nec rei, nec fidei ullius.

Diotonem & Theodonem Arnolfus Comes promiscuè usurpat. Diet, pro viro forti in l. Heldenbuoch. Cæs. lib. 6. bel. Gall. Tac. de mor. Germ. Luc. lib. 1. *immitis placatur sanguine diro Theutates.* Lipsi. Poliorcet. l. 1. Otfrid. l. 3. c. 13. *fremidemothiote*, significat gentes exteras.

Garibaldus nobis nunquã visus, sed ex mss. quibusdã, qui ipsius auctoritate nitũtur, facile fuit conjecturã capere, hominem esse mirè nugacem, ut qui illum audire potest, ei Anniana tota cohors, & Hunibaldi ineptię surdere non debeant. Primus nimirum in Boica hist. fabularum sementem fecit, quam pluribus postea culmis scriptorum vanitate fruticavit.

odomaros usurpamus. Theodonem sunt qui Adalogerionis filium fuisse cum dicant, tam non evincunt, quam aut de Adalogerione ipso, aut de Herculis in Adalogerione stirpe nullam fidem faciunt. Alteri Garibaldo obscuri nominis scriptore freti, longa retrò serie permultos alternis fere Theodones & Thassilones, cum prisco Ingramo conjungunt, cujus supra illata mentio. Nobis in neutram partem liquet, & in tantis tenebris ad scopum frustra collimemus. Illud pro comperto ponere non verear, quibuscumque parentibus & majoribus ortum, genere ac nobilitate suæ gentis fuisse primum, cum ejus rei certa documenta habeam. Nam hìc sit operæ pretium admonere, præcipuæ claritatis familias priscis olim temporibus plures apud Bojos extitisse, quarum nomina in Boicis legibus perscripta, longitudine temporis corrupta, nunc obscura, interpretationis incertæ sunt, eas inter Agilolfingam Ducum seminarium, principe præ omnibus loco eminuisse. De qua Dagobertus Francorum Rex, cum Boicum jus multis post annis corrigeret & digereret, in ist hæc verba edixit,

Agilolfingi verò, usque ad Ducem, in quadruplum componuntur, quia summi principes sunt inter vos. Dux verò, qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & debet esse, quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, qui de genere illorum fidelis erat & prudens, ipsum constituebant Ducem, ad regendum populum illum.

Cum ergo ex Theodonis posteritate multi Francis volentibus Bojis præfuerint, eum ex legis sententia ad Agilolfingos pertinuisse, necesse est.

Anno post Christum natum quingentesimo octavo, Bojos superato Danubio Romanam provinciam Theodonis ductu ingressos esse, auctores quos sequor consentiunt, cætera diversi abeunt. Qui scribendo nos proximè antecessit, & omnium nunc maximè manibus teritur, rem Francorum auspiciis, Clodovei Regis consilio & hortatu, armis gestam scripsit, relatâ videlicet Theodoni gratia, ob adducta adversus Alaricum Gothico bello auxilia. Juvisse Bojos, præter Francos Irino aliquo duce, Abares & Avares, atq; Angilos Gisone, Charinos Gisalone, ductoribus; variis locis minuta sæpe prœlia, Bojis fere secunda commissa, plerasque urbes citra ultraque Danubium captas; promorant enim Romani limitem jam antiquitus trans flumen, & quosdam imperio velut sinus adjecerant; captas igitur Pisonium, Augustam, Aciliam, Mocæniam, Castra vetera, tum æstiva, Batavis, & Quintanis antea deletis, Aureatum & Cæsaream disjectas, Lycostomam, Cálatinum, Attiliam, habitatoribus metu perculsis, ultrò desertas, Eponam, Cœnum, & omnium maximam Artobrigam expugnatas esse, postremam Augustam Tiberii, quamANN. POST CHR. NAT. DVIII.

quam

quam magnis viribus defensam, quod eam Romani bello arcem legerint, Bojis cessisse. Victoriam crudeliter exercitam, victores sacra prophana juxta habuisse, cædibus & incēdiis omnia miscuisse, nullo aut sexus aut ætatis aut dignitatis denique discrimine. Theodonem rebus compositis, cum alias civitates instauraſſe, tum Augustam Tiberii inprimis, quam novo uxoris Reginobirgæ nomine appellaverit. Severinum, Remedium, Servatum Romanos præsides, se se in Noricum inque Vindeliciam alpibus subjectam recepisse, ibi oppida, ut quodque opportunum, Pontes Oeni præcipuè, præsidio munitionibusq; firmasse. Theodonem dum illos omni prorsus provincia pellere constitutum habet, in ea molitione, quarto anno à trajecto Danubio mortem obiisse. Duos ei fuisse filios, Theodonem cognominem, qui Magnus ex virtute dictus, & Vtilonem. Vtilonem fratri domestico principatu ultrò cessisse, re & gloria armis peregrè quæsita. Nam cum Theodeberto Theoderici Francorum Regis filio (magnum tunc Francorum imperium, præclara fama erat) adversus Danos opitulatum isset, commissa ad littus Belgicum secunda pugna, & occiso hostium Rege Cochilario, victorem Marchionis Antuerpiensis titulo honestatum, Theoderici sororem uxorem accepisse. Ex eo matrimonio Hugobertum natum, qui Asopertum crearit, Asoperto & Pluthylda Clotarii Regis filia Arnulphum, patrem Arnulphi Episcopi, qui in sanctorum numerum relatus est, Arnulpho Episcopo, priusquam sacris initiaretur Angisum, Angiso Pipinum, Pipino Carolum Martellum, Martello item Pipinum primum ex hac gente apud Francos Regem, Pipino denique Regi Carolum Magnum Imperatorem fuisse filium. Quæ ambitiosius vereor quam verius, asserendis Boico sanguini Carolinæ stirpis originibus excogitata, fidem absque antiquis certisq; suffragatoribus nec mereantur nec inveniant. Puerile enim est, quod Palatini Comites in Caroli majoribus numerantur, id de Bojis interpretari. Theodonem Magnum inter populares pro patre regnasse, legatos Anastasii Imperatoris ad eum venisse, tentaturos adolescentis animum, ut quem armis minus possent, callida oratione circumventum Romanis subjungerent, sed irrito conatu domum reversos esse. Theodonem reliqua provinciæ perrexisse debellare, Pontes Oeni cepisse, plerasq; urbes evertisse; Romanos multis prœliis concisos, desperatione rerum suarum actos, in Italiam rediisse, occubuisse tum viros virtute præstantes, Divum Anianum sacerdotem, & Divum Marinum Episcopum, dum hic sacris ante aram operatur, mortui cadaver abs quercu pependisse, Severinū Præsidem à Volcovino Theodonis signifero cæsum, Servatum captum ab ipso Theodone, in crucem actum, Remedium pulsum effugisse, Divum quoque Vigilium

Marchionis nomen tam antiquum esse, mihi non constat, sensu P. Æmil. Marchionatum Antuerpiensem sub Othone demum II. institutum scripsit l. 3. Scio recentiores quosdam ab hac sententia non abhorruisse, fidē ejus, quem hic noto, parum fidam sequutos, Goropor. l. 1. & 7. Molan. de milit. sacra Ducū Brab. c. 2. Laz. de migrat. gentiū, Guicciard. de reb. Belg. Apud antiq. hoc unum reperio, Cochilaicum à Theodeberto cæsum, nulla Vtilonis memoria. Greg. l. 3. c. 3. Aim l. 2. c. 2. Ado, Sigeb.

lium Tridentinorum Episcopum, & Theodorum Laureacensem Archiepiscopum, eversa urbe interfectos. Theodonem Vindelicia & Norico latè victorem Eselprunnam ad Athesim regni terminum Italiam versus constituisse, regionem bello captam sociis populis contribuisse, præfectis, qui limites quaqua versus Marchionum nomine tutarentur, Adalgerione nimirū cognato homine ad Athesim, ad Lycum Heroldo, Hirando ad Anasum, ultra Danubium in Narisci Rudolpho quodam cum filio, ipsum sedem Reginoburgum habuisse, fato functum, postquam sex & viginti potestatis annos expleverit, imperio æquis portionibus inter tres superstites filios diviso, Theodonem tertium, Vtonem & Theodovaldum.

Ego multiplicis historiæ partes, etsi reprehensionibus non uno nomine vehementer opportunas, sigillatim nec affirmare nec abrogare necesse habeo, nisi quid res ipsa subinde, & orationis nostræ deinceps cursus obiter pervertet, quod interdum futurum est. Vnum in præsens moneo, & semel dictum, sæpe postea memoria repeti, semper valere velim, scriptam esse ab homine in vestiganda & excutienda omni vetusta annalium memoria, diligentiæ nonnullius, conjiciendis affirmandisque quæ sibi quibuscumque vestigiis indagasse visus, audaciæ multæ & præcipitis; fieri itaque potuisse, quod factum esse fit magnopere verisimile, ut aliqua eruerit certis antiquitus litteris consignata, quæ postmodum sive perierunt, sive nostram quidem cognitionem studiosè conquisita effugerunt, fidem neutiquam dubiam meritura, si de primis auctoribus aliquando constet, quod nunc secus est; hæc cum ex parvis, vel certè ex mediocribus, maxima effecerit, tum plura deinde adjecisse alia, aut ex levissimorum hominum commentariis temere hausta, in quibus Garibaldus ille nescio quis, familiam ducat, aut conjectando recens inventa, aut ancipiti origine ab omni vetustate, nunc demum libero arbitratu ad res Boicas detorta. Ista enim capita, vera falsis, certa incertis mixta, accuratius prospicienti apparent, cæterum promiscuè & confusè, ut præter ea, quorum est manifesta vanitas, quid antiquum quid novitium, quidq; genuinum aut omninò cōmentitium sit, nemo satis queat distinguere; nisi illis ipsis monumentis instructus, quæ cum is præ manib⁹ habuerit, quod jam non comparent, periisse, suspicor. Sed judicium in medio: nos, ut ut res habeat, pro pudore & religione, quam operis aggressu recepisse meminimus, non egerimus, si tantarum rerum testem unum, nuperum, fabulositatis non semel compertum, cætera incertum, temere sequamur.

Arenpek. lib. 2. c. 1. Antiquior Arenpekius, Theodonem anno itidem quingentesimo octavo narrat, nam hactenus unus omnium consensus est,

est, nullis Francorum auxiliis subnixum, milliaria tantum popularium cohorte comitatum, venisse in provinciam, & Romanis vectigal exigentibus superbo responso ludibrio habitis, Imperatorem adiisse; Theodericum Gothum Regem magis credo, rerum in Italia & trans Alpes tunc potientem; Anastasii enim Imperatoris nomen, ut temporum ratio congruat, rebus Italicis & transalpinis istis, imperitè inseritur: à quo raso primum capite, succisisque vestibus dimissus, quod aliorum annalium fidem sequuti, ad Adalgerium priori libro retulimus, deinde in amicitiam receptus, egregiaque inter auxilia navata opera liberaliter donatus, tum aliquot annorum tributo levatus sit, quibus decursis, cum tributum per legatos iterum urgeretur, iique enixè instarent, ut se Principi præsens sisteret, illum fabellam de cervo, paullò aliter quam à nobis supra memorata est, subjecisse. Bellum irritatis hinc inde animis sequutum, Theodonem copias Oetingæ cõtraxisse, quæ Huodinga dicta antiquitus, & flexo vocabulo, feroci allusione, ad vernaculi sermonis sensum, identidem jactasse, hîc me qui quærit inveniet; porrò cõscium quàm paucos contra quam multos duceret, ne re cognita suorum animi labascerent, prœlium consultò nullis præ se missis exploratoribus commisisse, perpaucos Bojorum desideratos, ingentem hostium stragem fuisse. Anno post Christum natum quingentesimo vigesimo, Beurnæ in Alpibus iterum decertasse, ubi Justinum Imperatorem cruenta victoria coram vicerit: quod de Justino equidem perspicuè vanum est. Exin majestatem Boici nominis mirificè auctam, Langobardorum Francorumque populis æquo fœdere sociatis, ad regium fastigium excrevisse. Theodonem annos fere triginta à Danubii trajectu imperasse, supremum diem obiisse quingentesimo trigesimo octavo post Christum natum, Vtone relicto filio, quem & Vdonem, & Odonem, & Vtilonem dicunt, aliisque præterea litterarum modis variant, ut vix ullius nominis scriptio inconstantius fuerit habita. Atque quod tres ordine Theodones prior numerat, Arenpekius in unum contrahit, & cætera in omnes partes profectò moderatior, nisi quod ne sic quidem satis, patriæ quædam charitati, uti fit, supra veri fidem indulsit. Ingentibus nimirum quos variè uterque narrat motibus, nemo paullò cordatior modo, in consentiente publicorum ejus ævi scriptorum silentio, fidem adjunxerit. Quid enim? Theodericus omnis memoriæ Regum dignitatis retinentissimus, florentibus maximè Gothorum rebus, ad quos Rhætias & Noricum pertinuisse; Cassiodorus in epistolis tam certus tamque locuples index est, ut veteris historiæ insciam pæne palam profiteantur, qui per ea tempora Romanum his oris imperium, nisi qua sibi id Gothi ascivere, aut pugnantes pro imperio

S. pag. 67.

ANN. POST CHR. NAT. DXX.

DXXXVIII.

Cassiod. de Rhæt. lib. 1 ep. 1. & l. 7. ep. 4. de Nor. lib. 3. ep. 50.

perio Romanos ſomniant, Theodericus inquam, Bojorum contemptum & injurias inultus tulerit? aliquoties pulſatus animum demiſerit? pulcherrimas provincias hoſtili manu occupari ſiverit, occupatas pro deſertis habuerit? Vanus fuerit oportet Ennodius, cujus extant ad Theodericum verba, Minui æſtimas, quod non creſcit imperium: Varius magnopere & inæquabilis Theodericus ipſe, qui alienam Pannoniam ſive Gepidis ſive Bulgaribus, ſola animi ductus magnitudine extorſerit, ſui contra juris negligens, poſſeſſionem jam partam Bojis in Italiæ finibus ceſſerit, tantò ignavius, quo hoc majus dedecus eſt, quam omnino non paraviſſe: Viſigothos ruentes, ſubmiſſis in Galliam & Hiſpaniam uſque auxiliis, ſuſtinuerit, Francorum inimicitias nihil veritus eo nomine ſubire, tantum ſub oculis acceptum detrimentum muſſitaverit? Inanis fortitudinis opinio, qua hinc Imperatores Conſtantinopoli, inde Vandalos in Africa Reges continuit, Germanicarum gentium munera & legationes ab uſque extremo Oceano excivit, noſtris adhuc hominibus Veronenſis cognomine inter Alexandros & Cæſares canitur. Verum præſtat, de abſurda & incredibili narratione, teſtibus non credere, qui alio præterea egent teſtimonio, hoc eſt, qui rem præſentes, multis poſtea ſeculis nati, comperire non potuerunt, quæ in cenſenda hiſtoricorum fide, prudentiſſimorum hominum perpetua habetur cautio; quin ea iſtis tanquam ducibus veſtigare, quæ rerum temporumque naturæ & conditionibus apta ſint, atque conſentanea. Interim frontem eorum miraturi, qui cum Bojos Alemanorum olim nomine cenſos aſſeverare auſi ſint, quam opinionem ſub ſuperioris libri fere finem propoſitam, falſitatis convicimus, iidem Bojos victores fuiſſe pergunt pertendere, cum Caſſiodorus & Ennodius Alemanos à Theoderico ſuperatos eſſe, palam adeò & explanatè prædicarint, ut iſtos alterutrius ſaltem erroris debuerit puduiſſe. Sed nos jam nunc ſuperioris narrationis luxuriam caſtigemus, & ad probabilem veritatis ſpeciem, quâ fieri poterit, temperemus.

Ennod. paneg. Theoder.

Procop. lib. 1. Gothic. Caſſiod. faſtis, Cethæo Coſſ. Hiſtoriæ paſſim.

De Imperatoribus nullum certius teſtimonium, quam quod de recuperanda Italia Theoderico vivente nunquam cogitarunt.

De Vandalis Caſſiod. in faſtis Olybrio Coſ.

De legationibus Oceanicis Caſſiod. Variar. l. 5. ep. 2.

S. pag. 73.

Caſſiod. Var. l. 12. ep. ult. Ennod. Paneg.

Theodonem, quod primum erat, cur in provinciam veniſſe narrantibus aſſentiendum exiſtimem, cauſſa initio explicata eſt. Reliqua quæ ſequuntur pleraq;, commodè accepta modo, nihil etiam admodum credere prohibet; aut milliariam cohortem duxiſſe, aut vectigalem agrum coluiſſe, aut Theoderico denique inter auxilia meruiſſe, ut pacem cultu juverit, arma delectu, quod vetus ſcriptor de Francis, in Gallia à Conſtantino collocatis, ſimili re uſurpavit. Heruli & Gepidæ militavere Theoderico, quid ſit cur non eodem exemplo Boji? cum Paulus aſſerat, omnes Italiam accolentes populos, aut affinitate, aut fœderis pactione ei fuiſſe conjunctos, haud dubium æquo majores, obnoxio reliquos;

Paneg. Conſtantino dictus. Caſſiod. Var. l. 4. c. 45. l. 5. c. 11 Paul. continuat. Eutr. l. 16.

reliquos ; argumento, quam certæ & teſtatæ vanitatis ea plena ſint, quæ de Bojorum adverſus Italos expeditionibus & victoriis, ſplendidè, cæterum temerè prænimis, jactantur. Theodo interim & evocari potuit, quo modo cognominem Theudam Præfectum, res novas in Hiſpania molientem, ſub Theoderici fere mortem in Italiam evocatum fuiſſe Procopius ſcribit, & certorum annorum tributa illi remitti, in quo præſertim munificentiæ genere ſe Theoderici liberalitas ſæpe magnificè exeruit, & ea poſt aliquot annos iterum repeti, & exactores durius agentes repelli, hæc diſcordiæ, deinde jurgiorum & armorum atq; tumultus eſſe occaſio, inter quæ cohors Quæſtoria imbelle hominum genus, male mulctari, aliqui illius ordinis occidi, alii provincia pelli : fieri ſolent iſta talia, & egregiè credibilia ſunt, de gente militari & feroci, cui in aliena provincia non æquiſſimis conditionibus agenti, ſuperfuerint tamen animi priſco decori tuendo, ne quid patria libertate non dignum in ſe committeret. Sic Breones per ea tempora, cum in Rhæticis quoque præſidiis eſſent, placet enim teſtandæ rei, ſaltem explicandæ & perſuadendæ, propinquo exemplo uti, Maniario neſcio cui, reculas ſuas vi abſtulere, quos Caſſiodorus gravis ſententiæ cenſura proſequitur, Militaribus officiis aſſueti, civilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc juſtitiæ parere deſpiciunt, quoniam ad bella Martia ſemper intendunt, dum neſcio quo pacto, aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram. At hos nihilo tamen minus Theoderico ſubjunctos paruiſſe, ex eodem Caſſiodoro intelligas, ut in tota comprehenſione verbum prope nullum ſit, quod rerum quadam ſimilitudine, ad Bojos non traducas, quin Breon propemodum Bojus credi poterat, mutato vernaculo vocabulo litterarum tranſpoſitione, in iſtam faciem, niſi Fortunatus Epiſcopus, utriuſque populi nomen diſtinctè in carmine & ſeparatim poſuiſſet. Nec abſurdum porrò, ut quod de ſcriptorum ejus ævi ſilentio, maximis prœliis & inſignitis victoriis paullò ante objecimus, amoliamur, turbas & rixas iſtiusmodi verius, non bella, nec fortaſſe gravius à Theoderico vindicatas, nec omninò magnæ rei in commune, nullis publicis annalium monumentis conſignatas, privata gentis memoria ad poſteros permanaſſe, qui quo omnia majorum auguſtiora redderent, temporum locorumque deſcriptiones, & Imperatorum nomina interjecerint, variosque ex ingenio caſus ambitiosè affinxerint, pietatis ſpeciem interpretati, Boici nominis claritudinem hac commendatione in vulgus augere, quantumvis ſive falſa eſſe ſcire poterant quæ prodebant, ſive vera eſſe ſcire non poterant. Perniciabili inter primos errore, qui non jam ſingulos homines, ſed populos plerosque totos faſcinat, bonam famam ex malo mentiendi faci-

Caſſiod. Var. l. 1. ep. 16. l. 2 ep. 29. 30. 38. l. 3. ep. 32. 40. l. 4. ep. 26, 36. 50.

Caſſiod. l. 8 ep. 11.

Fortun. l. 4. de vita S. Martini, *Si vacat ire viam neque te Bojarico obſtat, Qua vicina ſedent Breonum loca, Vipitino Caſtra ſit per, eram habet, Breorum.*

facinore aucupantes, cum omnia contra sint, & is rerum priscarum splendori pessimè consulat, qui præclaram veritatis lucem fœda fabularum fuligine ausus corrumpere, inanium fidem impetrat quidem ab imperitis, sed prudentioribus quantumvis vera, vix atque difficulter persuadet, auctoritate semel prostituta, ille viciſſim rectè, cui tenuis veri ſtrictura, ante craſſas nugarum nubes eſt. Theodoni VTILONEM & THEODONEM filios fuiſſe perſuadeor: ſed ut alter in Italiam Gothis militatum abiverit, VACARVS idem dictus, uti paullò poſt ſumus explicaturi: major Boicam ſolus tenuerit, quæ Arenpekio fratris prætereundi occaſio. De Belgica expeditione, nihil allucet, nec quam de Theodone tertio ejusq; fratribus ſaltem conjecturam proferam habeo. VTILO, THEODO, VACARVS.

Theodoricus Rex an. 526. obiit.

Rex Theodericus interim, annos plus decem ante majoris Theodonis obitum, vitæ finem fecerat. Ex quo ſtatim tempore, adeo unius hominis virtus ad continendum tantum Gothorum imperium omnia contulit, regia nutare, res omnes retrò labi; regno primum ad Athalaricum puerum & Amalaſuentam matrem, quamquam ingentis ſpiritus feminam, inde ad Theodahatum delato, qui dubium ingratior an ignavior, in eo gerendo ita verſatus eſt, ut Juſtinianum Imperatorem utraque cauſſa ad inferenda arma commoverit. Sub quorum initio Theodahatus morte ſublatus, Vitigem, Theodibaldum, Araricum, Totilam, Tejam Reges deinceps ſucceſſores habuit. Hos Beliſarius & Narſes continenter exercuere multorum annorum bello, diu ancipiti, Gothis tandem exitiabili. Ea proximis quibusq; gentibus exuendi ſe ſe eorum jugo, dominatusque rejiciendi, viſa occaſio, nonnulla, ut Agathias ait, ipſorum Gothorum voluntate. Cum enim magnitudinem periculi animo æſtimarent, & ſibi non jam pro gloria & potentia in exteros, ſed pro ea quam patriam habebant Italia, pro libertate, pro vita certamen eſſe cernerent, contractis adverſus inſtantem hoſtem undique in unum viribus, facile de cætero paſſi ſunt, populos pleroſque ſubditos, contineri rebus afflictis minus opportunos, aut in aliorum poteſtatem concedere, Francorum præſertim, quibus delinitis illis opus erat, aut ſua ſibi ſponte, qua cuique commodum conſulere. Itaque Procopius, Carnos & Noricos Gothis ad uſque motum bellum paruiſſe, profitetur, moto nimirum deſciviſſe ſignificans. Vbi mihi Norici vocabulo complexus videtur, præter priſcum Noricum, Vindeliciæ ſive Rhætiæ partem Lyco fluvio tenus, hoc eſt, omnem cis Danubium Boicam: Recentiores equidem à Procopio ſcriptores, rationem quam dico apertè ſequuntur, quo probabilius originē ab illius ævo ducimus, ipſumque in eam ſententiam interpretamur. Cauſſam rei nullam admodum

Agath. lib. 2.

Procop. lib. 1. Κάρνοι Νωρικοί. Interpres depravatè habet. Carii Muricique.

modum certam ſcio; ſive Nortgojæ trans Danubium appellatio pro Norico habita, citeriori tota provincia recepta eſt, ſive Boji Norico ante Rhætiam occupato, dum in hanc ex illo migrant, nomen qua imperium protulerunt, ſive demum unius interdum ſcriptoris inſcitia atque temeritas, incurioſa ſequentium credulitate evaleſcit, & obiter etiam mendosè vitioſeque dicta, conſenſu in uſum tranſeunt. Hactenus liquet, cum Boji partem veteris Norici, recens verò totum, ad ipſum Lycum tenerent, plerosque auctores Bojorum Noricorumque appellationes habuiſſe promiſcuas. Reliqua Rhætiæ & Vindeliciæ à Lyco in occaſum, Alemani occupavere, ſive Suevi, Germanici itidem ſanguinis, potens & latè fuſa natio; quæ cum in Germania magna prope Bojos ad orientem coluerit, trajecto Danubio, eodem tenore in Romanis provinciis conſedit, & Lyci exinde fluminis alveus, à tot jam annis, ratus & perpetuus utriuſq; populi ſermonisque limes manet. Nec Alemanorum una fuit conditio, pars immunis & ſui juris, pars à Clodovei victoria Francis paruit, reliquos Theodericus Gothorum imperio ſubjunxit, quos tum rerum inclinatione adducti, Francis accedere paſſi ſunt. Et Bojorum populus jus à Francicis Gothicisque Regibus bifariam, fluminis diſcrimine petiit; cujus diſtinctionis animadverſio, ad explicandam reliquam hiſtoriam, magnas utilitates habet. In Francorum fide manſiſſe apparet, qui in Germania magna trans Danubium reſtitere, his leges quæ extant, à Theoderico Clodovei filio datas interpretor: qui verò ſuperato Danubio Gothicas provincias, Noricum atque Rhætiam, novâ coloniâ inſedere, hos in Gothorum auctoritate eo florente imperio fuiſſe neceſſe, & iis quæ Procopius narrat, quæque nos diſſeruimus, conſentiens ac reſpondens eſt, labantibus rebus, ſibi privatim conſuluiſſe, plenæque libertatis guſtum cepiſſe exiſtimo. Nec enim hac verbi modeſtia uti pœnitet; nihil in quantavis rerum probabilitate, quarum certus auctor, iſta annalium paucitate & jejunitate deſignari non poteſt, temerè affirmaturi. Ad hos etiam, haud certè transdanubianos Paullus Æmilius reſpexerit, cum in Childeberto Theoderici fratre prodidit, Francicum imperium ad uſque Bojorum fines pertinuiſſe. Hi demum Italico iſto bello pro Romanis, adverſus Francos & Alemanos Gothorum auxiliares, ſtetere, Francis ſanè nondum obnoxii. Ad quos tamen poſtea, dititione omnes tandem Germanici nominis gentes complexos, reciderunt, uti loco exequemur.

Paul. Diac. l. 3. c. 31. *Noricorum ſiquidem provincia, quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suabiam &c.*

De Alemanis plenius Rer. Auguſt. Vind. l. 8.

Theodibaldus Bojus Narſeti auxilio fuit, quod hoc ipſo libro narrabitur.

Illud fortaſſe difficilem explicationem habeat, ſiquidem Arenpekius de numero vera narrat, cum Theodo milliaria tantum cohorte inſtructus venerit, qui potuerint tam pauci tam citò, tantæ provinciæ, quantumvis vacuæ, & à prioribus dominis

desertæ, possessionem usurpare atque tueri. Visum credere, plures Boicos regulos Danubium una transiisse, quorum memoria diuturnitate temporis paullatim effluxerit, solius Theodonis nomen, qua nobilitatis qua virtutis opinione eximium, permanasse ad posteros. Accedunt suspiciones antea sparsim perstrictæ, plerasque popularium manus trajeciisse multò prius, non una occasione, quarum successiones præsentem fortunam sequutas, ad victores se tunc turmatim aggregasse verisimile: quin & in Germania constitutos, ad tam certam, tamque opulentam & vicinam prædam, certatim magnis transmissis copiis accurrisse rear. Natæ videlicet res secundæ conciliare amicos, nec utiq; verendum vincentibus, ne societas in partem præmiorum ultrò venientium aliquando desiat.

Verum enimverò res hortari videtur, quoniam de regione recens occupata tempus admonuit, ejus situm atque naturam paucis exponere, & qui populi, quibus institutis, domi militiæque olim habuerint, supra repetere. Vt gens Bojohemo cessit, extraq; se sylvam tenuit, fines ultra Danubium à septentrione in Germania magna, sylva ipsa Hercynia, hinc citra fluvium in meridiem effusa, ad Alpes Italiæ imminentes pertigit, ab ortu solis Anesus aut Anassus flumen, vernaculo sermone Ensum dicunt, Hunnos arcere; ab occidente Alemanos Lycus. Nam in ortum olim Boji ad Anassum usq;, annalium fide, in meridiem ad Italiæ limen Tridentinum agrum, ubi Paulus Boicum præsidium Bauzani sub Comite fuisse, manusq; cum Langobardo Tridenti Duce contulisse significat. Nunc utrimque secus est, finibus longè mutatis, retroque submotis, quo his tradendis sumus diligentiores. Regionem Paulus universè Pannonia, Suevia, Italia & Danubio circumscripsit, cætera propemodum rectè, nisi quod permagnum trans alveum tractum, qui inter Danubium & Hercyniam medius, Lyci fere & Oeni ostiorum tenus porrigitur, Danubio excluſum præterit. Neque id meo animo temerè; Boicum regnum sub Garibaldo designaturus, Bojorum ultra flumen rationem non habendam censuit, quod ij Francis, ut paullò ante dictum, contributi parerent, nec sui juris essent. At ea antiquissima post Bojohemum sedes, iter & gradus ad citeriora fuit, Nortgoja, aut contractius Norca, & Palatinatus duplici argumento dicta, quod Aquiloni obversa, qui Germanis Nortus est, quodq; sub Palatinis Bojis principibus, postea exortâ dignitatis specie, habita. Et manent nomina; non item Sudergojæ vocabulum, meridianam plagam interpretêre, quod à Danubio ad Italiam quondam usurpatum, nunc obsolevit. Terra ad utramque ripam, præterquam qua aut montibus attollitur, aut asperatur saltubus, fertilitate inter paucas nobilis, nullius rei ad hominum victum necessariæ

Annal. Franc. sub Ludovico Pio scripti, Anno 791. *Prima castra supra Anesum posita sunt Nam u fluvius inter Bojoariorum atque Hunnorum terminos medius currens, certum duorum regnorum limes habebatur.*

Paul. Diac. l. 5. c. 36. *Dum Dux esset in Tridentina civitate, cum comite Bojoariorum, quem illi Grabionem dicunt, qui Bauzanum & reliqua castella regebat, conflixit.*

Paul. lib. 3. c. 31.

ſariæ indiga,multis ad ornatum& voluptatem abundat.Frumenti primum copia,quanta cum ſibi ſatis , tum in exteros plerumque populos redundat,itaque & Pannonicos exercitus, & ingraveſcentem Italiæ annonam,hoc ſubſidio proximis ſupra annis ſæpe levari vidimus. Vini quoque multum, ſed illis maximè locis, quæ ab aliquot centum retrò annis Bojo exuto, Auſtriæ & Tirolis nomina receperunt. Arbores frugiferæ,præter oleam,omne genus,campi herbidi , magna vis pecoris , neque non ſylvis ſua gratia,quicquid ferarum, quicquid avium , aut guſtu placet aut ſpecie. Montibus omnis coloris marmor extat,eruitur ſtibium, ſulphur,alumen,chalcanthum, magnes, molochites , quæq; vetus Norici gloria, æs atque ferrum, & valida ſupra hæc , multorum damnata conviciis,paucorum irretortis præterita oculis,aurum & argentum;auri quidem quantum omnium Germanicarum fodinarum mereatur invidiam,inexhauſta per multa ſæcula fertilitate,Polybio quippe ante tot ætates celebrata. Soli divitiis certant aquarum bona. Medius fertur Danubius, ille fluviorum Europæ maximus & altiſſimus , importandis exportandisque mercimoniis maris prope vice,amnes receptans utrimq; frequentes , quibus regio latè irrigatur,ratium pleroſque patientes, nonullos navium , pars auri ramentis celebres , margaritis quidam, orientem interdum magnitudine & colore æmulantibus, omnes lectiſſimorum piſcium incredibili vi ac varietate. Lacus numero multi,ambitu & amœnitate ſpectabiles , quorum navigatione & piſcatu nihil aut jucundius,aut uſquam fructuoſius. Fontium ſcaturigines alibi frigidæ,alibi calidæ , ad pleraque inveterata morborum genera ſalutares , tum naphtæ præcellens ſpecies,petrolei nomine,in hos ipſos uſus medicis laudata. Salis proventus aqua terraq; uberes, & magnum inde vectigal. Sed qui populi Boicam regionem prius habuerint , quiq; poſtea acceſſerint,& quę rerum imperiorumq; converſiones ſequutę ſint, dicam quam quidem potero breviter, ſaltem qua annalium durat memoria , gnarus quantum alii ſupra vetuſtatis ex inanium ſcriptorum fabulis adjiciant, opera , ut prudentiores exiſtimare video,ſupervacanea. Germaniæ magnæ quam diximus trans Danubium Boicam oram,Nariſci tenuiſſe crediti,incertum an eodem cum Nortgoja vocabulo, quod Romani non intellectum perverterint. Origo in obſcuro , neque de fine liquet,qui excidium fuerit oportet,aut in Boicum nomen tranſitus,quod equidem opinari malim : virtutem,non vanus auctor Tacitus affirmat,ſermo & mores cum reliqua haud dubiè Germania conſenſêre. Adverſa ripa à Lyco ad Oenum Vindelicis Rhætisq; culta , hinc ad Anaſſum Noricis. Vindelicos Amazonum propaginem plerique putavere,Thracum alii , quos Amazones vi & armis

Pol. ap. Strab. l. 4.

Tac. de mor. Germ. Hæc pleraque l. 1. & 2. rerum Auguſt. Vind. disputata uberius, laudatis auctoribus.

mis domo ejecerint, utriusque sententiæ fides penes ejus auctores erit, ego in diversum iverim, Vindelicos Rhætorum familiam ab initio arbitratus, privatam nuncupationem à confluentibus reperisse. Rhætorum certè gente atque nomine plerumque censos, manifestum ac compertum habeo, quod multis itidem in hoc tractu minoris rei populis scimus contigisse; quorum designatione antiquitatis ignoratione, verum enim fatendum est, abstinemus, aliorum descriptiones in medio. Rheti à Tuscis conditi, ante Gallorum in Italiam adventum imperio & gloria florentibus, Rhæto duce: in originis fidem patrii sermonis sonus mansit, per multa ætatum curricula. Postquam res eorum visæ adolescere, domestica potentia, ut est fere hominum ingenium, in exterorum vertit injuriam. Carpsere perpetuis incursionibus proximos Italiæ campos, tum Gallorum Sequanos & Helvetios, & ipsos in Germania magna Bojos, immani supra omnem barbaram feritatem, cæterum provida crudelitate. Cum enim hostiles iræ, aut eorum qui arma ferunt, aut puberum, aut ut maximè progrediantur, infantium sanguine exsatiatæ soleant consistere, primis Rhætis in mentem venit, quo hostium non messem aut herbam, sed prorsus semen tollerent, nec dum natis, priusquam in communem lucem ederentur, ejus spem occidione præripere, maribus nimirum, ne temerarium crederes, quin certum destinatumque scelus scires, quos vatum monitu atque prædictione, matrum utero conditos à feminis dignoscebant. De Noricorum initiis quæ visa, utique rem se se habere cultores ejus terræ putant, alibi perscripsimus. Si quem præterea Livii & Polybii auctoritatem huc trahere delectat, nihil refrager, Livius, præcipuè quidē Rhætis, sed & aliis Alpium populis Tuscam esse originem indicat. Polybius Transalpinos ab Alpinis loco differre, non genere, quod Danubio tenus remur interpretandum. Eas sententias si conjungas, Rhæti, Vindelici, Norici, inter se populares, Tuscis oriundi omnes sint; nos neque affirmandum magnopere, neque refellendum sumimus. Sub Regibus vixisse Noricos, ex Suetonio & Vellejo doceri potest, extat Voccionis Regis nomen, cujus soror Arioviſto nupta, ipse bello civili Cæsari trecentos circiter equites auxilio misit. Instituta ritusq; , & adversus vicinos populos eadem cum Rhætis inhumanitas. Postrema in Histros incursio paullò ante Christum natum, qua concitatis in se Romanorum animis, cum multæ præteriti temporis injuriæ accederent, à Silio victi sunt. Mox Rhæticum Vindelicumque bellum, Tiberio & Druso ducibus sequutum. Vehementer autem visum memorabile, Romana arma prius per omnem Africam circumlata, nisi qua immodicis solis ardoribus, & vasta solitudine illa invia,

S. l. 2. p. 48. 49.
Liv. lib. 5.
Pol. l. 2.
Suet. Tib. c. 16. Vel. 2. Cæs. bel. Gall. l. 1. bel. civ. l. 3.
Dio l. 54.
Hæc plenè pertractata in libris rerum Augst.

invia, in Asia ad extremas orientis oras penetrasse, & Europæ cum alia, tum fortissimas Gallorum atque Hispanorum nationes domuisse, quin eam quæ alterius prope orbis instar crederetur, terruisse Britanniam, quam trans Rhæticas Noricasq; contiguas Italiæ Alpes, Rhætorum Noricorumq; populationibus toties lacessita & provocata, conspecta sint. Magnitudinem belli multa produnt, gemini cum maximè tanti duces, qui legatorum præterea usi opera, urbibꝰ & castellis variè oppugnandis, levibus certaminibus, quo plus terroris hosti objicerent, sparsim ferendis, & instructa quoq; acie progrediendo, omni bellorum arte, fortem manuq; promptum, cæterum rudem ad hæc populum, magna edita cæde vicerunt. Sed quantamcumque virorum virtutem, longè superavit mulierum, sive furor sive rabies, quamquam omne nomen infra facti horrorem est, quæ deficientibus telis, infantes humo afflictos, in ora Romanorum adversa miserunt, vita illis nihil opus esse ratæ, qui liberam ultra animam ducere non possent. Extat Ovidii carmen, quo Augustum omnium propemodum gentium jam tunc victorem, in exspectatione belli solicitum, Rhætica arma timuisse neutiquam dissimulat. Et incredibile dictu, quantum ille parta victoria gavisus, quantumq; ad posteritatis memoriam ex ea gloriæ speraverit. Itaq; Horatio, principi poetæ, luculentis versibus, qui hodie leguntur, illustrandam demandavit, revocato in hujus unius argumenti gratiam, ad scribendi studium, longo intervallo intermissum. Creditum etiam, quod Rhæti Sextili victi, Alexandria eodem mense in potestatem venerit, utramque causam, æquè ac primum Consulatum valuisse, cur Sextilem præ Septembri, quo mense natus erat, Augusti nomine insigniri passus sit. Validissima juventutis pars, ne bellum retentaret, quod animo agitare poterat esse suspicio, abducta, relicti qui colendis agris sufficerent, nec reprehendendis armis pares essent. Regio in duas primo provincias divisa, Rhætiæ Noriciq; nomine, totidem Præsides accepit, & idoneis locis, adversus internos externosq; hostes, alarum & cohortium auxilia. Vrbes deinde diversis temporibus complures sive veteres instauratæ, sive novæ conditæ, inter quas Coloniarum dignitate aliquot, cum utraque provincia, civium Romanorum, militum, colonorum, negotiatorum, plena & referta esset, ex proxima quippe atque continente Italia immigrantium. Quarum hodie aut memoria clarior, aut vestigia supersunt, nomina indicabimus, quâ Boica quidem regio pertinet: reliqua Rhætiæ & Norici prosequi, neque hujus instituti est, & nos de Augusta Vindelica colonia, principe Rhætorum Vindelicorumq; à prima provinciæ constitutione urbe, quæ ex antiquis monumentis observata eruere licuit, octo libris comprehensa olim explicavimus.

Ovid. trist. 2 *Rhætica nunc præbent Thraciaq; arma metum.*

Horat. lib. 4. oda 4. & 14.

Reginoburgum ergo primum, Boicæ per multas ætates caput, Tiberii monumentum, Augustæ nomen tulisse creditur. Cujus rei fides, quamquam nobis nunquam constitit, opinio omnium mentes pervasit. Juvavia, nunc Salisburgum, Hadriani; Ovilabis aut Ovilia, ut in tabula itineraria perantiqua legitur, M. Aurelii Antonini Imp. opus, Lambachum interpretantur; hujus Laureacum item, quæ proximè Ensum Lorcha est; magnę quondam urbis tenue nunc vestigium, nisi verius Aureliano tribuim⁹; Atque eæ liquidò coloniæ, extant enim inscriptiones, Coloniæ Hadrianæ Juvaviæ, Coloniæ Aureliæ Antoninianæ Ovil. & Coloniæ Aurelianæ Laureacensis. Quibus alias alii, levitate animi vereor, nullo certo testimonio nixi, addidere. Juvaviam à juvando dictam, assentior, & omen agnosco. Secundæ etymon non vidi qui explicaret, sed aliæ alibi quoque urbes ab animalibus nomina traxere. In postrema, qui Laureacum aut Lauriacum, quemadmodum in Theodosii codice perscriptum reperimus, à laureatis litteris deducunt, quid nisi ludibrium grammaticorum pueris debent? Nemo neget, nesciri modestius pleraque in hoc genere. A Romanis præterea Castra Regina, Augusta aut Augustana, Quintana, Batava, quib⁹ Danubii ripa prætenta. Regina Reginoburgo nomen fecere haud dubiè, nam Reginoburgæ Theodonis, nullus vetustior paullò scriptor meminit. Regen fluvius id loci manet, in castrorum nomen adoptatus, cujusmodi ad Quintana Quintanica etiam amnis fuit. Et ut Castra Regina aliquot passuum millium intervallo Reginoburgo aliquando abfuerint, loco pro re nata moveri, vocabulumq; potuere trahere: exemplo in libello cui utriusq; Imperii notitia nomen fecit, Præfectus qui ex castris etiam istis Reginis, Vallatum migravit. Batava in notæ celebritatis urbem, prisci fere nominis retinentem, abiere. Augustanorum & Quintanorum obscurior memoria, sed nec ea ex omni parte exolevit. Introrsus, Oeni pontes, Oetinga, supra memorati. Terioli in Alpibus, cujus præsidii appellatio, magnum paullatim terrarum tractum occupavit. Bojodurum, Artobriga, Abudiacum, Cambodunum, Inutrium, Parthanum, & plura ad eum modum; patriam originem præ se ferunt, Romanam prima fronte ejurant. Verum utriusque generis urbium nomina, qua ex doctorum hominum scriptis, qua lapidum monumentis, accuratè colligere, & suæ vetustati asserere, atque cum nostræ ætatis rationibus aptè componere, notha & spuria, ex scriptoribus item, & lapidibus perperam lectis intellectisq;, inconsulta quorundam temeritate invecta, secernere & rejicere, alterius erit operæ, nunc nobis ab instituto cursu usq; eo non deflectendum. Vtraque postea provincia rursus bifariam secta, credo quod suspectæ Imperatoribus, in uno

aliquo

Tabulæ itinerariæ autographum in Peutingerorum musèo Augustæ visitur.

Theod. lib. 8. tit. 2. l. 1.

Notit. utriusque imp. Itinerar. Ant. Ptol.

aliquo Præſide tam validæ ex propinquo vires: Rhætia primæ & ſecundæ, Noricum mediterranei & riparii cognomina accepit, Hadriani Auguſti auctoritate, niſi meæ me conjecturæ fallunt. Primæ Rhætiæ Curiam caput extitiſſe, ſecundæ Auguſtam Vindelicorum, oſtenſum alibi. In ripario Norico principem dignitatem Laureaco tribuimus, multis de cauſſis, in mediterraneo, Eugippium ſequuti, Tigurinæ aut Tiburniæ, quæ an Teurnia antiquorum, ambigimus. Quo verò tempore provinciæ in hunc modum bipertitæ, eodem poteſtas & imperium, quæ ad Præſides olim utraque pertinebant, pari cautione invicem diſparata & ſejuncta ſunt. Vt apud Præſides poteſtas maneret, hoc eſt, cognitio & curatio rerum provincialium, nam his vocabulis homines eruditi, poteſtatem definiunt, Imperium, quod procuratione rei militaris continebatur, alteri cuipiam, Comitis primo, deinde Ducis titulo, demandaretur. Et cum alarum cohortiumq; præſidio provinciæ parum tutæ viderentur, primus M. Aurelius Antoninus, quo imperante Marcomanicum immane bellum exarſit, Legiones induxit, ſecundam in Noricum, tertiam in Rhætiam, ambas Italicas à ſe inſtitutas. Hæ ad extrema Romanorum tempora iis locis perſtitere, ſed immixtis barbararum gentium auxiliis, quæ in Notitia ordine annotata videre eſt. Chriſtianæ pietatis ſplendorem, haud multò poſt Chriſti ſervatoris mortem illuxiſſe, fama obtinet, etſi aliæ aliorum ſunt narrationes, ut in tanta vetuſtate, perturbata multorum caſuum iniquitate annalium memoria, accidere neceſſe. Aut Petri principis Apoſtoli, aut Marci Evangeliſtæ, aut Hermagoræ miſſu (Hermagoras autem Aquilejæ Epiſcopus, Marci diſcipulus fuit) Laurentium quendam, cujus præter nomen, reliqua obſcura habentur & incerta, Laureacum veniſſe, primaq́ue vera religionis fundamenta apud Noricos jeciſſe. Docuiſſe poſt hæc in provincia Lucium ex Britannicis Regibus, Arviragi nepote natum, qui Curiæ in Alpibus occiſus eſt. Laureaci ſucceſſiſſe plures Epiſcopos, deperditis fere nominibus, per magna enim annorum ſpatia, ſolos Jerardum & Eutherium memorari. Caro Imperatore Numeriano & Carino Cæſaribus, Maximilianum præfuiſſe, qui cognoſcente Ejulaſio Præſide, jugulum pro Chriſto in patria Celejæ præbuit. Quirinus inde excepit, etſi aliis contra viſum, ſucceſſiſſe Quirino Maximilianum, ſed nos temporum rationem ex Imperatorum nominibus inivimus. Hunc magno conſenſu Philippo Imp. natum ferunt, cætera ita narrant, ut hiſtoriam duorum hominum, vitæ ſanctitate mortisq́; conſtantia juxta illuſtrium, manifeſto confundant, errore ex rerum nominumq́ue ſimilitudine videlicet orto, qua ſummi itidem interdum ſcriptores decepti offenderunt. Nam quo noſtris venia paratior, &

Notitia Imp.

Rer. Augu. l. 6.

Cauſſæ, magnitudo urbis, quæ am ruinæ oſtendunt, ſedes Epiſcopi, Claſſis, Fabrica ſcutaria. Notit. Imp. Eugip. c. 21 Sigon. de provinc. jure l. 2. c. 5

Dio lib. 55

Hund. metrop. catal. epiſcop. Laureac. mſ. & mixtim alii.

Martyrol. Rom. iv. Id. Octoor. Cuſpin. in Auſtria.

Vtrumque Quirinum martyrem martyrol. Rom. habet.

Greg. orat. in laudem Cypriani.

ut exemplo universum genus absolvam, Gregorius Nazianzenus adeum modum, Cyprianum Carthaginis Episcopum, & Cyprianum ex mago Christianum Nicomediæ à Justina virgine redditum, pro uno accepit. Quirini autem inter divos relati plures, tum ex martyrum ordine duo fuere, quorum prior Claudii Gothici Imp. jussu, Romæ VIII. K. Aprilis ferro interfectus, à Mario & Martha Persis in Pontiani cœmeterio sepultus, sacræ corporis reliquiæ, post annos à perpesso supplicio propemodum quingentos, Bojorum Principum pietate ad Tegerenses deportatæ, condito monasterio, insigni venerationis cultu hactenus habentur. Ante annos totidem & eo amplius, Metellus monachus, vitæ necisque historiam, & multa quæ deinde rerum miracula consequuta sunt, operosissimo carmine, in quo sibi, sæculi vitio, molestas difficilesq; parodiarum, & similiter cadentium versuum leges præscripsit, complexus est. Alter Diocletiano imperante, pro Christi fide in in Illyrico molari saxo alligatus, Prid. Non. Junias in flumen præcipitatus, egregia Prudentii, poetæ haud paullò melioris, oda celebratur, corpus, cum barbari provinciam postea vastarent, ne prophanis manibus violaretur, primùm Romam devectum, via Appia, loco quem catatumbas vetera martyrum acta appellant, inde Mediolanum, Angilberti Episcopi opera translatum, inque S. Vincentii Ecclesia conditum, præcipua hodieque religione colitur. Quantum undique inter duos discrimen, nimirum apparet, quos tamen miscuere vulgò, eoq; rei antiquitatis caligine jam antea perobscuræ, densiores multo tenebras induxerunt. Nunc quoniam Laureaco alteruter transcribendus est, de posteriore non ambigam, quem Sabariæ in proxima Pannonia occisum, quemq; Episcopum fuisse, prisca monumenta consentiunt, cujusmodi de priore nihil cuiquam unquam proditum. Vnum obstat in speciem, Siscianum illum, haudquaquam Laureacensem Episcopum dicunt. At Siscia natum, alibi Episcopi munere functum esse, neque novum videri debet, neq; alienum ab hac loquutionis formula; deinde, si quæ de Laureacensis diœcesis olim magnitudine in litteras relata sunt, admittimus, Siscia Sabariaq; ad eam ambæ pertinuerint oportet: excusari tertio loco poterat, aut sedem mutasse, aut duas simul tenuisse, ut utrobique fuerit Episcopus, verum id præter ætatis consuetudinem & disciplinam positum, fidem non mereatur.

Errat Molanus, qui in notis ad martyrol. hæc ad Quirinum Siscianum refert, Metellus enim monachus in Quirinalibus, & acta translationis, plane ostendunt Romanum ad Tegerenses trãslatum esse.

Prud. peristph. Morigia de rebus Mediolan.

His iisdem Imperatoribus in Christianorum sanguinem sævientib⁹, cum Aquilinus riparii Norici Præses Laureaci acerrimas quæstiones exerceret, & ad quadraginta vinctos eo nomine in carcerem conjecisset, Florianus, quem Tribunum militum Ceciq Norici oppido præfuisse ferunt, divinitus incensus cupiditate quicquid pœnarum & cruciatuum pro pietate exhauriendi, ut

Martyrol. Rom. IV. Non. Maji. & auctores, quos citat Baron.

erant

erant feracia hujuscemodi exemplorum illa tunc tempora, in medium progressus, ultrò se ejus religionis cultorem profiteri instítit, quam tanto irarum æstu persequerentur, palam quidem vociferans, Quem alium quæritis? Ecce ego Christianus sum, ite, nuntiate Præsidi, hîc me adesse. Ductus itaque, quod interrogatus in confessione persisteret, fustibus semel iterumque acceptus, & scapulas ferro confractus, Anasso fluvio submersus est. Post illa, quamquam alta à Constantino ecclesiæ pax & tranquillitas reddita, rerum Laureacensium per multos iterum annos memoria excidit, adeò plerumque plus claritudinis adversa, quam secundæ res conferunt. Juliani imperio Sabionæ, quæ inter Brixentas in Alpibus, citra Bauzanum sita, ad Boicam olim pertinuit, Cassianum Episcopum docuisse proditum est, quem Foro Cornelii postea puerorum stylis confossum, Prudentius versibus memoriæ commendavit.

Catal. episcop. Brixin. Baron. in notat. ad martyrol. Id. Aug. Prud. peristeph.

Ab Attilæ morte, cum in magna rerum conversione & perturbatione, barbarorum glisceret ferocitas & audacia, Romani contra ignavia & inertia torperent, omnia plena luctus & terroris essent, Severinus multorum monachorum pater, vir vitæ sanctimonia excellens, quam miranda opera, supra hominis conditionem ab eo edita, & multa priusquam evenirent prænognita atq; prædicta, comprobarunt, ex iis regionibus, quæ ad orientem solem vergunt, profectus, Pannoniæ, Norico, Rhætiæ tamquam propitium & salutare aliquod sidus affulsit, sed præcipuè Norico, adeò ut Noricorum Apostoli nomen tulerit, quo elogio Romana Ecclesia illum adhuc prosequitur. Vitæ historia ab Eugippio graviter conscripta extat, ex qua multa, quę ad Ecclesiarum tunc temporis in his oris constitutionem pernoscendam pertineant, possint desumi. Episcopi munus, quamtumvis rogatus, constanter detrectavit, sibi verò sufficere dictitans, quod abdicata semel solitudine, cujus longè maximo desiderio teneretur, divino consilio in hominum lucem protractus, tot præsens infelicium populorum ęrumnas cogeretur intueri. Monachorum interim collegiis instituendis, moribusque informandis, & vulgò omnium ordinum hominibus, qua consilio qua auxilio sublevandis, instruendis, solandis, operam impendens. Laureaci Constantius agebat Episcopum, Tiburniæ an Tigurinæ Paulinus. Valentinus ex Abbate Rhętiarum Episcopus paullò ante mortem oppetierat, quem Batavis officio aliquamdiu functum, at Arianorum factione ejectum, reliquum vitæ in Alpibus coluisse, antiquorum monumentorum auctoritate testatum habeo. Cæteris per provinciam locis fere presbyteros prefectos apparet, qua quoq; conditione Batava pulso Valentino fuisse crediderim, quamquam non nescius, presbyteros & Episcopos à plerisque in hac historia impe-

Severini vita ab Eugippio scripta.

Sur. tomo 4.

imperitè confundi. Meminit Eugippius presbyteri id loci, qui Severinum vaticinantem, & quæ deinde eventura essent cominantem, scurrili irrisu cavillatus, mox irruentib⁹ barbaris, ad sacrum baptisterium, quo confugerat, trucidatus, levitatis pœnas sanguine luerit. Quintanis Silvinus memoratur, post mortem semel obitam pluribus inspectantibus in vitam revocatus. Jopiæ sive Juvaviæ, Maximus, vir notæ sanctitatis, quem Severini vaticinio, & capessendæ fugæ hortatibus segnius parentem, Heruli urbe noctu capta patibulo suspensum necaverint, sodalibus supra quinquaginta, ut est civium narratio, præcipitibus de rupe missis, locus memoriam retinet, & cadavera religiosè condita, in æde quæ prius S. Amandi, nunc S. Margaritæ nomine dicta, asservantur. Sed longior est Eugippii scriptio, quam quæ huc tota transferri debeat. Severinus, Odoacre rerum in Italia potente, mortuus est. Constantio Theodorus in Laureacensi sede suffectus, ad quem Symmachi Pontificis Maximi litteræ habentur, quarum exemplum infra scriptum proponimus.

Hund. in metrop. alii.

Symmachus sanctæ Apostolicæ sedis Dei gratia Episcopus, Reverendissimo & sanctissimo fratri Theodoro, sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Diebus vitæ tuæ pallii usum, quem ad sacerdotalis officii decorem, & ad ostendendam unanimitatem, quam cum Beato Petro Apostolo universus grex dominicarum ovium, quæ ei commissæ sunt, habere non dubium est, ab Apostolica sede, sicut decuit, poposcisti. Quod, utpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ, majorum more libenter indulsimus, ad ostendendum te magistrum & Archiepiscopum, tuamq; sanctam Laureacensem Ecclesiam provinciæ Pannoniarum sedem fore metropolitanam. Idcirco pallium, quod ex Apostolia charitate tibi destinavimus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiæ tuæ, solerter admonemus, pariterque volumus ut intelligas, quia ipse vestitus, quo ad missàrum solemnia ornaris, signum prætendit crucis, per quod scito te & fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in affectu crucifigi. Vnde rogo, ut cum deforis hujusmodi insigni indueris, intus in animo considera, quod hoc sit magis oneris quam honoris, atque cor tuum, Deo regente, ab appetitu istius sæculi sic tempera, ut & commissam exequi gubernationem sic studeas, ut adeptæ dignitati, cujus sublimaris officio, & probitate morum & vivacitate solicitudinis, ac custodia integerrimæ fidei congruas. Quatenus tu ipse à remuneratore omnium bonorum Deo, & benedictionis gratiam, vitamque æternam consequi mereraris.

Hinc Laureacensis sedis, ab Apostolorum ætate, antiquitas asseritur. Et cum Symmachus Theodorum pallio secundum Ecclesiæ suæ morem uti cõmonefaciat, ostendit, contra quam quibus-

busdam visum, Laureacenses ejus decoris ornamento, quod mysticis significationibus undiquaque venerabile, maxima semper existimatione habitum, non tunc primum fuisse affectos. Speciem atque figuram Symmachus nimirum explicat, materiam, quæ lana & lino constat; Isidorus Pelusiota, gravis inprimis & prudens auctor, pellem referre ovis, quam Dominus oberrantem quæsiverit, inventamq; humeris sustulerit, quo Episcopi eo honore insigniti admoneantur, se boni & magni pastoris imitatores esse debere, qui gregis infirmitatem sibi ultrò sublevandam & ferendam proposuit. Incidit Theodorus in Theodonis aut Theodonum tempora, anno post Christum natum quingentesimo vigesimo quarto fato functus. Qui à Bojis necatum tradidere, quam inanibus conjecturis indulserint, inde æstimes, quod Vigilium Tridentinum adjicere non sunt verecundati, quem una cum Remedio aut Rhomedio, quo Vigilius amico usus est, annis totis centum priusquam Theodo de trajiciendo Danubio cogitaret, vixisse comperio. De provincia, & ejus incolis, atque institutis, anteaquam Boji immigrarunt, ad necessitudinem rei satis dictum.

Isid. lib. 1, ep. 136.

Vigilius æqualis S. Ambrosii fuit, scripsit enim ad eum Ambros. epist. 24. l 3. Vsuardus in martyrol. Stilicone Cos. occisum narrat. Rhomedium à Thauro Vigilii amicum nominat Pyrrhus Pinc, de vitis episc. Trid. Arenpek. alii.

Belisarius igitur & Narses, ut eo tandem redeuntes, narrationem dudum intermissam repetamus, rem adversus Gothos gesserunt, sic ut belli confecti gloria penes Narsem manserit. Insigne decus Gothos Italiæ dominatu dejectos, plerique nostrorum in Theodibaldum Theodovaldámve Bojum (perpetua est hoc genus nominum inconstantia) leviter transtulere. Vnus cæteris audacior, cujus nomini parcimus, quin peccata subinde pæne coacti proponamus, facere non possumus, Theodovaldam Theodone Magno natum, scripsit, haudquaquam adversus Gothos, sed verò in Romanos Narsis hortatu concitatum, occupatis multis cis Padum urbibus, Italiæ Regem appellatum esse, addito etiam alicubi, quod nulla vel temeritatis confessione excusari queat, visas à se litteras bene multas, quibus Theodovalda nomen cum ea honoris adjectione præscripserit. Vanitatem hominis! Sed quam idoneus auctor Agathias, illorum temporum æqualis, opportunè refellat. Cæso enim Teja, postremo ex Italicis Gothorum Regibus, anno, quod annalium fide constat,

ANN. POST CHR. NAT. DLII.

post Christum natum quingentesimo quinquagesimo secundo, cum gentis reliquiæ, Francorum Alemanorumque fiducia, arma reprehenderent, Agathias aliquem Vacarum fuisse narrat, Burnum genere, virum gravem & bellicosum, inter Gothica auxilia ut apparet merentem, cujus tum mortui filius THEODIBALDVS, cum popularibus ad Romanos flexerit, & Ariminum istoc consilio venerit, concessisse eo Narsem quoque, quo novum fœderatum coram exciperet, & auxiliarem manum liberali dona-

THEODIBALDVS.

Agath. lib. 1.

tivo

tivo ad reliqua belli confirmaret. Atque ejus unum istud, antiquum, certum, explicatum testimonium extat. In quo, ne quid callidè dissimulem, Græci nonnulli codices Varnos habent, quo nos loco Burnos, utrumque interpretem sequuti legere maluimus. Est enim Varnorum, sive Varinorum longè diversa natio, cum Burni vernaculum Bojorum nomen proximè referant, & verò Theodibaldum Boico sanguini domestica memoria per manus olim propagata, sine controversia asserat, vetustior quam ut ex istis libris manasse suspicemur, quo tempore neque ii latinè legebantur, neque Græci, à nostris certè hominibus, intelligebantur. Itaque in patris etiam appellatione differunt, quem Vacarum Agathias, nostri Theodonem dixere, quo minus dubitabile, eis de Græco scriptore nihil unquam suboluisse. Discrimen in eam sententiam accipio, Theodoni sanè nomen fuisse, Vacarum militari cognomento, aut quæ Germanici sermonis ratio, prænomine dictum esse, id enim verbum ad alacritatem pertinet. Qua Theodibaldus popularesque Boji, virtutis existimatione fuerint, Narses ostendit, cum eorum amicitiam maximo bello adversus numerosissimas ferocissimasque nationes, profusa liberalitate, & omni officiorum genere ambivit. Et sufficere tantæ gloriæ cumulus, animis quantumvis excelsis poterat, Romanum, Boicis demum subnixum auxiliis, debellasse, certam Gothis servitutis confessionem expressisse, Francos Alemanosque aut occidione cecidisse, aut Italia ejecisse; nam hæc consequuta sunt, si gloriam cum modo quidam habere scirent, quod cum minus sit, immoderata ejus aviditate, illa, quæ jam parta erat, corrumpitur. Sed feras priores utcunque, mediocris levitatis homines, laudem cujus pars Theodibaldo debebatur, universam tribuunt. Alteri quid facias? sive causam, sive rem cum Agathia conferas, nihil omnium congruit: documento, quid de Theodibaldi fratribus, provinciæ inter eos divisione, Saxonicis & Avaricis expeditionibus, atque aliis, quæ satietatem veriti, excutere supersedimus, hîc alibi, scriptori prænimis confidenti sit fidei. Me sententiæ, quam in effusam ejus conjectandi an ariolandi licentiam, supra tulisse memini, nunquam pœnitebit. Ægrè interim est, quædam inter hæc, neutiquam etiam vana reor, tot undique nugis obsepta, cum neque certis præterea testibus constare, nec ullo sat plano indicio possint dignosci, invito prætereunda elabi, veri æstimatione, quæ prima in hoc scribendi genere.

Interpretes Christoph. Persona & Bonav. Vulcanius.

Waker Diet.

Vacarus an Theodo, quo consilio in Italiam venerit, ipsum se aperit, Gothis nimirum dominæ genti opitulatum venit, & mirum quam quæ de Theoderico & Bojis disputavimus, omnia consentiunt. Filius jurisjurandi religione Regum interitu solutus, Tejæ enim nemo suffectus est, cursum prudenter mutare, quam

quam uno cum Gothis naufragio involvi maluit, aliorum in eâdem cauſſâ averſatus perfidiam, qui pacis conditiones à Narſe ſemel acceptas, ſub primam Francicorum auxiliorum occaſionem, iterum exuere non dubitarunt. Aberratum eſt autem ab aſalium noſtrorum ſcriptoribus, in temporis etiam ratione nonnihil, qui Gothos à Theodibaldo, anno quarto aut quintodecimo poſt Tejæ obitum, Italia exactos litteris mandaverint, cum tertius à Tejæ morte, annus poſt Chriſtum natum quingenteſimus quinquageſimus quintus, Gothici belli fuerit ultimus.

ANN. POST CHR. NAT. DLV.

ANN. POST CHR. N. DLXV.

Decimus exin, maximorum virorum Juſtiniani Imp. Beliſarii patricii, & Clotarii Francorum Regis morte funeſtus, Vtonem ſive Vtilonem Theodonis filium Bojis abſtulit, vigeſimo ſeptimo poſtquam regnare cœperat. Nominis monumentum Oetinga, quod Vtinum dicunt, fertur; parum mea ſententia conſideratè, ſiquidem eam appellationem tuliſſe, cum Theodo pater Danubium tranſmiſit, ex hiſtoria verum eſt.

Clarus per ea tempora Fortunatus Epiſcopus, cujus multa ingenii monumenta, carminum in primis libri celebrantur, cum voti damnatus, ex Italia in Galliam ad S. Martini tumulum religionis ergo proficiſceretur, iter per Noricum & Boicam tenuit. Rei memoria tum apud ipſum extat, editis fluviorum quæ trajecit nominibus, tum apud Paulum. Et quod ſupra ſignificavimus, Bojos cis Danubium, neque tunc Francis, neque iis qui Italia potiebantur paruiſſe, Fortunatus quoque ſubobſcurè innuit, quo loco ſub finem eorum verſuum, quos de S. Martino ſcripſit, libellum in patriam remiſſurus alloquens, permenſi itineris manſiones retrorſus deſignat, poſito quippe Auguſtæ ad Lycum nomine, ita pergendum monet, ſi Bojus non obſtiterit. Qua cautione nihilo magis opus erat in Boica, quam in cæteris Galliæ & Italiæ omnibus provinciis, niſi Boji ſuo ſigillatim jure & arbitratu vixiſſent.

Fort. ep. ad Gregor. Padum, Athe-ſim, Brintam, Placem, Liquentiam, Teliamentum & tranans, per Alpem Iuliam pendulus montanus anfractibus, Dravum Norico, Oenum Breonis, Licam Bajuaria, Danubium Alamannia, Rhenum Germania tranſiens &c.

ANN. POST CHR. NAT. DLXVIII.

Anno quingenteſimo ſexageſimo octavo, Langobardi relicta Pannonia, quam vi & armis habuerant per annos duos & quadraginta, Italiam Alboino duce ingreſſi, Romanos pepulere, & regnum longè florentiſſimum in Ciſalpina Gallia conſtituerũt. Inter auxilia, præter complura gentium nomina, Suevi numerantur & Norici, Boji nimirum, quibus quod Alboinus parto regno vicos habitandos contribuit, ii appellationes traxere, quæ Pauli adhuc ætate, cum effluxiſſent anni circiter ducenti, perdurabant, neque nunc veſtigia exolũiſſe, in Aquilejenſium annalibus reperio. Itaque haud de nihilo eſt, quod à Paulo etiam proditum, Bojos patriis carminibus præter bellicas Alboini laudes, liberalitatem celebrare ſolitos. Et ab hoc principio, mutuis fere deinceps officiis inter utramque gentem certatum, ſi quæ

Paul. Diac. l. 2. c. 13. Fort. verſus ex vita S. Mart. ſupra citatus eſt. pag. 83. Paul. Diac. l. 2. c. 7. Paul. l. 2. c. 26.

Joan. Candidus rer. Aquil. l. 1. Paul. l. 1, c. ult.

ut inter vicinos offensiones, nec eæ atroces fuere, neque diuturnæ. Pannoniæ possessio Hunnis cessit, lege dicta, quicumque Langobardos casus pedem referre cogeret, ut omnia bellorum dubia & incerta sunt, eo unde digrediebantur iterum receptus esset, Hunni moniti regionem statim traderent. Verum id quidem usu nunquam venit. Hunni sive Avares, nam duo sunt unius gentis vocabula, Anasso deinde tenus coluere, & quod fluminis tantum alveus distineret, occasionem sequuti, Boicam multis sæculis, qua justo bello, qua perpetuis excursionibus & latrociniis, per omnia barbaræ & immanis crudelitatis exempla infestam habuere, sed vice crebrò relata, cum nullo accolarum manus sæpius consertæ, nec plura invicem damna aut data aut accepta sunt. Prima hostilem impetum situ proxima Laureacum excepit, & urbes circa, fines ex improvisò invasi, multi mortales necati, multi cum pecore atque alia præda capti, agri vastati, ædificia incensa, nulla denique res incolumis relicta, cui ferro aut igni noceri potuit. Auctores sunt, Episcopum tanta calamitate admonitum, sedem ad Batava transtulisse: quod sive tum statim, sive aliquot post annis contigit, uti magis credo, Hunnorum vicinia Laureacensem Ecclesiam disturbatam esse, dubitationem non habet.

Magni presbyt. chron. ms. & Joan. Steindel. qui tamen hæc omnia ad an. 572. refert.

Theodopertum Theodone tertio prognatum post hac, & Thessalonum Theodibaldi filium genti pariter imperasse, Theodoperto, Garibaldum aut Gariovaldum ortum esse, illis annalibus proditum video, quorum mihi fides perpetuo suspecta est, eo placitum rem hactenus in medio destituere. Nam dubia reliquorum isto loco, unius GARIBALDI illustre nomen, publicis auctorum monumentis posteritatis memoriæ asseritur, ignorato tamen genere. Ego propior existimanti sim, superiores eum principes nullo propinquioris cognationis vinculo attigisse. Itaq; domestici scriptores, eo ferme modo, quo de homine novo & ignoto, qui in alienam possessionem per vim & injuriam involaverit, sermo solet institui, Garibaldum quendam, hac enim appositione usi, Boicam occupasse narrant, parum omninò aptè, si pater, avus, majores reliqui, eodem loco. Animus inclinat, Garivaldum Ducem credere, cui Clotarium Francorum Regem, annum circiter quingentesimum quinquagesimum quartum, uxore Vuldotrada cessisse, Gregorius Turonensis memorat, cum Episcopi eâ Regi interdixissent, quod fratris prius nepoti nuptâ, cum defuncti mariti magno patruo conjugii jus per sacras leges habere negarent. Paulus Valderadam, Vachone Langobardorum Rege editam, maritum Garipaldum nominat. Nam quod nuperus quidam, Garibaldo Bojo Alsuindam Martiam uxorem tribuit, Ilduino Martio Mediolani Duce, & Anicia Silvia Proba

GARIBALDVS.

Arenpek; etiam Garibaldum Boicam occupasse scribit, non tamen quendam adjecto.

Greg. l. 4. c. 9.

Paul. l. c. 21.

Thom. Porcachius lib. 3. de fam. Malaspina.

Tertul-

Tertulli Consulis filia ortam, neque auctor placet, & ut maximè placeat, diversa matrimonia esse potuere. Verum institutimemores, conjecturam non urgemus, posuisse satis sit. Garibaldus ergo, quicumque & undecumque fuerit, sive excitatus Rege socero, sive virium fiducia, sive qua alia causa impulsus, quod inter omnes convenit, assumptis principalis fortunæ insignibus, Bojorum se Regem dixit. De anno non una sententia; Arenpekium sequuti, ad eum qui post Christum natum quingentesimus septuagesimus septimus numeratur, referimus; neque ut ea ratio multum aberret fieri potest. Liberis auctus, quibus Vuldotradam matrem fuisse, temporis rationi congruat, regnum affinitatibus firmare aggreditur. Sequenti anno, quod Langobardi, occiso paullò ante Clephone Rege, imperium Italicum in triginta Duces tribuissent, proximum ex iis Evinum, qui Tridento præfectus, Boicam ditione contingebat, generum legit.

ANN. POST CHR. NAT. DLXXVII.

ANN. POST CHR. N. DLXXVIII.

Paul. l. 3. c. 10. hæc ad tempora mortis Sigeberti Regis refert, quæ incidit in an. hunc 578.

Francis inter ea Reges fratres quatuor per tetrarchias dominabantur. Sigeberto natu minimo Mediomatrices, quod Austrasiæ regnum dicunt, sorte obvenerant. Is cum Fredegundis scelere, à sicariis confossus occubuisset, Childebertum filium successorem habuit. Anno Childeberti secundo, Rupertus, homo summam generis nobilitatem, quam ad Reges referebat, virtute & sanctitate supergrediens, Vangionum egit Episcopum. Omnibus ejus muneris partibus ita functus, ut magni plerique nominis viri, ex longinquis regionibus, famæ celebritatem sequuti venerint, sive de præcipuis Catholicæ religionis capitibus magno cum fructu disputantem audituri, sive rebus dubiis & afflictis, consilium solamenq; relaturi. Ea re cum Catholici insignes progressus facerent, ardebat invidia Arianorum factio, sectatorum frequentia, & Beringerii Regii apud Vangiones Comitis indulgentia, tum præpotens: hæc multa molita, perfecit, ut vir planè divinus, indignis modis habitus, virgisq; per summam contumeliam cæsus, urbe pelleretur. Multis post annis Bojos, quod sequenti libro narraturi sumus, Christianam pietatem docuit, sacroque lavacro tinxit. Constat ex vitæ historia, sub Childeberto Vangionum urbi præfuisse; sed cum Reges duo eodem Childeberti nomine extiterint, quorum prior Clodoveo Magno natus, superioribus annis Francis imperavit, fuere qui, ut omnem historiam perverterent, Rupertum eo retulere; absurdè, cum Vangiones ad Mediomatricum regnum pertinuerint, Childebertus major regiam habuerit Parisiis.

DLXXX.

Vita extat ap. Sur.

Langobardorum regnum, abdicato Ducum concilio, anno quingentesimo octogesimo aut quinto aut sexto, ad Flaviũ Autharim, Clephonis filium rediit: quem Garibaldo ascisendi huj⁹-

ANN. POST CHR. NAT. DLXXXV. DLXXXVI.

modi obvenit occasio. Childebertus Chlodosindam sororem, Authari prius pactam, commutata derepente voluntate, Richaredo Gothorum in Hispania Regi, anno quingentesimo octogesimo nono, nuptum tradidit, levitatis excusatione in religionem versa, qui Gothos pietate Catholica recens imbutos, Langobardis ab hac alienis, præferret. Langobardum, post tantam illatam contumeliam, quod Reges solent, omni conatu sumpsit evertendum: accedebant Mauritii Imperatoris perpetuæ adhortationes, qui de vindicanda Italiæ possessione serio cogitans, magnum putabat, Francum in Autharim impellere. Autharis externa auxilia adversus tantum hostem circumspicienda intelgens, alteram Garibaldi filiam, THEODELINDAM nomine, per legatos petit. Legati benignè accepti auditique, quod in rem communem videbatur, non difficulter conficiunt. Apud eum qui Gregorii narrationem produxit, lego, Theodelindam Childeberto antea desponsam, matris Brunechildæ consiliis itidem conjugio fuisse frustratum. Vt par extiterit Childeberti utrimq; fidei neglectus, & similes propemodum duorum regum adversus se odii causas conciverit. Autharis visendæ sponsæ desiderio, juvenile capit consilium, per legationis simulationem in Boicam profiscitur, paucis expeditis ex popularium numero assumptis comitibus, fido inprimis amico, qui se legationis principem gereret. Hic cum salutato Garibaldo, verba fecisset, accedens Autharis propius, omnibus quippe de facie ignotus, se verò ab Authari missum esse ait, spectatum futuram dominam, quo comperta de forma referret. Annuit Garibaldus, & filia in conspectu fuit. Ille tacitus aliquamdiu contemplatus, subintulit, parem videri Regiæ fortunæ fastigio, nunc se nisi aliud patri videatur, unum præterea cupere, quod in posterum, pro more gentis, frequens futurum sit, vini poculum ex illius manu capere. Neq; se Garibaldus difficilem præbuit, Theodelindam principi primum legato, deinde Authari miscere jussit. Autharis, postquam bibit, pateram redhibens, puellæ manum digito dissimulanter attigit, mox tamquam aliud agens, dextera universam faciem à sumo permulsit. Erubuit ea re virgo, & nutrici de hospite questa est; anus ętate callidior, alumnam monet, factum silentio premeret, Autharim illum haud dubiè sponsum esse, nullius alterius eo processuram fuisse audaciam, bene habere, quod dignus profectò qui unus regno & regia virgine potiretur; erat enim celsus corpore, coma nitens, ætatis flore juxta & forma conspicuus. Accepto commeatu legati domum redeunt, ubi ad utriusque regni fines ventum, cum Boji honoris ergo deductores additi, abitum pararent, Autharis in equum erectus securiculam quam manu gestabat, quanto potuit connisu proximæ arbori inflictam

fixam

DLXXXIX.

Herman. & Sigeb. ann. 586. præferunt. Ratio tempor. sic habet. Langobardi Italiam duce Alboino ingressi an. 568. Alboinus regnavit, si ab ingressu cum Greg. l. 4. c. 35. numeres, an. VII. si à regno constituto cum Paulo l. 2. c. 28. & Aim. l. 3. c. 17. an. III. cum dimidio. obiit ann. 574. Clepho regnavit sesquiannum, ob. 575. ut Herman. prodidit, 576. ut Sigebertus. Hinc x annorum interregnum sub Ducum concilio, quod an. sive 585. sive sive 586. Authari Rege creato desiit. Paul. l. 3. c. 16. & seq. Quidam anonymũ, alii Fredegarium, alii Thoromachum volunt. c. 34. Paul. l. 3. c. 31.

fixam reliquit, adjiciens insuper, Sic ferire solet Autharis, quæ cum primum vox Boicis prodidit. Langobardicam affinitatem maximi Francorum motus, & Boici imperii conversio sequuta; Childebertus Garibaldum proximo anno bello aggressus est. Et promptum erat prætexere, pelli regno incubatorem, veros veteresq; ex Agilolfinga familia dominos reduci. Theodelinda hujus calamitatis pericula declinatura, ad maritum in Italiam, una cum fratre GVNDOALDO proficiscitur. Autharis maxima frequentia obviam properans, nuptias in campis Veronensibus, quibus Sardis nomen, apparatissima pompa, insigni omnium ordinum lætitia, Idibus Majis celebravit. Oborta inter earum solemnia valida ventorum & tonitruorum tempestate, cum fulmen regii tabernaculi tignum disjecisset, ariolus ex Agilulfi Taurinorum Ducis familia, vetitas artes doctus, dominum clam monuit, id lætum illi ostentum, portendere mulierem, quæ nunc Regi nuberet, brevi in ipsius matrimonio futuram. Agilulfus invidiam veritus hominem graviter increpans, mortem minatur, si ea de re verbum præterea faciat. Vaticinator nihil territus, ego quidem occîdi inquit possum, fata mutari non possunt. Prædictionis fides eventu comprobata, ex admiratione memoriam meruit. In Gregorii appendice, GRIMOALDVS & Gundoaldus Theodelindæ fratres nominantur, domestici scriptores Gundoaldi meminere, quem pater regno collegam asciverit, Grimoaldi nomen non habent. Belli hunc fuisse exitum, in mira annalium nuditate, res loquitur, ut Childebertus Garibaldo pulso, regnum THASSILONI asseruerit. Thassilo Theodibaldo natus esse, eo quem Narsi in Italia militasse diximus, creditur.

ANN. POST CHR. NAT. DXC.

GVNDOALDVS.

GRIMOALDVS.

THASSILO.

Paul. obscurè, *cum propter Francorum adventum perturbatio Garibaldo Regi advenisset.* Diserte annales domestici. Ann five 590 five 591 variant enim Sigeb. & Herman.

App. c. 34.

Paul. Diac. l. 4. c. 7. Sigeb. & Herman. aliquot annis serius hæc contigisse insinuare videntur, initia enim Thassilonis cum expeditione Slavica perperam conjungunt.

Bojis principum ambitio atque contentio magno constitit: insinuavit se Francus haud multò secus, quàm Stesichori ad Himerenses de equite sermo habet, jus & æquum tuitur[9], per beneficii speciem, quæ maximè regia ad fallendum via est, rerum interim suarum, & imperii proferendi primam rationem ducens. Et pactione inita, provincia posthac proprios Duces ex Agilolfinga familia tenuit equidem, quin Thassiloni Regii nominis decus mansisse aliquantisper, ut sunt mollia rerum initia, ex Paulo comperimus, sed iidem Francicis Regibus vixere obnoxii, acceptisque ab his legibus, populum beneficiario fere jure moderati sunt. Cum superioribus temporibus Francici imperii ditio, quantum omnibus disquisitis vestigiis licuit adhuc pernoscere, Danubium Lycumque nunquam transcenderit. Garibaldum Christiana sacra coluisse, nostri retulere, & fidem Theodelindæ filiæ præclara pietas comprobat, neque opinari displicet, magnam fuisse novitatis invidiam, abalienatis ea re, adversarii commodo, procerum populariumque animis, priscæ Deorum super-

ſtitioni vulgò adhuc obſtrictis. Nam ne nunc quidem factum gratia ſequitur, primæ Chriſtianitatis gloria in Theodonem, qui ſecundo deinde loco regnavit, translata. Sive ejus, quod intra Garibaldi domum ſtetit, gentem nulla ex parte attigit, ratio non eſt habita, ſive alienum ab Agilolfingorum familia, poſteri principis honore non dignati ſunt. Quæ victo & ejecto fortuna, incertum: ſunt qui regno iterum potitum aſſeverant, poſtquam in Italia aliquamdiu exulaverit; falsò: nominis enim ſimilitudine errant. Quod ejus nulla porrò teſtatæ fidei extet memoria, rebus perditis diutius non ſuperfuiſſe crediderim. Gundoaldus filius, affinitatis ſuffragatione Aſtenſem apud Ligures Ducatum nactus, ex nobili fœmina liberos in ſpem alterius regni ſuſtulit, & Langobardis Boica ſtirps per multas Regum ſucceſſiones dominata eſt. Sed hæc quidem poſterius.

Paul. l. 3. c. 32. Franci Boico bello defuncti, Langobardicum animo dudum conceptum aggreſſi, regione latè populata, pleraque in Alpibus oppida, facta deditione nihil jam hoſtile timentia, contra interpoſitam fidem excidere, mortalibus omnibus in ſervitutem abductis; niſi qui Agnello Tridentino, & Ingenuino Sabionenſe Epiſcopis deprecatoribus, ſexcentis in virorum capita ſolidis redempti ſunt. Cæterum Italici cœli impatientia per æſtivos mēſes morbis tentati, multis ſuorum amiſſis, cum Langobardi munitionum mœnibus concluſi pugnæ copiam non facerent, neque ſine pugna victoriæ ſpes eſſet, nulla memorabili re geſta, domum redierunt. Autharis ſexto anno à regno adito, nonis Septembris, florente ætate, immatura morte, incertum cujus fraude, veneno extinguitur. Theodelinda interim præcellens adeò prudentiæ & moderationis ſpecimen ediderat, ut re ad interregnum delapſa, imperium novo exemplo, & fœminæ, & peregrinæ, omnium voluntate fuerit demandatum, facta ſimul optandi poteſtate, maritum quem vellet, quemq; tanto faſtigio parem crederet, ex univerſo Langobardorum numero. Illa exquiſitis primorum ſententiis, Agilulfum Taurinorum Ducem, Authari cognatione propinquum, bello fortem, & omnibus corporis animíque virtutibus eo loco dignum, ſibi conjugem, genti Regem legit. Vocato craterem vini modicè libatum propinavit, quem ille accipiens, cum honore lætus, ſe ad dextræ oſculum venerabundus demitteret, Regina verecundè ſubridens, Tu verò ori, non manui, oſculum admove Agilulfe, inquit, & levatum complexa exoſculataque, conſilium de Regno & nuptiis aperuit, quarum dies initio menſis Novembris omnium approbatione conſtituta, Agilulfus ſequenti anno, menſe Majo, publico gentis conſenſu, Mediolani Rex appellatus eſt. At fœdam illuſtri conjugio notam Joannes Boccacius in amatoriis narrationibus

ANN. POST CHR. NAT. DXCII.

ANN. POST CHR. NAT. DXCIII.

Paul. l. 3. c. 36. Herman. Sigeb. Quod excipit. 19. l. 1. Gregorii Magni cōtra afferri poteſt, vim haberet, niſi conſtaret pleraſque epiſtolas trajectas eſſe, & mēſe Decembri, ut relata, non ſcriptam, verba quæ ſequuntur oſtendunt, *In hac quæ nuper expleta eſt paſchali ſolennitate.*

Boccac. Decameron. fab. 22

ivit

ivit inuſtum, ut ut flagitii dedecore erroris excuſatione in ſpeciem obducto. Verum qui univerſo operi fabularum nomen præſcripſit, quam ſibi in ſingulis ejus partibus credi non cuperet, nimirum ipſe oſtendit, neque nos fidem, quam petenti negaremus, reſpuenti adhibebimus. Maximum unum omnium ſine controverſia beneficium, Theodelinda apud Langobardos, atque univerſam Italiam collocavit, cujus gratiam nulla annorum unquam diuturnitas oblitteratura eſt. Cum Langobardi eouſque, aut inani Deorum ſuperſtitione occupati, aut nomine tenus Chriſtiani, perverſis Arianorum opinionibus implicati, neque ſalutem ipſi ſuam curarent, & eccleſiarum bona publicam prædam rati, res ſacras promiſcuè ubique popularentur, illa divinitus incenſa, maritum magno animo aggreſſa, monendo, ſuadendo, orando pervicit, ut Catholicam pietatem pectore admitteret. Quod conſilium quam multa & magna bona, publicè privatimque ſtatim conſequuta ſunt. Rex eccleſiis quâ poſſet ſatisfacturus, pleraſque poſſeſſiones ultrò largitus, Epiſcoporum exiſtimationem, quæ contempta atque abjecta jacebat, ad aliquem dignitatis ſplendorem erexit; populares exemplo incitati, priſtinam impietatem vulgò ejurare, ad eccleſiæ matris gremium, pœnitentia ducti, convolare, adverſus res miniſteriaque divina pariter affici. In qua cauſſa graviter & prudenter, à conſideratiſſimo ſcriptore, viro in tantum laudando, in quantum virtus & doctrina poſſunt intelligi, Cæſare Baronio, Romanæ eccleſiæ Cardinali, obſervatum animadverto, ſic ſolere Deum, eligere infirma mundi, ut confundat fortia, tres fortiſſimas nationes, odio in nomen, ſive Chriſtianum, ſive certè Catholicum, inſignes, Francos, Gothos, Langobardos, à totidem regiis fœminis, Chrotilde, Ingunde, & Theodelinda, Burgunda & Franca illis, hac Boja, eodem propemodum modo, perſuaſis maritis Regibus ad veræ religionis cultum eſſe retractos.

Paul. l. 4. c. 6.

Card. Baron. an. 591

Gregorius Pontifex, virtutis & pietatis magnitudine cognomen nactus, libros de Italicorum patrum vita & miraculis, dialogorum forma conſcriptos, eodem anno ad Theodelindam miſit, ſic æſtimans, quæ fide & morum ſanctimonia præſtaret, ejus animo futurum id munus longè acceptiſſimum. Sed extitere, qui religioſiſſimæ fœminæ, per pietatis quoque ſpeciem obrepentes, voluntatem à Gregorio & Catholica ſimul eccleſia tantum non abalienarent. Agitabatur à Juſtiniani uſque temporibus, nobilis inter Epiſcopos controverſia, magnis utrimque animis, de tribus quibusdam capitibus à quinta ſynodo Conſtantinopoli reprobatis, quæ Gregorius & ſuperiores aliquot Pontifices palam item damnaverant: Id adverſarii contra Chalcedonenſis concilii decreta fieri, quamquam falsò criminati, Reginam induxe-

Paul. l. 4. c. 5.

Dialogos anno 593. à Gregorio ſcriptos eſſe, oſtendit Baronius.

runt ut Constantium Mediolanensem Episcopum, trium capitum damnationi assentientem, eo nomine averſaretur. Gregorius exemplum veritus, legatos misit qui officii admonerent, & in hæc ad eam, atque Constantium, verba scripsit. Ad Constantium quidem,

Greg. lib. 3. ep. 1. Quod autem dicitur filiam nostram Theodelindam Reginam, se se à communione tua hoc audito nuntio suspendisse: constat per omnia, quia etsi pravorum hominum verbis ad paullulum seducta est, venientibus tamen Hippolyto Notario & Johanne Abbate, erit modis omnibus vestræ fraternitatis communionem qualitura. Cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione trasmittat. Ad Theodelindam verò,

Greg. l. 3. ep. 4. Quorundam ad nos relatione pervenit, ab aliquibus Episcopis gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut se se à Catholicæ unanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos purè diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere, quæ audierint p, ossunt. Dicunt enim piæ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem synodum fuisse constituta, qui dum neque legunt neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim teste conscientia fatemur, de fide ejusdem sancti Chalcedonensis concilii nihil motum, nihil esse violatum, sed quidquid prædicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est, ut fides Chalcedonensis concilii in nullo vexaretur. Si quis autem contra ejusdem synodi fidem aliquid loqui præsumit vel sapere, nos ejus sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ vestræ attestatione cognoscitis, superest ut vos nunquam à Catholicæ ecclesiæ communione separetis; ne tot vestræ lachymæ, tantaque bona opera pereant, si à fide vera inveniantur aliena. Decet ergo gloriam vestram, ad reverendissimum fratrem & coepiscopum meum Constantium, cujus & fides & vita benevolim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique directis vestris epistolis indicare, ordinationem ejus, quam benignè suscepistis, & quia ab ejus ecclesiæ communione in nullo separamini. Quamvis in hac re me vobis superfluè dicere arbitror, quia etsi quid in vestro animo dubietatis fuit, veniente filio meo Johanne Abbate atque Hippolyto Notario, ex corde vestro arbitror fuisse sublatum.

Verum altissimè in Theodelindæ pectus descenderat, obrogari abolitione trium capitum, Chalcedonensi concilio, quod pro præclara animi pietate, piaculare facinus arbitrata, quintæ synodi men-

di mentionem vix æquis auribus admittebat, uti ex epistola,
ANN. POST CHR. NAT. DXCIV. quam Gregorius sequenti anno ad Constantium dedit, intelligimus; delectat enim sanctissimi Pontificis complura verba illustrandæ historiæ identidem inserere.

Quod autem scripsistis, quia epistolam meam Reginæ Theodelindæ transmittere minimè voluistis, pro eo quod in ea quinta synodus nominabatur, si eam exinde scandalizari posse credidistis, rectè factum est, ut minimè transmitteretis. Vnde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor synodos solummodo laudaremus. De illa tamen synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas synodos constituerit vel senserit, quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi concilio nihil continetur, sed post expressos canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen, sicut voluistis, ita fecimus, ut ejusdem synodi nullam memoriam faceremus. Sed & de Episcopis quæ scripsistis, prædictæ filiæ nostræ Reginæ scripsimus. Greg. l. 4. ep. 37.

ANN. POST CHR. NAT. DXCV. Anno quingentesimo nonagesimo quinto Thassilo Slavos, graves perpetuo & infestos vicinos, bello aggreditur: quorum præter Zechorum nationem, quæ Sarmatiâ effusa, Bojohemum tenuit, Quarantanorum aut Carantanorum alia, Dalmaticis oris progressa, Norici partem ad Hadriaticum sinum vergentem insidens, Boicam premebat. Parta victoria, maximam omnis generis prædam domum retulit. Paul. l. 4. c. 7 Herman. Sigeb. qui, quod Thassilonem tunc demum Regem constitutum fuisse innuut, ex tẽporum ratione & domesticis annalibus refelluntur.

DIC. Quadriennio post pax inter Romanos & Langobardos, allaborante maximè Gregorii hortatu Theodelinda, coiit, & gratiæ Reginæ à Pontifice, apparatissimis verbis in hunc modum actæ.

Quia excellentia vestra ad faciendam se pacem studiosius & benignè sicut solet impenderit, renunciante filio nostro Probo Abbate cognovimus, neque enim aliter de Christianitate vestra fuerat confidendum, nisi quia in causâ pacis laborem & bonitatem vestram modis omnibus monstraretis, unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ita cor vestrum sua pietate regit, ut sicut rectam fidem tribuit, ita quoq; placita sibi vos semper operari concedat. Non enim excellentissima filia de sanguine, qui ab utraque parte fundendus fuerat, parvam te credas acquisisse meredem. Ex qua re voluntati vestræ gratiam referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorum vobis vicem in corpore & in anima, hic & in futuro compenset. Salutantes præterea paterna dilectione hortamur, ut apud excellentissimum conjugem vestrum illa agatis, quatenus Christianæ reipublicæ societatem non renuat. Nam sicut & vos scire credimus, multis modis Paul. l. 4. c. 8. Greg. l. 7. ep. 42.

est u-

est utile si se ad ejus amicitias conferre voluerit. Vos ergo more vestro, quæ ad gratiam partium pertinent semper studete, atq; ubi caussa mercedis se dederit, laborate, ut bona vestra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

Paul.l.4.c. 21. Proximo, bis mille Bojorum in expeditionem adversus Slavos ducti, Cacani Regis superventu occidione cæsi, cladem superioribus annis illatam recepêre. Sexcentesimo primo, Theodelinda Modiciæ, quæ duodecim passuum millibus Mediolano abest, situ sub Alpibus inprimis amœno, & salubribus auris per æstivos calores temperato, regiam & templum condidit, Theoderici Gothi judicium sequuta, qui prætorium ibi olim struxerat. Regia, præter ædificii splendorem, picturâ veteres Langobardorum historias referente nobilitata, templum divo Joanni Bapistæ sacrum, amplis vectigalibus locupletatum, atque omni aureorum & argenteorum ornamentorum supellectile cultum est, quorum adhuc partem supersse ferunt. Voto gentem Baptistæ universam obligavit, hac forma, ad veterem pietatis sensum, à Rege & regni primoribus nuncupato. Vt ipse sanctus Johannes pro nobis interpellator sit, ad dominum Deum nostrum Jesum Christum, nos omnes unanimiter pollicemur, illi omni anno in die nativitatis suæ, hoc est VIII. Kal. Julii, de nostris facultatibus transmissuros honorificè, ad oraculum ejus, ut per illius interpellationem habeamus juvamen Domini nostri Jesu Christi, tam in bello quam in aliis locis omnibus, quocumque ituri sumus. Ratæ fuere preces, quamdiu cultus religio perstitit. Memoriæ proditum, Constantem Imperatorem post hos annos sexaginta, Langobardis bellum illaturum, cum Tarentum trajecisset, deque eventu solicitus, hominem solitariam vitam agentem, vaticinii laude clarum consuleret, unius noctis petita mora, numine salutato, responsum tulisse, Nunc quidem vinci neutiquam posse, Reginæ exteræ factum obstare, collocasse eam in Langobardorum finibus Baptistæ basilicam, qui Deum perpetuis precib⁹ appellet, sed futurum aliquando, ut templi neglectum, gentis exitium consequeretur; cujus prædictionis fidem res temporum successu firmavit. Theodelinda donationis tabulis horribilem sanctionem adjecit, quæ filii nomen habet, Regis mariti non habet, itaque marito demum mortuo perscripta sit oportet. Offert gloriossissima Theodelindâ Regina, una cum filio suo Adalvaldo Rege, sancto Joanni patrono suo, de dono Dei, & de dotibus, chartulam suæ donationis, quam in suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore, hanc testem voluntatis suæ corruperit, in judicii extremi die cum Juda traditore damnetur.

ANN. POST CHR. NAT. DC. DC I.

Paul.l.4. c.21.

Hæc formula desumpta est ex editione Ascensiana.

Paul.l.5. c.6.

Hæc etiam ex Ascensiana editione.

Anno sexcentesimo tertio, Theodelindæ Adalvaldus filius Modi-

ANN. POST CHR. NAT. DC III.

DCIV. Modiciænatus: quem illi Gregorius in ſequenti, pace ejus haud obſcurè opera iterum conſtitutâ, hac epiſtola gratulatus eſt.

Scripta quæ ad nos dudum à Januenſibus partibus tranſmiſiſtis, gaudii veſtri nos fecere participes, propter quod, omnipotentis Dei gratia, & filium vobis donatum, & quod valde excellentiæ veſtræ eſt laudabile, Catholicæ eum fidei novimus ſociatum. Nec enim de Chriſtianitate veſtra aliud credendum, niſi id ſtudere vos, ut quem divinò munere ſuſcepiſtis, Catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, ut & Redemptor noſter familiarem te ſuam famulam cognoſceret, & Langobardorum genti novum Regem in timore ſuo feliciter enutriret. Vnde oramus omnipotentem Deum, ut & vos in mandatorum ſuorum via cuſtodiat, & eundem excellentiſſimum filium noſtrum Adulauvaldum in ſuo faciat amore proficere: quatenus ſicut hîc inter homines jam magnus eſt, ſic quoque ex bonis actibus ante Deum ſit glorioſus. Illud autem quod excellentia veſtra ſcripſit, ut dilectiſſimo filio noſtro Secundino Abbati, ad ea quę ſcripſit ſubtiliter reſpondere deberemus: quis vel petitionem illius, vel veſtra deſideria, quæ multis eſſe profutura cognoſcit, ſi ægritudo non obſiſteret, duceret poſtponenda? Sed tanta nos podagræ nunc infirmitas tenet, ut non ſolum non dictare, ſed nec ad loquendum poſſimus aſſurgere, ſicut & præſentium portitores legati veſtri cognoverunt, qui nos & venientes infirmos invenerunt, & diſcedentes in ſummo vitæ periculo atque diſcrimine reliquerunt. Sed ſi omnipotente Deo diſponente convaluero, ad cuncta quæ mihi ſcripſit ſubtiliter reſpondebo. Eam tamen ſynodum, quæ piæ memoriæ Juſtiniani tempore facta eſt, per latores præſentium tranſmiſi, ut prædictus filius meus dilectiſſimus ipſam relegens, agnoſcat, quod falſa ſunt omnia, quæ contra ſedem Apoſtolicam vel Catholicam eccleſiam audierat. Abſit enim nos cujuslibet ſenſum hæretici recipere, vel à tomo ſanctæ memoriæ Leonis prædeceſſoris noſtri in aliquo deviare. Sed quæcumque à ſanctis quatuor ſynodis ſunt definita recipimus, & quæcumque reprobata ſunt condemnamus. Excellentiſſimo autem filio noſtro Adulauvaldo Regi tranſmittere phylacteria curavimus, id eſt, crucem cum ligno ſanctæ crucis Domini, & lectionem ſancti evangelii theca Perſica incluſam. Filiæ quoque meæ ſorori ejus, tres annulos transmiſi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula; quæ eis per vos peto dari, ut apud eos noſtra charitas ex veſtra excellentia condiatur. Paterna præterea charitate perſolventes ſalutationis officium, petimus ut excellentiſſimo filio noſtro conjugi veſtro, pro nobis de facta pace gratias referatis, atque ejus animum ſicut conſueviſtis, ad pacem de futuro per omnia provocetis, quatenus mercedem populi innocentis, qui in ſcandalo

Greg. l. 11. ep. 7.

perire

perire poterat, ante conſpectum Dei, inter multa bona, quæ agitis, invenire poſſitis.

Hæc Theodelindæ laudibus ex omni parte referta, teſtimonium ſanctimoniæ antea relatis conſentiens prrhibent; tum oſtendunt, eam, ut ut ad tria capita hæſitantem, Pontificiæ auctoritati præcipuam reverentiam detuliſſe, neque ſe à Catholicæ eccleſiæ communione, hujus offendiculi cauſſa, unquam abjunxiſſe. Gregorius paullò poſt, menſe Martio rebus humanis eximitur; Adalvaldus Julio, patris voluntate Langobardorum Rex appellatur.

Paul. l. 4. c. 38. Anno ſexcenteſimo decimo, Giſulfus Forojulienſium Dux, ab Avaribus oppreſſus, ex Romilda veſanæ ſalacitatis fœmina, filias pudicitiæ laude inſignes reliquit. Quæ cæſo patre, eversâ patria, captivæ ductæ, calamitoſiſſimo ſuo tempore invenerunt, quo virginale decus, quod ſervis corporibus vi minus poterant, fortunæ ingratiis ingenio tuerentur. Conditis enim ſub mammillari ſtrophio crudis pullorum carnibus, ut calore corruptæ immane fœterent, militum non effugêre vim tantum & contumeliam, quod morte tamen pleraſque redemiſſe, celebrata veterum exempla ſunt, ſed cogitationem omninò voluntatemque libidinis averterunt. Spretæ itaque venundatæ, pares & patre, & animo iſto, nuptias reperere. Quatuor ſororum duo nomina prodita, Appa & GAILA, totidem perierunt, cum matris, tenebris tanto dignius, adhuc extet: Vna Alemanorum Regi, altera Bojorum principi collocata, Chiomaris, & Cammis meritò annumeretur. An Garibaldo, qui rerum apud Bojos paullò poſt potitus, quod quidam ſcripſere, niſi de opinione certum nihil eſt.

ANN. POST CHR. NAT. DCX.

GAILA.

Paul l. 4. c. 7. & l. c. c. 41 Vno aut altero anno interjecto, Thaſſilo fato conceſſit. Cui Paulus, cum primùm ad Boicæ gubernacula admotus, Regis nomen tribuit, ſub finem Ducem appellat: nos ſub eo Bojorum Principum majeſtatem ſtatu motam, & Francicis Regibus ſubmiſſam eſſe, hoc quoque argumento perſuademur. Mortuo Thaſſilone, GARIBALDVS filius ſucceſſit. Quem qui, nomine ducti, eundem Theodelindæ patrem exiſtimavere, rediiſſe in imperium, tamquam poſtliminio, neque vera ſcripſere, neq; veriſimilia, itaque magnis difficultatibus, nulla neceſſaria ratione implicati, ut ſe ſe aliquà expedirent, multiplicem hiſtoriæ caliginem, quod certos errores incertis conjecturis tuendo, fere fit, offuderunt; nam idem de Thaſſilone prius commenti, quo fabulam tuerentur, centeſimum ætatis annum attigiſſe, ſcriptum reliquere, cum res in eum modum quo à nobis narrata eſt, Pauli auctoritate potuerit conſtitui, qui Garibaldum diſertè Thaſſilonis filium nominat, quod ſi quis ſuperiori Garibaldo convenire poſſe exi-

ANN. POST CHR. NAT. DCXI. DCXII.

Arenpek. l. 2. c. 3.

GARIBALDVS SECVNDVS.

Paul. l. 4. c. 41.

ſe exiſtimat, nimium ineptus eſt. Novus princeps paternum decus æmulatus, Sclavos, Carantanos nimirum, bello ſolicitans ad Aguntum Norici oppidum primo congreſſu infeliciter pugnat: hoſtes ſucceſſu læti & feroces, facta in Boicam impreſſione prædas egere, dum ille, collectis brevi iterum viribus, inopinantes adortus, omni præda exutos, finibus victor pepulit. Quod unum Garibaldi operum poſteritatis memoriam meruit. In Italia Gundoaldus, Aſtenſium Princeps, Theodelindæ frater, ſagittâ veneno illita, ex inſidiis incerto auctore miſsâ moritur. Sceleris ſuſpicio regiam attigit, jactatum, cumulaſſe Agilulfi & Theodelindæ odium, quo favorem maximè debuerat, allicicndis Langobardorum vel ingenio, vel arte, vel fortuna voluntatib⁹, nimiam viſam in homine peregrino tam prolixam popularitatem, cui ſi rerum novandarum aliquando voluntas accideret, dominantes contra nitenti, pares futuri vix eſſent. Sed nobis quidem, de ſorore præſertim, Gregorio toties laudata, tamque magnificè, & illa haud minus extera, quæ ſe domeſtico tanto præſidio cur orbaret? animus fraterni paricidii facinus refugit credere. Gundoaldo filios fuiſſe reperio, GVNDOBERTVM, de quo præter ipſum nomen, nihil extat proditum: & Charibertum ſive Aripertum, variè enim appellatur, qui regnum apud Langobardos poſt multos annos primus Bojorum tenuit, ut ſequenti libro narrabitur.

Paul. l. 4. c. 42.

Appendix Greg. c. 34.

GVNDOBERTVS.

Appendix. Greg.

MARCI VELSERI RERVM BOICARVM

Liber quartus.

Garibaldū nondiu imperasse, ex collatione temporis, quo Thassilo Garibaldi pater obiit, quoque Theopo Boicâ datus est, fit consequens. Jo. Steind. an. 623. Regentrant appellat, filiam Hildeberti Regis: recentior quidā, Theodeberti.

SAnctius deinde sæculum aggredimur. Garibaldo cis paucos annos sublato, THEODO prudentia & animi magnitudine inclytus, THEODO TERTIVS. quē Garibaldi filium fuisse, suspicari quam affirmare magis possumus, Bojorum principatum adeptus, ingens Evangelio, ostium aperuit. REGINODRVDEM uxorem annales REGINODRVDES. Childeberto Franco natam ferunt: quod nomen Francicarum rerum auctores inter Childeberti Theodebertique Regum liberos, Theodebertum enim alii patrem maluere, omninò non habent, sed illa stirpe explicāda & aliàs indiligentes, quo minus fides nostris hominibus demenda est. Reginodrudem ergo familia dudum Christianâ ortam, tot illustrium Reginarum exemplo, marito amplectendæ veritatis auctorem fuisse credimus: & supererant rei juvandæ, Christianæ religionis igniculi à Romanorum imperio, per omnem provinciam. Accessit fama sanctimonię Ruperti Episcopi, & magnorum mirabiliumque operum, quæ illo administro divina virtute constabat patrari. Motus Theodo, summo viri coram videndi desiderio incensus est. Primos suorum mittit, qui honestissima legatione obnixè deprecantes invitarent, Veniret, Boicam conspectu dignaretur, genti rectum fidei vivendique iter ingredi cupienti, docendo præiret. Rupertus expensa tum oratorum amplitudine, tum orationis æquitate, gnarus hoc genus consilia non nisi divinitus immitti, Deum ante omnia laudibus ac gratiis veneratus, qui in tenebris sedentes æternæ lucis radiis instituere illustrare, preces nihil aversatus, redeuntibus legatis statim presbyteros adjunxit, ipse paullò post subsequutus, Reginoburgi à Theodone, cum insigni proce-

Vita S. Ruperti ap. Sur. tom. 2. brevius ant. lect. tomo item 3.

procerum comitatu obviam progreſſo, incredibili lætitia maximo applauſu excipitur: primus in ea urbe à Bojis conſpectus Epiſcopus, nam ante Boica tempora quosdam ſediſſe non ambigam, etſi memoria fere excidit, unius Lupi ſuperat, ſanctitatis famâ poſteritati commendata. Quem qui Zenone imperante à Theodone primo, pietatis cauſſa cęſum narrant, temporum rationem nullam habent. Neq; ego exemplum, quo Boji in Chriſtianorum ſanguinem unquam ſævierint, ullum proditum reperio. Abſurdius errant, qui Lupum hunc cum eo confundunt, qui Chetmarum Carantanorum principem Pipini ætate in fide inſtituit. Rupertus indicto jejunio, Theodonem Chriſtianæ fidei myſteriis erudit, eruditum & ſatis jam confirmatum, abdicato impio peſſimorum dæmonum cultu, ſalutari baptiſmate abluit. Nullus dies Bojis lætior, certè æquè ſalutaris illuxit. Principis exemplum plerique optimates ſequuti, & populi magna vis, nobilium ignobiliumque promiſcuè, una omnes voce, teſte quibus animi gaudiis intus perfruerentur, Dei benignitatem effusè celebrantes, quæ ex tetra caligine in eam claritatem, nihil tale promeritos evocaſſet. Annum, quo res tam magna conſtituta, ſimulachrorum cultus publico Ducis præjudicio damnatus eſt, dubium reddit annalium inconſtantia, nobis ſingulorum momentis æſtimatis, propior vero viſa ratio, ſexcenteſimum decimum ſextum poſt Chriſtum natum adſcribentium, aberrantibus facile longiſſimè, qui in Regum nominibus lapſi, hiſtoriam ad ſuperiores Theodones retraxere, ante annos octoginta circiter vita jam functos. Epiſcopus indè Principis hortatu ſecundo Danubio devectus, multam præterea pietatis ſementem fecit, Evangelio omnibus, qui ſecus ripam colerent, libero ſermone annuntiato, ad inferiorem uſque Pannoniam, ibi exſcendens iter retrò pedibus tenuit. Laureaci plerique à vana Deorum ſuperſtitione ad nos traducti, multi variis morborum generibus Chriſti nomine invocato levati. Hinc in interiorem Boicam digreſſus, iis inprimis locis potiori cura inſiſtens, quibus impietatem hactenus maximè graſſatam animadverteret, ſtatuas inanium Deorum ubique disjiciendo, & veræ religionis capita diligenter exponendo, rudes populorum animos ad unius Dei intelligentiam erexit. At Theodo circumſpiciens, quæ eſſent ornandis atque provehendis initiis bene poſitis, veritus ne non rectè ſtabilita brevi dilaberentur, inſtitit Ruperto, ſedem ſacrorum legeret firmaretque, ex qua ipſe & ſucceſſores Epiſcopi, ſubjectam provinciam ſalubribus præceptis informatam regerent. Placuit Juvavia, ſplendida olim Romani nominis colonia, tum afflicta ſuperiorum temporum barbaricis motibus & vaſtitate, in ruinis & ſolitudine cubans urbis verius cadaver. Magno ſtudio & a-

Catal. Epiſcop. Reginob. præter Lupum, Paulinum & Rhatarium habet. Sed Paulinũ Tiburniæ an Tigurinæ fuiſſe Epiſcopum, ſupra oſtenſum pag. 93. Rathbarium poſt Rupertum viviſſe, infra narrabitur.

ANN. POST CHR. NAT. DCXVI.

Hunc annum Arnpekius habet, præter alios.

lacritate inſtauratam, mutato veteri vocabulo Salisburgum dixere, à præfluente Salſa. Templum Deo & apoſtolorum principi Petro cum cœnobio poſitum, Rupertus dicavit, ſacerdotibus ſacerdotumq; miniſtris, & omnibus ſubinde rebus, quæ ad divinum cultum Chriſtiano ritu peragendum opportunæ, Ducis liberalitate fretus, ampliter inſtruens. Neque defuit Theodo conceptæ ſpei, largis ſubminiſtratis vectigalibus, pro illius præſertim temporis ſacrorum hominum parſimonia & moderatione. Æmulati factum poſteriores principes, multas certatim regiæ munificentiæ donationes adjecerunt, ut Salisburgenſes paullatim ad tantum ſplendoris faſtigium excreverint, quantum rari alii ubivis terrarum Epiſcopi ſupergreſſi. Extat donationum breviarium anno, quo Carolus Magnus Boica potitus, ab Arnone Epiſcopo conſcriptum, quod nos præclarum vetuſtatis monumentum rati ſæpe deinceps laudaturi ſumus. Tunc contributa præter urbem atq; agrum circa, ſylvarum & paſcuorum abundè, tum villæ coloniæq; ruſticæ variis locis complures, Manſos appellabant: Romani quidem cum manſis tributariis octoginta quinque, formula veteres Italici ſanguinis provinciales ſignificante, quos paullò incommodius habitos par eſt credere : Vineæ ad Danubium prope Reginoburgum aliquot: Salinæ, fornaces excoquendo ſali viginti, & decuma omninò vectigalium, quæ fiſcus id loci cogeret. Salinas tum primum inventas, quod vulgo fertur, ex hoc ſcripto intelligi non poteſt. Non illud item, quod magnos alioquin auctores, nec tamen vetuſtos habet, Vtonem & Theodibaldum fratres Theodoni fuiſſe, baptiſmate à Ruperto Oetingæ & Bauzani tinctos, Boicâ ſcilicet inter fratres veluti in trientes ſecta. Cujus rei neque in Arnonis tabulis, nec in Ruperti vitæ hiſtoria, ubi ſanè debebat, extat veſtigium, quin Salisburgum ad Theodonis ditionem pertinuiſſe, utrobique palam eſt, quæ ex iſta cretione Vtoni paruiſſet oportebat. Verum enimverò homines non mali, & quod probitatem fere conſequitur, minimè ſuſpicaces, fidem habendo ei, quem nos toties notavimus, in errorem perducti ſunt. Cum Tonazano & Vrſo auctoribus nuntiaretur, certo extra urbem loco nocturna lumina apparere, ſuaviſſimosq; odores diffundi, & multa ad hæc divinitus fieri prodigia; Domingus præcipuæ venerationis ſacerdos, rei explorandæ miſſus, veritate compertâ, viſa enim per tres continentes noctes quæ narrata erant, ligneam crucem ſolemni ritu conſecratam ſolo defixit, & tuguriolo pro præſenti copia texit. Rupertus Theodonis conſilio atque ope uſus, exciſo latè nemore, Maximiliano martyri templum ſacrat, peramplo monachorum collegio addito. An Maximiliani martyris reliquiæ id loci conditæ, an alia oſtento cauſſa, ſcribentium brevitas non expreſſit. Neque hìc ſe Prin-

Annot. Arnonis epiſcopi, tomo 1. ant. lect.

P. Caniſ. de M. virg. l. 5 c. 23. 29. Mart. Eiſengr. de ſacel. Oeting. c. 4. 5 & alii non pauci.

ſe Principis beneficentia deſiderari paſſa magnum terræ tractū, patentem quaqua verſus tria paſſuum millia, attribuit : id vitæ ſcriptor ad Theodibertum filium retulit, credo qui patris factum ratum habuerit. Tonazanus & Vrſus religione tacti, omne patrimonium tranſcripſere, addictis monaſterio Vurmario & Ciſſimo nepotibus, litteris operam daturis, quibus Rupertus uſum fructum ex ſemiſſe donati patrimonii, beneficiario jure poſtea reddidit. Ruperti etiam opus Veltenburgum monaſterium creditur : ego, quod aſſeverem non, habeo.

Cum Agilulfus interea temporis in Italia vivendi finem feciſſet, Langobardici regni nomen ad Adalvaldum puerū, procuratio ad Theodelindam matrem rediit, quæ magno eccleſiarum & religionis bono, eam per annos integros decem tenuit, quibus exactis, Adalvaldus mente alienatus, regno pulſus, privatus triennio circiter ſuperfuit, uti quidem unus nobis Sigebert⁹ indicio. De Theodelinda nihil præterea, neque quouſq; vitam produxerit comperio, ſed eorum conjecturis acceſſerim, qui ante filii inſaniam obiiſſe exiſtimant.

Paul. l. 4. c. 14. Hermā. Agilulfum an. 616. Sigebertus 617. obiiſſe ſcribunt.

Sigeb. Agilulfum an. 617. mortuum, filium annos 10. regnaſſe, 630. obiiſſe ſignificat, itaque triennio privatum vixiſſe cōſequitur.

Neque quo anno Theodo naturæ ſatisfecerit exploratum, Epiſcopo ſuperſtite deceſſiſſe liquet. Moriturus THEODIBERTVM filium vocat, & principatu de manu tradito, ſuprema mandata adjicit, Obſequatur Ruperto, rem Chriſtianam propaganti omnibus auxiliis adſit, Salisburgenſem eccleſiam ſuo exemplo charam habeat, quâ poſſit dignitate augeat, ita felix fortunatumque futurum imperium. Paritum eſt optimis monitis, filius ſtatim à patris funere, primis ſuorum aſſumptis, divinum hominem venerabundus adit, & in vaſta ſolitudine ad divi Maximiliani conventum, amplis muneribus colit. Rupertus ſub hæc, rationem ſecum putans, meſſem multam, operarios paucos eſſe, quod quamquam Boji Chriſtiana ſacra vulgo admitterent, ſupererant plerique in veteris ſuperſtitionis cœno occæcatis animis obſtinatè hærentes, domum in patriam abiit, & evocata ſubſidiaria duodecim ſociorum cohorte, Cunibaldo & Giſilario presbyteris, ſanctiſſimis viris præcipuè ducibus, qui inſtruendis populis auxiliarem præberent operam, Salisburgum revertitur. Ibi Erendrudem neptem, nam perperam quibusdam ſoror credita, numeroſo ſacrarum virginum collegio præficit, ædificato à Reginodrude ad urbem monaſterio, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Nonnarum montem etiam nunc appellant, vocabulo ex ultima Chriſtianorum antiquitate repetito, in quo liberaliter omando Theodibertus patris pietatem adæquavit. Inde novo ſociorum comitatu fretus, omnem denuo Boicam circumiens, multos adhuc ſpicarum manipulos eccleſiæ horreo intulit, conſtitutis plerisque locis presbyteris, qui inſolen-

THEODIBERTVS.

ANN. POST CHR. N. DCXXIII.

P. Gratepol. de ſanctis Germ. Theodonem ſanctum cognominat, conjecturam, ut apparet, ſine ullius ſcriptoris teſtimonio ſequutus.

Anno diſcrte neptiam aplat. Joan. Steindel. Nonnarum nomine uſus S. Hieron. ad Euſtoch. de cuſtodia virg.

tes mutatæ religionis animos ad Christiana mysteria paullatim assuefacerent. Neque fieri potest, quin per eam occasionem ædes ædiculæq; sacræ multæ passim dedicatæ fuerint, sed memoria duarum præcipuè, Reginoburgi & Oetingæ manet, Mariæ virginis appellatione utraque. Quod in eam partem accipio, præ cæteris insignes habitas, tum tutelari Mariæ nomine, tum quod Deorum prius fana, (hoc enim consentiens vetustatis fama habet) Christiano ritu expiata & consecrata, veluti trophæa ex superstitione devicta viderentur. Secundum ea se Salisburgum iterum recipit, & supernè monitus mortalium laborum finem, æternitatis præmium prope esse, discipulis vocatis multumq; flentibus, qui se inter tot Christianæ fidei tirones, tanto præsidio destitui vehementer dolerent, futuræ mortis diem prædicit, erectoq; Christi fiducia animo, Salisburgensem sedem & universam Boicam Deo precibus commendat, simul ostendit, quem ex sacerdotum numero sibi successorem substitui cupiat, Vitalem videlicet, notæ sanctitatis, & apud omnes ordines gratiosum hominem. Ingravescente per quadraginta jejuniorum dies morbo, festa Christi resurgentis luce, quæ in VI. Kal. April. incidit, sese ut potuit colligens, obita re divina, sacrorumq; mysteriorum percepto viatico, multum de virtute hortatus discipulos, leniissimo sermone, paterno prorsus affectu, inter comploratium manus exspiravit. Auditæ canentium voces, angelorum creditę, & visi obversari inter justa funebria candidati hominum specie, quos, quod eo officio functi disparuere, angelos fuisse nemo dubitavit. Rupertus cœlo receptus, Boicæ Apostolus & tutela habitus. De anno immodicus est tradentium dissensus, ut nulli fere duo conveniant. Nos deprehenso festum paschæ diem, ab anno omninò quingentesimo quadragesimo quinto, ad annum septingentesimum sextum, bis, neque eo sæpius, ad VI. Kal. Apriles rediisse, sexcentesimo nimirum vigesimo tertio & vigesimo octavo, certum characterem sequuti, de alterutro sic pronüntiamus, ut æstimata rerum gestarum magnitudine in posteriorem simus proniores. ANN. POST CHR. NAT. DCXXVIII.

Catal. episcopor. Laureacēs. & Batav. Eust. vita à Jona scripta, etsi quidam Bedæ tribuunt, ap. Sur. t. 1.

Æquales illorum temporum, Philo Româ ortus, Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Erchenfridus ex Laureacensi clerico Batavensis Episcopus, cui Othocarus Honorii Pontificis jussu successit. Abbas etiam Eustasius, qui Luxovienſi nobili inprimis monasterio post Columbanum præfuit, Christi amore incensus in Boicam per hos annos excurrit, multisque idolorum cultoribus meliore religione imbutis, & relictis, qui bene cœpta porrò urgerent, se ad Luxovienſem sexcentorum monachorum procurationem retulit. Sequutus monachus Agrestius nomine, ut invito & dehortante magistro, ita lævo successu, homo tanto

tanto muneri per omnia impar, aliquamdiu apud Bojos ſine fructu verſatus, ad Aquilejenſes abiit,& ſe cum illis conjunxit, qui ab eccleſia Romana jamdudum apertè deſciverant, uti Jonas Euſtaſii diſcipulus prodidit. Cujus præterea luculentum extat teſtimonium,Bojoarios etiam tunc temporis, eosdem Bojos eſſe habitos, ne cui ſuſpicari in mentem veniat, majores ea de re unquam dubitaſſe. Jonam enim, vetuſtum ſupra nongentos ipſos annos ſcriptorem,ejus loci & ordinis,adde peregrinum hominem, aut indulſiſſe ambitioſæ gentis vanitati, ſi qua fuit, ſed agreſti propemodum ſæculo quæ nam eſſe potuit? aut dubia & incomperta teſtatò voluiſſe ad poſteros tranſmittere, nec dici probabiliter,nec credi poteſt.

Apud Langobardos ejecto Adalvaldo, Arioaldus Taurinorum dux, regiæ affinitatis prærogativa regnabat, Gundebergæ quippe Adalvaldi ſorori matrimonio junctus. Hæc Theodelindæ matris laudes, pietatem inprimis æmulata, quod mater Modiciæ fecerat, ipſa baſilicam Joanni Baptiſtæ Ticini, auro argento & omnis generis ſacra veſte magnifice inſtructam, ædificat. Neque de cætero virtutem immunem colens,graviſſimarum ærumnarum caſibus variè exercetur. Pudicitia & pulchritudine juxta inſignem,Adalulfus inter principes Langobardos, de ſtupro appellare auſus eſt, illa execrata flagitioſi hominis impudentiam,in loquentis os exſpuit. Tum Adalulfus ignominiâ,néque proderetur metu incenſus,odio amorem mutat, Reginam marito ultrò deferre occupat,venenum parare, quo incautum tollat, dotale regnum ad Taſonem Etruriæ Ducem, res novas molientem,transferat,cum quo ſecretæ coitiones factæ ſint. Leves plerumque Regum ſuſpiciones, cum timor acuit, imperium præceps.Creditâ calumnia,carceri Gundeberga mancipatur. Clotarium Francum movit calamitatis indignitas,legationem expoſtulatum mittit,quid ita viſum fœminam Reginam,Reges Francos propinquitate attingentem,indicta cauſſa contumelia afficere. Langobardus jure factum tueri, & verò ſe leniter intraq; facinoris magnitudinem vindicaſſe: cum legatus ſubintulit,facilem hujus cauſſæ proponi exitum, ſi, qui mos gentis vulgo erat, placeat ſecretorum incerta armorum judicio definienda permittere. Accepta à Rege conditio, neque Adalulfus reperire, quî abnueret,quamquam nulla ſpe, in cauſſa plena ſceleris. Certamen Ariperto Reginæ amitino, propinquitatis jure obveniebat, is vicarium, quod & ipſum fieri aſſolebat,producit,qui cum accuſatore congreſſus,perfidiam in populi conſpectu victor ultus eſt,Gundeberga priſtinum dignitatis gradum tenuit. Aimoinus regio Francico genere ortam ſcripſit,ego rationem non reperio, niſi ſi Garibaldus avus illam cognationem attigit, cujus rei nulla

Aimoin. & app.Greg. inivit autem Arioaldus,ut eſt ap. Herman. ann. 626. Paul. l.4.c.49. Gundebergam Rodoaldo, qui poſt Rotharim regnavit,nupſiſſe ait, ſimilitudine nominis Arioaldi falſus, ſuperiores enim veriora ſcripſiſſe, temporum ratio evincit.

Propriè amitinus, natus enim Aripertus Gundoaldo Theodelindę fratre. Aimoin.l.4.c.10. conſobrinum dixit.

de cætero indicia. Fredegario an Thoromacho, Francorum parentem appellanti, magis credam, parentũ enim nomine cognati & affines universè vulgò jam tum veniebant, ut cum Vuldotrada primis secundisq; nuptiis Francicis Regibus fuerit collocata, nepti parentis Francorum appellatio, hoc saltem sensu, congruerit. Arioaldo anno post Christum natum sexcentesimo trigesimo octavo extincto, Gundeberga Rothari Harôdo nupsit, matrimonio viâ ad regnum rursus munitâ. Sed ut malo docta, eum prius sacramento adigit, maximi inter homines beneficii memoriam, perpetuo amore & cultu conservandam, nunquam posituru. Improbum animum verborum religione tenere frustra conêris, brevi res vertit. Rotharis cæsis plerisq; Langobardorum primoribus, cum & uxoris pertæsum esset, custodia conditam ad privatæ vitæ modũ cógit. Vbi illa magno & Christiano animo, à tanta fortuna in eam humilitatem iterum devoluta, per annos propemodum quinq; sacris jejuniis & orationibus tempus fere terens, magna constãtiæ exempla edere perseveravit. Francus rursus auxilio fuit. Aubedo aliis de caussis missus, tactus miseratione Reginæ, quam superioribus aliquot legationibus florentem vidisset, Rotharim officii admonet, Francos injuriam, quæ & ipsos tangeret, non neglecturos, suum in Gundeberga beneficium asserturos ostendit. Rotharis aut famæ reverentia, aut metu flexus, uxorem publico reddit, & insigni comitatu ante omnium ora per divorum templa circumductam, maritali posthac affectu, regali honore habuit.

ANN. POST CHR. NAT. DCXXXIIX

In Boica Theodiberto HVGIBERTVS filius successit, omnibus annalibus præteritus, sive ob imperii brevitatem, sive quia nulla res gesta insignem reddidit, sive quæ alię caussæ. Nos uno, sed certo & locuplete teste Arnone nitimur, qui quæ Salisburgensibus patris & avi exemplo contulerit, distinctè perscripsit. Thassilonem & Grimoaldum quidam ad hoc ipsum ævum referunt, obscura nihilominus, & aliquando incertiore memoriâ. Vt frater Theodiberti Thassilo, Theodonem Theodibertumq; Bojorum post principes, & Grimoaldũ procreaverit, Grimoaldi filia PLECTRVDIS fuerit, quæ Pipino Heristallo nupta, Drogonem & alterum Grimoaldum peperit, nobilissima & sapientissima fœmina ab Aimoino appellata, sancta glorioſa & illustris à Marcellino. Imago cum inscriptione Batavis in sumã Stephani martyris æde, quam Brunonis Batavensium Episcopi ætate Plectrudis condidisse fertur, superioribus annis visebatur, neq; certo neque nullo Boicæ originis indicio, nunc vetustate temporis exolevit. Sed utcumq; ea se conjectura habet, pater sanè Hugibertus aliquis, non Grimoaldus fuit, id enim ex Pipini diplomate constat. Quod Marcellinus, qui illũ per ætatem videre potuit, Lotharingiæ sive Austra-

HVGIBERTVS.

PLECTRVDIS.

Etiã multò ante parentes sic usurpati, Vopiscus Probo, *Adolescentem nobilem parentem Valeriani.* Paul. Arioaldum 12. an. regnasse ait, eo est consequens an. 638. obiisse. Herman. 7. tantum an. falso tribuit. De Rotharis matrimonio appendã. c. 69. 70. Aubedonẽ Clotarii legatũ append. nominat, quod ratio temporum verum esse non patitur, Clotarius enim ante Rotharim Regem obiit. Arno in annot de Theodiberto loquutus subjungit, *Successor namque filius ejus Hugibertus Dux, tradidit in pago Rotaga &c.* Arnold. Vion. l. 4. c. 6. Thassilonem sanctũ appellat, & cum Tutilone monacho S. Galli, qui circa an. 880. vixit, confundit. Catal. episcop. Regiob. in S. Emmerãmo, Steidel an. 6. 1. Schritov. & Hund. in catal. Batav. Plectrudem filiam fuisse dicunt Grimoaldi, Bavariæ & Campaniæ sive Ducis

sive Regis, cujus rei cuperem testes vetustiores. Imaginis meminere Schritov. & Hund. inscriptio hæc tuit, *Plectrudis regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Diplom. memint Brusch. in monast. S. Willibrordi. Marcellinus presbyter in via S. Suiberti ap. Sur. t. 2.

Austrasiorum Duciſſam nominat, Bojam fuiſſe nihil impedit, ut alterius tituli dignitas à marito fluxerit.

Apud Francos Austrasianæ Regiæ Dagobertus patris voluntate præerat: in qua clarus RODOALDVS Bojus, principum Agilolfingorum sanguis, summis honoribus, annitente Arnulpho episcopo & Pipino Landisio, auctus, perpetuum aularum vitium æmulorum invidiam effugere non potuit. Superbè avarè & impotenter agere delatum, Regis indignationi objiciunt. Tum ille vitæ metuens, ad Clotarium profugit, ibi patre deprecatore filiũ placasse visus responsum tulit, bene de cętero sperare posse, si quæ peccasse diceretur, corrigeret. Fidem habuisse exitio fuit statim à reditu, Treveris pro ipsis regii cubiculi foribus obtruncatur. Aimoinus majoribus clarum, auctor Gregorianæ appendicis, nobili Agilolfingorum gente natum scripsere, ut Æmilio, diligenti alioqui & cauto, ex tenui loco fortunaque crevisse, fides utique nulla sit. Verum hoc facinus unius capite; illud plurium stetit. Dagobertus à patris morte novem annis regnaverat, cum Avares & Bulgaros forte tumultu, quod per interregnum utrique Regem ex suo corpore ambirent sublegi, Bulgari victi patria regione pulsi, virorum admodum novem millia extremæ necessitatis vi adacti, cum uxoribus & liberis sedes à Francis ipsis hostibus petunt. Rex se deliberaturum ostendit, interim in proxima Boica hyemarent. Ibi sparsim per vicos hospitio exceptos, una omnes nocte incautos jubet opprimi, neque ex tanto supplicum numero præter Alticeum quisquam superfuit, qui coacta septingentorum circiter manu, ad Valduccum Slavum Venedorum Ducem fugiens, insidiantis perfidiam evasit.

Septimo exin Dagobertus è vita abiit, Rex famâ, quamquam inter manifesta flagitia, ambiguâ, & ut beneficia crederentur plura. Omnium ejus operum maximum ad posteritatis commendationem fuit, veteres subditarum gentium leges, à Theoderico Clodovei filio conditas, à Childeberto, & Clotario variè pro temporum ratione interpolatas, emendasse, quas illustrium virorum Chladii, Chadoindi, Magni, Agilolfi usus opera; in melius novatas, scriptoq; comprehensas edidit, singulis nimirum populis singulas & proprias. Boicæ diu tenuere, quarum AGILOLFVS potissimùm auctorem, eumq; ad Agilolfingos pertinuisse suspicamur; quomodo Lotharienſium olim & Lotharingorum una natio, & eadem Carolingorum atque Carolorum stirps, etiamsi diverso appellationis exitu, sic unus idē Agilolfus Agilolfingusque videtur. Multa porrò in his legib⁹ de publico privatoq; jure, ad omnem æquitatis rationem egregia extant, sed ut alicubi priscæ quodammodo ruditatis situs, antiquissimo ævo, manifestis vestigiis hæserit. Quod Tacitus de Germanis absolutè scripsit, & minora delicta & homicidia pecuaria mulcta lui, hîc pecuniâ

RODOALDVS

ANN. POST CHR. NAT. DCXLI.

ANN. POST CHR. NAT. DCXLVIII.

AGILOLFVS.

Aimoin. l. 4. c. 11. App. Greg. c. 52. Append. Greg. c. 71. Aimoin. l. 4. c. 24. Vulgati Reginonis codices perperam habent, *Rex ad Heimandum & Bajoariam recipere præcepit.* Corrig. ex mſ. *ad hyemandum ad Bat.* ne quis novum hinc Bojorum principem concinnet, ut est interdum ingeniosa insciti a. Varii codices Boicarum legum, variè habent hæc nomina. Chadoindus Brunechildis legatus ad Regem Clotarium nominatur append. Greg. c. 40. & referendarius Dagoberti c. 78. Bojis leges à Dagoberto datas, Otto etiam Frisingensis scribit. l. 3. c. 9. Tac. de mor. Germ.

cuniâ mutatum, nulla præterquam Ducis capitali cæde. Si quis ducem ſuum occiderit, anima ej⁹ pro anima illius, mortem quam intulit recipiat, & res ejus infiſcentur in publico, in ſempiternum. Cæteroqui aliæ aliàs æſtimationes, & leviores quidem reliquorum, cæſo Epiſcopo, tunica ex plumbo ad modum corporis concinnata, auro expenſa. Bojus non bonis non vita excidere, niſi conjurationis proditionísve, adverſus aut Ducem aut patriam convictus, quicquid præterea peccaſſet, pecunia anquirebantur omnia, qui judicatum non feciſſet, ſervitutem temporariam ita adibat, ut opera fungeretur quadam tenus mercenaria, cuj⁹ æſtimatio mulctam paullatim induceret. Duces ipſi ex nobilitate, quod apud Tacitum de Regibus eſt, neq; iis item infinita aut libera poteſtas. Lecti ex una Agilolfingorum familia, quod ſuperiori etiam libro monuim⁹, ſive Francicorum Regum auctoritate, ſive populi comitiis, nam utriuſq; inſtituti ratio habita in legibus, & quod mirere, regni ducatusq; nomen manſit promiſcuum. Lege cautum, ne regnum à patre transferatur in filium, Dum adhuc pater ejus poteſt judicio contendere, in exercitu ambulare, populum judicare, equum viriliter aſcendere, arma ſua vivaciter bajulare, non eſt ſurdus, nec cæcus, in omnibus juſſionem Regis poteſt implere. Vt verò Regum vicem Duces ſubiere, ita deinde ordine Ducum loco Comites, Centenos Centurionum nomen excepit. Liberti utrobique non multum ſupra ſervos. Et ſtatis diebus coitiones, placita appellabant. Controverſiæ, quæ aliter definiri vix poſſent, armis dijudicatæ, quod ſacroſanctum habitum, Deiq; judicium dictum reperio. Neque non plura utrimq; contendat licet, cui id negotium. Adjecta ex Chriſtiana religione præclara pietatis erga Deum teſtimonia. Omnibus inprimis eccleſiis aſyli jus tributum, cum elogio: Nulla ſit culpa tam gravis, ut vita non concedatur propter timorem Dei, & reverentiam ſanctorum, quia Dominus dixit, Qui dimiſerit, dimittetur ei; qui non dimiſerit, nec dimittetur ei. Et pleraq; ad eum ſenſum, de locis rebusq; ſacris, de diaconis, presbyteris atque epiſcopis, de virginibus Deo dicatis, de matrimoniis, de diebus feſtis, de mortuorum ſepultura, reverentiſſimè cauta ſunt. Jam quod crebræ per provinciam profectiones religionis nomine inſtituerentur, ut calebant pietatis ſtudia, peregrinantium quoq; ſecuritati proſpectum: Nemo auſus ſit inquietare vel nocere peregrinum, quia alii propter Deum, alii propter neceſſitatem, diſcurrunt, tamen una pax omnibus neceſſaria eſt. Verum Dagoberti leges ſunt in manibus, neque eas huc transferre neceſſe.

Supra p. 78.

Ducatus paſſim occurrit, regni nomen edit. Pariſ. c. 2. tit 10. Baſil. poſt. tit. 11.

Samo per hæc tempora Carantanis imperat. Senonum civitate ortus, mercaturam apud Slavos faciens, cum Hunni gentem ſuperbo dominatu premerent, homo hoſpes animum ſupra fortunam gerens, fœdiſſimi jugi excutiendi indigenis auctor fit.

Aimoin. l. 4. c. 9. & 24 append. Greg. & vita S. Virgilii, antiq. lect. to. 2.

Et re

Et re ipsius potissimum qua consilio qua virtute bene gesta, pulsis tyrannis, tanti beneficii præmium regnum tulit, quod per annos triginta sex, magna fortitudinis laude tenuit, numerosa ex multiplici conjugio relicta sobole.

Tum præclarum & excellens sanctitatis lumen se se Hunnorum etiam occasione, Bojis ex longinquo intulit. Fama percrebuerat, de Hunnica qua feritate in homines, qua impietate adversus Deum. Ea excîtus Emmerammus Episcopus, sanctiori charitate incensus, sibi ex ultima Aquitania Pictonum urbe, quæ Augustoritum antiquis fuit, longam in Pannoniam profectionem indixit, si imanes animos ad mitiorem cultum & salutarem Christi religionem posset revocare. Plurîbus assumptis comitibus, passim per Germaniam, ut ferebat itineris ratio, de pietate verba faciebat, Vitalis interpretis usus opera, linguæ ipse imperitus. Vbi Reginoburgum ventum, ad THEODONEM rerum jam potientem; nam quo anno inierit, nihilo magis quam quo patre natus sit comperio, consilium aperit, constituisse Hunnos Christo lucrifacere, vel certè vitam in egregio conatu ponere. Bellum his cum Bojis tunc maximè erat, & latè ad Anassum vastati agri, excisæ urbes, intuta itinera. Quod causatus Theodo, hominis alias moribus & sanctimonia captus, clementer reluctantem retinet, sive Episcopi sive Abbatis dignitate fungi mallet, Bojis eam potissimum operam impenderet, se hospiti nulla in re defuturum. Emmerammum præ Ducis verbis res ipsa movit, recentes in Christiana fide Boji, à simulachrorum cultu vix temperabant, majores præsertim natu, ut est magna vis inveteratæ consuetudinis, lucem tenebris miscebant, liberis Christi dęmonumq; calicem promiscuè hauriendum propinantes: quod ergò hîc se propositi finem, mutato tantum gentis nomine, assequi posse crederet, manere inducit animū, & impietatis reliquas fibras altè actas, radicitus evellere. Jamq; illi uni rei intentus, triennium magno cum fructu in provincia egerat, cum divino spiritu afflatus, iter Romam religionis nomine adornat. VTA Theodonis filia, ex Sigibaldo primariæ nobilitatis juvene, ventrem ferebat, neq; res diutius celari poterat, cum Emmerammum, de discessu cogitantem, supplices adeunt, & ad pedes abjecti, opem miserandum in modum implorant, extrema promeritis nullam præterea effugii spem esse, nisi quam à Deo ipso interprete exspectarēt. Episcopi animum adolescentum miseratio subiit, graviter increpitis criminis in se transferendi potestatem facit, & verò accepto commeatu, viam ingreditur. Constitit omnia quæ exin sequuta sunt, divinitus ab illo præcepta fuisse, atque adeò præsignificata priusquam fierent. Vocato quippe Volfleto presbytero, & imperata se vivo silentii fide, subjungit, Si ob alienum aliquando sce-

THEODO QVARTVS.

VTA.

Emmerammi sive Heimerammi vita extat ap. Sur. t. 5. scripta à Cyrino, sive Herede, sive Aribone, fuit enim trinomius, Frising. Episcop. etsi Sur. Reginob. falso nominat. Copiosè item de S. Emmeram. Meginfredus & Arnolfus ant. lect. t. 2.

do ſcelus per duriſſimos cruciatus necatum audiret, ne inſimulatæ culpæ affinem crederet, quin inſontem ea paſſum jam nunc ſciret, & teſtari pergeret, apud ſacri præſertim ordinis viros; ne quis mentito doctoris exemplo conſternat⁹, rectum virtutis tramitem deſerat. Trium dierum iter progreſſus, nulla manifeſta de cauſſa exſpectabundus ſubſtitit, mirantibus comitibus. Vta interim ſtuprum faſſa, abſenti imputaverat. Pater ira tantum excanduit, ut vix ab amicis contineretur, quo minus eam ſtricto ferro in veſtigio occideret. Vt mentis potens fuit, bonis exutam in Italiam exulatum mittit. LANTBERTVS frater, juventa fervidus & ſoroRis contumelia accenſus, Emẽramũm citato curſu inſequitur, & ut Helfendorfi ſubſtiterat, loco nomen inter Iſaram & Oenum manet, brevi aſſequutus, ſtatis tertiæ horæ precibus, ante ſacras reliquias lucernis ardentibus, una cum clericis vacantem reperit. Mox productum acerbè irridens, Salve inquit Epiſcope, ſalve affinis. Hæc nobis pro tot beneficiis debebatur gratia? ſic principalem domum, & hoſpitii jus revereri didiciſti? Excuſandæ innocentiæ præ Lantberti furore locus nullus fuit. Scipione, quem manu forte geſtabat, in aſtantis pectus ferociter impacto, ſatellitibus excarnificandum tradit. Per omnia membra ſævitum, oculi eruti, lingua, aures, nares, manus pedesq́; , & quæ honeſtè nominari non poſſunt, amputata, nullo interim lethali vulnere, quo mortem inter ſummos dolores in longum traherent. Neque eo minus Emmerammus non vocem modo, ſed & vultum & gemitus in poteſtate ſemper habuit, Deum laudibus & precib⁹ continenter venerans, multis viciſſim ſignis divinitus editis, numinis in eum propenſione comprobatâ. Et apparuere improviſò viâ publica equites ignoti duo, eximia ſpecie, qui de præciſis artubus multum ſciſcitati, repertos aſportavere, neque poſtea conſpecti ſunt. Viſum ſacro horrore aſtantes perfudit, nam & comites ſub initium metu dilapſi redierant. Lacerum ergo ſemianimumque corpus reveriti, Aſchaimum devehere properant, ſupremum ſpiritum in æde Petri Apoſtoli, honoris cauſſa exhalaturum. Novem paſſuum millibus progreſſis cum tria reſtarent, Emẽrammus primùm ejulaſſe auditus, de curru depoſit⁹ exſpiravit, immenſæ ſimul lucis ſplendore perfuſus, quæ morientis ore progreſſa, & recta in cœlum lata, ſpectantium oculos in fulminis morem perſtrinxit. In ſupplicii & mortis veſtigio eccleſiæ poſitæ: cadaver metu & veneratione attoniti, Aſchaimi pro tempore condidere, poſtea Reginobûrgum, monitu eorum, qui ſibi per quietem imperatum dicerent, annuente principe, maxima celebritate, ad divi Georgii translatum eſt; hanc enim ille eccleſiam dum viveret frequentare ſolitus. Multa rurſus toto itinere miracula, Lantbertus ſive patris imperio, ſive ſceleris conſcientia,

LANTBERTVS.

Meginfred. de S. Emmer. c. 14.

entia & furiis actus, sive facti invidiam non ferens, ad Avares profugus interiit, & cæteroqui manus Episcopo intulisse, nulli impune fuit. Lantberti stirpem numinis vindicta per annos amplius trecentos manifestè exercuit, neq; quisquam ex eâ, nisi demissè suppliciterq; deprecatus, per tot ætates imunis. Quod ego antiquissimo & gravissimo Arnolfi Comitis Chamensis & Vochburgii testimonio nixus, ponere non sum veritus, cum is neptem in hanc ipsam familiam elocatam habuerit, & verò pœnarum exempla minutatim persequatur. Emmerammum morte functum x. Kal. Octobr. ex martyrum fastis constat, annus post Christum natum sexcentesimus quinquagesimus secundus epitaphio proditus. Leve & ridiculum est quod deinde dicturi sumus, sed & ipsum ad claritatem eximium. Judæos qui Reginoburgum olim frequentes incoluere, unum, ex omni divorum numero, conatos esse à Christianis abstractum, ad se impudenter transferre, quod nescio an ulli præterea mortalium in isto animorum & religionis dissensu contigerit: nam nominis indicio de gente constare posse contendebant, id ab Amramo fluere, Hebræa origine, cum & Moysi pater ea appellatione fuerit. Vtq; nullus genti mentiendi modus, fabellam addidere, quod occisi corpus adverso Danubio incredibili facilitate præter fluminis naturam ad urbem subvectũ diceretur, Moyseæ legis volumen, quo Emeramus usus dum viveret, tum una latum, caussam fuisse miraculo, à Christianis corporis reliquias ad cultum interversas esse, codicem ab iis neglectum, ad synagogam rediisse.

ANN. POST CHR. NAT. DCXLII.

Ex catal. episc. Reginob. nam vitæ scriptor Avares non expressit. Arnolf. l. 1. c. 11. & 12. de S. Emmer. item Meginfred. c. 15. Baron. in martyrol. ad an. 702. retulit. Verum meritus consultusq; per epistolam, epitaphio, quod an. 572. præfert, potiorem fidẽ habendam esse rescripsit. Laur. Hochuarte in catal. episcop. Reginob. l. 1. c. 6 qui se fabulæ à Judæis narratæ profitetur testem auritum. Paul. l. 4. c. 49. Herman. 647. obiisse scribit, Sigebertus 646. Rodoaldum ad an. 651. pervenisse, quem Paulus etiam quinq; annis regnasse auctor est. lib. 4. c. 50. Ex Garibaldi Bojorum Regis masculâ stirpe, septem apud Langobardos Reges fuere, *Aripertus, Godebertus, Partharitus, Gundeberti Lintbertus, Reginbertus, Aripertus:* duo ex fœminina, *Adaloaldus, Garibaldus*:

In Italia mortuo Rothare, Rodoaldus filius Langobardis imperavit. Rodoaldo interfecto, Aripertus sufficitur. ARIPERTVS Gundoaldo Astensium Duce, Garibaldi Bojorum Regis filio prognatus, Regnum viris opibusq; inclytum, quod superioribus annis cognatæ mulieres feliciter affectasse visæ, primus Bojorum meliori sexui vindicavit, firmum adeò & stabile, tamq; propensis subditorum studiis, tam nulla peregrinitatis invidia, quamquam variis de cætero in omnem partem exemplis, ut & ad posteros transmiserit, & ii caluum varietate semel iterumq; ereptum, facile receperint, neq; omninò alia extet familia, cujus plura in Langobardica regia stemmata numerentur. Religionis studium proprium Garibaldi stirpis bonum, ad majorum disciplinam coluit, æde Salvatoris nomine Ticini condita, quam ornamentis & reditibus honestavit. Nono regni anno, post Christum natum sexcentesimo sexagesimo è vita discedens, filios adolescentes PARTHARITVM & GVNDEBERTVM heredes reliquit. Qui statim initio proditis male consentientium animorũ indiciis, diversas Mediolani & Ticini regias instituere. Et obsecundans dominorũ affectibus aulicorum utrimque factio, dubias offensiones turbidis

ARIPERTVS.

ANN. POST CHR. NAT. DCIX.

PARTHARITVS. GVNDEBERTVS.

quatuor affinitate conjuncti, *Autharis, Agilulfus, Rodoaldus, Grimoaldus.* Paul. 4. c. 33. & sequent.

Digitized by Google

consiliis brevi ad apertas inimicitias deduxere, ut jam res arma & aciem spectaret ; cum Gundebertus Taurinorum Ducem ad Grimoaldum Beneventanum , magna tum fortitudinis apud Langobardos existimatione principem, auxilia adversùs fratrem petitum legat , sororis in id pacto matrimonio. Taurinus fraterno sceleri privatam multiplicem perfidiam adjicit; munerum, quæ deferre jussus, parte interversâ, Grimoaldo propriam potissimum caussam agere auctor fit , stultum esse pro aliis pugnare ait, cum pro te possis , occasionem simul ostendit , quando germanorum juvenili vecordia res Langobardica palam pessum iret, ipse provecta ætate, consilio inter primos & auctoritate pollens, regnum ne dubitaret invadere. Rarò est, qui se invitus eò vocari audiat. Grimoaldus spem oblatam cupido animo sequutus, valida coacta manu, & conciliatis toto itinere popularium voluntatibus, opis ferendæ specie Ticinum properat. Ibi ut cum Rege congressurus erat, novas fraudes Taurinus excogitat, utrumq; seorsùm conventum monet, malum caveat, insidias ab altero parari, Regi etiam loricam dissimulanter sub veste ferre persuadet, idq; clam apud adversarium in invidiam quantum potest rapit, sive ut nutantem & facinus ex propinquo horrentem , periculi metu præcipitem impelleret, sive ut ea esset necessitatis adversus insidiatorem in vulgus excusatio. Primo complexu Grimoaldus Regem, quod futurum prædictum erat, armatum sentiens, ferrum stringit, & doli, ut credi volebat, compertum, in vestigio obtruncat. Reginbertum filiolum suorum fide servatum, tenerioris ætatis contemptus periculo subtraxit. Partharitus occisi fratris nuntio consternatus , altero à patris morte anno, summa celeritate ad Cacanum Avarum Regem profugit, RODELINDA UXORE & Cuniberto filio Mediolani relictis, ut in re subita. Caput malorum Taurinus non longùm lætatus , ab infimæ sortis homine ex Gundeberti familia, cervice luculenta plaga præcisa, sanctissimo tempore & loco, Paschæ festo die, ad baptisterium in templo, inter stipatores jacuit. Grimoaldus utraque regia uno eodem ictu potitus , Rodelindam & Cunibertum Beneventum exulatum mittit, ipse regio nomine assumpto, superiorum regum SOROREM dudum pactam , uxorem accipit. De Partharito anxius, ad Cacanum mittit, profugum apud se esse ne pateretur, aut bellum exspectaret. Supplicis respectus barbaro nullus fuit, iret quâ vellet , gentem invidia liberaret denuntiat. Prædicabatur singularis in Grimoaldo lenitas & mansuetudo , eam Partharitus adversissimo suo tempore, extrema spe, experiri statuit. Retrò ergo in Italiam reversus , intimum amicorum Vnulfum Ticinum mittit, qui incolumitatis fidem paciscereturr. Ipse subsequutus, ut in regis conspectu fuit, cum se ad pedes abjiceret, non permissus,

ANN. POST CHR. N. DCLXII. RODELINDA

SOROR PARTHARITI & GVNDEBERTI.

Partharitũ an. 1. m. 3. regnasse ait Paul. & Herman. itaque consequens fit perveniſſe ad an. 662. Sigebertus annum tãtum habet. Currebat autem an. 662. indict. 05. eo Grimoaldus in præfat. edicti 11. indictionem sextum regni an. appellat.

ſus, oſculo benignè & humaniter exceptus eſt. Tum Grimoalde inquit, ſervus advenio, qui cum alicubi inter paganos latêre potuerim, redire, & tuæ me fidei teſtatæq; clementiæ, qui Chriſtianus & pius eſſes, credere malui. Rex bene ſperare juſſo, jusjurandum conceptis verbis dedit, & tutò, & cum dignitate, apud ſe futurum, nunc corpus curaret, hoſpitium & victum de publico prolixè accepturus. Domum digreſſum, univerſa civitas viſendi ſalutandiq; ſtudio proſequitur. Nec Regem res clam eſſe poterat, & incendebant animum domeſtici aſſentatores: Num eum aut ſupplicis aut hoſpitis, aut cujusvis tandem comitatum videri, niſi regnum certè propalam repetentis? Partharitum jam ſine regno nec vivere, neque incolumi Grimoaldo regnare poſſe, aut faciendum ſcelus, aut exſpectandum, & quidem ſtatim, trahendis conſiliis in præcipiti periculo locum non eſſe. Credibilia viſi afferre, & monere ſalutaria, neque diutius dubitatum, recentem ſacramenti fidem poſt regni curam habendam. Quod ſerum diei eſſet, cædes rejecta in craſtinum, interim miſſa lautia, generoſa inprimis vina, quibus ſe incautus hoſpes ingurgitaret, ſomno meroque ſolutus opprimendus. Aſtabat inter menſæ miniſteria paternus amicus & mirum quam multa fidei documenta in una domo, qui ſe ſalutaturi ſpecie ad aures demittens, inſidias conſcius detegit. Nihil eo mutatus Partharitus, præſenti ad omnia animo, vultum in lætitiam fingens, puero à cyathis clam mandat, ne ſibi præter puram aquam ea cena miſceat, & facile fuit convivas, in Regis etiam gratiam largius invitantes, neque hujus quidquam ſuſpicantes, fallere argentea quippe phiala fucum tegente. Rex ſucceſſu ut exiſtimabat lętus, auditus inter ſuos iacere, perpotaret heluo, cras ſanguinem mero mixtum refuſurus. At verò res aliò cecidit, Vnulfi ſagacitas opportunum fugæ conſilium in articulo expedivit. Is ſibi lectū in Parthariti cubiculo clanculum ſterni juſſerat, inde omnibus à cena digreſſis, cum regii domum, ne certam prædam è manibus amitterent, jam armis cinxiſſent, ſolis Partharito & ſervo à veſte, in cujus fide plurimum ponebat, intrò vocatis, cogitata aperit, ſervum manere, conclave occludere jubet, ipſe Partharitum urſina pelle in ſui diſſimulationem involutum, culcita & toralibus onerat, atque cum convicio extra januam ejicit, fuſte identidem ſuccidentem mulctans ante ſe agit, mirantibusq; ſatellitibus quid hoc rei, Non ego furciferum ulciſcar ait, qui mihi lectum ad temulenti Parthariti iſtius latus, crapulam toto pectore proflantis, ſtraverit? ſatis ſuperque hominis dementiam ſequutus, me mihi & meis vindicabo poſthac, neq; domo ultra abduci patiar, juramento per regis ſalutem addito. Fides habita, via ipſi & Partharito caput in ſervilē ſpeciem ſarcina prægigato, data eſt. Atque Partharitus quidem, demiſſo

ex mœnibus fune, aſcitisq; quos ſors dederat comitibus,& conſcenſis equis ex paſtu raptis,maturè elabitur. Aſta illum ea nocte,referta veteribus amicis civitas,tum Taurinum excepit. Sed nulli in Italia loco ſatis confiſus,Alpibus trajectis ad Francos abiit. Servus ſe thalamo in multam lucem tenet, foresq; pulſantibus,& Partharitum Regis nomine inclamantibus, ut edoctus erat reſpondet, feſſum ex itinere alto adhuc ſomno preſſum jacere,quietem ne inviderent.Extractum per eam altercationem aliquantum temporis,donec non ferente moram Grimoaldo,fores effractæ fallaciam aperuere; tum demum de heri fuga confeſſus eſt. Præcipitem igitur ad regiam raptum,ſumo certatim omnes cruciatu perire dignum conclamant. Rex contra,ut narrantem audivit, ſe pro domini capite nihil veritum ſuam ſalutem vilem habere, collaudatum inter familiares ſcribit, multa pollicitus,ſi pari ſe fide proſequeretur. Vnulfo, qui ad Archangeli Michaëlis baſilicam fugiens,perniciem vitare ſatis habebat, præter incolumitatem, bona quorum extaret ratio,cum egregio etiam virtutis atq; prudentiæ teſtimonio reſtituit. Adeò luculenta facinora hoſtium plerumq; ipſos animos præſtringunt. Quin familiari poſtea ſermone diverſos compellatos, ecquid eſſet,cur exules in Partharitì comitatu palantes circumagi, quam regiam Ticini mallent colere,cum præſentem humanitatem nihil adulati,uterque reſpondiſſet,ſe verò,ſi ea ſibi detur optio, mortem in dominí conſpectu ſuaviorem habituros, quam vitam alibi omni voluptatum genere circumfluentem,libero ſermone nequaquam offenſus, fidei atque conſtantiæ admiratione ultrò captus,ad Partharitum ire, ſecumque,quæ velletfer,re permiſit.

Paul.l.5. c.33. Herman.& Sigeb. an. 670. notât, quod & reliquæ hiſtoriæ congruit. Paul.l.4. c.47. Regem Francum. Paul.l.5. c.32. Dagobertum nominat, ſed Childericum fuiſſe, neceſſe eſt.

ANN. POST CHR. NAT. DCLXX.

Novem poteſtatis annis exactis, Grimoaldus moriens regnum ad puerum ex Ariperti filia ſuſceptum, proavitum, Garibaldi nomen referentem tranſmiſit, præterito maternæ claritatis diſcrimine Romualdo, ante regnum aditum ex Itta nobili puella captiva genito. Paullò ante exceſſum Francicum fœdus novaverat,quæ res Partharito ſuſpicionem injecit, ne amicitiæ authoramentum ipſe fieret.Itaque ultra etiam Galliam,ad Saxones rerum in Britannia potientes, fugiturus, vix vela in altum dederat,cum vox à littore audita,veheretúrne ea navi Partharitus? & ajentibus nautis,reſponſum,curſum ergo inhiberet, extincto ante triduum Grimoaldo,quem fugeret. In portum revectus,auctorem nuntii non reperit, eo certius creditum,miſſum fuiſſe divinitus,& viſum ſpem blandientem ſequi, quam eventus brevi implevit. In Italiam enim regrediens, ad fauces Alpium primos Langobardorum,cum regiæ domus familia & magna de cætero multitudine ipſum præſtolantes reperit: quibus comitantibus Ticinum ingreſſus,puero facile exturbato, regnũ inter omnium

gratu-

gratulationes, tertio menſe à Grimoaldi obitu recepit. Vir ut corporis dignitate conſpicuus, ita pietate & fide magnus, æqui & boni ante omnes retinens, quo nemo egentium magis miſertus tenuitatem largius ſublevavit, ut in ſummis ejus laudibus unum fraternum diſſidium, multorum annorum ærumnis expiatum, meritò excipias. Rodelindam conjugem cum filio mox ab exilio revocat, neque quidquam prius habens, quam Deo liberatori & vindici, maximas quas poſſet gratias referre, egregium ſacrarum virginum monaſterium ſanctæ Agathæ nomine eo loco condit, ubi Vnulfi olim conſilio evaſerat, uxor baſilicam Mariæ virgini ſacram extra urbis mœnia. Paul.l.5.c. 37. & c.33

Paul.l.5. c.34.

ANN. POST CHR. NAT. DCLXXVII. CVNIBERTVS.

Octavo poſthæc anno, ſuperiorum motuum reliquiis dum tranquillatis, feſta pace florentẽ poſteritatis cura ſubiit, regnum cum CVNIBERTO filio communicat: & longum res quieturæ videbantur, niſi turbarum iterum ab Alachi Tridentino Duce extitiſſet initium. Bauzano & proximis circum caſtellis Boicus Comes præerat, quocum Tridentinis, ut inter vicinos fit, forte aliquid controverſiæ, & cum res conditionibus diſceptari nequiret, ubi ad manus ventum, Langobardus prœlio vicit. Cognatam gentẽ bello laceſſitam, Reges ægrè laturos ſuſpicari poterat, tum autẽ recenti victoria, quæ & moderatos de cætero animos plerumq; in inſolentiam corrumpit, ad ſuperbiam elatus, ab eorum imperio apertè deſciſcit; inde vindictæ metuens, Tridentum omni ope communit. Partharitus, quo ſubitum incendium inter initia opprimeret, celeriter accurrens, urbem obſidione cingit. Neque Alachis viciſſim ſibi deeſſe, ut regios omnium ſecuros negligentius agere exploratum habet, portis repente effuſus, caſtrorum munitione primo impetu proruta, eum tumultum terroremq; undiq́ue injicit, ut præterquam fugæ, obſeſſoribus ſpem nullam relinqueret. Rex ſalutem eâdem via expedire coactus. Vetus Cuniberto cum Alachi amicitiæ uſus intercedebat, cujus fructum eo potiſſimùm tempore à ſe deſiderari ſentiens, hominem poſt tam atrocem inuſtam regio nomini contumeliam, cum patre in gratiam tamen reducit. Poſtquam pace cõciliata in poteſtate fuit, Partharitum compluries cepit impetus, perfidiam morte vindicandi, cogitata ad rem ſtatim collaturus, niſi filius identidem deprecator interceſſiſſet. Qui ferum animũ beneficiis mitigari poſſe nequicquam confidens, Brixiæ præterea, civitatis inter Langobardos opulentæ, Ducatum illi contribuendum à patre, invito atque reclamante, & multum monente, impetrat. Proſpiciebat quod res erat Partharitus, neq; id quidem clam habens, expertæ calliditatis hoſtem, à filio in ſui ipſius capitis perniciem opibus augeri, quarum fiducia regnum proxima quaque occaſione eſſet tentaturus, neque eo minus precum

Paul.l.5.c. 35. & 36. Herman. Roſerius in hiſt. ſtemmatum Lotaring. diplomata Martini Ducis an. 673. & 679 ſcripta profert, quibꝰ Bertha Bavariæ Duciſſa ejus uxor nominetur. Sed dubiæ fidei ſcriptori credere multa prohibent, qui præſertim hiſt. capit. 50. res Boicas ineptiſſimè tractaverit. Et Bavariæ ſanè nomẽ nondum illo ſæculo auditum: ne quis à Martino in diplomata relatum, ſibi perſuaderi patiatur.

Paul.l.3. c.37. Herman. & Sigeb. in an. 637. consentiunt.

assiduitate fatigatus,cessit. Patris morte post decem annos insequuta,Cunibertus imperium continuat. HERMELINDA ex Anglorum Saxonum gente uxor erat, quæ Theodotis puellæ Romanæ inprimis nobilis formam, inter lavandum nudato corpore observatam, marito incautius prædicans, dissimulantis animum mala libidine incendit,ille moræ impatiens,captata protin⁹ occasione,virgini stuprum per insidias infert. Visum divinum numen,quas à patre domestici odii pœnas expedierat, à filio ob externum amorem repetere. Alachis adolescentem mutuæ benevolentiæ confidentia exarmatum nactus, scelus quod mente dudum conceperat, maturum ratus in apertum profert,duplicē in dominum inq; servatorem molitus perfidiam. Primos se Aldo,& Grauso fratres,Brixia orti,præbuere duces,affluentibus deinde multis undiq; rerum novarum studio. Et aberat cōmodùm Cunibertus,instantis periculi juxta ignarus & securus,cum Ticinum urbem & regiam improvisò adorti,vacuas occupant.Cunibertum quo res inexspectatior, & auctor is, qui unus omnium minimè debebat,eo gravius perculit:regno in præsentia desperato,vitæ consulturus,in insulam lacus Larii, natura & arte cōmunitam,refugit. Tyrannus dominatum flagitiosè partum, superbè & crudeliter habens,quoscunque Cuniberto amicos sciret afflixit,sacerdotes præsertim, adversus quos singulari & eximio odio ferebatur, neque Damianum Ticinensem ipsum episcopum reveritus,virum vitæ sanctimonia & litteris clarum,cujus diaconum Thomam sacræ benedictionis caussa ad se missum, ludibrio & contumeliis excepit.Magnam sibi eo facto concivit invidiam, ecclesiastici ordinis hominibus metu ingenti incusso, quid porrò sperandum exemplo videlicet admonitis. Accessit res dictu parva, momento non item; pecuniam forte annumeranti, nummus manibus elapsus in terram deciderat,eum Aldonis filius puerulus ludens sustulit, cum Alachis,quæ pusionē nec animadversurum nec curaturum crederet, in patrem jacit, abundare eum pecunia, qua se brevi potiturum esse confideret. Infans domum vespere regressus, à patre per blanditiam de Rege interrogatus, audita refert. Cohorruit Aldo,quo verba spectarent satis intelligens, fratri quanto in periculo versentur significat, & vocatis amicorum certissimis,quid facto opus consultant. Vt convenit, Alachim compositis dolis adeunt,quid ita domi totos dies otiosus desideat, certè quod de civitatis & populi fide dubitet, non esse, neque quod à Cuniberto timeat, nihil illo lurcone desertius & contemptius, quin egrederetur,venatui cum nobili juventute indulgeret, sibi custodiam civitatis curæ fore, & verò polliceri, se cis paucos dies Cuniberti caput ad eum delaturos. Vt credula res est spes inimicum vindicandi tam prope admota,

Paul.l.5. c.38.

Paul.l.5. c.39.

ANN. POST CHR. NAT. DCLXXXVII HERMELINDA.

per-

perſuaſus exiit: conjurati ad Cunibertum in inſula latentem properant,ibi genubus advoluti,anteactorum veniam,quæ tum fortuna,celeriter impetrant,quo tyrannus in eos ſit animo, quæque ipſi adverſus illum conſilia agitent,docent. Fides data & accepta, manantibus utrimque lachrymis, die dicta Cunibertus Ticinum veniens,regnum haud majori molimine quam amiſerat, incredibili omnis ætatis & ordinis gratulatione recepit. Nuntius ad Alachim confeſtim excurrens, per ludibrium narrat, præſtitiſſe Aldonem & Grauſonem quæ ſpoponderint,adeſſe Cuniberti caput, ſed & corpus. Ille animo primò conſternatus,ut ſe collegit, in convicia & minas effuſus, regiam armis repetere conſtituit, reliquarum undique civitatum ſtudia, qua vi qua blanditiis colligens. Cunibertus valido item comparato exercitu, obviam progreditur: caſtris utrimque metatis, in campis,quibus Coronatæ nomen, adverſarium ad ſingulare certamen provocat, bellum alterutrius morte dirimi poſſe monet,parcerent tot mortalium ſanguini, ibi regnum fore,ubi victoria fuiſſet. Aderat Alachi Tuſcus,inter amicos habitus, qui ad idem cohortaretur, verum ille tergiverſari,hominem eſſe dicere Cunibertum, ut ingenio ſtupidum, & uni ventri per otium deditum, ſic ubi res poſcat, inter primos audacem,& incredibili corporis robore, meminiſſe cum in Ariperti aula adoleſcentes ambo verſarentur, eum prægrandes oves extenſo brachio villo apprehenſas, terra ſolitum ſuſtollere,ſe idem expertum nequiviſſe. Tuſcus confeſſionem ignaviæ aſpernatus, ad Cunibertum tranſiit. Jamque aciebus eo promotis,unde pedem ſine prœlio referre neutra poſſet,Zeno diaconus baſilicæ Joannis Baptiſtæ à Gundeberga conditæ, Regem adit,& pro eximio, quo eum proſequebatur affectu,ſupplex rogat, quandoquidem in unius capite omnium ſalus verteretur, neque dubium,quin illo occiſo, Alachis in cæteros extremæ crudelitatis exempla editurus eſſet, pateretur ſe potius regiis armis ornatum id diſcriminis ſubire,utili in utrumque caſum conſilio,ſive cæſi,facilem fore jacturam,ſive victoris,gloriam in dominum redundaturam. Abnuentem Cunibertum, amici circum flentes, inſuetæ charitatis officio pæne invitum uti coegere. Zeno non ſuæ fortunæ cultu inſtructus,è regio tabernaculo prodiens, ut ſtatura corporisque habitu compar erat,omnibus Regis ſpeciem præbuit. Commiſſo prœlio acerrimè pugnatum, Alachis inſignibus falſus, in unum latus, longè fide quam ulla militari arte paratiorem obtruncat, caputque conto ſuffigi & victoriam lætus acclamari jubet. Sed ut laxatis caſſidis vinculis errorem conſpectus aperuit, ira & pudore incenſus, ſe verò fœdas de omni clericorum ordine pœnas aliquando victorem repetiturum vovet. Cunibertus contra inſperatò prodiens,

Paul.l.5. c.40.

turbatas ſuorum mentes, imperatore ut putabant cæſo fugam circumſpectantium, erexit. Et cum pugnam iterandã appareret, ad Alachim rurſus miſit, ſolus tandem congrederetur, neutri ſatis decorum, tot popularium millium ſibi cædem imputari, quin genti incolumi & florenti imperaret, cui Deus victoriam annuiſſet. Probantibus conſilium familiaribus, Alachis, Quî poſſum, ait, qui inter inimica tela Archangelum Michaelem obverſantem conſpiciam, in cujus ego templo me Cuniberti ſacramento obligavi? Apparebat, conſcientiam ſceleris jam ferre non poſſe, itaque confidentior ex amicis unus, tu quidem, inquit, pavore oculis præſtrictis, cernis quod nuſquam eſt, nam hæc olim meditata oportuit. Novum atque atrox prælium exarſit, quale irritatis in diverſum unius gentis ſtudiis, inter fidentes ſibi ambos exercitus, Rege hinc vivo, quem mortuum luxerant, inde victoria jam propemodum parta feroces. Res diu neutro inclinata ſtetit, donec Alachis pugnans confoditur. Senſit utraque acies, neque Cuniberti deinde vis ſuſtineri potuit, hoſtes paſſim fuſi, magna ſtrages facta eſt, multos nandi imperitos, aut feſſos & armorum pondere gravatos, Abdua propinquum flumen hauſit. Tyranni corpus fœdè laceratum, capite cruribusque truncatum, feris & alitibus ludibrium jacuit, Zenonis diaconi, qui vicariam mortem oppetiiſſet, Ticini honeſtiſſimo funere, in veſtibulo baſilicæ cui præfuerat conditum, quo pugnatum loco, monumentum victoriæ, monaſterium Georgii martyris nomine, excitatum eſt. Annales annum ſexcenteſimum nonageſium ſecundum aſcribunt. Rebus pacatis, Cunibertus ingenii humani more, veteris injuriæ memoriam præ recenti beneficio retinens, Aldoni & Grauſoni inſidias comparat. Ferunt rem monſtri ſimilem, quam ego ut à Paulo proditam invenio referam, magis ne præteriiſſe videar, quam quod in eum modum geſtam narranti fidem accommodandam exiſtimem. Regem dum familiarium uni cogitata aperit, muſcam in feneſtra forte viſam cultro petiiſſe, quæ ictu corpore vitato, pede præciſo avolaverit. Aldonem ſub idem tempus ad regiam cum fratre tendentem, obvium habuiſſe hominem pede altero mutilum, enixè monentem, ne pergerent, certæ à Cuniberto neci deſtinati. Tum illos formidine attonitos, ſeſe in proximam Romani martyris ædem conjeciſſe. Regem re intellecta, fidem accuſaſſe ejus, cum quo uno conſilium contuliſſet, Regis illum rurſus appellaſſe conſcientiam, quod poſt eum ſermonem habitum nuſquam digreſſus, neminem profectò mortalium alloquutus fuerit; neque id Rex inficiari poterat, nec omninò quis indicium ſupplicibus feciſſet ſuſpicari, donec ſpe impunitatis facta, ipſi profeſſi, ſe ab homine ignoto, utente genu tenus crure altero ligneo, de præſentis exitii periculo

Herman. Sigeb.

Paul. l. 6. c. 6.

ANN. POST CHR. N. DCXLII.

culo admonitos, saluti consuluisse, reditum in memoriam muscæ,& intellectum dæmonicum utrumque spectrum fuisse, fratribus ignotum esse.

Dum hæc in Italia geruntur, Emmerammi apud Bojos fama magis indies magisq; clarescente, Theodo Princeps cædis noxiam, cujus pœnitentia dudum caperetur, aliquâ expensurus, Georgii martyris ædiculam adjecto monasterio, quo loco lucum olim Deorum religione sacrum fuisse memorant, ampliat. Petri Apostoli & ipsius Emmerammi nomine indito, primus Apollonius Abbas, anno post Christum natum sexcentesimo nonagesimo septimo præfectus est. Tum Marinus atque Anianus pietatis etiam professione inclyti, ad radices Alpium propter Oenum flumen mortem oppetiere. Qui quo tempore Martinus Pontifex Constantis Imperatoris scelere in Chersoneso occubuit, ecclesiæ statu magnopere perturbato, peregrè ad Bojos venientes, ibi se, discretis uterque sedibus, in solitudinem abdiderant, sic ut neque tamen de rebus divinis quærentes aditu arcerent, & ultrò sæpe progressi, religionis causa ad populum multo cum fructu verba facerent, Marinus Episcopi, Anianus Archidiaconi munere functus. Episcopatus nomen sive intercidit, sive quod magis opiner, nullum certum fuit, gentibus docendis quorundam olim exemplo generatim destinato. Omni virtutum laude eximii, cibi præsertim potusque abstinentia, veterem Ægyptiorum patrum morem revocabant, jejunio bis admodum singulis hebdomadis, præter Dominicam diem, aquæ haustu & olerum cum pane ac sale esu, soluto, quantum vitæ trahendæ nimirum sufficeret, solennior aliqua & sanctior lux, pauxillum casei & lenticulæ nonnihil adjiciebat. Tenuere institutum ad Leontii imperium, per quadraginta circiter annos, cum barbaros tota provincia populabundos vagantes, spes prædę ad istas latebras adduxit. Vandalos fuisse memorant, qui Slavi, hoc est, Venedi de proximo fuerint oportet, nam eosdem Vandalos appellare, vetus & vulgatus error est. Marinum ad aram sacrificantem, numen, semel iterumque apertè monuerat, pergeret alacriter, palmam prope esse, quâ ipse & Anianus, ut parilem vitam vixerant, eâdem die munerandi. Latrones ergo eum in exspectatione mortis pronis genubus orantem nacti, ad vultus orisq; gravitatem primo territi, aliquantum restitere, brevi reditum ad ingenium, & cum reculæ obviæ cupiditati nulla ex parte sufficerent, verisimile autem videretur, hominem senem præcipuæ existimationis, argentum alicubi occulere, multa minati promere jubent; Marinus, si divitias, inquit quæritis æternum, mansuras quærite. Illi sermonem ad pietatis studium vocantem nihil morati, instare Christi nomen ejuraret, & quoniam habitatorum latè tota regione fuga

ANN. POST CHR. NAT. DCXCVII.

Hun. din metrop. & mſ. de monasteriis Boicis.

Ex actis horum sanctorum, quæ extant in monast. Rot.

Id olim fieri solitum annoravit Molan. in natal. sanct. Belgii die 23. Martii.

Crantius etiam historiam quam de Slavis & Venedis scripsit, appellavit Vandalicã.

Digitized by Google

fuga facta erat, quæ quis quibus locis defodiſſet indicaret, ſe ad ſcrutanda abdita alpium ducē præberet, nihil ejus viciniæ virum id ætatis latêre poſſe, renuenti mortem per extremos cruciatus paratam ſciret. Intentatum periculum, animum divinitus incenſum amplius inflammavit, neque ſe Chriſtum negare, neque vivum ex ea movendum ſede reſpondet, quam ſibi perpetuam legerit. Tum nudatum verberatumq; & ſervilem in morem tortum, igne necant. Auditus inter medios flammarum globos, multa Deum expanſis manibus precans, pro his etiam quorum ſcelere occidebat. Anianus morbo tenebatur, ne magiſtro adeſſe poſſet, de cujus obitu ut cognovit, jam lætus & exultans, euchariſtia percepta, ea ipſa luce, quæ fuit XVII. Kal. Decembr. inter orationes & gratiarum actiones animam, futuri ſecurus, nulla externa vi adhibita exhalavit. Aliquot poſt annos Pipino & Carolomano rerum potientibus, ſpecie per viſum Priamo presbytero oblata, corporum reliquiæ detectæ, & conditâ eccleſiâ, curante Tolluſio Epiſcopo, in pagum quem Auriſium appellant, multis miraculis inſignes translatæ ſunt. Poſterorum pietas monaſterium adjunxit, quod à præfluente amne Rota nomen reperit. Nos cum inde hiſtoriam teſtatis litterarum monumentis, quæ adhuc extant, eo quo narravimus modo deſcriptam, hauriremus, animadvertimus ſcriptorem, qui Marianum & Anianum ante annos paullò minus ducentos à Bojis cæſos prodidit, quod ſuperiori libro memoravimus, neque rerum, neque temporum rationem quam debebat maximè, ullam habuiſſe.

Pag. 79. Paul. l. 6. c. 17. Sigeb. hunc an. aſcribit, Hermanni poſtrema editio ſequentem.

ANN. POST CHR. NAT. DCIC. LIVTBERTVS.

Anno unde ſeptingenteſimo Cunibertus naturæ ſatisfecit, eò majus ſui deſiderium Langobardis relinquens, quod LIVTBERTI filii ætatem, ne ea imperio nondum matura, rebus novandis locum præberet, verebantur. Pater Anſprandum teſtamento tutorem dederat, virum genere & virtute præſtantem, regno, quantum humanis conſiliis provideri poterat, firmamentū, cæterum evētu diſpari. REGINBERTVS enim Taurinorum Dux, quem Gundeberto Rege natum, patre occiſo ante annos quadraginta vitam miſeratione infantiæ emeruiſſe ſupra dictum, occaſionem repetendæ paternæ hereditatis, cui cogitatione ſemper imminebat, demum obveniſſe ratus, regno vi invaſo, octavo menſe à Cuniberti morte, Anſprandum in Novarienſi agro acie congreſſum fudit. Et rebus humanis anno à victoriâ adhuc vertente ereptus, ejus fructum ad ARIPERTVM filium transmiſit. Qui ſuperſtite Liutberto, omnia incerta & infida ſentiens, bellò redintegrato, ſequenti Anſprandum atque auxiliares copias, magna iterum pugna ad Ticinum ſuperat, Liutbertum, quod inguine faucius vivus in poteſtatem veniſſet, cognationem nihil reveritus, balneo incluſum necat. Anſprandus ſe ex fuga Larii lacus inſula tuebatur,

REGINBERTVS.

Pag. 122. Paul. l. 6. c. 18. & ſequēt. Sigeb. octavum menſem in an. 700. incidiſſe confirmat. Hæc Herman. ad an. 702. Sigeb. ad 701. refert.

DCC.

DCCI.

ARIPERTVS.

DCCII.

Vita S. Boniti Arvernenſis Surii 19. 1.

batur, ubi obsidionem parari intellexit, inde elapsus per Rhæticas Alpes in Boicam abiit. Victor hac præda frustratus, in necessitudines versus, Sigibrando filio oculos eruit, Theuderadæ uxori & Auronæ filiæ, nasum auresque fœdo vulnere præcîdit, objecta matri spes regni, & voces in eam sententiam muliebri levitate insolentius fusæ, ipsum insulæ oppidum, quod receptum hosti præbuisset, solo æquatum. Vni Liutprando parsum liberorum minimo, permisso paterni exilii errores, ingens ut in adversis levamen, comitari. In memoriam credo regrediebatur Aripertus, eorum quæ sibi eâdem ætate & propemodum caussa, à Grimoaldo contigerant: divino interim haud dubiè nutu, regno successor destinatus, servatus est. Ex Liutberti propinquitate PETRVS superat, quem priusquam sacris initiaretur, gentile aliud nomen habuisse, fit verisimile: huic Spoletum relegato, & ædem Sabini martyris religiosè frequentanti, responsum aliquãdo redditum, confideret, futurum ut rediret in patriam, & Ticinensem ecclesiam regeret. Oraculi fidem cum res longo post tempore comprobasset, Sabino posito templo honorem habuit, & Episcopi munere sanctissimè functus est, insigni animi corporisque castimonia & integritate, tum nullo non virtutis genere, atque miraculis divinitus editis inclytus. Nec prætereundum erat hoc Boicæ originis cœlo receptum sydus, peregrè splendens, domi adhuc opinor ignotum.

PETRVS. Paul. l. 6. c. 56.

THEODIBERTVS SECVNDVS. ANN. POST CHR. NAT. DCCXII.

Bojis post Theodonem THEODIBERTVS præfuit, an frater, quæ quorundam sententia, parum liquet: Theodonis posteritatem non regnasse, id constat; lege autem ex Agilolfingis suffici necesse erat, non qui defunctum proxima consanguinitate contingeret, sed fide & prudentia præstantem. Theodibertus Ansprandum humaniter receptum, benignè aliquamdiu habuit. Decimo demum fugæ anno, sive continentibus supplicis precibus victus, sive hominis innocentis sortem ultrò miseratus, sive pium ratus indignam Liutberti necem armis ulcisci, sive sibi amplum, reges regno per scelus parto dejicere, meliores imponere, nec præ eo, quod jus & fas posceret, Boicam in Ariperto originē respectans, infestis copiis in Italiam venit. Langobardo cum exercitu obvio, incitatis utrimq; animis statim acie congredi, & rem fortunæ semel inclinandam dare placuit. Acriter pugnantibus nox supervenit, & apparebat Bojos de victoria concedere, nisi Aripertus signo receptui dato, castra ipse sua pernicioso errore prætervectus, Ticinum refugiens, suorum animos fregisset. Mirum quam eo facto versa derepente in contrarium omnia, Langobardi se ducis exemplo pro victis gerere, Bojis audacia crescere. Accessit vecors aliud juxta ac calamitosum, nec pro pristina Ariperti industriæ fama consilium, quod voluntates popularium turpi fuga offen-

Arnolf. l. 1. c. 1. de S. Emmer. Theodonē hunc signare videtur, *Dioto scilicet vir illustr, cui filii in regnum non succesſerant.* Esi ordinè perturbato, Theodonem, ad quē S. Rupertus venit, post hunc nominet, atq; eum ipsum cum illo ad quem S. Corbinianus, confundat. De Theodiberto & Italica expeditione Paul. l. 6. c. 35.

sas,

sas, hostes de proximo instare animadverteret, turbatus præcipiti metu, melioris eventus spem omnem præcidit, seq; ad Francos prorepturus, auro ex regia gaza quantum potest onerat, gravem eo, gurges fluminis, quod nando trajiciendum erat, haurit. Frater GVNDEBERTVS fugæ comes, in Franciam pervenit, reliquum ætatis in exilio cum tribus filiis acturus. Natu maximus REGINBERTVS, Aurelianensis civitatis præfecturam regum benignitate gessit; ultimus ex Garibaldi Bojorum Regis stirpe surculus, cujus saltem auctorum monumentis extet prodita memoria. Ariperti cadaver postero die repertum, certam victoriæ fidem asseruit. Et verò observatum, Boici sanguinis apud Langobardos imperium, quo cœperat nomine, eodem desiisse, nec virtute quidem impari. Nihil quippe ambigas, Aripertum, quâ religionis, liberalitatis, justitiæ, prudentiæ opinione vixit, si regnum omninò ipsum, non aditum item exitumq; spectes, in præstantissimis regibus numerare. Grandi justitiæ documento, civitates dissimulato habitu per noctem circuire solitus, omnium de se deq; iis quos juri dicundo præfecerat rumores aucupabatur: Prudentia prope altiore, exteros legatos nullo apparatu, non vino, non epulis lautioribus, viles ipse pelles indutus, contra quam Reges solent, excipiebat, ne domum ii reversi, famâ Italicæ opulentiæ populares ad ejus soli cupiditatem existimularent, quam Gallis Alpes trajiciendi aliquando caussam extitisse scire poterat. Ansprandus regno sine controversia, tres non amplius menses superfuit. Morituro Luitprandus filius, assiduus utriusque fortunæ socius, multum ea re lætanti, sublegitur. Hic gratiam relaturus familiæ, cujus beneficio regnaret, GVNTRVDAM Theodiberti filiam, matrimonio sibi adjunctam, in regii fastigii communionem vocat. Neque tot tamen vinculis pax diutius contineri potuit. Paulus Luitprandum fere initio regni narrat, pleraque Bojorum castella intercepisse: offensionis caussas quas non explicat, ad finium controversias, mortuo jam Theodiberto, pertinuisse crediderim.

GVNDEBERTVS. REGINBERTVS CVM DVOBVS FRATRIBVS.

GVNTRVDA.

Herman. Ariperti mortem in hunc an. 712. confert, quod reliquæ têporum rationi consentaneum est, siquidē an. 702. iniit, & per decennium regnavit, quot ann. Ansprandum exulasse Paul. auctor est. Sigeb. 701. iniisse, novem ann. regnasse, 710. obiisse scripsit. Regino hactenus consentit, Ansprandum novem tātum annis exulasse. Paul. 6. c. 43. Paul. 6. c. 58.

Theodibertum Theodo rursus excepit, quintus nostra quidem sententia; sextum numerent oportet, qui à Danubii trajectu tres ordine Theodones posuere. Grimoaldo Theodiberti fratre natum, Glisonotham uxorem habuisse, iidem magis suo arbitratu, ne quid unquam ignorent scilicet, quam antiquis testimoniis confirmant, nobis in incerto relinquitur, quod & verum esse, & aptè ad continuandam stirpem fictum potest. Eo palam errant, cum Theodibertum ante septingentesimum annum obiisse produnt, nam Paulus Ansprandum à Theodiberto reductum scripsit, quod decimo aut duodecimo ejus sæculi anno contigisse, vetusti annalium auctores consentiunt. Magna apud finitimos

THEODO QVINTVS.

Vita S. Corbiniani ap. Sur. to. 5.

timos principes potentiæ fama fuit Theodo, armis virisq; validus, tum egregia trium adolescentum filiorum indole felix. Moribus ipse ad omnem virtutis laudem compositis, pietate in Deum nulli majorum secundus, primus Bojorum religiosam peregrinationem ad Apostolorum limina instituit. Romam venisse Gregorio secundo Pontifice indictione decima quarta, ab Anastasio annotatum est. Quo paullò ante Anglici reges eâdem de caussa venerant, & exemplum valuisse putandum, ne in Italiæ propemodum vestibulo positus, ab extremis Britannis isto officii genere vinceretur. Domi provinciam in quatuor partes tribuit, uni ipse præerat, cæteras filiis procurandas cessit, THEODIBALDO, aut Theodoaldo nimirum, GRIMOALDO & HVGIBERTO singulas: nam qui quartum sive Theodebertum, sive Theodonem adjiciunt, neq; quem sequantur habent, & ab Aribone abeunt, quo nullus, qui hodie extet, hæc certius scire potuit; Aribo enim patrem provinciam, se inter & liberos, in quatuor partes divisisse scripsit, quæ ad istorum rationem quinquefariam fuerat partienda.

ANN. POST CHR. NAT. DCCXVI.

THEODIBALDVS. GRIMOALDVS. HVGIBERTVS SECVNDVS.

Paul. l. 4. c. 46.

Anast. in Greg. 2. Beda in epit. an. 688. Ceadualiam & an. 709. Conradum Romam venisse narrat. Idem habet hist. eccles. l. 5. c. 7. & c. 20. Vbi Huium præterea & Offam adjungit.

Corbinianus ea ætate pietatis studiis apud Gallos floruit. In Melitonensi agro natus, quem nomen à Meloduno Senonum urbe, ut est apud Cæsarem, corruptè traxisse suspicor, monasterium ad sancti Germani ecclesiam condiderat; ubi cum annos quatuordecim vixisset crebrescente sanctimoniæ fama, quotidianis omnium ordinum adibatur concursibus, qua consilium & orationes poscentium, qua munera inter egenos partienda afferentium; nam & Pipinus Heristallus Equitum magister, cujus maxima secundum Reges apud Francos auctoritas, miserat hominem ex suis primarium, qui Corbiniani precibus illum submissè suppliciterq; commendaret. Vt ex quietis tranquillitatisq; portu, quem secessu petierat, in medios jam hominum negotiorumque æstus videretur revectus. Offensus ea re, & interpellantium frequentiam impedimentum ad beatiorem vitam interpretatus, Romam abit, solum aliquem ad divi Petri basilicam angulum à Pontifice impetraturus, quo cum suis latitans, vita sanctè instituta, uni Deo vacaret. Votis ad Apostoli ædem factis, sese ad pedes Pontificis abjicit, copiosa oratione rationem itineris, quidq; quas ob caussas petitum venisset prosequens. Gregorius, ab homine quantumvis diserto, in quam partem rogabatur flecti non potuit, in aliam ultrò motus est; animadverso enim, quam mirifica contentione omnibus pietatis exemplis exercitus, pura & simplici mente in Deum ferretur, cum ea exterius accederent adminicula, quibus omnis & ætas & sexus caperetur, insignis oris facundia, morum incredibilis candor, faciles suavesque congressus, intellexit eum altius evectum, & in hominum concilia,

Aribo, Heres idem & Cyrinus dictus, vitam S. Corbin. scripsit, tertius post ipsum Episcopus. Vita S. Corbin. Cæs. l. 7. de bel. Gall.

Falsus est Otho Fris. l. 5. c. 24. Corbinianū ad tempora Pipini Regis referens.

Digitized by Google

quæ fugiebat,remiſſum,egregios & uberes fructus eſſe laturum. Nec mora,promotum per ſacrorum ordinum gradus, Epiſcopum creat, addito honoris cauſſa pallio,& ſacra benedictione ampliſſima formula, quâ exercendæ dignitatis ubicumque terrarum fieret poteſtas. Pontificis imperium detrectare non auſus,contra quam ſperarat, novum in Galliam onus invitus & coactus retulit.Ita verò geſſit, ut priorem ſanctimoniæ opinionem miracula divinitus edita exaugerent, illumq; vulgò etiam, ſed apud pios prȩcipuè,in magna admiratione & laude ponerent, ſupplices & munera indies copioſius circumfluerent.Quo homo ab omni ambitionis & avaritiæ ſpecie longè abhorrens, ad repetendum Melodunenſe latibulum compulſus eſt. Ibi ſeptennio cic iter acto,res eodem rediit, tanta virtus nullis parietibus cohi eri poterat,famâ quo ſtudioſius preſſa, magis magisq; erumpente,& adeuntium coitiones fiebant jam prope turmatim.Romam ergo quo prius animo,ſed clam devio & inſueto alio itinere,regredi cogitat,ne ſi recto,conſilium emanaret. Hæc in Germaniam deflectendi cauſſa. Vt ad Bojos venit, quos Noricorum nomine Aribo appellat,plerorumque ruditatem miſerans, officii delati memor, verba de rebus divinis ſæpe utiliter in publico fecit. Rumor brevi Theodonem attigit,qui quoſcumque ſacerdotes comiter excipere ſolitus, peregrini Epiſcopi deſiderio magnopere incenſus, eum ad ſe vocat,& coram omnia ſupra quam ſermonibus celebraretur expertus, quibus poteſt precibus contendit, Boicam de cætero ſedem legat,ſibi,ne obtemperaſſe aliquando pœniteat,curæ fore. Aſſenſus exprimi non potuit, muneribus itaque onuſtum dimittit. Nec de Theodone quidquam poſt illam diem,quod extet,proditum. Ab eo ad Grimoaldum filium ventum, cui pars provinciæ in Italiam vergens obtigerat, regiâ Friſingæ conſtituta. Non minori ibi ſive principis ſive popularium gratulatione acceptus, ad primum virtutis doctrinæque guſtum, majori etiam contentione ut ſubſiſteret rogatus eſt. Grimoaldus omnibus modis blandiendo, ſupplicando, hereditate quin inter liberos pollicitâ, inſiſtere, ne ſe abiens deſereret. Cum nihil exoraretur, nec invitum retinere placeret,amplis item donato muneribus, comites additi, qui ad Italiæ fines honorificè deducerent, ſimul Venuſticæ vallis reliquisq; circa populis,ipſo inſcio imperarent,Româ revertentem obſervare, ad regiam reducendum. Nox euntes inter aſpera alpium in campis ad ſylvam, Breonum regione oppreſſerat, cum equum clitellarium incuſtoditum ab urſo raptum dilaniari contigit; tum Corbinianum ſarcinam,quæ prius jumenti fuerat,urſo imponi juſſiſſe ferunt, paruiſſe belluam, ſylveſtri ingenio depoſito,vicaria opera toto reliquo itinere functam. Illuſtre

ſtre viſum miraculum, dignum inter multa, quod poſteritatis memoriæ imaginibus additum repræſentaretur. Inde Tridentum Ticinumq; progreſſus, trajecto Pado iter per Hetruriam Romam tenuit. Vbique ſigna, quæ quam Deo charus eſſet oſtenderent, edita. Liutprandus Rex eunti redeuntiq; quantum maximum potuit honorem habuit, ut neque ad genua accidere, neque ſe ejus orationibus perquam demiſsè committere, infra Regium faſtigium putaverit. Romæ Gregorius appellatus, de concilii ſententia perſtitit reſpondere, non placere Epiſcopum privatam & reſidem in monaſterio vitam ducere, neq; munus, quod omnibus precibus orabat, abdicare, quin feliciter cœptum, pari cura proſequeretur, & eo rediret ubi plurima bonæ frugis ſpes eſſet. Adjecta inſuper certa & dilucida ſacrarum litterarum teſtimonia, quibus hæc ipſa confirmabantur. Auctoritate & argumentis victus, cum aliquot dies Pontificis benevolentiæ dediſſet, accepto commeatu quâ ierat revertitur. Vt Tridento Majas, Boicæ tum ditionis primum ab Italia caſtellum, venit, caſtellanos non fefellit, juſſus ſubſiſtere dum Grimoaldum conſulerent. Ille interim occaſionem ſequutus, ſancti Valentini Epiſcopi corporis reliquias veneratur. Valentinus enim Batavis olim pulſus, lætiori ſucceſſu in alpes delatus, eccleſiam Majis condidit, in qua mortuum humavere, ibi tunc Corbinianus ſupplicavit. Et montanam proximam regionem per otium luſtrans, ſolo ſylvis frugibusq; læto capiebatur, avio inprimis loco delectatus, cui incolæ Camina nomen fecerant, Timone & Finali amnibus utrimque irriguo, de quo jam tunc mercando, & exſtructo tuguriolo rebus divinis deſtinando, cogitabat. A Grimoaldo reverſi nuntiant, principem in ſumma ejus exſpectatione eſſe, ſibi adducendi negotium delegatum, quod ut ipſo volente propitio exequerentur, venerabundos rogare. Doluit latere non potuiſſe, cum verò diſſimulandi locus nullus reſtaret, invitus aſſenſus eſt. Theodibaldus Corbiniano Romam profecto, fato concesserat, PILIDRVDE uxore relicta, Franca origine, forma & nobilitate præſtante; quam Grimoaldus adamatam, ſpreta fama, & calcata fraterni thori reverentia, juſtæ conjugis loco domi habebat. Vt reſcivit Epiſcopus, averſatus ſcelus, præmittit qui ſemel diceret, ſe in principis conſpectum neutiquam venturum, quamdiu probrum illud ei hæreat, gravi addita inter cætera Pauli Apoſtoli verbis comminatione, neque adulteros neque fornicatores regnum Dei poſſeſſuros. Prope fuit ut procax fœmina veterem Herodiadis tragœdiam repeteret, & recentia Alpeidis in Lambertum, Geilæ in Chilianum exempla erant ante oculos, nam conſtitit agitata eſſe id genus conſilia, non ignaro periculi Corbiniano, apertè profeſſo, ſe Joannis factum imitantem, niſi

Arenpeck l. 2. c. 17. Majas Meraniam, quæ ad Atheſim eſt interpretatur.

Supra pag. 93.

PILIDRVDES.

1. Cor. 6.

S. Lambertus paſſus an. 709. S. Chilianus an. 698.

quod Herodes uxorem fratri viventi tulisse creditur, ejusdem exitum non perhorrescere. Pergebat nihilo minus ablegatis amicis monere, obtestari, tantum piaculum quamprimum à se amolirentur, variè ostentata spe veniæ ad meliorem mentem redeuntib⁹, & quæ pœnarum supplicia pervicaces brevi manerent. Quadraginta dies contentio tenuit. Mollitis tandem animis, affuere ad pedes Episcopi ambo conjuges, humi passis brachiis strati, peccatum confessi detestatiq; & diducturos incestum matrimonium, & quæ præterea juberet, omnia facturos pollitici. Cruce signatos expiatosq; sublevat, multa monens, quam in posterum vivendi rationem orando, jejunando, pauperibus largiendo, insisterent. Cibum inde una capientibus, Caminæ mentio injecta, Grimoaldus facile in rem præsentẽ venire persuadetur, & amœnissimum terrarũ tractum pretio à dominis redemptum, ecclesiæ S. Mariæ virginis Frisingæ, quæ Episcopo sedes destinata, contribuit. Arenpekius Christianorum basilicã à Maximiliani martyris ætate id loci stetisse prodidit, Maximilianum autem Cari & filiorum imperio vixisse, supra dictum. In Camina Corbinianus templum sanctorum Valentini & Zenonis memoria celebre ædificat, vitem circa & frugiferas arbores serit, opimum etiam de proximo agrum, Chories nomine, coemit, erogata pecunia, quam à Pipino Heristallo dudum dono acceperat. Illud priscæ interim severitatis exemplum edit, quod quam à nostrorum morum remissione abit, tam vereor ne parum fidem inveniat: Vt mensæ assederat, solemni formula bene epulis precat⁹, principem cani panis frustum animadvertit projicere, tum sella indignatus exsiliens, quæque parata erant propellens, argento humi voluto se se foras proripit, indignos sacra benedictione clamitans, qui canes ea dignos crederent, sibi constitutum & cibo & cura illius domus de cætero abstinere. Pilidrudi divortium ægrè ferenti, cum ira & libidine succensa omnem nocendi aditum quæreret, plana & prompta visa occasio, & Grimoaldum irritatum erat verisimile, tum illa urgere, nihil jam reliquum, tentatam à præsule principis patientiam atroci & insignita injuria, quam quo animo ferat, multum multumque referre, si segni & remisso, omnibus appariturum alibi nomen imperii, alibi vim & potestatem esse, secus si majestati pares iras gerat, & principalem dignitatem unius exteri hominis sanguine sanciat. Nihil motus Grimoaldus fœminæ vocibus, misit qui abeuntem clementer sustinerent, ipse cum proceribus statim insequutus, nullo non officii genere satisfaciens, vix placatum in palatium reduxit. In colle ad urbem ecclesia Stephano martyri sacra jam tum stabat, quam Corbinianus orationis causa visere solitus: eo cum aliquando, sive valetudine ipse occupatus sive negotiis, reliquum clerum matutinas

Otho Fris. Ecclesiam S. Benedicto dedicatam fuisse scripsit, sc. quod monachi Benedictini incolerent. Arenpek. l. 2. c. 18. S. pag. 91.

tinas Deo laudes dicturum ablegasset, montem subeuntibus, canentium chori clarius clariusq; ab ecclesia auditi & mirifici splendores tecto fenestrisque emicantes visi, introgressis, lumen quidem evanuit, suavissimus verò latè odor diffusus, tertio demum die remisit. Episcopus certior de ostento factus, clerici enim, qui sacro horrore perculsi pars ante vestibulū, pars illo vix superato exanimes conciderant, ut sibi quisque redditus, ad eum recurrêre, animum ad locum adjecit, & modicas quas incoleret ædes ecclesiæ conjunxit. Ægrè ferre visum famulitium, ob aquæ præsertim inopiam, nam difficiles in tantam tumuli altitudinem quotidianas subvectiones querebatur. Miseratus ergo vir sanctus, solus circumiens, se, qua mons in meridem vergit, humi abjicit, suppliciterque aliquamdiu orans terram scipione quo nitebatur effodit, ibi tanta aquarum vis erupit, ut & colentium usibus largè sufficeret, & toto abundè clivo deflueret, quamdiu ille quidem vixit; mortuo, per annos amplius quinquaginta, ut temporis ratio rescribere postulat, nam in Aribone quadraginta sunt, aruit, donec relato Frisingam corpore, quo miraculum esset testatius, se iterum ostendit, adhuc perennis. Nec eo minus Mariæ virginis templum dignitate præstabat. Quo ad vespertinas forte preces tendenti, rusticana mulier, veneficii jam antea delata, fit obviam, comitabantur viri aliquot onere graves. Interrogata nihil dissimulat, munera ferri Principis liberalitate in se collata, quod filiolum dæmonum præstigiis prope perditum, excantatione salvum & incolumem reddidisset. Rarò alias Corbinianus sic visus excandescere, equo se præcipitans fœminæ in os involat, & fœdè mulctatæ dona adimit, inter egenos ad urbis portam partienda, Grimoaldo, fidem Deo toties mutatam exprobrat. Pilidrudes, ut eam venefica cruentata facie flens atque lamentans adiit, furenti ipsa propior, humile & abjectum Grimoaldi ingenium aspernari, hanc dicere unam esse Corbiniani confidentiam, se certiori via manifestarium inimicum ulturū. Ninum ministrorum fidissimum vocat, rem ferro expedire imperat. Et patratum fuisset facinus, nisi Episcopus clam monitus, tectum ea nocte mutasset. Adest summo mane sicarius, domum armatis cingit, Episcopum in cædem deposcit, nec multum tamen quæsitum reperit. Ædibus vastatis, dedecore & ignominia oppletus, ad dominam revertitur. Corbinianus ad Christi præscriptum persequentes fugiens, provincia excedit, Majas una cum clero profectus, hujus enim castelli imperium ad Langobardos recciderat, inter ea quæ Liutprandum Bojis abstulisse supra dictum, Principi simul per certum hominem denuntiat, pœnas morte persolvendas exspectaret, & Pilidrudem ea ruina collapsuram sciret, quam ultrò innocentibus strueret. At Grimoaldus muliebris

Matth. cap. 10.

flagitii agebat ignarus, neque de Episcopi abitu adhuc cognoverat. Nuntio excitatus, propere ablegat qui orent, deprecentur, obtestentur, omnia faciant, ut quibus possint, precibus, quacumque conditione, reditum evincant. Nequicquam. Responsum, Jezabelis cavendas insidias. Designata Pilidrude Jezabelis nomine, quæ itidem prophetas olim feralibus odiis persequuta. Nec morata vindicis numinis ira se exserere. Carolus Martellus Francorum Princeps, anno post Christum natum septingentesimo vicesimo secundo, trajecto Danubio in Bojos movit. Scriptores, ut nuda fere est omnis eo sæculo historia, nec causam expeditionis, nec eventa tradunt: nisi quod duro & difficilii bello Francum victorem defunctum esse convenit. Pace constituta, sequenti statim anno rebellatum, & rebelles iterum victi. Tum gaza ingens de Bojis parta, Pilidrudes cum Sonichilde nepte, inter victoriæ præmia abducta. Ita Gregorianæ appendicis scriptor auctor est: nam in Aimoino Plectrudis nomen, assuto etiam glossemate, perperam pro Pilidrude legitur, quod utique Æmilium, diligentem scriptorem, neque eum tamen solum, fefellit. Aribo Pilidrudem Carolum in Galliam sequutam scripsit, pòst fastiditam, eo miseriarum recidisse, ut quo diuturniore supplicio scelerum pœnas expenderet, dignitate & bonis exuta, vitam per extrema quæque ducens, veluti piaculare ostentum asello circumvectaretur, in Italiam tandem incertis erroribus delatam, infelicem ibi animam exhalasse. Et liberos paterna hereditate excidisse, matris fortuna per varias ærumnas ætatem pressos. Infans, qui magico carmine lustratus visus revalescere, exspiravit. Grimoaldus conjuratorum factione percussus, Ninus fœda & infami morte, dum alvum levat lancea trajectus, periere. Et vindicta hactenus constitit. Domestici annales Grimoaldi mortem in annum septingentesimum sive octavum sive nonum referunt. Ex Theodonis filiis Hugibertus supererat, solus jam Boicæ potens. Cui benignè & humaniter revocanti, Corbinianus non difficulter paruit, summo quo merebatur honore ab eo habitus; sacri lavacri fœdere conjunctos fuisse, Aribo prodidit, credo quod Principis liberos Episcopus tinxerit. Mortem ut ex propinquo imminere animo præsensit, tam quidem certè & distinctè, ut diem, & omninò horam familiaribus notaret, Erimbertum fratrem ad Liutprandum Regem legat, orat auctoritatem interponat, qua Majensium prædiorum possessio Frisingensibus sit perpetua, mortui cadaver, quod S. Valentino dudum comendaverit, inibi condi patiatur. Alium ex discipulis ad Hugibertum mittit, qui in eandem sententiam, cadaver Majas deferri roget. Octavo post die, lotus rasusque sacram vestem induit, sacrificium

Anal. Fuld. Herman. Aim. l. 4. c. 32.

ANN. POST CHR. NAT. DCCXXII.

DCCXXIII.

Aimoin. ad Danubium usque accessit, illoq; transmeato, fines Bavaricos occupavit. Subacta regione illa cum thesauris multis, & cum matrona Plectrude (quòdam uxore patrui sui Pipini) & nepte sua Sonichilde, regreditur, glossema videntur verba, quæ parentheseos nota inclusa, ab sunt enim ab appendice Gregor. c. 108.

DCCXXVIII. DCCXXIX.

cium offert: & mysteriis perceptis domum redit, ubi cum vinum popoſciſſet, vix guſtato, fronteque cruce ſignata, extremum ſpiritum, nulla cum doloris ſignificatione, reddidit. Funus à miniſtris Friſingæ ad D. Mariæ curatum. Apparuit Deo cordi eſſe, ſupremam morituri voluntatem non negligi. Totos triginta dies continens imber, inter vehementes procellas depluit. Tum Hugibertus corpus exhumari mandat, quo vivus juſſerat devehendum. Integrum repertum eſt, per omnia ſuaviter dormienti, quam aut mortuo aut ægrotanti ſimilius, & fuere in magna hominum ad ſpectaculum confluentium turba, qui vivere crederent, moto, calidus de naribus ſanguis fluxit, quem fictili exceptum, in caſtello, quod hoſpitium proxima nocte præbuit, terra condidere. Majis Langobardicum præſidium, inſidias à Bojis veritum, funus non niſi oſtenſo Liutprandi diplomate admiſit, tum quoque loculo ſcrutato, ſtragula ſudariumq; capitis ut evolvêre, cadaver ſpirantis habitu conſpectum, & integer iterum ſanguis naribus manavit. Acceſſere alia tum in itinere, tum Majis miracula. Vt ad S. Valentini humatus, triduo poſt intempeſta nocte in ea ipſa eccleſia viſa candidiſſima funalia tanto ſplendore exardeſcere, ut diem vincere crederentur, & jucundiſſimus odor fuſus eſt. Annum ſeptingenteſimum triceſimum annales numerant. Ratharium adventitium Epiſcopum, hac ætate Reginoburgi egiſſe, quam ante Emmerammi tempora, quod quidam prodidere, verius eſt, cum Arnolfus Hugibertum Grimoaldi ſucceſſorem, monaſterio S. Emmerammi fundum, Pirchenwanch nomine, ſub Rathario dono dediſſe ſcripſerit, id verò niſi ad hanc rationem, profectò fieri non potuit.

ANN. POST GER. NAT. DCCXXX.

Arnolf. de S. Emmer. l. 1. c. 1.

MARCI VELSERI RERVM BOICARVM

Liber quintus.

Vita extat apud Surium tomo 3.

AT verò Bonifacius, supra eos, quirem Christianam in Germaniâ unquam tractavere, sive fama nominis, sive pietatis profectu, longè omnes emicuit, gentem quippe ingenti animi conatu universam aggressus, quod cæteris abundè magnum per partes facere. Anglis parentibus apud Britannos orto, puero Winifrido nomen fuit. Qui cum se Deo totum dedisset, ex monacho sacerdos, in Frisiam trajecit. Inde Romam ad Gregorium secundum Pontificem veniens, potestate donatus sacram doctrinam ubivis gentium explicandi, in reditu Bojos attigit: sed tum quidem progressus, præcipuam Toringis, Hassis, Frisiis operam impendit: credo Corbinianum Boicæ suffecturum existimans. Interjecto haud multo tempore, Romam revocatus, nominis asperitate honoris caussa in Bonifacium versa, Episcopus renuntiatur. Populos, quorum nomina posuimus, & confines circa, incredibili successu docuit, ut jam nec ipse, neq; quos secum habebat presbyteros, tantæ Christianorum multitudini pares essent. Suppetias ergo domo petit, quod Britannia religiosorum hominum illa ætate scaturigo haberetur & seminariũ: nam hæc quoque temporis diuturnitas immutat. Inde tum viros, tum fœminas, virtutis atque doctrinæ laude præstantes, evocat. Ex quibus Vilibaldus & Vinibaldus, Valtpurgis & Cuniburgis, apud Bojos claruere. Gregorio secundo Pontifice mortuo, anno post Christum natum septingentesimo trigesimo primo, tertius eâdem appellatione successor, Bonifacium Archiepiscopi dignitate, misso sacro pallio, honestavit. Tum ille se primum, anno sive proximo, sive proximum sequenti ad Hugibertum, gravi de caussa

ANN. POST CHR. NAT. DCCXXXI. DCCXXXII. DCCXXXIII

cauſſa contulit. Vix obierat Corbinianus, cum infauſtum nomen Erenvolfus, homo hæreticus, primus, cujus memoria inter Bojos extet, ſi his quoque peſtibus annotandis operæ pretium facimus, flagitioſa impiorum dogmatum labe ſerendâ graſſari cœpit. Bonifacius, ut erat acri in divinum cultum ſtudio, propere accurrens, ne virus latius ſerperet, auctorem ſceleris, maturè ex ſacrorum canonum præſcripto damnatum, ab eccleſiæ communione rejicit, ſimul populum ſalutaribus concionibus admoni-
DCCXXXIIX tum, in viam revocat. Quinquennio poſt Romam tertio repetit, Francis, Britannis & jam Bojis magno numero comitantibus. Pontifex illum benignè & humaniter, cæteri admiratione virtutis, rerumque geſtarum magnitudine perculſi, venerabundi excepere. Honores qui maximi haberi potuere, habiti, ſacræ reliquiæ petenti prolixè conceſſæ, addita, diſcedenti munera alia, & Pontificis nomine litteræ, quibus auctoritas & reverentia apud Germanicos populos ampliſſimis verbis augeretur. Epiſtola ad Bojos & Alemanos in hæc verba concepta. In qua quæ nomina quibus ſedibus conveniant, difficulter conjectes, niſi quod Vivilum an Vivilonem, Laureacenſibus & Batavenſibus præfuiſſe conſtat, cætera Alemanicas ſpectare inde ſcias, quod Bonifacius Boicas vacantes reperit.

Dilectiſſimis nobis Epiſcopis, in provincia Bojoaria & Alemaniæ conſtitutis, Wigoni, Luidoni, Rudolto & Vivilo ſeu Addæ, Gregorius Papa.

Hæc nomina variè leguntur. Quæ verò Vivili & Addæ ſynonymia ſit, acutiores conjicient.

Catholica ſanctorum patrum auctoritas jubet, ut bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, ſynodalia debeant celebrari, ut cauſſarum canonicarum exhortatio provenire poſſit, atque ut neceſſitas uniuscujusque poſcerit, pia educatio agatur. Vnde ſecundum Apoſtoli doctrinam, admoneo & hortor vos, chariſſimi, per miſericordiam Dei, ut dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis, ut miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Opportunum eſt namque vos noſſe, fratrem ac coepiſcopum noſtrum præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno ac debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere, & miniſterium eccleſiaſticum cum fide Catholica, ſecundum morem & normam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei eccleſiæ, cui miſericordia Dei præveniente, præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica auctoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis, & gentilitatis ritum, & doctrinam vel venientium Britonum, vel falſorum ſacerdotum & hæreticorum, undecumque ſint, renuentes ac prohibentes abjiciatis, & ut populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis, & à ſacrificiis mortuorum omninò abſtineatis, & juxta quod fueritis à prædicto noſtro conſacerdote edocti, ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes,

Ephes. 4.

Digitized by Google

nentes, Domino Deo ſalvatori noſtro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda conſilia convenire mandaverit, ſive juxta Danubium, ſive in civitate Auguſta, vel ubicumque indicaverit, pro nomine Chriſti parati eſſe inveniamini: quatenus cognoſcamus per ejus mandatum de veſtro conventu, ut in die adventus Chriſti Jeſu, cum fructu boni operis ante ejus tribunal aſſiſtere mereamini, dicentes: Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis Domine, non perdidimus ex eis quenquam. Vt & vos Dominicam vocem audire mereamini, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

If. 8.

Matth. 25.

Hugibertus ſequenti anno vita functus, VTILONEM, ſive Otilonem aut Odilonem, incompertum an ex ſe natum, cæterum ingentis ſpiritus principem, ſucceſſorem habuit. Erenvolfo quamvis repreſſo, multæ adhuc ejus generis peſtes tota provincia volitabant: pars ſe Epiſcopos mentiri, pars presbyteros, alii alia, ut cuique commodum fingere, eccleſias pervertere, populum, vulgus enim novando inprimis capitur, ſeducere. Sedes ſacræ per Boicam habebantur quatuor, Laureacum ſive Batava, Salisburgum, Friſinga, Reginoburgum. Sabionæ ratio non habita, quod Langobardicum imperium reſpiceret. Nuenburgum Reginoburgo credo accenſa. Verum eæ nec continentibus Epiſcoporum ſucceſſionibus, nec certa finium deſcriptione ſatis conſtitutæ. Soliti præterea Pontifices Romani legare homines perſæpe exteros, magna & excellenti virtute, Corbinianos & Bonifacios puta, qui Epiſcoporum munere ubique liberè ſine exceptione fungerentur. Fraudatoribus dolo obtegendo utraque cauſſa ſerviebat, poſterior maximè, quo peregrini & ignoti facilius irreperent, Pontificiam miſſionem credulis perſuadebant, ſi qui præſertim Britanni, fuci ejusdem cum apibus patriæ conſortes eſſent, quod ipſum ſuperior Gregorii epiſtola innuit. Vtilo tantam & tam latè patentem, tamq; pernicioſam improbitatem coercendam ratus, Bonifacii opem implorat. Is Roma reverſus commodum apud Luitprandum Ticini hærens, ſtatim vocatus affuit, & omni Boica perluſtrata, impuros nebulones profligavit, populum pravis opinionibus corruptum, Chriſtianis myſteriis ab ipſis iterum rudimentis inſtituit. Multum ei rei operæ multumq; temporis impenſum. Vt fructus reſponderet, & ne res ad hanc aliquando perturbationē relaberetur, placuit ſedibus quorum nomina poſuimus, quod vacarent pleræque, Epiſcopos, Vtilone, & optimatibus volentibus, præficere, tum jurisdictionem, deſcriptis diœceſium limitibus diſtinguere. Salisburgenſibus poſt Rupertum & Vitalem, deinceps Anſologus, Savolus, Ezius, Flobargiſus præfuerant, Abbates omnes monaſterii Petri Apoſtoli, quod Rupertus in ea urbe inſtituit: tunc

Arenpek. l. 2, c. 23. & manuſcr. plerique. Steindel an. 740. quidā 735 habet.

ANN. POST CHR. NAT. DCCXXXIX. VTILO SECVNDVS.

Catal. epiſcop. Salisburg. Hundii & aliorum.

tunc quoque Joannes inde datus eſt. Friſingenſibus Erimbertus, Corbiniani nuper defuncti frater. Reginoburgo, Bojorum regiæ, Gaubaldus ſive Garibaldus. Laureacenſis & Batavenſis Epiſcopatus coaluerant paullatim, Philoni & Brunoni unus Theodorus ſucceſſerat, Theodoro Vivilum ſive Vivilonem Gregorius non ita dudum ſurrogarat, quem exciſa ab Hunnis Laureaco, ſub Hugiberti demum mortem, ſacra ſacerdotesque in Batava tranſtuliſſe auctores habeo. Bonifacius de Vivilo, qui unus legitimus in Boica eſſet Epiſcopus, nihil mutavit, diœceſim perinde ac reliquas deſcripſit. Viſum Pontifici actorum rationem per epiſtolam reddere, quæ cum exciderit, capitum argumenta ex reſcripto intelligimus.

Catal Bav. Scritorini & Hundii, qui tamen, quod Vivilonem à Gregorio 2. an. 722. Epiſcopum conſtitutũ ſcribunt, errant.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio coepiſcopo, Gregorius ſervus ſervorum Dei.

Doctoris gentium egregii & beati Pauli Apoſtoli vox eſt, dicentis: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Agnoſcentes itaque in ſyllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberavit, & ad centum millia animas in ſinu ſanctæ matris eccleſię, tuo conamine & Caroli Principis Francorum, aggregare dignatus eſt, ſed & in Bojoariorum provincia quæ à te acta ſunt agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro, extenſis ad cœlum manibus gratias retulimus: quia januam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis, ad cognoſcendam viam ſalutis aperuit, & miſit angelum ſuum, qui præparavit viam ante te. Igitur quia indicaſti, perrexiſſe te ad gentem Bojoariorum, & inveniſſe eos extra ordinem eccleſiaſticum viventes, dum Epiſcopos non habebant in provincia, niſi unum nomine Vivilum, quem nos paullò ante ordinavim⁹, & quia cum aſſenſu Vtilonis Ducis eorundem Bojoariorum, ſeu optimatium provinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes illam diviſiſti, id eſt, in quatuor parochias, ut unusquisq; Epiſcopus ſuam habeat parochiam: bene & ſatis prudenter peregiſti, frater, quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcepimus, ita egiſti. Itaque non deſinas, frater reverendiſſime, docere eos ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanæ ſedis traditionem, ut illuminentur rudes & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia pervenire. Presbyteros autem quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus fuerint ordinati, & dubium eſt, eos Epiſcopos fuiſſe, qui eos ordinaverunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi presbyteri, & in miniſterio Chriſti omniq́ue lege ſancta educati, ab Epiſcopo ſuo benedictionem bresbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi verò

Rom. 8.

Hinc palam eſt, Vivilum non à Gregorio 2. ſed à tertio ordinatum eſſe, quod paullo poſt iterum diſerte dicit.

qui

qui baptizati sunt per diversitatem & declinationem linguarum gentilitatis, si tamen in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem & sacri chrismatis confirmari. Nam Vivilus Episcopus à nobis est ordinatus. Hic si aliquid excedit extra canonicam regulam, doce & corrige eum, juxta Romanæ ecclesiæ traditionem, quam à nobis accepisti. De concilio verò, ut juxta ripam Danubii debeas celebrare, nostra vice, præcipimus fraternitati tuæ Apostoiica auctoritate, te ibidem præsentari. Et inquantum tibi Dominus vires dederit, prædicare verbum salutis non cesses, ut religio Christiana in nomine Domini crescat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, frater, pro incepti laboris utilitate in uno morari loco, sed confirmatis cordibus fratrum & omnium fidelium, qui rarescunt in illis Hesperiis partibus, ubi tibi Dominus aperuerit viam salutis, prædicare non desistas. Et ubi locum inveneris, secundum canonicam regulam Episcopos ordina ex nostra vice, & Apostolicam atq; canonicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectissime frater, itinera carpere aspera & diversa, ut Christiana fides longè lateq; tuo conamine extendatur, scriptum namque est, Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Operare itaque frater opus bonum, quod cœpisti, ut in die Christi Jesu merearis dicere, Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Et iterum, Domine, quinque talenta dedisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Vt subsequenter merearis audire vocem Domini dicentis, Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Data IV. Kal. Novemb. imperante Domino piissimo Augusto Leone, Imperii ejus anno XXIII. sed & Constantini Imperatoris ejus filii anno XX, indictione VIII.

Matth. 7.

Matth. 25.

ANN. POST CHR. N. DCCXLI.

Annal. Fuld. alii.

Anno septingentesimo quadragesimo primo, Martellus Francorum Princeps obiit: bello longè quam pacis artibus clarior, Saracenicæ inprimis geminæ victoriæ aliorum operum fastigia supergressæ, una in Aquitania, altera Narbonensi provincia parta. Æmilius Narbonensi Luitprandum Langobardum, Lantfredum Alemanum, simul & Otilonem Bojum, quem Odillonem ille nominat, cum popularium quemque copiis affuisse narrat, & egregiam adversus barbaros navasse operam, divisis inter se partibus, pulso hoste, amplissimis verbis collaudatos, cum muneribus domum remissos esse. Quæ domesticis annalibus præterita. Justa uxore nati Martello Carolomanus, Pipinus, Hiltrudis: Sonichilde Gripho, ut Aimoinus quidem auctor. Qui quod Sonichildem sive Suanahildem, Vtilonis neptem dixit, an re-

Æmilius Ægidium Rotomag. Archiep. inter Martelli liberos numerat. Sed tabulæ Rotomag. ecclesiæ id nomen non habent.

an rectum & genuinum ejus vocis ſenſum ſequutus aſſequutusque ſit, ignorata ſtirpe parũ comperio, & fere ambigo. Hereditatem crevere Carolomanus & Pipinus, illi Auſtria an Auſtraſia & Turingia, huic Burgundia, Neuſtria, Provincia ceſſit: Vt Boica Carolomanum reſpexerit. Gripho excludi pro indigniſſimo habuit, mater præterea, ſaucium adoleſcentis animum magis incendens, paterni teſtamenti injuriam vi & armis vindicare exſtimulat. Lauduno ergo præcipiti conſilio occupata, fratribus pari temeritate bellum indicit. Nihilo illi ſegnius excipiunt, & urbe obſidione ſtatim cincta, brevi potiuntur. Parſum fraternæ neceſſitudini & ætatis lubrico, ratione enim ducta ab expeditione qua mater capta fuit, Gripho duodevigeſimum vitæ annum nondum attigerat, Novocaſtrum ad Arduennæ ſaltum aſſervandus mittitur. Sonichildes hac ſpe dejecta, privignorum odio aliam molitur machinam, Hiltrudi, oſtentatis Vtilonis nuptiis, trajecto clam fratribus Rheno, fugere perſuadet. Neque Bojus nobiliſſimam virginem, benigne exceptam, ſibi deſpondere cunctatur. Altero anno ſtirps virilis ex novo matrimonio fuit, cui THASSILONEM parentes dixere nomen. Apparebat Carolomanum & Pipinum injuriam inultos non laturos: ſed Aquitanicum & Alemanicum bellum, Griphonis calamitatem conſequuta, vindictam diſtulere. Vtroque victores defuncti anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, coactis quam maximis potuere copiis, in Bojos movent. Vtilo, quo fidem faceret, ſe Francis nulla ex parte obnoxium agere, exiſtimationem ſimul auctaturus, Ducis nomen ponit, Regis aſſumit, & ad fines armatus occurrit. Conſederant exercitus in Lyci utrimque ripa, ut ſermones conſpectuſque mutui ex propinquo eſſent, ne manus mox conſererent, fluminis alveus diſtineret. Prior Francus, poſt ſegnem aliquot dierum moram, Bojorum conviciis irritatꝰ, noctu pluribus agminibus, locis inobſervatis raptim trajicit, eâdem celeritate caſtra invadit, omnia clamore, tumultu, trepidatione complet, nec pugna in tenebris conſtare, nec fuga ſine magna cæde explicari potuit, Francis victoria, multo tamen ſanguine venit. Vtilo amiſſo exercitu, paucis comitantibus, ægrè ſe ultra Oenum eripuit.

HILTRVDIS

ANN. POST CHR. NAT. DCCXLII.

THASSILO SECVNDVS.

DCCXLIII.

In Aim. l. 4. c. 5. Gripho fratribus major legitur, librarii vitio, fuit enim omnium minimus.

Thoromach. 6. *Chiltrudã qu & filia ejus, Martelli, ſciente conſilio nefario ne- bercæ ſuæ, fraudulenter per magnum ſodalium ſuorum Rhenum tranſiit, & ad Odilonem Ducem Bagvariæ perveniſ. Ille verò eam ad cõjugium copulavit, contra voluntatem vel conſilium fratrum ſuorum.* Thaſſilonem an. 742. natum ſcribit Arenpek. l. 2. c. 23. & alii. Steindel habet an. 743. Annales plerique domeſtici de Regio Vtilonis nomine conſentiunt. Annal. Fuld. Frãc. anon. Reg. Aimoin. Mar. Sigeb. & omnium copioſiſſimè Thoromach qui Oenum fluvium ſgne nominat.

Carolum, cui Magno poſtea cognomen fuit, in Boica per hæc tempora Pipino, ex Berta ſive Bertrada conjuge, natum eſſe, auctores ſunt, humiles illi quidẽ & obſcuri, qui tamen ſectatores repererint. Longa par ſomnio narratio, quam inter Gallicas & Italicas vernaculas etiam fabulas legere memini, ſed mutatis locorum appellationibus, ut id decus aliter atque aliter ad ſe quisq; trahit. Ego de Carolo plurimum Eginhardo credam, qui natalium ignorationem ultrò faſſus, eum anno decimoquarto noni

sæculi, ætatis septuagesimo secundo obiisse scripsit. Vnde fit, ut cum omnis de originis loco asseveratio dubia atq; incerta maneat, tum eum genitum oporteat, priusquam pater Vtilonem vicerit, anno qui Thassiloni natalis fuit. Neque si Boica alicubi locorum nomina, ad Pipinos & Carolos utcumque alludunt, Carolum ibi editum conficitur. Sed magnorum virorum ortus vel falsò vendicare, si minus virtutis, claritatis amor est.

Zacharias Pontifex eodem anno, Bonifacio potestatem, quam à decessore acceperat, firmavit, novisq; accessionibus ampliavit. Partem epistolæ à Zacharia Non. Novembr. datæ infra scripsimus.

Epist. Decret. tomo 2. sed confusus indict. numerus, Baron. ex. habet.

Suggessisti etiam nobis, per alia tua scripta, quod in Bojoaria unum reperisses falsum sacerdotem, qui & affirmabat, quod à nobis fuisset Episcopus ordinatus: & tua fraternitas hoc optimè egit, dum ei non credidit, quia falsus homo omnia falsa suggessit, & falsum reperiens, sacerdotio suspende. Sic enim auctoritate beati Petri Apostolorum principis tibi præcipimus, ut quemcumq; repereris à sacris canonibus deviare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium attrectare. Et quia si deberes in Bojoaria provincia jus habere prædicationis scisciti, an non, quam à decessore nostro habuisti concessam: Nos denique, auxiliante Deo, ea quæ tibi largitus est decessor & prædecessor noster, non minuimus, sed augemus; & non solum Bojoariam, sed & omnem Galliarum provinciam, donec te divina jusserit superesse majestas, nostra vice per prædicationem tibi injunctam, quæ repereris contra Christianam religionem vel canonum instituta, spiritualiter stude ad normam rectitudinis reformare.

ANN. POST CHR. NAT. DCCXLV.

Annal. Fuld. Herman. ult. ed.

Proximo anno pax iterum convenit, Hiltrudis ut videtur opera, hinc fratres, hinc maritum exorantis, ne paricidialibus propemodum odiis, affinitatis vinculum diducere pergerent, si qua sit ejus coñubii culpa, suam esse, se belli caussam, aut in sororem fratres iram verterent, aut eidem condonarent, puero saltem deprecatore. Vtilo se Francis minorem fassus, ad Ducis nomen ex prisco fœdere rediit.

Annal. domesti. ms.

DCCXLVI.

Anno septingentesimo quadragesimo sexto Carolomanus, pro egregia in rem Christianam propensione, cujus multa jam documenta dederat, luculenta præsertim duo, coacto statim à patris morte sacerdotum concilio, & ædificato ad Fuldam amnem incredibili magnificentia Salvatoris nomine cœnobio, auctoritatem interposuit, quo Virceburgensis & Eistadiensis Episcopatus, instante Zachariæ jussu Bonifacio, constituerentur. Huic Vilibaldus, illi Burcardus, Britannici ambo generis, præfecti. Eistadiensi Sugerum Hirsbergensem Comitem, volente & consentiente Vtilone, quod Boica usque eo pertingeret, multa liberaliter

Herman. Lamb. Marian. alii.

Catal. Episcop. Eistad. Hund. parte 1. general. Boic.

ter adeò contuliſſe ferunt, ut ejus uſque adhuc auctor habeatur & conditor. Frater Vilibaldi Vunibaldus, Heidenheimi virorum monaſterium, Valtpurgis ſoror fœminarum excitavit: ſumma omnes virtute & vitæ ſanctimonia. Vunibaldum Vtilonis gratia floruiſſe, & opibus ſublevatum eſſe, ex vetuſto vitæ ſcriptore didicimus. At verò Carolomanus rerum humanarum indies magis pertæſus, abdicatâ, inq; Pipinum omni principali poteſtate translatâ, ſe monaſticæ tandem vitæ addixit. Soractes illum mons primum, poſt Caſſinum habuit.

Catal. Epiſcop. Eiſtadienſ.

Mſ. codex de vita Vinibaldi ſic habet, *Vtilonem Ducem inquiſibit, protinusq; ab illo magno ſuſceptus fuerat honore, magnusq; ab illo donatus erat donorum.. dignitate, in regione, in poſſeſſionibus, atque in aliis pecuniarum opulentia.*

In Boica jam tunc Virgilius & Sidonius pietatis docendæ cauſſa verſabantur, quorum ſequentibus temporibus virtus & dignitas magnopere inclaruit. Virgilio Hibernia patria, quæ Sidonio fuerit, non eſt proditum. Iis gravis cum Bonifacio diſceptatio inciderat, de ſacerdote qui latinitatis ignoratione, in ſacra baptismatis formula peccare ſolitus: read Pontificem delata, adverſus Bonifacii ſententiam, in hæc verba reſcriptum eſt.

Meminit hujus controverſiæ, præter vitã S. Bonifacii, Gratian. de conſecr. diſt. 4. c. 56. item Burcard. & Ivo.

Reverendiſſimo ac ſanctiſſimo fratri Bonifacio coepiſcopo, Zacharias ſervus ſervorum Dei. Virgilius & Sidonius viri religioſi, apud Bojoariorum provinciam degentes, ſuis apud nos litteras uſi ſunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis injungeret, Chriſtianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habetur ut dictum eſt. Retulerunt quippe, quod fuerit in eâdem provincia ſacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret neſciens Latini eloquii, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine patria & filia & ſpiritus ſancta. Et per hoc tua reverenda paternitas conſideravit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille qui baptizavit, non errorem introducens ac hæreſim, ſed pro ſola ignoratione Romanæ locutionis infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire ut denuo baptizentur: quia (quod bene tua compertum habet ſancta fraternitas) quicumq; baptizat⁹ fuerit ab hæreticis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti nullo modo rebaptizari debeat, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debeat. Nam ſanctiſſime frater, ſi ita eſt ut nobis relatum eſt, non amplius à te illis prædicentur hujusmodi, ſed ut patres ſancti docent ac prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſervare. Deus te incolumem cuſtodiat reverendiſſime frater. Data Kalendis Julii, Imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato, magno Imperatore, anno viceſimo ſexto, imperii ejus anno quarto, Indictione decima quarta.

Sic eſt to. 5. Concil. & to. 2. epiſt. Decret. ſed Imperii an. VI. pro IV. reponendo videtur, ut an. 26. Cõſtant & Indict. 14. cõveniat. Aimoin. l. 4. c. 58. Griphonem in cuſtodia permanſiſſe ſcribit, uſque quo Ca-

Gripho cuſtodias elapſus, indignatus ſe ne cedente quidem Carolomano, in imperii partem vocari, ingenio juxta atque ætate ferox, anno quadrageſimo ſeptimo Saxones concitaturus profugit.

ANN. POST CHR. N. DCCXLVII.

rolomanus Romam profectus est. Fluviorum nomina Fabric. orig. Saxon. l. 1. Ocram & Mussaham habet. Annal. Franc. anon. & Fuld. Aim. l. 4. c. 61. Sunithgerum habet.

fugit. Coacto exercitu castra ad Ovacræ alveum locat. Pipinus insequutus, Saxonum legatos ad Missaham flumen obvios habet, quorum interventu pugna abstinetur. Suspicioſum visum Griphoni, nec hospitum diutius fidei credere, nec se fratri ausus, & omnia post regnandi ambitionem habens, anno sequenti, subitario ex popularibus collecto milite, valebat enim gratia apud plerosque Francorum, Lantfredo & Svigero auxiliantibus, sese magna vi improvisus in Bojos intulit. Facile fuit, incautos imparatosq; opprimere. Hiltrudem omnia alia à fratre exspectantem, in deditionem accipit. Vtilo, sive provincia abfuit, captante mulieris solitudinem Griphone, sive se fuga tutatus est.

ANN. POST CHR. NAT. DCCXLVIII

Discordia inter Bonifacium & Virgilium interim gliscebat, improbis pessimorum hominum rumoribus excitata auctaq;: tanto nimirum facilius, quod Moguntiaci unus Episcopus, alter apud Bojos, procul agerent, suffundit enim vires calumniæ longinquitas. Bonifacius Zachariæ questus, responsum sibi honorificum, in adversarium asperum abstulit. Cæterum Pontifex se Virgilium evocaturum, coram de causſa cognitur oſtendit. Caput epistolæ, quæ Kal. Maji hoc anno ad Bonifacium data, sequitur.

Epist. integra in vita S. Bonifac. & alibi exstat.

Intimatum est etiam à sanctitate tua, quod Virgilius ille (nescimus si dicatur presbyter) malignatus adversum te, eo quod arguebatur à te, erroneus esse à Catholica doctrina, seminaret odium inter te & Vtilonem Ducem Bojoariorum, dicens, quod à nobis accepisset licentiam, ut unius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diœcesim obtineret. Quod nequaquam verum est, quia mentita est iniquitas sibi. De perversa autem doctrina, quam contra Dominum & animam suam locutus est, quod scilicet alius mundus, & alii homines sub terra sint, aliusque sol & luna, si convictus fuerit ita confiteri, hunc accito concilio ab ecclesia pelle, sacerdotii honore privatum. Sed & nos scribentes prædicto Duci, evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, ut nobis præsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis decretis condemnetur. Qui enim seminant dolores, metunt eos. Pro Sidonio & Virgilio supradicto presbyteris, quod scripsit sanctitas tua, agnovimus: & illis quidem, ut decebat, comminando scripsimus, tuæ autem fraternitati credulitas plus quam ipsis admittetur. Si autem Deo placuerit, vita comitante ad sedem Apostolicam eos, missis, litteris ut prælatum est, evocabimus. Docuisti enim eos & non susceperunt, & factum est illis sicut scriptum est in libro Sapientiæ, Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam arenâ. Non ergo ad iracundiam provocetur cor tuum frater, sed in sapientia ubi tales repereris admone, obsecra, increpa, ut convertantur ab errore ad viam veritatis. Et si conversi fuerint,

Psal. 26.

Hæ litteræ intercederunt, si eas tamen Zacharias ut in animo habebat, scripsit, dubiũ enim fit ex sequentib.

Eccl. c. 22.

fuerint, salvasti animas eorum: si verò in malitia perseveraverint, mercedem laboris tui non perdes.

Disceptationis exitum non comperio. Fit verisimile, aut purgasse se Virgilium Pontifici, sive coram sive per litteras: aut cognitis invidorum utrimque fraudibus, nam quâ Virgilius animi probitate & vitæ sanctimonia fuit, quæ Bonifacio renuntiata, neque dixisse neque fecisse potuit ultrò, quod inter bonos solet, in gratiam esse reditum. Sanè Bonifacius toto deinde septennio superfuit, neque istius tamen dissensionis præterea vestigium apparet. Quod quidam conjecere, non abnuerim, Virgilium de terræ specie acutius, quam pro vulgi captu disputasse, globosam esse, & vivere è contraria parte, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocemus, hos perinde ac nos sole & luna lustrari: ea ignoratione audientium perperam accepta detortaq; longe & alio sensu ad Bonifacium perlata, offensionum præbuisse sementem.

Ne quis miretur, sufurronibus tantum inter Bonif. & Virg. licuisse, iidē propemodum Bonif. à Zacharia Pontif. alienarunt. Cui rei fidem facit epist. 8. to. 1. epistolarū decret.

Anno undequinquagesimo, Pipinus se bona & integra fide cum Vtilone in gratiam rediisse approbavit. Injuriam fratri illatam ulturus, cum Gripho sibi jam provincialium voluntates adjunxisset, & repugnaturum appareret, maximas florentissimasq; in Boicam copias duxit. Vt primum fines intrati, versa rerum facies, potior belli pars nominis fama, & solo terrore confecta est, hostes imbecillitate sua circumspecta, animis mox concidentes ne pedem quidem conferre ausi, omni cis Oenum provincia decedunt, fluminis objectu se & conjugia liberosq; tuentur. Substitere Franci, contractis navigiis trajecturi. Boji semel perculsi, oratores de pace cum muneribus mittunt, ipsi imperatis obsidibus sacramentum novant. Provincia tanta celeritate recepta, documento fuit, inanem & caducam esse, non sua vi nixam, occasionibus imminentem potentiam. Pipinus sororem cum Vtilone restituit, Thassilonem simul pueruluṃ Ducem appellat. Nec adversus Griphonem quidem fratrem exuens, duodecim in Neustria comitatibus donatum, & ipsum Ducum loco habet. Nequam animus nullis beneficiis flectitur. Ad Vaifarium Aquitanum, qui Francis bellum indixerat, recta abit. Vt ibi nihil profectum, ne ullam alieno à Pipino gentem intentatam relinqueret, profectionem ad Langobardos parans, in alpibus valle Mauriena interceptus, occisus est.

ANN. POST CHR. N. DCCLI. An. Fuld. Herman. Aimoin. alii.

Thorom. l. 6. copiosè, ubi Oenum Igni vocat, propius adver. naculum sonum In.

Arenpek. l. 3. c. 23. an. 748. perperam habet, alii 749. consensu. Thassilo hinc principatus annos numerare solito. De Griphone scriptores Francici passim, cujus mors in an. 751. incidit.

Anno quinquagesimo secundo, Merovea in Gallia stirps regnare desiit, dejecto, inq; monachum tonso Childeberto, Meroveorum omnibus nominibus postremo & ignavissimo, qui tantam contumeliam tacitus ferre potuerit, se tam luculenta hereditate, sine majori ullo motu, sit passus exui. Pipinum suffectum, & Pontificis auctoritate Regem appellatum, Bonifacius unxit.

DCCLII. De anno dissensus est, quidam 751. malunt, quod res eo anno cœpta, sequenti perfecta est.

Quod Vtilonem quidam ejus consilii auctorem scripsit, id verò hariolari est: neque quisquam ad regnum, qua plana & directa via, monitore eget, multi petiere per præcipitia. Childericum, sive in Medardi monasterium Suessionum urbe compactum, sive Emmerammi Reginoburgi, sive Novientum in Triboccis, sive Germani aut Dionysii ad Parisiorum Lutetiam, variè proditum. Vxorem fœminarum cœnobio ad Cochelum Boicæ lacum concluſam. Ego in tanto dissensu, nihil mea fide affirmatum volo.

Irenicus l. 12. Arnold. Vion. l. 4. c. 12. 15. & manuscripti.

Quinquagesimo tertio, Hidulphus Trevirorum Episcopus, monasticæ vitæ desiderio tactus, magistratu ultrò abiit. Fratres Erhardum & Albertum habuit: quos Nervios alii, alii Noricos hoc est Bojos, quidam, quib⁹, si verum amamus, rectius credim⁹, Scotos dixere: sanctitate præstitisse satis convenit. Hidulpho sufficiendus Erhardus, Reginoburgum aufugit, ibi editis miraculis & vitæ innocentia clarus, monasterio, quod vivo latibulum præbuit, inferius appellant, mortuus humatur. Albertus Romam religionis caussa profectus, & redux defunctus, eodem cum fratre sepulchro conditur. Episcopos fuisse, uti non pernego, sic profectò Reginoburgensibus nemo rectè annumeret. Ante enim Garibaldum, quod isti ponunt, temporis ratio referre non patitur, posteriores autem Arnolfus ordine recenset, nec inter eos ista tamen nomina. De Velipholægo sive Wolflaico, quem Erhardo & Alberto subjiciunt, in neutram partem liquet. Sequenti anno commentariolus perscriptus est, quem in S. Emmerammi monasterio autographum extare ajunt, cum epilogo. Scripsi ego ipse Vhicterbus, quamquam peccator, Episcopus, jam senex, puto nonagenarius, aut supra, dolentibus membris & caliginantibus oculis, hoc non quasi potens, sed pro studio charitatis quam circa te habeo. Quia volebam, dum sæculi dignitatem regis, vitam æternam nunquam perdas. Pax tibi & vita à Domino augeatur. Amen. Et fiat, fiat. Tertio anno regnante Pipino filio Carli Rege Francorum, in mense Junio, in diebus decem scripsi hunc libellum, hoc est, anno DCCLIIII. à nativitate Christi, septima indictione.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLIII.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLIV.

Catal. episcop. Trevir. & Abbatum monast. S. Maximini. Catal. Reginob. Crantzepol. perperam pro Erhardo Eberhardum habet.

Garibald. iniit an. 739. Hidulphus abdicavit an. 753. quæ res Erhardo Reginoburgum veniendi occasio fuit.

Arnolf. de vita S. Emmer. l. 2. Extat Wicberthi nomen, cum Wera, Burgardo, Abelo & Wibaldo coepiscopis, in epist. quam S. Bonifacius ad Athelbaldū Regem Merciorum scripsit an. 745 quam Baron. annalibus inseruit.

Vhicterbum verò ubivis terrarum potius, quam Reginoburgi extitisse Episcopum, eædem rationes evincunt. Neque illos mirari desinam, qui non expensa tam distincta notatione temporum, Garibaldum Vhicterbo succesisse, nugari adhuc pergunt.

Anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Bonifacius impiorum latronum scelere in Frisia trucidatus, spiritum Deo jam olim devotum, sanctè reddidit. Quem cum vita multis & præclaris exemplis acta, bonis omnibus commendasset, tum multò magis mors, pro religione constanter adita, & quæ mortem divi-

DCCLV.

Vita S. Bonif.

divinitus prodigia consequuta sunt, in æterna laude posuerunt. Quod si qui nunc demũ, virtutẽ quam venerari debebant, jejunis & ineptis calumniis incessere pulchrum existimant, unum assequuntur, ut importunum irreligiosæ mentis morbum aperiant, Bonifacii memoria, supra omnem judiciorum aleam, Boicæ semper sancta erit. Neque non fructus ejus doctrinæ constitit, nunquam pietas culta impensius. Quod ipsum pleraque monasteria per id tempus posita indicant, post tot sæculorum etiam ætates, & structuræ dignitate, & vectigalium magnitudine adhuc miranda. Princeps Vtilo Altachium utrumque condidit: superius & inferius ad nominis distinctionem appellant. Fama manet, nec à nominis ratione, nec à vero abhorrens, stetisse iis locis ad Danubii ripam prægrandes & annosas quercus, Deorum superstitioni dicatas, quas victimarum sanguis sæpe respersérit, Bojos, postquam gentilem errorem excussêre, excidisse, ecclesiis Christiano ritu substitutis. Nam Maximus Tyrius, ex Platonis schola philosophus, altissimam olim quercum pro Jove Celtico cultam scriptum reliquit. Vtilonis item opus Mansæum ad lacum, Niderburgum, Pfaffenminster, & quæ quorundam sententia, Osterhova. Quibus ædificandis Pyrminii sanctissimi hominis consilium sequutum, Pyrminium sive Meldensem sive Metensem Episcopum ferunt. At fidem tabulæ ecclesiasticæ neutrobi firmant: eo Meldis aut Mediomatricum urbe, sive natum, sive profectum, sive utrumque nomen corruptum esse, quam in earum alterutrâ Episcopum extitisse, magis credam. Is peregrinis monachis comitatus, Martelli temporibus in Germaniam veniens, monasteria complura, priusquam Boicam attingeret, constituit: ampla & opulenta inprimis duo, Murbaci ad montem Vogasum unum, cui Vivarium peregrinorum nomen ex re inditum, alterum in Acronii lacus insula, qua olim Tiberium pro arce bello Vindelico usum esse, Rhenanus ex Strabone conjicit, Augia dives ab opum magnitudine dictum est. Quod verò Martello patrono uteretur, Theobaldi Suevorum Ducis factione inde pulsus, multis post annis primum apud Vtilonem gratiæ locum tenuit. Vtilonis etiam ope monasterium ad Isenisicum amnem Josephus Episcopus, Erimberti in Frisingensi ecclesia successor, condidit. Pipinum auctorem Altenminster laudat. Altoni Scoto, cui cœlitum honorem posteri habent, Pipinus terrarum tractum, sylvis vastum & horridum contribuit, Alto succisis extirpatisq; arboribus, ad hominum cultum purgavit. Sed Lanfridi, Valdrami, Elilandi, illustrium fratrum, in hoc genere monumenta, non tam laudem & admirationem habent, quam fere est, ut fidem vincant, quippe quibus maximorum hodie Regum comparata munificentia, tenuis sæpe & modica videatur. Sunt, qui Valterio

Fere ex privatis monasteriorũ annalibus, mss. aliis, & Hudii metrop.

Alt-aich, annosa quercus. Max. sermone utrũ Diis dicanda sint signa.

Privilegiũ Theodorici Regis, qui iniit an. 720. Datũ mense Julio, die 18. an. regni 3. sic habet: *Venerabilis vir Pirminius gratia Dei Episcopus, noster temporibus, cum monachis suis, Deo inspirante, pro Evangelio Christi peregrinatione susceptâ monasteriũ virorum in extremo castro, qua Vosagus appellatur, in pago Alsacensi, in loco, qui vocatur Vivarius peregrinorum, (qui ante appellatus est Murbach) in allodio fidelis nostri Ebrobardi Comitis, cũ ipsius adjutorio, Deo donante cœpit construere.* Hinc, quod quidam negant, certò confirmatur, Pyrminium sive Perminium Martelli ætate venisse in Germaniã.

Bliantii Comite natos, Valterium cum Martello ex Gallia venisse tradant: alii Antorfæ & Loyse Comites aliquanto probabilius existimant, nam peregrinitatis fidem, potentiæ æstimatio detrahit. Octo per omnem Boicam sparsere monasteria, quorum genuina, ut adhuc fecimus, ponemus nomina, dura quantumvis & aspera, ne iis inflectendis molliendisq; speciem ita cõmutemus, ut rebus sua natura perspicuis, non necessariæ tenebræ pereleganties colorem obducantur. Origines distinctè excutere, aliam historiam postulet. Beuren, Schlechdorf, Vessesprun, Polling, supersunt post annos paullò minus octingentos, sive à primo ortu incolumia, sive restituta: Siverstat, Sandau, & Stafelse, Cochelense, ad cognomines utrumq; lacus, perierunt. Bonifacius templa dedicavit, cœnobia legibus ad Benedictinam normam instituit. Prioribus monachi, postremis tribus virgines transcriptæ, Cochelensi Gailsvindis, trium fratrum soror præfecta. Monasterium ad lacum Tegerensem per eadem tempora conditum, quod cætera quam latè Boica patet, splendore & dignitate multis modis superat, fossa & propugnaculis in regiæ speciem cinctum; nam & Abbas ministris ex equestri nobilitate, Principum more utitur, & verò Principis aliquando nomen ab Imperatoribus tulit. Condidere Adalbertus & Otkarius Tegerenses Comites, sive Grimoaldo Duce, sive patre Hartwico Burgundo, matre Boja nati, duplex enim hîc quoque fama est. Vetustorum diplomatum fide hactenus liquet, illustri genere ortos, quod Reges propinquitate attingerent, cætera fere obscura sunt. Romam religionis caussa profecti, cum omnia hostium incursionibus vasta, urbem luctu & pavore oppletam reperissent, commoti homines militares, qui primam pietatem interpretarentur, sacrorum sedem inultam indefensamq; non relinquere, sese Romanis duces eosdem vindictæ, socios periculi præbuere. Nec mora, hostes aggressi, secundis aliquot prœliis, egregia virtute, ingentem gloriam pepererunt. At hæc narratio quorundam temeritate in vanitatis suspicionem traducta est, qui, quod sæpe queri necesse habeo, ornandi studio colorẽ fuco mentiti, nec rerum nec temporum rationi cõsentanea assuerunt. Zachariam nominant, quo ego Pontifice Romam nec captam, nec omninò obsessam legere memini: operam, de qua quærimus, ecclesiæ sub Gregorio tertio præstitam sentio. Antequam iniret Zacharias, Trasemũdus Spoletanorum Dux, Langobardicum imperium detrectans, ad Gregorium profugerat, neque repetitus dedebatur. Indignatus Luitprandus, Romanum agrum cum infesto exercitu invasit, oppidis aliquot captis, urbem obsedit, augustam S. Petri basilicam, quod mœnibus non contineretur, injuriæ expositam, spoliavit. Pepercerant superioribus sæculis victores Gothi, religione quamtumvis Ariani tacti, quo indignius in Catholicis visum facinus.

Arenpek. l. 2. c. 23.

Tegerensis monasterii annales privati copiosè, quos qua ratione corrigẽdos censeam, explico.

Ottonis 2. privil. *Germani fratres & illustres comites.*

Henrici 6. privil. *Comites Otkarium & Albertum regalis prosapiæ exortos.*

facinus. Obsidione soluta, & Rege digresso, Trasemundus, Romanorum qua auxilio qua consilio subnixus, id enim Anastasius indicat, sese diversis itineribus in Spoletanorum fines inferens, universum Ducatum brevi recepit. Redit Luitprandus, pluribus exercitibus Romanos aggreditur: ut priori quidē bello Gregorius ad Martellum scripserit, persecutionem & oppressionem gentis Langobardicæ, jam sufferri non posse, posteriori epistolam ita orsus sit, Nimia fluctuamur tribulatione, & lachrymæ diu noctuq; ab oculis nostris non deficiunt. Horum igitur alterutro, & superiori maximè, Comites Bojos Romanis opitulatos existimo. Nam Zacharias à Langobardis itidem lacessitus, rem precibus & legationibus, inermis confecit. Quod si extarent litteræ à Zacharia ad Bonifacium scriptæ, quas Metellus poeta ante annos amplius quingentos legit, & in quibus omnem ordine historiam, dissimulatis tantum nominibus, descriptam fuisse significat, haberetur temporis conjectura proclivior, & omnino confirmatior. Nunc quodcumque id tandem, magna factum sequuta gratia, Pontifex egregii muneris loco, S. Quirini corpus petentibus concessit, quod in Tegerensi ecclesia sanctè adhuc colitur. Reversos, ardens adeo religionis studium subiit, ut posthabitis, quæ apud mortales cæteroqui prima sunt, monachorum institituta, in monasterio quod ipsi condiderant profiterentur. Nam id antiquitus à viris cum dignitate & potentia principibus, tum omni anteacta ætate militari fortitudinis laude florentibus, scimus factitatum, sæpius quam nunc aut soleat, aut pro ista temporum remissione & segnitie prope sit credibile. Major fratrum Adalbertus, Abbas dictus, centum quinquaginta monachis præfuit. Sorore Adalberti Vto natus, avunculorum pietatem tam religioso sæculo pro viribus æmulatus, Ilmunster ad Ilmum an Ilmonem amnem instituit: quod collegium, dudum antequam hæc scriberemus, Monachium ad virginis Mariæ translatum est. Tot ergo tantarum molitionum & impensarum sacra ædificia, viginti fere annorum curriculo, intra unius provinciæ fines excitata, & annuis immensis reditibus instructa, fidem pietati quam laudavimus astruunt: nec enim eorum ullum aut annum septingentesimum undequadragesimum prævertit, vel sexagesimum ejus seculi subsequutum est.

Septingentesimo quinquagesimo sexto, Pipinus Astulfum Ticini obsidione cinxit, pœnas Langobardicæ perfidię ab eo exacturus. Ibi Thassilonem prope puerum in castris & procinctu habuit. Sigebertus gratiam tum inter eos reconciliatam scripsit: verum ut credamus non impetrat, cum nec inimicitiæ prius fuerint,

ANN. POST CHR. N. DCCLVI.

Anastas. in vita Greg. 3. & Zach. is pleraque sub exitum Greg. gesta, principio Zach. refert, quod parum attentos lectores fefellit. Epistolas Gregor. h bet Baron. an. 739. & 740

Metell. Quirinalib. oda 20. de Zach. *Restantur super hac sua scripta, Data quondam tibi præsul Bonifaci pie martyr, Ea nostram quoque firmant rationem* Zachariam rem sub Gregorio gestam descripsisse suspicor, & Metellum ad lapidē, ad quem pleriq; alii, impegisse. Vtonem quidam Alberti & Otkarii fratrem, quidam sororium dicunt, quos Metell. sequitur. Sed in vetusto Tegerensium codice Alber. & Otkar. Vtonis avunculi disertè nominantur. Vto ipse Metello oda 23. Audoen sē.

Ticinensi obsidioni quidam an. 755. assignant, nos annales Francic. & Fuld. sequimur. Thorom. l. 6. *Rex Pipinus cum nepote suo Thassilone Bojoariorum Duce, partes Italiæ usque ad Ticinum iterum accessit, &c.*

fuerint, nec per alterius ætatem etiam esse quiverint. Sequenti, Thassilo primoribus Bojorum comitatus, Francorum conventum Compendii adiit, se suaque Pipino in clientelam, quam Vasaticum veteres annales appellant, solemni gentis more tradidit, sanctissimo juramento interposito, se in ipsius filiorumq; fore potestate, neq; officio unquam decessurum. Eadem fuit procerum formula. Et sacramenta deinde ad tutelarium divorum corpora, Dionysii, Rustici, Eleutherii, Martini, Germani repetita. Qui sive testes jurisjurandi bona & integra fide culti, sive eo violato, perjurii aliquando vindices essent atq; ultores. Decimumquintum annum agebat Thassilo, cautum verò feudorum legibus, quæ quamvis post hæc tempora perscriptæ, ad antiquissimas consuetudines conformatæ sunt, ne minor sacramentum præstare cogatur, priusquam ætatem doli capacē attigerit, quam jurisconsulti anno decimoquarto exacto definiunt. Fœdus sexennio sacrosanctum perstitit, Bojus Francis Saxonico atq; Aquitanico adversus Vaifarium bello affuit, cum Carolus Pipini pari ætate filius Aquitanico tirocinii quoq; rudimenta poneret. Anno sexagesimo tertio, cum Nivernensi conventu iterum expeditio in Vaifarium pararetur, incertum qua re mutatus, exercitum per valetudinis simulationem deserit, & ut primum in patriam reversus est, defectionis consilium palam nudat, conceptis verbis professus, se verò in Pipini conspectum posthac non rediturum. Gallici scriptores, & fidei neglectum, & propinquitatis jus violatum objiciunt, tum beneficia, quæ ab ineunte ætate multa in eum Pipinus contulit, odiosè exprobrant, quod unum maximè par erat, offensionis causas non aperiunt: altum & acerbum equidem vulnus fuerit oportet, quod cicatricem aliquando visum ducere, plenæ curationis fidem nunquam implere potuit. Vt Pipinum ea cura incessit, Francorum consilium postero anno Vormatiæ cogit. Ibi fixum omnibus & destinatum, desertorem ferro ulcisci: sed dubii erat discriminis, gravibus duobus bellis, tanto præsertim locorum intervallo, uno eodem tempore implicari, Bojis ergo dilatis, cum Aquitano debellari placuit. Proximo, Vtilo fatis concessit. Sunt qui Osterhovæ ferant cum uxore conditum, & monumenta monstrantur. Alii Gengenbachi extra Boicam obiisse produnt. Ego illis credo, qui in monachum tonsum, Altachium inferius incoluisse, & ibi sepultum scribunt. Quo tempore filius Pipino sacramentum dixit, patrem religiosam vitam professum, ditionem abdicasse, verisimile fit, neque exin quidquam principis jure egisse comperio. Thassilonem ab Vtilonis morte, Pipini jussu & voluntate imperasse, annales habent, ut in gratiam rediisse necesse sit: quam quibus

ANN. POST CHR. NAT. DCCLVII. DCCLXIII. DCCLXIV. DCCLXV.

Aimoin. l. 4. c. 64. Annal. Franc. Ado Fragmentum chron. ms. *Thassilo Dux venit Bojoariorum, in vasatico se commendãs per manus, sacramenta juravit multa & innumerabilia, reliquiis sanctorum martyrum manus imponens, & fidelitatem promisit Regi Pipino, & supradictis filiis ejus, domino Carolo & Carolomano, sicut vassallus, recta mente & firma devotione per justitiam sicut vassallus domino suo esse deberet &c.* De feud. l. 4. tit. 13. & ibi Cujac. Largiter errant qui 12. annos fœderi tribuunt, annal. Franc. sub Ludov. scripti & Fuld. consentiunt, Thassilonem fugisse an. 763. Carolum bello Aquitanico interfuisse, iidem habent, & Aim. l. 4. c. 65.

Annal. Franc. & Aimoin Regino superiorem annum habet.

Digitized by Google

bus officiis,poſt apertas & profeſſas inimicitias, emeruerit, veteres ſcriptores, qui quidem extant, nihilo magis quam quæ fuerint prima offenſionum initia,explicant, ſive Vtilo, contentionum caput,odia morte explevit,ſive Vaifarii arma,uti prius proferendo bello,ita nunc ſanciendo fœderi cauſſam præbuere: reliquum enim ætatis Pipini Vaifarius armis omne exercuit, hoc, anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo occiſo, ille paullò poſt vita etiam functus eſt.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXVIII

De Samone ſuperiori libro dictum, humili loco natum Carãtanis Dagoberto Rege imperaſſe,ſtrenuè & fortiter. Impar ſucceſſorum virtus,ne tam ſplendido quidem exemplo excitari potuit. Pipini ævo principatus Boruto obtigit, qui Hunnicis iterum armis preſſus, imbecillitatis conſcientia Bojos implorat. Cum adverſus perniciſſimum hoſtem, omnia in celeritate eſſent poſita, auxiliis propere ſubmiſſis, Hunni facile pulſi ſunt. Sed grande victores operæ ſtatuere pretium, petito Francicorum Regum nomine imperio gentis,quæ ſe ſuis viribus tueri non poſſe fateretur. Proclive fuit,armatos à perculſis impetrare, quæ vellent. Ictum fœdus,obſides imperati, inter quos Karaſtus Boruto genitus, & Chetimarus fratris filius. Borutus utrumque inſtitui,& Chriſtiano ritu tingi volu.t. Dubium an religione ſeriò tactus,an quo victoris populi animos obſequio demereretur. Mortuo Boruto Karaſtus ſucceſſit, Francorum voluntate Carantanis petentibus redditus. Quo intra tertium etiam annum extincto,Chetimarus Pipino auctore Dux appellatus eſt. Eum Lupus ſacerdos, inſulam quæ in Chimo lacu incolens,ex ſacro fonte ſuſceptum erudierat:tum ſanctis monitis abeuntem proſequutus, inprimis hortatur, Salisburgenſem eccleſiam venerari pergeret,inde ſacrorum doctrinam & ritus peteret, Majoranum presbyterum adjungit, Salisburgenſis monaſterii alumnum, ſibi ſanguine proximum, eadem coram uſque inſtillaturum. Religiosè paritum, Chetimarus annuis deinde obſequiis animum ſacræ ſedi obnoxium teſtatus eſt. Nam inſigni ſanctitatis laude Salisburgenſes ferebantur, quæ nedum vicinos, ſed magnis etiam terrarum ſpatiis diſſitos,in amorem atque admirationem raperet. Extat Alcuini an Albini in eam ſententiam epiſtola,quam exſcripſimus, eo libentius, quo luculentius & gravius eſt hujus viri teſtimonium, qui omnis tum doctrinæ princeps citra controverſiam habitus.

Pag.118.

Mſſ. & vita S. Virgilii tom.2 ant. lect.

Al. Cacatius.

Al. Chetumarus & Chetmars.

Sanctiſſimis in Chriſto fratribus Juvavenſis eccleſiæ, humilis levita Albinus,in Chriſti charitate ſalutem. Audiens laudabilem in Chriſto unanimitatis veſtræ converſationem, multa animus meus lætitia gaviſus, multoq; anhelabat deſiderio præſentiali-

Alc. ep.20. tom.1. ant. lect.

tialiter ordinem videre veſtrum, & me ipſum humili devotione veſtris ſacroſanctis commendare orationibus. Sed quia hoc uſq; prohibuit variarum eventus rerum,& prolixa terrarum longinquitas,meæ parvitatis litterulas in hoc officium dirigere curavi, ut deſiderium cordis mei in apicibus cognoſcatis , quod & olim pio patri Aquilæ Pontifici, Germano meo, paſtori veſtro injungere ſtudui , cupiens ſpiritali præſentia unus eſſe ex vobis & unum eſſe vobiſcum , ut veſtra me ſanctitas à terrenis levaret cupiditatibus, & in cœleſti vobiſcum collocaret deſiderio.O quam felix eſt vita monachorum,Deo placabilis,angelis amabilis , hominibus honorabilis. Qui hac feliciter vivit inter homines,haud dubium feliciter regnat inter angelos. Hanc primitiva per A-
Act.2.& 4. poſtolos in Judæa initiavit eccleſia , quibus omnia communia fuiſſe leguntur,& nemo aliquid ſuum eſſe dicebat. Hoc non ſolum in ſæculari ſubſtantia ſervandum eſſe arbitror , ſed etiam in deſideriis ſpiritalibus, ut omnes unum concupiſcant, & obedientiæ bonum magis exſequantur, quam propriæ voluntatis affe-
Joan.5.& 6 ctum. Si Chriſtus ſuam non venit facere voluntatem,ſicut ipſe in evangelio teſtatur, ſed Patris , quanto magis monachus ſuam non debet facere voluntatem , ſed Chriſti , nec ſegnis in opere Dei , ſed ſtudioſus , nec tantum conſiderare quid jubeatur , ſed
Num.16. quomodo perſpiciatur quod jubetur. Nec ullatenus murmurationis malum creſcat in aliquibus. Si aliqui ex populo Dei in eremo propter murmurationis perierunt peccatum, quanto magis monachus monaſterii , ſpiritali plectatur vindicta,ſi murmurationis malo mentem inſoleſcere non metuit. Quapropter, cum gratiarum actione accipiat, quod ei paſtoris cura præviderit ſufficere. Sit enim ſanctæ pacis concordia inter ſanctos,vitæ caſtitas in adoleſcentibus , morum gravitas in ſenibus, fervor operis in juvenibus , nec quisquam ſe canonicis horis vel regularibus pſalmodiis ſubtrahat. Melius eſt cum angelorum cœtibus Chriſtum laudare,quam torpentem ſegnitia ſomno delectari , vel vigilando inania exequi deſideria. Et non ſolum verba ſanctæ lectionis reſonent in ore,ſed intima cordis compunctio ſequatur verba legentis vel cantantis. Et nullatenus horis competentibus ſacræ ſcripturæ lectio recedat de manibus , quia diverſæ nunc hæreſes, ſicut audiſtis , catholicæ fidei puritatem maculare nituntur. Quapropter armate voſmet ipſos ſcientia veritatis,ſententiis evangelicæ auctoritatis , ut reſiſtere valeatis contradicentibus veritati. Quomodo pugnat inermis ? vel quomodo docere poteſt qui diſcere noluit ? Spiritales ſunt divitiæ , ſapientia in
Prov.21. corde ut Salomon ait , theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore prudentis. Sanctæ fidei veritatem diligenter diſcite, & agnitam cordis recondite theſauro, & ſpe firmiſſima vos retinete ad Dominum,

minum,& charitate ferventiſſima illum amate,honorate,& laudate , quia hæc eſt pars optima,quam Maria elegit, ſedens ſecus pedes Domini,quæ non auferetur ab homine in æternum. Sed tanto ardentius poſt hanc vitam amatur Chriſtus,quanto perſpicacius ejus intelligitur bonitas.Sed non eſt opus meæ parvitatis, vos admonere de ſingulis , dum habetis ſacrę inſtitutionis libros notiſſimos,& pium patrem paſtorem veſtrū præſentem, qui vos viva voce melius admonere poterit,quam mea ſeries litterarum. Tamen, ut debitam vobis oſtenderē charitatem, paucis vos apicibus appellare ſtudui, ad cognoſcendam in vos meæ dilectionis fiduciam. Præfato itaque patri cum omni humilitate obedite. Ille habet rationem reddere ſolicitudinis ſuæ pro vobis, & vos obedientiæ veſtræ in illum æqualiter rationem reddere habetis. Ille pro vobis in magno poſitus eſt periculo : vos pro illo magna charitate intercedere ſtudete , ut mercedem pro vobis habeat apud Deum, & vos requiem cum illo habeatis in regno Dei.Filiorum eruditio laus eſt magiſtrorum,profectus gregis merces eſt paſtorum.Divina auxiliante gratia cuſtodite vos fratres,in omni caſtitate,humilitate,concordia& charitate,onera veſtra invicem portantes. Omnis ſermo malus & impudicus & impatiens, & inutilis ex ore veſtro non procedat , ſed quæ ſunt ſancta , pia & juſta, & veſtræ condigna ſanctitati , ad exhortationem audientium loquimini. Et ſemper Deus honorificetur in ore veſtro , & quæ ad pacem pertinent veram,tota ſectamini intentione,& Deus pacis erit vobiſcum. Luc.c.10.

Aquila Pontifex,quem Albinus germani nomine dignatum, Juvavienſium paſtorem appellat , Joannes eſt Epiſcopus, Salisburgenſi ſedi à Bonifacio,cum Bojas diœceſes diſtingueret, præfectus. Amat quippe Albinus hos ingenii luſus ſectari, Carolum fere Davidis,& alios item ſæpe aliis effictis nominibus compellans. In Aquila plana & manifeſta ratio,cum Evangelicæ hiſtoriæ ſcriptorem Joannem illa volucris deſignet. Eâdem figurâ ſequens epiſtola ab Albino ad Joannem ipſum ſcripta eſt.

Chariſſimo germano Aquilæ antiſtiti,Albinus ſalutem. Si mihi gerulus gratus occurriſſet , ſæpius tuæ ſcripſiſſem dilectioni, ut litteris implerem, quod verbis non potui,& charitatis dulcedinem,lingua tacente,apices monſtrarent. Hoc dedit Deus abſentibus in ſolatium , ut per chartas loqui potuiſſent,& neceſſaria proferre in cor alterius, dum animus gravi carcere corporis circumſeptus, ſuæ naturæ velocitatem explicare valet, indices litteras fraternus amor ſibi invicem dirigeret. Quid de gloria ſanctorum dicendum putas ? Ubi nulla tarditas ſarcinæ corporalis,quæ voluntati obſiſtit,quin quod placeat impleat. Quid eſt hoc ſæculum niſi miſeria, & velut umbra fugax, & ſeducens Epiſt.35. f.non valet.

delectatio? Festinemus tota mentis intentione ad illam requiem, quam nullus dolor perturbat. Ascendamus per gradus charitatis ad illam civitatem, in qua Deus solus Rex regnat in æternum, in qua tota beatitudo sine ulla miseria viget & valet. Vt ad illam pervenire mereamur, eodem auxiliante Rege, nos invicem exhortemur, & velocior charitatis cursu, tardiorem admonitionis sedulitate trahat. Tum etiam fraterna diligentia socordiam castiga, vel tuæ sanctitatis precibus jacentem releva, ut fraternæ dexteræ ducatu, non lasseſcat in via veritatis, qui huc usque se volvebat in sæculi cœno. Veniens veniebam ad sancti Amandi protectoris nostri dulcissimas mansiones, quærens amatorem meum, ut ejus dulcissimo eloquio refrigerarem animam meam: sed quia necdum de nido Juvavensi avis optata evolavit, misi hanc invitatoriam obviam illi chartulam, ut nostram agnosceret prosperitatem, vel suam nobis præsentiam designaret. Fidelis amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile conservatur, cujus dulcedo omnes sæculi superat jucunditates. Quid divitiæ sine amicis? Avarus aurum quærit, & quid in auro nisi species vana? Nonne unus panis esurienti melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non possidenti. Ideo demus divitias in præsenti, ut in futuro possideamus illas, nam pauperis manus gazophylacium est Christi. Nullus melior custos divitiarum est, quam Christus. Proficientem te, charissime frater, divina auxilietur gratia in æternum.

Vt visum hæc tantæ vetustatis monumenta Salisburgensi ecclesiæ asserere, haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, ut ab Albino tradita perscriptaq; sunt, referre. Neq; vereor, ne quis plus justo à rerum ordine declinatum existimet. Celebris Salisburgi S. Amandi ædes, dulcisimæ appellationis nomine ab Albino designatur, in qua S. Maximi & sociorum cadavera condita fuisse, libro tertio narravimus. Joannes verò Episcopus, Pipino adhuc vivente defunctus, Virgilium successorem habuit. Comes Sidonius, Batavensi cathedra post Vivilonem potitus est. Virgilius, etsi omnem pastoris & curam & laborem gnaviter obiens, qua tamen erat animi demissione, ut Episcopi nomen dignitatemq; reciperet, toto biennio reluctatus, vix tandem, continuis provincialium Episcoporum precibus persuaderi potuit. Interim vicaria Dobdæ cujusdam opera usus, in iis quæ honori & ornamento Episcopis magis, quam oneri censentur, nam in hunc eum finem secum adduxerat. Episcopus appellatus, Dobdæ Chimensis insulæ procurationem contulit. Neque de cætero quidquam antiquius habuit, quam sacra, sacrorumq; splendorem asserere. Ingentis, & posteris quoque admirabilis molis basilicam, plurium annorum opere exædificat, Pontificiam cathedram, quæ

Pag. 94. Ex catal. Salisburg. & Batav. Vita S. Virg

Cum an. 1181. S. Virgilii sepulchrum detegeretur, imago

quæ ad D. Petri monaſterium adhuc fuerat, ibi collocat, Ruperti ſimul & Cunibaldi & Giſilarii corporum reliquias religioſè transfert, ut loco nimirū reverentia accederet, tum ſibi ſucceſſoribusq; Epiſcopis tanquam ſpeculum, quod ante oculos ſitum ſemper inſpicerent, proponeretur. Sæpe à Chetimaro evocatus, recurrentibus identidem armorum motibus impeditus, venire diſtulit, ſed præſtanti virtute legatos in Carantanos miſit, Modeſtum Epiſcopum, Vatonem, Reginbertum, Gozarium, Latinum presbyteros, Richardum diaconum, & clericos præterea aliquammultos, qui Chriſtianam religionem per omnem provinciam ita procurarent, ut ne quâ à ſanctorum patrum decretis, præceptorumq; traditionibus diſcederent. Eccleſiæ Mariæ virgini in Solvenſis oppidi ruinis & Liburnia, tum aliæ alibi poſitæ. Latinus, qui Salisburgum redierat, poſt Modeſti obitum iterū ac tertium remiſſus eſt, tum Madalous, & Varmanus etiam presbyteri. Recrudeſcente verò à Chetimari morte bello, ſacerdotibus ejectis, provincia Chriſtianis ſacris per aliquot annos caruit, donec poſtulante, qui provinciam deinde tenuit, Valtunco, Virgilius denuo Heimonem, Reginbaldum, Majoranum, Gozarium, Erchenbertum, Reginardum, Auguſtinum & Guntarium, nec enim piget tot nominum aſperitatem aſcribere, pluribus commeatibus ſubmiſit. Barbaricæ tandem ſuperſtitioni radicitus exſtirpandæ, & confirmandæ pietati, cujus fundamenta iſti jeciſſent, ſe ipſum itineri accingit. Mira omnium ordinum gratulatione exceptus, agris, vicis, oppidis tota provincia luſtratis, concionibus ad populum paſſim habitis, eccleſiis dedicatis, & clericis ad ſacros ordines lectis atque initiatis, ad Hunnorum usque fines, ubi Dravus Danubium illabitur, pervaſit, tam crebra tamq; ſplendida ubiq; virtutis & ſanctitatis impreſſa relinquens veſtigia, ut eum omnis Carantanorum poſteritas Chriſtianæ fidei doctorem & Apoſtolum concelebret. Atque hæc certis annorum ſpatiis digerere, ſuſcepti operis ratio admonebat, ſed negligentia commentariorum unde haurienda fuere, premimur. Hactenus liquet, in Pipini & Caroli tempora, quæ ſive exequuti, ſive mox exequuturi ſumus, incidiſſe.

depicta eſt carmine reperta eſt, *Virgilius templum conſtruxit ſebemate pulchro.* Vita S. Virg. c. 5.

Variè hæc nomina in antiquis codic. ſcripta extant.

Pipinus Carolum & Carolomanum filios reliquerat, uterque Rex appellatus eſt. Berta mater, Langobardicas nuptias majori conciliatura, anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo in Italiam proficiſcens, iter per Boicam tenuit. Minore ſub finem ſequentis in ipſo ætatis & fortunæ flore rebus humanis erepto, imperii ſummam ad unum Carolum devolvitur. Thaſſiloni LVITPVRGA uxor erat, Deſiderio Langobardo Rege nata, ea GVNTHERVM prius, THEODONEM anno ſeptuageſimo ſecundo perit. Theodonem Hadrianus Pontifex ſalutari lavacro abluit, cum

Ado, Reg. Aim. l. 4. c. 68.

Mſ. S. Emmer. Steind alii.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXX. — DCCLXXI. — LVITPVRGA GVNTHERVS THEODO SEXTVS. DCCLXXII.

cum parentes Romam, religionis opinor cauſſa, adiiſſent. Nam qui Thaſſilonem in Caroli comitatu eo veniſſe pertendunt, præterquam quod duos annos interjiciant oportet, mihi haud temere perſuadent, ſive Bojum, quo erat in Francos animo, ſui ipſis tam prolixam poteſtatem feciſſe, ſive Carolum ejus opera Langobardico bello uſum, qui Deſiderii filiam in matrimonio haberet, quod tamen utrumque ſit conſequens, ex Ticinenſi enim obſidione Carolus Romam profectus eſt.

Joã. Steind. mſ. S. Emmer. & alii. S. pag. 93. Catal. Epiſcoporum Sabionenſium ſic habet. S. Caſſianus, S. Ingenuinus. S. Conſtantius. Præconius, ſive Procopius, Conſtantius. Vrſus. Pigencius. Projechus. Maturninus. Marcellus. Valerianus. Agnellus. Anthanus. Antonius. Laurentius. Joannes. Alimo. Otfrid. l. 4. 6. *Iob then adalerbon, Sed tho thesſan Warbon.* Cap. 39. *Ego iribo Heres, licet indignus, ipſius Friſingenſis ſedis Epiſcopus.* Hebræis *joreſti* heres eſt. Sed Cyrini etymologiæ color ex Græco ſermone peti poteſt, ſiquidem Juriſconſulti heredem tanquam herum dictum contendunt. Inſtit. de her. qual. & differ.

Domeſtici annales, Carantanos eodem anno à Thaſſilone victos atque ſubactos memorant. Rem tantam, nam ea ingens fuit Boicæ potentiæ acceſſio, verbo ſtrictim ſignificaſſe ſatis habentes. Valtuncum, quem Bojis volentibus regnaſſe, Virgilii amicitia oſtendit, prius obiiſſe, in dubium, apud me quidē non venit.

Bojorum inde concilium Prid. Id. Octobr. Dingolvinguam indictum. Alium prius conventum Aſchaimi actum, ſunt qui ſcripſerint, cujus ego nulla adhuc ſatis certa detego veſtigia. Affuere Dingolvingæ Epiſcopi, primo loco Manno Nuenpurgenſis eccleſiæ, quæ poſtea Epiſcopos habere deſiit, diœceſis magna pars Auguſtanæ Vindelicæ conjuncta & inferta eſt. Alimus Sabionenſis poſt hunc. Quo fit, ut Sabionum in Thaſſilonis poteſtatem cum bona ſoceri gratia conceſſiſſe, & Boicæ rurſus contributam fuiſſe exiſtimem. Habuit illa à Caſſiano, quem puerorum ſtylis confoſſum narravimus, complures Epiſcopos, inter quos Ingenuinus & Conſtantius ſanctitatis fama claruere, reliquorum nuda tantum nomina, atque ea ſæpe incerta, ſuperſunt. Alimum Virgilius Salisburgenſis: hunc Viſericus Batavenſis ſequitur, qui Sidonium, & Antelmum deceſſores habuit. Reginoburgo Simpertus, Garibaldi ſucceſſor venit. Vltimus Heres, Friſingenſis poſt Erimbertum & Joſephum Epiſcopus, idem Aribo & Cyrinus, unus tribus nominibus appellatus: niſi verius unum idem nomen, trium linguarum interpretatio eſt. Nam hoc quoq; non præter inſtitutum enucleabitur. Erbon & arbon, majoribus heredes dictos, qui nobis erben ſint, eo Otfridum, Germanicorum ſcriptorum antiquiſſimum, Warbon voci erbon, tanquam ſimiliter cadenti, in carmine oppoſuiſſe: accreviſſe mediam i, ex priſci ſæculi conſuetudine, quod crebrum vocalium interjectum, contra quam hodie fit, noſtri olim aucuparentur. Aribonem itaque, Latinè nil niſi heredem eſſe. Quod is ipſum ſcilicet reſpexit, utroq; in vocabulo in Corbiniani vitâ conjuncto. Quin longius progreſſus, cum in ſyllabo Hebraicorum nominum, qui ſive Hieronymo, ſive Bedæ auctoribus tribuitur, Cyrinum cum heredis interpretamento reperiſſet, quam verè, ſacræ linguæ gnari ſciunt, hac quoque elegantia, ut tum ſentiebant, delectatus, ſe ſub finem vitæ S. Emmerammi Cyrinum dixit. Vnde nemini adhuc ſuſpi-

Digitized by Google

ſuſpicari in mentem venit, eam ab Aribone ſcriptam : nec nobis quidem fortaſſe ſuboluiſſet, niſi lectione Arnolfi admonitis, à quo cum Cyrinum eundem Heredem eſſe didiciſſemus, facile fuit & Aribonem componere & tot diverſorum nominum cauſſas inveſtigare atq; eruere, ipſius præſertim Cyrini indicio, qui Joſephum ſive Joſeppum, deceſſorem ſuum diſertè nominat, ad Joſephum Friſingæ ante Aribonem ſediſſe, ex illius eccleſiæ tabulis comperimus. Abbates præterea tredecim Dingolvingæ præſto fuere: qui quibus tranſcribendi monaſteriis, parum ex antiquis monumentis liquet, neque ſine his bene recentiorum fidei creditur. Reliquorum procerum nomina non ſunt prodita. Acta, ſive actorum fragmenta verius, magnæ navis laceras tabulas, ex veterrimis membranis, priſcam pietatem venerati, huc transferemus, mutato nonnihil ordine; hinc enim initium ducendum eſſe, res opinor loquitur.

Arnolf. Comes epiſt ad Burcardū Abbatem to. 2. ant. lect. *In geſtis fidelium deſcendet domeſticus clariſſimi patroni noſtri Emmerammi martyris, dum à quodam, qui ſit Cyrinus & Heredem nominat, Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ut puto recitè ſcriptus.*

De concilio, quod Dux Thaſſilo apud Dingolvingam celebravit.

Quidam xxxi. habent, ſcriptorum errore. Membr. xxiiii. Rectè; cum Thaſſilo an. 749. Dux appellatus fuerit. Pro *ſub die conſulem* fort. leg. *ſub die Calliſti.* quæ Prid. Id. Oct. incidit. Etſi barbaro ævo, interdū diem & conſulem, indefinitè ſcimus poſita.

Regnante in perpetuum Domino noſtro Jesv Chriſto, in anno vero xxiiii. regni religioſiſſimi Ducis Thaſſilonis gentis Bajoariorum, ſub die conſulem, quod erat i i. Id. Octobr. atque anno ab incarnatione dominica dcclxxii. Indic. x. Divina præflatus inſpiratione, ut omne regni ſui prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolvingam nuncupatam, ut ibidem tam regulare moderaret in ſancto habitu cœnobium virorum & puellarum, quam Epiſcopales moderaretur obſequias, inſuper gentis ſuæ inſtitutiones legum per primatos imperitos, univerſa conſentiente multitudine, quæ reperit diuturna vitiata, & videbantur abſtrahendo evellere, & quæ decretis placerent componenda, inſtituerentur. Inter tot verò collegia ſacerdotum, devolutis Epiſcoporum & Abbatum in præſentia paginis, regularis ordines vitæ, atque canonum normas, vel decreta patrum, nullis comprobare quiverant teſtimoniis, ut monachis parochi commendari deberent, vel publica baptiſmatis obſequia, niſi forte pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio. Excepto viciſſitudinis villarum propriarum ſingulis annis obedientialibus curis commiſſio, ab Abbate proprio fuerint determinata. Vnde ab univerſis Abbatibus facta profeſſio, ut minimè titulis popularibus ſe ingerere depellerentur, & hæc omnia, cui commiſſæ ſunt plebes, ſub poteſtate Epiſcoporum permanerent, ſicut in ſanctis ſynodis, vel decretis priſcorum patrum, perarata comprobatur conſcriptio. Ab Epiſcopis verò ſimili modo, & nihilominus prælatis ponderaverunt ſententiis, ut erga eos charitatis gererentur curæ, ita ut canonica auctoritas confirmat, & ſpiritualis concor-

primates & peritos. diuturnitate. parochiæ. Excepto ſi. deberent. prolatis.

dia declarat. Hoc peracto concilio, & ab universis uno ore confirmato, it si quis de eâdem institutione deviare præsumpserit, â collegio eorum alienetur, usque iterato examine, id est publico synodo.

ut si quis

publica.

HÆC SVNT DECRETA, quæ constituit sancta synodus, in loco, qui dicitur Dingolvingen, Domno Thassilo mediante.

De die dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in lege scriptum est, & in decretis canonum, & si quid præsumpserit frangere contra legem, aut decreta canonum, tali pœna subjaceat, sicut ibi scriptum est. De hereditate, quæ tradita est ad ecclesiam, ita constituit, ut quisquis hereditatem suam ad ecclesiam ante donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ita scriptam, ut locũ & tempus & personam habeat, aut tribus testibus fidelibus & nobilibus testificetur. Si sacerdos non habeat chartam nec testem, ut prædiximus, tunc sicut in lege Bajoariorum, & judex judicât, sic defendat. De eo quod Episcopi juxta canones, & Abbates monasteriorum juxta regulam viventes, ita constituit. De eo quod sanctæ moniales, quæ in servitio Dei sunt, ita constituit; Vt nullus ausus sit in conjugium & in matrimonium ducere. Aut si quis ausus fuerit, contra decreta canonum, ita componat, sicut canones decreverunt. De eo quod jus ad legem quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles & liberi & servi ejus ita donaverunt, ut firma fieret. De eo quod ut si qui de nobili genere de hereditate sua dare ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nec mutaret, in perpetuum. De eo, quod ut servi Principis qui dicuntur Adelscalhe, ut suam habeant Weregeldam, juxta morem quem habuerunt sub parentibus, & cæteri minores Weregeldi juxta legem suam, ita constituit. De eo, quod parentes principis, quodcumque præstatum fuisset nobilibus intra Bajoarios, hoc constituit: Vt permaneret & esset sub potestate uniuscujusque relinquendum posteris, quam diu stabiles fœdere servassent apud Principem, ad serviendum sibi, & hæc firma permaneret, ita constituit. De eo, ut nullus hereditate sua privetur, nisi per tres causas, quas in pacto scribentur, propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem Principis sibi dilectum occiderit, ob injuriam Principis, & ad calumniam, hominem componet secundum legem, tunc privetur hereditate sua. De eo, quisquis mulierem nobilem acceperit in conjugium, & non præscivit, ita constituit, ut iterum libera esset, dimittat servum, & postea non redigatur in servitium, sed esset libera. De eo, quod etsi quis de quocumque reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam quæ Wehadinc vocatur, permittat.

si quis.

pœnæ.

viventes sint, ita cõstituit. Cõstitutio autem excidit.

sanctimoniales, Hic quoque aliquid excidit.

Hęc manca & corrupta sunt, ut etiã sequẽtia pleraque.

dare vellent. - Adelschalk, nobilis minister. Weregelda & Were-geldus, æstimationis pretium, Pœnit. Rom. tit. 4. c. 17. *pretium tuum, id est, Wirigeldum tuum.* Vbi perperam Wireldum legitur. Grat. sive Pal. 17. q. 4 c. 26. ex conc. Trib. etiam *Wirigildum* ha-

Digitized by Google

De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IIII. causis, de quibus supra diximus, si ille hereditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius, suo jure non privetur, ita constituit.

conc. Trib. etiam Wirigildum habet, ibi vetust. edit. pro voce non intellecta, Kenaldum præferunt. quæ in pacto scribētur.

De collavdatione, quam Episcopi & Abbates in Bajoaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus. In Christi nomine. Notitia, qualem convenientiam gentis Bajoariorum Episcopi & Abbates inter se fecerunt: quorum nomina infra perarare stylo decrevimus. Id est, Manno Nujuenpurgensis civit. Epſ. Alim, Virgilius, Wiserich, Sintpreht, Heres, Episcopi. Opportunus, Wolfpreht, Adalpreht, Ato, Vto, Lantfrit. Albune, Ruothart, Ernest, Reginpreht, Volchanhart, Perhkoz, Sigido, Abbates. Vt eorum quis de hac luce migraret, unusquisque superstitum Episcoporum vel Abbatum, pro defuncto, in domo sua Episcopali vel cœnobio c. missas speciales, & eodem numero psalterio cantare faciat: ipse verò de propria persona sua xxx. speciales missas compleat, vel à religiosis sibimet subjectis, implere omnino prænotatum faciat numerum, presbyteris sive monachis, cum de hoc sæculo migraverint, Episcopus seu Abbas, uno presbytero vel uno monacho, xxx. missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari.

Secunda & tertia causa cur quis hereditate privandus, videntur excidisse. quisquis servus mulierem fort. Wehrdinc, pro Wehrding illis III. causis, de quibus supra diximus, ille hereditatis suæ psalteria.

De popvlaribvs legibvs.

Prænotatus Princeps, universo concordante collegio, hic constituit. Vt nullus à provinciæ suæ mancipium limine venundare, vel proprium vel fugitivū, præsumpserit. Et si quis hoc decretum non observaverit, Weregeldo suo culpabilis remaneret. Vt nullus furtivam rem, tam in equis & aliis quadrupedibus, quam in reliqua supellectilia extra finem Bajoariorum venundare, vel machinis diabolicis extra minandi, insidiis tegi, ut si quis hoc præsumpserit, XL. sol. componat in publicum. Vt quis domum, tam liber quam servus, altius effoderit, & ibi occisus fuerit, sine compositione in sua damnatione permaneat. Si autem supellectilia abstulerit de eadem domo, & eo fugiente in curtem vel extra curtem, hic cui damnum intulit consequitur, & interfecerit, pari subjaceat sententia. Similiter qui liberum vel mancipium suum furaverit, & cum comprehendere minimè quiverit, & ibidem interfecerit reum, superior permaneat sententia. Sed tamen ea genera trium homicidiorum, debita signa vicinis suis, & his qui assistunt, insignet. De pugna duorum, quod Wehadinc vocatur, ut prius insortiantur quam parati sunt, ne forte carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiantur. Qui supra prædictæ pugnæ, quod Chamfwic diximus, peracto judicio, se simili vindicta erigere contra querentem præsumpserit, sacramentum quod ante id dicitur, juret in ecclesia, cum

sic constituit.

Deest aliquid.

Insegnare. Ital. docere.

An Wehrdinc. dicimus.

Formula juramenti sacrament. extat leg. Alemann. tit. 6. ita dicat. debes. abstuli. vice.

tribus nominatis sacramentalibus. De eo quod Bajoarii Stapfaken dicunt in verbis quibus, ex vetusta consuetudine paganorum idolatriam reperimus, ut deinceps non aliter, nisi indicat qui querit debitum, Hæc mihi injustè abstulisti, quæ reddere debet. Reus verò contra dicat, Nec hoc abstulisti, nec componere debeo. Iterata voce requisito debito, dicat, Extendamus dexteras nostras ad justum judicium Dei, & tunc manus dexteras uterque ad cœlum extendat. Vt nullus furtivam rem suscipere, vel intra terminum abscondere præsumat, qui hoc fecerit, XL. sol. componat. Vt hi qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur judicia quæ Bajoarii Vrtella dicunt. Vt hi qui in ecclesia libertatem conquirebant, deinceps, tam ipsi quam eorum posteritas, in secura libertate permaneant, nisi forte sibi ipsimet insolubile damnum inferant, quod componere minimè quiverunt. Qui ex eis occidentur, pretium eorum his solvatur ecclesiis, ubi liberi dimissi sunt. Liberi qui ad ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam acceperunt libertatem à Rege si occidantur, LXXX. sol. componantur ecclesiæ, vel filiis eorum, in dominico XL. sol compon. Si ancilla libera dimissa fuerit per chartam aut in ecclesia, & post hæc servo nupserit, ecclesiæ ancilla permanet. Si autem libera Bajoario servo ecclesiæ nupserit, & servile opus ancilla contradixerit, abscedat, si autē ibi filios vel filias generaverit, ipsi servi & ancillæ permaneant, potestatem exinde non habeant. Illa autē mater eorum, quando exire voluerit ante annos III. liberam habeat potestatem; si autem III. annos induraverit opus ancillæ, & parentes ejus non exadomaverint eam ut libera fuisset, nec ante Comitem, nec ante Ducem, nec ante Regem, nec in publico mallo, transactis tribus Kalendis Martis, post hæc ancilla permaneat in perpetuum, & quicumque ex ea nati fuerint, servi & ancillæ sunt. Qui furtivam, quod zougenzuht dicitur, super furem comprobare nequiverit, furtivo compon. more. Qui resisterit domum suam, quod selisuchen dicunt, qualem rem querenti resistebat, talem compon. In publico XL. sol. Qui manum immissionem resisterit, quod hantelod dicitur, XL. sol. solvat in publico, & ipsam rem quærenti reddat. De his qui supradictis homiciis debita morte in furto repertis, Vt si quis hujus interfecti parentelæ, eum qui suo scelere captus est, vindicare tentaverit, à propria alode alienus efficiatur. Et si quis signum, quod est sigillum, inhonoraverit, vel hujuscemodi injuncta minimè impleverit, prima vice arguetur, secunda XL. sol compon. III. suum Weregeldum. IIII. extraminetur ab acto officio. Vt si quis judicium furti in bina vel terna reprehensione non damnaverit, & eum diabolico lucro dimiserit, ut per illum quasi conparticeps, pauperum spoliis

Vrtheil, sententia.

Bajoaria. ancillæ. exeundi.

Exadomaverint, hoc est, liberali causa vindicaverint, & ex domo eduxerint.

Mallum & Placitum conventus est. K. Martiis, quæ solemnes apud Francos, agendis cōventib.

zeugenzucht. selbsuochen. homicidiis. reperti.

Alode, prædium jure mācipi, opponitur bonis beneficiariis, sive feudalibus.

Extraminetur ab acto officio.

Depellatur magistratu quem gerebat. & reum,

ditaretur,

spoliis ditarentur, tot sceleris, quod commiserint ante oculos Dei & angelorum efficiatur, & nihilominus cujus fraudem fecerit, quasi proprium componat debitum. Vt si quis in virtute conjunctus, à conjuge propria adulterina separatus fuerit, ejusq; ex cognatione conjugis, propter eandem dimissione, quæ eum persequi tentaverit, à proprio alienetur patrimonio. Vt nullus post tonsuram, capillos usu populari nutrire præsumat: nec velata, relicto velo, sæcularem habitum sumat. Vt si quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur, aut excommunicentur.

tot sceleră quot reus efficiatur cui fraudem.

dimissione quis.

Concilii acta & decreta hactenus. Quæ quamtumvis rudia, & plerisq; locis obscura, nec nobis satis intellecta, tamen mutari religio prohibuit, ne antiquitate consecratis manus attulisse censeremur: qui enim hoc genus monumenta, suavi & Latino sermone interpretari maluere, eos multo labore quæsitam eruditorum lectorum gratiam non tenuisse animadvertimus, quod sibi quisque ipsi credere, quam alienam fidem sequi malit. Porrò multa in iis sunt, quæ Thassilonem, ut est insatiabilis humanus animus, quamquam opum & potentiæ magnitudine, atque regia cognatione, Francicorum Ducum facile primum, altiora jam tum spirasse ostendant, viam ad eos conatus munientem, qui postmodum erupêre. Nec regni vocabulum de nihilo interjectum, nam concilia conventusq; cogere, & leges condere, Regum nimirum apud Francos munus, à quorum etiam initiis annorum numerus iniri solitus; quod sibi Thassilo propalam utrumq; sumpsit. Principis idem & Ducis nomen promiscuè ferens, Principis tamen libentius & crebrius usurpavit, quod Ducis magis obnoxia appellatio haberetur. Itaq; Leo Ostiensis, Herchempertum in Langobardica historia auctorem sequutus, Archisum memorat, cui Adalperga altera Desiderii filia matrimonio juncta fuit, eâdem de causa abdicato Ducis titulo, qui superioribus omnibus suffecerat, primum se Beneventi Principem nominasse, & ab Episcopis unctum, corona usum esse, diplomatis sacratissimo palatio, quod reges solent, ascripto.

Leo chron. Casin. l. 1. c. 10.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXIII. DCCLXXIV.

Carolus anno septingentesimo septuagesimo tertio, ab Hadriano adversus Langobardos evocatus, in Italiam venit, Desiderium, quod sui copiam extra munitiones non faceret, Ticini obsedit. Sequenti, deditionis necessitatem expressit, & regnum Langobardicum, quod supra ducentos annos in Italia steterat, ad Francos transtulit. Rex cum conjuge captivus ductus, Adalgisus filius fuga Constantinopolim evasit. Bojo & Beneventano soceri calamitatem miserari licuit, Carolum virtute & fortuna florentem, palam lacessere neuter tum ausus est, etsi ingentes de cætero spiritus alerent. Sed angebatur inprimis Luitpurga, ferox & vin-

Omnium script. consensus.

Sangall. de vita Caroli l.2.c.26. hoc repudium inter causas belli Langobardici numerat.

& vindictę cupiens fœmina, quæ ſororis prius injuriam, cui Carolus anno, poſtquam uxorem duxit, repudium renunciaverat, nunc patrem de regio culmine ad tantam humilitatẽ dejectum indigniſſimè paſſa, virum nec nocte nec interdiu conquieſcere ſinebat, donec paulatim animum, à Francis antea etiam alienum, in conſilia traxit, quorum temeritas, Deſiderio nulla ex parte opitulata, Bojorum fortunam ad Langobardicæ modum depreſſit. Quod quidam, fidem & auctoritatem veterum nihil reveriti, Thaſſilonem Langobardis à Carolo præfectum, atque adeò Regem appellatum prodidere, eos perſpicuè ineptire, neque tam vana, quam abſurda & ſtulta ſcribere compertum, qui dictis refutentur dignos non habeo. Virgilius baſilicam Salisburgi abſolutam, VIII. K. Octobr. dedicavit, & corpus S. Ruperti, de priori ſepulchro exemptum, una cum ſociorum presbyterorum corporibus, honoris cauſſa in eam intulit. Arenpekius Thaſſilonem eodem anno, quem regni ejus vigeſimum ſeptimum perperam habet, concilium Prid. Id. Octobr. coëgiſſe narrat: nobis id unum videtur, quod ante biennium, veteris exemplaris fide retulimus. Septuageſimo quinto, Viſericus Batavenſis Epiſcopus morte functus, Valdericum ſucceſſorem habuit.

Jo. Steind. Magnus presb. & vit S. Virg. Hund. fundamenta an. 767. jacta, templũ intra an. 12. abſolutum, 13. dedicatum ſcribit. Nos vetuſtioribus credimus. Aren. l.2.c.35. Steind. Catal. Batav. Ado, Reg. Ann. Fuldenſ. & Franc. Vita Caroli M. mon. Egoliſm. Eginh. Sigeb. Aim. l.4.c.72.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXV.

DCCLXXIX

Carolus triennio poſt, Ibanalarabi Saraceni accitu, florentiſſimum exercitum duobus itineribus in Hiſpaniam duxit: pars cui ipſe præerat Pompelonem, munitam ſub Pyrenæis montibus urbem cepit, muros, ne qua unquam obſequium exuendi oriretur fiducia, ſolo tenus dejecit, victricia arma per omnem provinciam circumtulit. Ibero deinde vado trajecto, auxilia Bojorum, Langobardorum, cæterarumq; fœderatarũ gentium, quorum longe maximus erat numerus, alia via progreſſa, ad Cæſaraugustam recepit. Ibi explicato agmine, & oſtentata obſidione, civitatem opulentiſſimam & potentiſſimam ſic terruit, ut datis obſidibus, & pacto grandi auri pondere, ultrò ſe imperata facturam polliceretur. Ingens expeditionem ſequebatur gloria, niſi eam vulnus in reditu acceptum, hebetatam imminuiſſet. Longo agmine exercitus inter arcta Pyrenæi ducebatur, ubi ad ſummum evaſum, Vaſcones, tecti opaco nemorum, verticem inſidebant, ii primos taciti transmittunt, ad ſarcinas & impedimenta ex inſidiis conſurgunt, poſtremos ſumma vi invadunt, loco & armorum levitate ſuperiores, Francos in ſubjectam vallem agunt præcipites, ut magna cædes adita, eorum qui reſtitere nullus ſuperfuerit, impedimenta direpta ſint. Neq; Carolus anguſto præruptoque ſaltu, aciem veſtigio temporis in pugnam obvertere, nec, ingruente nocte dilapſis cum præda latronib⁹, cladem poſtea ulciſci potuit. Cecidere, præter promiſcuum vulgus, Eghartus regiæ menſæ præpoſitus, Anſelmus Palatii Comes, & Britannici littoris

Eginhard.

Digitized by Goog

littoris præfectus Rutlandus, bellandi virtute inter primos illius ævi, sed veras laudes monstrosæ fabulositatis scriptores deterunt.

NAAMAN. Iidem NAAMANVM Bojorum Ducem desideratum tradunt: princeps Turpinus, Naamani cadaver in Galliam revectum, in campis Aylis ad urbem Arelatem, à se conditum asseverat, cœmeterio, quod multa præterea millia ceperit, eorum qui tunc cæsi sint. Campi lapidei ad Rhodani ostia, quorum crebra est apud veteres geographos, nec ea fabularum immunis mentio, levibus ingeniis fingendi materiam præbuere. Sed si tamen Naamani Boji nomen his auctoribus recipimus, quo propendeo, quando inaniter excogitando caussa non fuit, in eo saltem offensum, quod genti imperasse creditus, eo ipso tempore, quo Thassilo præerat, consortis si quis unquam impatiens: cujus auspiciis auxiliares copias in Hispaniam duxisse, & se, fortiter agendo, in Caroli amicitiam insinuasse, posterorumq; memoriam emeruisse, magis ex vero sit. Nam etymon quoque, si quis hujus argumenti tenuitate capitur, vernaculo sermone submissionis notam continet. Atque hæc quidem foris. Domi alius interim luctus Principalem domum funestavit. Major filiorum Thassilonis Guntherus, Laureaco sub brumam venatum egressus, in raræ magnitudinis aprum forte incidit, propter fontem & piscinam, quam hinc nomen traxisse ajunt: comitibus per sylvam dilapsis, animum solitudine non despondens, venabulo objecto, feram strenuè excipit, & luculento vulnere conficit: ipse vicissim à dolore & furore percita consauciatur, ambo in eodem vestigio corruunt. Ibi canis latrantis indicio repertus, magnæ indolis adolescens, miserandum suis in tam tristi exitu præbuit spectaculum. Pater quantum maximum potuit, sepulturæ honorem habuit, templo cum monasterio magnificentissimè excitato, & amplissimis reditibus instructo, quod à præfluente Chremsa nomen traxit. Valdericus, Virgilius & Simpertus Episcopi dedicarunt, Hadrianus Pontifex, Agapiti Prænestini martyris corpus, Roma honoris caussa dono misit. Veteres tabulæ dedicationem in annum Thassilonis tricesimum, Theodonis primum, indictione prima conferunt. Quo cum plerique annales refelluntur, de superiori anno consentientes, tum apparet, Theodonem fratris morte non dubium heredem, mox à patre collegam, in partem dominatus ascitum esse. Sunt verò in antiquitatis memoriam injurii, qui levi suspicione nixi, quod diploma de monasterii constitutione (istis orationem appellare placuit) Guntheri nomen non habet, id ex omni narratione contendunt expungendum. Propensus in religionem & sacras cæremonias Thassilo, Salisburgensi etiam sedi multa ipse contulit, multa aut subditi conferrent indulsit, quæ ab Arnone diligenter annotata sunt. Matseum præterea,

Turp. c. 30. & ex eo Vincent. l. 25. c. 13. & 21 Plin. l. 3. c. 4. Solin. c. 8. Mela l. 2, Strabo l. 4. citatis Aeschyli versibus.

Na-hman, ad verbum, post-virum versus.

Mſ. de monast. Bojor. Annales Chremsmunst. Extat Frisingæ liber magna traditionis. scriptus ann. 1187. in quo etiam an. 30 Thassil. cum 1. Ind. comparatur, & ad eandem rationem an. 25. cum Ind. 11. Item an. 26. cum Ind. 13. ubi intelligere licet priorem partem anni 26. concurrisse cum Ind. 12. posteriorem cum 13. Quod verò in eodem libro comparantur anni Thassilonis 11. 12. 27. 32. cum Indictionib. 11. 12. 1. 12. alterutros numeros vitiatos, manifestum est.

Digitized b

præterea, Thierhauptum & Chiemſeum virginum, nam duplex eſt, monaſteria condidit: pleraque antea condita vectigalibus auxit, ſic ut horum quoque vulgo auctor habeatur. Fert enim & urbium & monaſteriorum ſæpe ratio, ut modica initiis, auctibus æſtimentur, & confuſa temporis diuturnitate memoria, poſthabitis conditoribus, eorum nomina celebrent, quorum maximè ope creverint. Quidam multa extra Boicam adjiciunt, de quibus nobis minus liquet: tum intra non pauca, quæ certiores commentarii, Thaſſilone recentiora eſſe evincunt. Sive qui huic tribuunt omninò errant, ſive quod priusquam monaſteria ædificarentur, eccleſiæ iis locis ſteterint, in quas ille munificus: excuſatione cum probabilitatis, tum adverſus ſcriptores humanitatis plena. Anno ejus triceſimo ſecundo, Adaluncus, Hiltipaldus, Kerpaltus & Otakirus fratres Schlierſeum inſtituerunt. Eodem Principe, annus in incerto eſt, Scheftlarium Walchericus, Garſium Boſo, Au Baldunus & Robertus presbyteri condidere. Hæc Arno Garoz & Awam nominat. Apud quem Zottinge quoque cellam (monaſteriorum ea antiquitus appellatio) à Guntario Comite, in S. Stephani honorem tum conſtructam, & cellulam ad Caoffſtain, ubi fratres manibus laborare ſcribit, reperio: vocabulis locisque mihi quidem adhuc ignotis, niſi ſi Zotinge Oetingam ex Arenpekio interpretamur, & Caofſtain Kopfſtein eſt. Per hæctempora, nam ne de anno planè conſtiutam, ſcriptorum diſſenſus obſtat, quorum alii ad annum ſeptuageſimum ſeptimum, quidam ad octogeſimum quartum revocant; per hæc igitur tempora, corpus S. Valentini Epiſcopi, quod Langobardi Majis Tridentum tranſtulerant, Tridento ad Batava, agente Thaſſilone, ut quæ vivo debebatur, ſaltem mortuo ſedes redderetur, delatum, in crypta ante fores ædis maximæ, inter duos muros conditum eſt. Arenpekius reliquias Tivilonis quoque Epiſcopi, quem ſancti honore dignatur, Laureaco Batava devectas ſcribit. Aribonem de S. Corbiniano cura coquebat, cujus corpus Friſinga abeſſe eo indignius rebatur, quod ſatis compertum haberet, eum Majis ob unam Valentini venerationem ſepeliri voluiſſe, nunc conditione mutata, nihil eſſe, cur longinquo & deſerto loco diutius inhonorus jaceret. Synodo coacta, poſt triduanum jejunium & continentes preces atque ſacrificia, piorum plerique per ſomnum moniti ſunt, relationem à Deo probari. Tum provincialium Epiſcoporum & Thaſſilonis ipſius uſus conſilio, honeſtiſſimos eccleſiaſtici ordinis viros Majas legat. Quibus ad tumulum pervigilantibus, noctu ingens fragor, in tonitrui morem, ſereno cœlo auditus. Mane corpus à venerabundis exhumatum, integrum & incolume vivido colore apparuit, ut hominis magis ſomno, quam morte,

ANN. POST CHR. NAT. DCCXXC.

Extat dipl. in cod. mſ. Friſ. quod etiam Hundius retulit. Datum, *Sub die Cōſul: quod fuit* XII. *Calend. Februar. Indict.* XII. *Regnante Domno Thaſſi one A.* XXXII. Sed mendoſus inſcript. numerus, XII. Indictio reponenda eſt. Arno in annot. Arenpek l. 2 c. 34. Joan. Steindel, & magnus presbyt. Arenpekius ab utroq; diverſus videtur. Meminit hujus translationis incertus auctor, qui de invent. S. Valentini ſcripſit, Surii tom 4. Sed is Thaſſilonē cum patre Grimoaldi perperam cōfundit. Ex vita S. Corb. ab Aribōne ſcripta c. 39. & ſequent.

ante

ante tot præsertim annos depositi, speciem ferret. Feretrum subiere viri religiosi, tanta alacritate, ut pedibus euntes equitatus honori & custodiæ additus, ægrè assequeretur. Cum alia per viam signa edita, tum illud insignem admirationem habuit, ut pompa eo loco substitit, quo Corbiniani sanguinem conditum supra diximus, qui crucem præferebat, hastile terræ fixurus, vasculum forte imprudens pertudit, inde liquidissimus iterum sanguis, colore à recenti nihil differens, fluxit. Res digna existimata, cujus memoria exstructâ ecclesiâ servaretur. Frisingam appropinquanti, Thassilo cum Episcopis & apparatissimo omnium ordinum comitatu obviam processit, ibi sacrum pignus ædi Mariæ virginis inter sacros hymnos illatum est. Pag. 139.

Atrox interea odii Luitpurga, quæ patre inultovitam omni exitio acerbiorem duceret, quod Carolus Romam religionis nomine proficiscens, Germania excessisset, vindictæ occasionem obvenisse existimans, maritum ad rebellandum, nullo caussæ emolumento impulit. Vix enim animum nudavit Thassilo, cum Hadrianus Pontifex, gliscens incendium veritus, interq; initia restinguendum ratus, sequenti statim anno, Formosum & Damasum, utrumque Episcopum, legatos in Boicam mittit: Carolus Richolfum Diaconum, & Eberhartum pincernarum præfectū adjungit. Hi Thassilonem, sacramenti, quod Pipino & filiis dixisset, admonitum, facile ad officium revocant, ita ut fide & obsidibus acceptis, vim abfuturam, Vormatiam ultrò veniens, se Carolo præsens sisteret, jusjurandum etiam novaret, & sacramenti sanctitati duodecim delectorum obsidum pignus adjiceret, rata fore promissa, tum adversus Carolum, tum eos, qui in Caroli fide essent. Et obsides quidem, Simpertus Reginoburgensis Episcopus Carisiacum paullò post adduxit. Idem annus Vilibaldum Eistadiensem Episcopum Non. Julii abstulit, Vunibaldo fratre & Valtpurgi sorore longè ante defunctis: omnibus cœlestes honores decreti. Eistadiensem sedem Gerochus tenuit. Octogesimo secundo Aribo Frisingensis Episcopus fatis concessit, Atto sublectus. Chimensis virginum ecclesia Kal. Septembr. dedicata est. Tertio, S. Emmerammi magni operis basilica Reginoburgi à Simberto absoluta. Hildegardis Caroli uxor è vita abiit. Quam ut domi pernobilem, Suevam origine fuisse satis constat, sic sunt qui Andecsii in Boica, matre Regarda Andecsensi Comite natam esse contendant. Fidem adhibere Theganus vetat, à quo Imma, Gotofridi Alemaniæ Ducis proneptis, Hildegardim peperisse, planè traditur. Anno octogesimo quarto Virgilius, Episcopus inæstimabilis sanctitatis & meriti, id enim à vitæ scriptore tributum elogium, posteritas consentiens approbavit, leni morbo v. Kal. Decembr. decessit. Multa & mirifica, eaq; salu-

Sigebert. an. 780. Annal. Fuld.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXXI. Reg. Sigeb. Ann. Fuld. Franc. & mss.

Jo. Steind. Catal. episcop. Eistad. Vunibaldum an. 760. Valtpurgim 776. obiisse narrant.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXXII

Catal. Frising.

DCCLXXXIII Jo. Steind. Arenp. Ann. Fuld. alii.

Eginhard. Brusch. de monast. Hund. in geneal. Theg. de gestis Ludov.

DCCLXXXIV

Chron. Magni presb. Jo. Steind.

Catal. Salisb. alii. Vita Virg. corrupte habet *an.* DCCLXXX. *4. K. Dec. reponendum ann.* DCCLXXXIV *5. K Dec.* Ann. Hein. Steronis an. 1233. to. 1. ant. lect. Catal. Episc. Salisb. Catal. Reginob. habet Simpertum iniisse ann. 752. sedisse an. 32. ut itaq; consequens, obiisse an. 784.

salutaria plerisque signa, ad mortui cadaver sunt edita; verum ego nullum uni beneficio antetulerim, quod Carantanis Christianæ fidei mysteriis erudiendis vivus præstitit. Gregorius nonus Pontifex, divorum numero post aliquot sæcula publicè ascripsit. Salisburgensibus juxta Rupertum, patronus & tutela colitur. Bertricus successor, vix toto anno superstes, sedem morte vacuam Arnoni tradidit; cujus primum opera & illustri apud Carolum Leonemque Pontificem gratia, Archiepiscopatus dignitas in eam commigravit. Tum Simpertus quoque è vita discedens, triste sui Reginoburgensibus desiderium reliquit. Et verò tot continuata præstantissimorum antistitum funera, iram divini numinis, haud paullò certius, quam quævis prodigiosæ monstrorum facies, denuntiabant, cum his tantis columnis, ruina qua Thassilo non multò post præceps concidit, valide sustineri potuerit & fulciri. Male cum Carolo sarta gratia, tanquam ruptis compagibus, subitò dissiliit, Liutpurgæ rursus impulsu, satis credo: etsi veterum annalium hìc quoque mira est jejunitas, neq; nos recentium ex ingenio copiam moramur. Thassiloni illud perincommodè accidit, quod anno septingentesimo octogesimo quinto, Saxoniâ post diuturnum bellum subactâ, Franci ea cura liberati, toto dein pectore in res Boicas incubuerunt. Carolus sub exitum sequentis anni in Italiam profectus, Romam octogesimo septimo pervenit. Ibi Arno Episcopus & Henricus Manseensis Abbas, Hadrianum Thassilonis nomine adeunt, ut pacem iterum cõmunis pater conciliet rogant. Nec detrectavit operam Pontifex. Vt verò copiosa oratione Carolum persuadere aggressus est, statim sibi eo labore supersedendum intellexit, respondente quippe Rege, nihil sibi pace antiquius vel antehac fuisse, vel nunc quoque esse, cujus rei luculenta dederit testimonia, quæ nihil opus cõmemorare, se multa expertum, quo Thassilonem religione fœderum in officio contineret, quod frustra fuerit, culpam certè præstare non debere. Quin ipse Hadrianus, pacis conditiones nunc coram inter præsentes diceret, eas se, pro veneratione, qua Apostolicam sedem semper prosequutus sit, recepturum polliceri. Tum tergiversari legati, neque se ea mandata domo afferre, neque sine mandato rem tantã, qua Principis obstringatur fides, spondere. Apparebat magis moram bello, quam id quod prætexebatur, quæri. Iratus itaque Pontifex, Thassilonem, quiq; ejus partes sequantur, diro anathemate percellit, nisi sanctitatem sacramenti, quo Pipino prius nexi, nunc Carolo teneantur, per omnia ratam habeant. Simul eum per hos ipsos legatos seria admonitione obtestatur, etiam atq; etiam quo progrediatur cogitet, nam si porrò pervicacia & perfidia animo indulgere pergat, se Carolum & Francos,

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXXV.

Ann. Fuld. Regino, Sigeb. alii.

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXXVI

ANN. POST CHR. NAT. DCCLXXXVII

Ann. Franc. Regino, Aimoin, Steindel. Arenpek. Mf. alii.

Deo

Deo & S. Petro auctore, jam nunc crimine ſolvere, cædes, incendia, rapinas, quæq; alia mala bellum ſemel motum conſequantur, in ipſius caput recaſura, ipſum omnium ſcelerum ſupplicia luiturum. Legatis dimiſſis, Carolus loca ſacra veneratus, benedictione à Pontifice accepta, in Germaniam revertitur. Ibi indicto Vormatiam conventu, proceribus, cum reliqua Italici itineris acta narrat, tum de ſubdola Thaſſilonis legatione, manifeſtis indiciis ab Hadriano deprehenſa, adjicit. Re quamtumvis compertâ, placuit tamen ire qui Thaſſilonem adhuc percunctarentur, quid illi tandem animi, ecquid pareret poſtremis Pontificis monitis, jusjurandum vel nunc reſpiceret, & ſe concilio, imperium coram accepturus, ſiſteret. Cum nihil pro ſano reſponderetur, officium armis & metu viſum repetere. Bello ergo decreto, maximus trium exercituum apparatus fuit, quibus Boica quacumque Francis adiri poſſet, (cum à tergo Hunni clauderent) peteretur. Rex primum in campis Lycatibus ad urbem Auguſtam caſtra poſuit; Thuringi, Saxones, quiq́ue Franci ad orientem colunt, Pferingam in Danubii ripa tenuere: Pipinus Caroli filius, Tridenti patris juſſu ſubſtitit, copias Italicas quas ducebat, Bauzanum præmiſit. Poſtquam ſe Thaſſilo undique tanquam indagine cinctum circumſpexit, nec quæ domi ſperarat præſidia reperit, Bojis Franco fidem ſemel datam, quod jus faſq́ue inde ſtaret, non mutantibus, neque ullis artibus in defectionem trahendis, ſerò intellexit, quam non ſuarum virium hæc eſſet concertatio. Caroli clementiam tentare unum ſupererat, cui in caſtra veniens, peccatum faſſus, nec quidquam quod imperaretur detrectans, ſe ſuaq́ue permiſit. Carolus, quanquam jure iraſci poterat, hominem cognatum pœnitentia ſatisfacere paſſus, veniam dedit. Clientelæ ſacramentum iteratum, & tredecim obſides, inter quos Theodo filius, præſens pignus fidei toties irritæ, traditi. Thaſſilonem Regem appellatum, domeſtici annales habent, & tumuli quoque carmen affirmat: ſed nec quo tempore, nec per quam occaſionem, ſat planum proditur. Ego ambitionem diu agitatam, demum in apertum exiiſſe cenſeam, cum Francico imperio palam excuſſo, manifeſtè rebellatum eſt, cujus rei Regium ipſum nomen quædam veluti teſſera, ut aptè Eginhardus in Caroli vita ſcriptum reliquerit, bello celeriter & excitando & finiendo, hoſtis qua ſuperbiam qua ſocordiam cauſſam præbuiſſe.

Quod quidam ſcripſit, Boicā à Thaſſilone Carolo cum ſceptro traditam, cui homo inſculptus, vereor ex ingenio eſſe. Otho Friſ. l. 1. c. 5. 6. de Frid. & Gunt. l. 1. Regna per gladium, provincias per vexillum, Epiſcopatus per ſceptra traditos tendunt.

Conditur hac ſolea, quem pie Chriſte bea. Thaſſilo Dux primum, poſt Rex, monachum ſed ad imum Idibus in ternis deceſſerat iſte Decembris. Annal. Franc. & Fuld. Reg. Sigeb. Eginh. Aimoin. Et præcipuè M. anonymus, quem Theodulphum ſuſpicamur. Æmilius inter cauſſas odii Luitpurgæ fratrem Adalgiſum cæſum perperam refert, A-

ANN. POST CHR. NAT. DCCXXXIIX.

Luctuoſus rei Boicæ annus ſubſequitur. Efferatior in dies Luitpurga, acuebat enim iras petitæ obtentæq́; veniæ indignitas mirum in modum, maritum uſque muliebriter inculpare, mollitiem ignaviamq́; objicere, qui ſervitutem ſub umbra fœderis pati paratus, nullo vindictæ, nec libertatis quidem deſiderio angeretur. Neque ille perpetuis conjugis querelis, ut erat uxorius,

Dalgisus enim hoc quidem anno, sed Thassilone demum Principatu exuto, victus & captus est.

diutius repugnare sustinens, jam nova consilia coquebat. A quibus populares vehementer abhorrere, proximo tumultu expertus, eo descendit, ut nec Hunnorum inimicissimæ Bojis gentis opem adversus Francos implorare dubitaret. Quamquam minus hoc, illud altioris indignationis, & impotentissimi animi indicium, quod admonitus periculi, quo obsides & Thedonem inprimis involveret, auditus profiteri, se facile decem etiam Theodonum capita, si totidem dentur liberi, infirmando Francico fœderi impensurum, quo ut se teneri patiatur, ne propriæ quidem salutis aspectu adduci possit, nam ut nunc res habeat, mori quam vivere utique satius ducere. Ab Hunnis auxilia prolixè promissa, nulli in tempore fuere usui. Cum enim Carolum Thassilonis cœptum non falleret, quod dicta factaq; ejus multa, quæ non nisi ab inimico & irato proficisci possent, emanassent, nihil moratus, concilium Ingelhemum indixit: Franci, Boji, Langobardi, Saxones, cæteriq́ue provinciales convenere. Thassilo accitus, nihil adhuc parati habens, se judicio necessariò exhibet. Ibi Bojorum potissimum testimoniis premitur. Objectum, quo tempore superiori anno Regi fidem jurejurando astrinxerit, aliud ore promptum, aliud pectore habuisse conditum; nam & suos monuisse, qui conceptis tum verbis una jurarint, mentem eodem modo injuratam gererent. Additum de pactione cum Hunnis inita, de insidiis amicis Regiis structis, de vocibus ad violationem fœderis spectantibus, non perplexè jactis. Quorum omnium Luitpurga fons & caput sit. Æmilius Vitechindum Saxonem, acerrimum Francici nominis hostem receptum, frustra adjicit, Vitechindus quippe ad Normanos, hoc est, Danos profugit, itague Normanos absurdè Noricos interpretatus, eosdem Bojos censuit. Cum nullum accusationis caput negaretur, concilium præterea in memoriam rediret, exercitus ante annos viginti quatuor Pipino Rege, ab eo deserti, quod ipsum (Herisciz Francorum leges appellant) capitale haberetur, reus confessus, majestatis omnibus sententiis, acclamatione damnatus est. Intercessit Carolus. Lenem animum respectus vicissitudinis sortis humanæ subiit, & miseratio Principis nuper florentis, longè supra eos, qui nunc de ipsius capite judicarent, tum propinquitatis etiam maximè jus valuisse, proditum. Accidentem ad genua, neque jam quidquam excusantem, quam rebus ipse suis conditionem dicat, quod porrò vitæ genus instituere cogitet, interrogat. Ille cœnobio condi suppliciter orat, actæ ætatis delicta inter monachorum choros lachrymis piaturus. Assensum. Habitum una cum filio attonsus mutat. Lauriss̃a utrumque accepit, monasterium in Rhenensi pago, ut tum loquebantur, à Cancore Comite, ante annos amplius viginti ædificatum: nam qui Laureacen-

Heriscliz sive Herislizz, scissio exercitus. Leg. Franc. l. 4. c. 73. & capit. Car. l. 3. c. 70.

Quicunque absque licentia vel permissione Principis, de hoste reversus fuerit, quod factum Franci herisciz dicunt, Volumus ut antiqua constitutio, id est capitalis sententia, erga illum puniendum custodiatur.

Monach. Egolism.

Monachi ambo facti sunt, in Otomonasterio, ubi S. Bonifacius requiescit.

Nimirum Lauriss̃a in insula Aldēmunster. Sed S. Nazarii nomē

se ad

se ad Danubium malunt, quod Thassilonem struxisse ajunt, nominis similitudine decepti errant. Nunquam fidem habuisset Carolus, quantumlibet monacho, in Boica ad Hunnorum fines degenti. Eginhardus disertè, evocatum, non permissum redire narrat. Et sepulchrum Lauriss æ visitur. Neque illi adversus magnorum auctorum testimonia audiendi sunt, qui pugna victum, captum, objectu ignitarum pelvium cæcatum tradunt. Reliquum vitæ tam religiosè Aimoinius egisse scripsit, quam lubenti animo monasterium ingressus sit: dubia apprimè & ancipiti sententia, sed quam domestici annales opportunè in commodiorem partem interpretantur, nimirum eluisse benefactis superiores maculas, & propitiando numini assiduam adeò operam navasse, ut mortui etiam monumentum signis divinitus editis illustratum claruerit. Quod, quoniam se religioni lubens multumq; precatus mancipavit, etsi serò, atroci & difficili suo tempore, profectò ab Aimonii oratione non abhorret; nec à cætera quidem Thassilonis pietate, nisi qua illum odium in Francicum nomen transversum egit, discrepat. Exitus Agilolfingorum imperii is fuit, anno ducentesimo octogesimo postquam Theodo primùm pedem in Boica posuit: stirps inter Germanicas sine controversia vetustissima & nobilissima, in cognomine Theodone Thassilonis filio extincta est. Carolus paucos Bojorum, qui cum Thassilone senserant, exilio multat. Luitpurgam monasterio inclusam, magis conjicere, quam vetustis testimoniis confirmare possumus. Æmilius prius mortuam, quam maritus monachum indueret, scriptum reliquit; unde haustum, non satis comperio. Sanè nec veri speciem obtinet, & ille cætera laudatus scriptor, multa sibi in Boicis imperitè permisit, haud dubiè in nulla historiæ parte negligentiùs versatus. Bellum interea Hunni, pro eo ac cum Thassilone & Luitpurga convenit, summa ope paraverant, neque arma, quæ non tam Bojorum gratia, quam prædæ spes & cupido induisset, illis celeritate oppressis, exeunda, quin jam Franco accola, acrius etiam exercenda rati, ingentibus simul duobus exercitibus in Forum Julium & Boicam impetum faciunt. Vtrobique rejecti, Bojis victoriam cessisse in campo, cui Iboræ nomen, Grahamanum & Odoacrem Regios legatos, cum auxiliaribus nonnullis Francis affuisse, Regino auctor est. Hunnis ea res rabiem magis quam audaciam incendit, contumeliæ enim visum propius, ab iis victos esse, quibus se auxilio venisse dicerent. Collectis iterum copiis, irarum pleni redeunt, & vindictam popularium superbè professi, primo concursu à Bojis & Francis, haud majore momento quam antea pelluntur. Ibi cædes omnia obtinet, si quos fuga hosti armato eripuit, plerosque Danubius, tranare conatos, mersit.

pro Bonifacii reponendum, ex annal. Laurisheim. conflat.

Aim. l. 4. c. 30.

Vion. l. 4. c. 6 & 27.

Thassilonē sub veste laica ita vixisse scribit, ut sanctorum catalogo post mortem ascribi meruerit. Theodonem presbyterii honore fuisse decoratum. Sed fides apud eos auctores est, quos ille non nisi recentiores nominat.

Multa in hac causa Æmilius imperitè, multa perturbatè, multa absurdè, sed omnium caput est, quod Bojos eosdem Avares, eorumque consanguineos Hunnos esse dixit.

Ad o, Aimoin.

CARO-

CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS magno tumultu leviopera compresso, Boicam adit, Reginoburgi recentē provinciam ordinat, descriptamq; Comitibus, hoc est Judicibus regendam tribuit, leges veteribus addendas proponit, quas ex membranis supra laudatis, subjicimus. Pag. 161.

Erant in eodem ms. codice alia etiam Cap. quibus præscriptum, *In lege Salica mittēda sunt.* Quæ quod privatim ad Bojos non spectarent, non visum exscribere. Eorum vero quæ hic proponuntur, nonnulla in collect. Capitulor. à Pithœo editor. extāt l. 3. c. 22 23. 24. append. 2. ad l. 4. c. 2. lib. 3. c. 138. 139. 140. 141.

CAPITVLA QVÆ DNS KAROLVS SERENISSIMVS ADDERE IVSSIT.

Vt bannum ipsius quis libet irrumperet, componere debeat. Vt ecclesia, viduæ, orphani vel minus potentes, pacem rectam habeant, & ubicumque infractum fuerit, LX. sol. componatur. Vt raptum vel vim per collecta hominum & incendia, infra patriam, nemo facere præsumat, & qui hoc commiserit, LX. sol. in bannum nostrum compon. Similiter & qui jussionem regiam in hostem bannitus irruperit. Hæc capitula in assiduitate, reliqua autem reservata sunt Regibus, ut ipsi potestatem habeant nominativè demandare, inde exire debent. De dineralibus, Vt si quis eos * Regi componantur. Similiter de his qui per chartam in ecclesia juxta altare dimissi sunt liberi, cum XL. sol. compon. Regi. Hi verò qui per chartā ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum patrocinium, & defensionem non elegerint, similiter Regi compon. cum XL. sol. Vt clericum nemo recipere audeat sine consensu Episcopi sui; & si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non faciat, nisi cum ejus præsentiæ, perscrutandum si dignus fuerit, deducatur.

eos occiderit. nisi ut ad ejus præsentiam.

HÆC CAP. NOSTRA MISSI NOSTRI COGNITA FACIANT OMNIBVS IN OMNES PARTES.

Vt nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma, id est scutum & lanceam portet. De latronibus, Quicumque post missam sancti Joannis latroni mansionem dedit, si Francus est, cum XII. similibus Francis juret, quod latronem, cum fuisset, non sciret, licet pater sit, fratres, aut propinquus. Si hoc jurare non potuerit, & ab aliquo convict⁹ fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quod & ipse latro & infideles judicetur: quia qui latro est, infidelis est noster & Francorum, & qui illum suscipit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, & tamen nescit firmiter, aut solus juret, quod nunquam eum audisset, nec per veritatem nec per mendacium, eum latronem esse, aut sit superat⁹, si de illo latrocinio postea victus fuerit, aut similiter damnetur. Vt nullus comparet caballum, bovem, jumentum, vel aliud quid nisi illum homines cognoscant à quo venditur, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis ejus senior. De adventitiis, Vt cum Missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant obstrictè quæsitum quanti adventitii sunt ad illorum missatico, & de quo pago sunt, & nomina eorum & qui sunt seniores eorum.

Si Francus. Deliberatur alterū membrū, Si Bajoarius.

infidelis.

ut simil.

Senior pro domino.

in illorum.

Simi-

Similiter direximus Missos in Aquitaniam & Langobardiam, ut omnes fugitivos & adventitios ad nostrum placitum adducant. Quicumque ista capitula habet, ad alios Missos ea transmittat, qui non habent, ut nulla excusatio de ignorantia fiat, & hoc Missi nostri ante nativitatem Domini omnibus cognita faciant. In primis omnium jubendum est, ut habeant Ecclesias eorum justitias, tam in vita illorum, qui habitant in ipsis Ecclesiis, quamque in pecuniis & substantiis eorum. Ast ut omnes Episcopi potestati, vel secundum regulam canonicam doceant & regant eorum ministeria, tam in monasteriis virorum quamque puellarum, vel in forensis presbyteris, seu reliquo populo Dei. Vt viduæ & orphani & minus potentes, sub Dei defensionem, & nostro mundeburdo pacem habeant, & eorum justitia. Episcopi cum Comitibus sint, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit. Vt latrones vel homicidæ seu adulteri vel incestuosi, sub magna districtionem & correctionem sunt correpti, secundum eo Wabajoariorum velle. De rebus proprensis, Vt ante Missos & Comites nostros & Judices veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & in antea nullus præsumat alterius rebus proprendere, nisi magis suam causam quærat ante Judices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod justum est. Etsi aliquis voluerit dicere, quod justè ei non judicetur, tunc in præsentiam nóstram veniant. Aliter verò non præsumat in præsentiam nostram venire, pro alterius justitia dilatandum. Quod non amplius de illis justitiis Missi nostri ad præsens modo faciant, nisi de temporibus Thassilonis seu Luitpirgæ: exceptis illis qui avi & genitoris nostri * vel ad nos venerint. Et marca nostra secundum quod ordinatum vel scaritum habemus, custodiant, una cum Missis nostris.

hæc.

Ecclesiæ earum.

Hæc manca & corrupta.

forensibus.

defensione.

justitiam.

districtione & correctione sint. secundum Bajoariorũ leges, aut aliquid simile.

veniat.

hiatus videtur.

marcam.

Hinc Regionis verba pertinent, *Carolus Ratisbonam venit, ibiq; marcas & fines Bajoariorum disposuit.*

Arno Notitiam sive descriptionem prædiorum Salisburgensium, cujus auctoritate non semel usi sumus, isto etiam anno, volente, ut ait, Carolo, collegit.

ATque hæc nos nunc quidem habuimus, quæ priscis monumentis eruta & in certos annos tributa descriptaq;, de rebus Boicis, à prima gentis origine ad Agilolfingos pulsos, memoriæ mandaremus. Quibus sicubi levior & incertior aliqua alicui conjectura intermixta videbitur, nam conjecturis interdum, tanta rerum temporumq; caligine, sanè nitendum fuit, is meminerit, nos neque eas præstare unquam induxisse animum, & æquos tamen judices de illis ipsis ferre posse. Hac interim fidei conscientia conquiescere, quod nihil toto opere, pro certo non arbitrario à nobis pronunciatum confirmatumq; usquam est, cujus gravis & locuples ex antiquitate auctor nõ queat excitari. Id enim consilium,

lium, magno popularis auræ detrimento, redimere tam non piguit, ut etiam fuerit ſtudium. Te nimirum, MAXIMILIANE Princeps, & ſecundum te cordatos lectores alios, quibus nihil ex vano hauſtum placere poſſit, non turbam ſpectavimus.

HOC INDICANDVM:

Extare locum l. 2. Rhetoricor. ad C. Herennium, quem Turnebus cladem vetuſtatis perſenſiſſe meritò ait, *Quaſi ſi quis ad Olympiacum venerit curſum, & ſteterit, ut mittatur, impudentesq; illos dicat eſſe, qui currere cœperint, ipſe intra carcerem ſtet, & narret aliis, quomodo Ladas Bojus cum Sicyoniis curſitarint.* Hunc nos, omnibus interpretibus depoſitum conclamatumque, etſi Bojus, aut Boiſcus, uti quidam legere maluerunt, Boica reſpicere videbatur, quod nihil ſani erui poſſe confideremus, ſcientes præteriiſſe.

Turneb. Adverſ. l. 20. c. 25.

MARCI VELSERI
MATTHÆI F. ANT. N.
PATRICII AVG.
VIND.

RERVM
AVGVSTANAR.
VINDELICAR.
LIBRI OCTO.

MARCI VELSERI
MATTHAEI F. ANT. N.
PATRICII AVG.
VIND.

RERVM
AVGVSTANAR.
VINDELICAR.
LIBRI OCTO.

VIRIS NOBILIBVS ET ILLVSTR. JOANNI VELSERO BARTHOL. F. CHRISTOPHORO ILSVNGO MELCH. F. AVG. VIND. II. VIRIS PRÆF. *VII. Virûmque collegio.*

TAM olim mihi, Patres, dividiæ est, eam hiſtoriæ Auguſtanæ partem depoſitam quodammodo & deploratam jacere, vetuſtatisque ſitu in dies magis ac magis obduci, cujus maximè claritudine omniũ oculi debebant perſtringi. Gentis & urbis initia dico, rerumque exinde ſeriem, quę per annos amplius quingentos quinquaginta ſub Romanis & Gothis, qui Romanos, veluti umbra corpus ſolet, conſequuti ſunt, ordine evenere.

Id dum ſæpe, dum diligenter cogito, factum aliquando, ut aliis ceſſantibus,

animum tandem adjecerim periculũ facere, quatenus in hoc genere progredi liceret, homini nec ingenio acri, nec doctrinâ præstanti, neque otio profectò admodum diffluenti, qui solius diligentiæ fiduciam, reliquorum auxiliorum inops, in subsidium advocaret. Opus itaque audentius quam consultius fortasse aggressus, quid promôrim, in neutram equidem partem debeo statuere: Cæterum amici persuasere, editionem patriæ dehonestamento non futuram. Credo quod in magnis interdum domibus viderint, dum marmor & æra, quæ ætatem ferant & perennent, apparantur, signa ex argillâ etiam, ne bases vacent interim, pro tempore collocari. Ego me quantumcumque præstare potuerim præstitisse, hoc scio: exile dicat qui volet licet & tenue, nemo negabit, ausim tamen promittere, neq; eo elatus aut arrogans haberi verear, si eodem cives omnes enitantur, eâ quique viâ, qua se patriæ plurimum profuturos sentient, nullam antehac fuisse Rempublicam, nullam futuram in posterũ,

cui

cui vestra ista sit invisura, quæ vestræ non sit invisura. Superest tenello partui, nunc primùm in lũminis oras enascenti, tutores petere, quorum ope fretus, pupillo rem salvam fore cõfidam. Ii vobis sospitibus longiùs nimirũ non conquirendi: quippe cũ nemo adeo ex populo civis sit, qui domum, liberos, fortunas denique universas, privatâ suâ curâ quam publico justitię, æquitatis, prudentiæ, fidei, moderationisque vestræ præsidio tutiores existimet, nihil mihi mentis, si potiores alios ullos patronos legere mavelim, ad illam præsertim caussam tuendam, quę professione pietatis in patriam, nisi ego mihi frustra blandior, sive laudem, sive ut etiam secius exierit, sanè excusationem meretur. Valete, bono omnium publico. Augustæ Vindelicorum, Anno post Christum natum MDXCIII. IV. K. Octobr. qui est natalis à coloniâ deductâ, ut in his libris rationes inivimus, millesimus sexcentesimus sextus.

ARGVMENTA
OCTO
LIBRORVM RERVM
AVGVSTANARVM
VINDELICARVM.

PRIMO, *exequutiſumus Rhætiæ & Vindeliciæ deſcriptionem: utriuſque nominis & populi originem.*

SECVNDO, *hiſtoriam rerum Vindelicarum ante coloniam deductam.*

TERTIO, *diſputationem de Auguſtæ Vindelicorum ſitu, quæ contra Aventinum præcipuè imus. Conjecturas de urbe Vindelicâ ante coloniam deductam.*

QVARTO, *quæ ad coloniam extra urbis mœnia pertinent. Inſignium Auguſtanorum uberem explicationem.*

QVINTO, *coloniæ Auguſtæ deductionem: Ædificia publica & privata; Reiq; publicæ conſtitutionem, quâ religioſam quâ civilem.*

SEXTO, *hiſtoriam ab anno coloniæ conditæ primo, ad annum uſque* CCLXVI. *qui fuit annus Chriſti* CCLIV.

SEPTIMO, *hiſtoriam inde ad annum CHRISTI* CCCXCV.

OCTAVO, *hiſtoriam ad annum Chriſti* DLII.

Adjecimus Vetuſtorum aliquot ſcriptorum teſtimonia, quorum in his libris uſus.

Antiqua præterea monumenta in tres partes tributa.

Quæ Auguſtæ extant,

Quæ in agro Auguſtano,

Quæ alibi ad res Auguſtanas ſpectantia.

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber primus.

AVGVSTANAS origines ſcripturo, permagnum refert, Rhætiæ & Vindeliciæ ſitum primo loco conſtituere; id cum ignoratis confinium provinciarum terminis fieri nequeat, hinc potiſſimum ordiri placet. Italiam, qua continens, pleraque enim ejus mare ambit, jam inde à priſcis temporibus non uno modo acceptam reperio. Qui leges & fœdera, populique Romani uſum ſpectavere, Rubicone fluvio terminarunt: Qui rerum naturam & ſitum, fines ad alpes promoverunt. Quam ſententiam ſequuti Polybius, Dionyſius Halic. Strabo, Solinus, Ptolemæus, & ante omnes M. Cato, cujus de alpibus verba apud Servium ſuperſunt, *muri vice tuebantur Italiam*.

Pol. lib. 2. Dion. lib. 1 Str. lib. 5. Sol. c. 8. Ptol. lib. 3. c. 1. Serv. in 10. Æn. Alpes immittet.

Germaniæ magnæ terminus Italiam verſus optimis & probatiſſimis geographis Danubius eſt. Ita Strabo, Solinus, Ptolemæus: ita etiam Tacitus & plerique hiſtoricorum ſcriptum reliquere. Quos nobis ſequendos opinor: Etſi Plinius prodiderit, Aggrippam Germaniæ adjunxiſſe Rhætiam & Noricum, quæ cis Danubium provinciæ ſunt, & quo tempore Agrippa ſcripſit, Romanis, uti videtur, nondum parebant. Jam ergo, cum Italia ad alpes, Germania ad Danubium pertigerit, alpes & planities ab alpibus ad Danubium, inter utramque ſitæ

Strabo lib. 7. Sol. c. 32. Pto. lib. 2. c. 11. Tacit. de Ger. Plin. lib. 3. c. 5.

fuerunt. Quidam ſcripſere, id omne ſpatium Illyricorum fuiſſe. Nam Herodianus prodidit, ſolos Illyricos diſcrimen inter Italiam & Germaniam facere: Strabo, Illyrica à lacu apud Vindelicos & Rhætos incipere: Appianus clariſſimè, *Romani verò non hos duntaxat, ſed Pæones ultra eos, nec non Rhætios, Noricos, & Myſios qui Europam incolunt, & quoſcumque alios his finitimos, qui Iſtrum à dextra navigantibus ſeſe offerunt, vicisſim ut Hellines à Græcis diſtinguunt, eosq; propriis appellationibus ſeparatim nominant, cæterum communi vocabulo Illyricos omnes arbitrantur. Qua opinione à principio ducti, neutiquàm (adhuc in ea perſiſtentes) finem earum invenere nationum, ſed ab Iſtri ortu usque ad mare Ponticum, quod ſub tributo obtinent, Illyrici fines eſſe voluerunt.* Verum hujuſce rei nulla apud Latinos ſcriptores prodita memoria, ideò vix certam affirmare auſim: Appiani eo levior auctoritas, quod ſub finem librorum de bellis civilibus, res Illyricas ſibi non ſatis compertas fateatur. Dionyſius Alexand. ad dextram Danubii ripam primo loco Gerras, proximè Noricos, poſtea Pannonios poſuit, ut totum hunc tractum, de quo nobis ſermo futurus, Gerræ occupent,

Herod. lib. 6.
Strabo. lib. 7.
Appian. Illyr.
Dion. de ſitu orbis v. 320.

Tot ſpectant Iſtro Boream vicinius axem.
At Notii Gerræ veniunt, & Norica caſtra.
Pannonii ac Myſi——————

Sed Gerræ, gerræ germanæ, neque unus Dionyſius, à quo omnium ſcripta diſſentiunt, me movere debet: propior exiſtimanti ſum, codicem ſive librarium, quam auctorem fallere.

Cæteri gentes alpinas permultas enumerant, & cum alpinas dico, ſentio tam gentes quæ alpes, quam quæ campos ab alpibus ad Danubium incolunt: nam Polybius olim ſcripſit, transalpinos ab alpinis non genere, ſed loci differentia differre: Has verò adeò confusè & perturbatè enumerant, ut iis diſtinguendis homines docti, haud ita magno cum fructu, hactenus operam dederint. Conſtat quidem inter omnes, ſic ut de eo non poſſit ambigi, quidquid à Danubii fontibus ad Oenum inter Italiam & Germaniam jacet, pertinere aut ad ſolos Rhætos, aut ad Rhætos una cum Vindelicis; iſto ordine, ut Rhæti ad occidentem, Vindelici ad orientem ſolem vergant, hi Oeno, illi Danubii fontibus propiores ſint. Sed cum utraque gens rurſus in multos minutos populos diviſa fuerit (civitates vocat Plinius) nemo hodie eſt, qui ſingulorum ſitus ſe exactè deſcripturum verè promittat: nimiopere diſſentiunt, quæ antiqui de illis ſcripta reliquerunt, idque mirari magis, quam quid veri ſit, diſcernere queas. Imo cum, ut quisq; Rhætorum Vindelicorúmve continebatur imperio, ita Rhætorum aut Vindelicorum

Pol. libr. 2.
Plin. lib. 3. c. 20.

nomine

nomine censerentur, jam neque istud de omnibus certò possumus cognoscere, ad quam ex alterutrâ gente pertinuerint. Id unũ haud quaquam discrepat, limites in universum fuisse, quos dixi. Fuere certissimi Danubius & Oenus: Italiam versus variè à gravissimis auctoribus definiti. Sic tamen, ut ea dissensio nostram narrationem non perturbare possit, Ideò rem mirè impeditam accuratius examinare supersedeo. Auctores qui hoc spatium solis Rhætis tribuere videntur, neque pauci neque obscuri. Inprimis Ptolemæus disertè ait, Rhætiam terminari ab occidente monte Adula, & linea, quæ inter Rheni & Danubii capita, septentrione eâ Danubii parte, quæ est à fontibus ad Oeni ostia, ab oriente Oeno flumine, à meridie alpium montibus supra Italiam extensis. Idem confirmant, quicumque Rhætos Noricis confines, & Oenum inter utrosque fluere scribunt. Nam Vindelicos, qui inter Rhætos & Noricos constituendi erant, necessariò sive negligunt, sive Rhætorum partem arbitrantur. At in hac sententia sunt planissimè Plinius, Tacitus, Arrianus. Quorum potissima fides, quod priores duo Germaniam, posterior etiam Oenum viderit. Sic Dio sensit, cum Rhætos inter Noricos & Gallos jacere tradidit; sic Solinus, Æthicus, alii permulti.

Plin. lib. 3. c. 24. & lib. 4. c. 13. Tac. lib. 3. hist. Arr. in Indicis. Dio lib. 54 Sol. c. 34. Æth. cosm.

Eorum rursus, qui inter Rhætos & Vindelicos partiuntur, neque numerus neque auctoritas ullâ ex parte inferior. Ptolemæus etiam hinc stat. Cum enim scripserit Lycum Rhætos à Vindelicis discernere, ostendit Vindeliciam inter Lycum & Oenum sitam esse: in quâ sententiâ quid ego desiderem, pòst videro. Plinius quoque inquit, Noricis conterminos esse Rhætos & Vindelicos. Strabo, Rhætos lacum paullum attingere, amplius Vindelicos. Rufus, Augustum constituisse limitem per Vindeliciam, Noricum, Paũoniam & Mœsiam. Denique hinc stant Vellejus, Suetonius, Eutropius, Horatius, cum prodidere ab Augusto victos esse Rhætos & Vindelicos. Nam ut uno verbo absolvam, puisquis Vindelicorum unquam meminit, inter Rhætos & Noricos sitos esse sensit. Quæ cum se hoc modo habeant, tamen neque tot probatissimos auctores inter se committendos, neque Ptolemæum & Plinium tam somniculosos existimo, utà semetipsis dissenserint. Accidit Rhætiæ, quod pluribus aliarum regionum nominibus, duplicem significationem recipere. Exempla illustria in promptu sunt. Asia tertia totius orbis portio, Asia etiam pars Asiæ, quam minorem plerique, Ptolemæus & Plinius Asiam propriam vocavere. Varro, *Nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria: & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Ionia, & provincia nostra.* Sic Africa altera ex tribus orbis partibus, Africa quoque portio Africæ, ad mediterraneum mare,

Plin. lib. 3. c. 20. Str. lib. 4. Vell. vol. post. Suet. Oct. c. 21. Eutr. lib. 7. Horat. Carm. lib. 4. Od. 4. & 14.

Var. de Ling. lib. 4.

mare, Ptolemæo Africa propriè. Ita Cæsar initio commentariorum statim, omnem Galliam in Belgas, Aquitanos, & Celtas sive Gallos dividit: Eodem recidit, quod de Italiâ diximus. Et simili plane ratione, Rhætia est totus iste terrarum tractus, Rhætia etiam hujus tractus pars quædam, ad solis occasum spectans, quam Rhætiam propriam vocabimus, Plinii & Ptolemæi de Asia & Africa præjudicium sequuti. Et cum Rhætia major, præter Rhætiam propriam, Vindeliciam complectatur, apertum est rectè scripsisse, tum eos qui Noricos à Rhætis, tum qui à Vindelicis tangi scripserunt, neque has sententias pugnare invicem. Vidit Horatius, quo loco Rhætos Vindelicos à Druso superatos indicat: significat enim Vindelicos in majori, quam diximus, Rhætiâ sitos esse,

Hor. lib. Oda 4.

Videre Rhæti bella sub alpibus
Drusum gerentem Vindelici———

Interpretes hæc mirè torquent: Nonnulli copulam *& Vindelici* addidere, alii subaudiendam annotavere, quibusdam *Vidêre* denuo subaudiendum visum. Interim fatentur, copulam ab optimæ notæ codicibus manuscriptis abesse, neque mihi dubium ex Horatii mente abesse, sensus enim quem sequimur simplex & apertus, tum est certissimus, & nostras rationes aptè confirmat. Ad eum modum Virgilius Hesperium Latium appellavit, quoniam in Hesperiâ Latium, Lucanus Libycos Mauros, Cinna apud Gellium Pœnos Psyllos, & habentur hujus generis sexcenta. Apud Acronem quoq; & Porphyrionem, quin & apud Servium Rhætos Vindelicos legimus, At unus omnium sensus est, omnes quippe Horatium sequuti.

Virg. Æn. 7
Luc. lib. 9.
Gell. lib. 9. c. 12.
Acr. & Porph. in Hor.
Serv. in 1. Æn.

atque intima tutus.

Atque hæc quidem satis clara & firma. Sed qui inter Rhætiam propriam & Vindeliciam limites statuendi, dissentientibus nobilissimis geographis, dubium. Ptolemæus de Lyco sensit, uti retulimus. Strabo contra, Vindelicos ad lacum Brigantinum usq; pertingere, non semel, *Rhenus quoque in magnas paludes, magnum lacum diffunditur, attingunt Rhæti & Vindelici.* Alio loco, *Prope hanc regionem origo est Istri & Rheni, ac lacus inter horum fontes situs, & paludes è Rheno effusæ. Lacus in ambitu habet stadia amplius* CCC. (numeri correctione indigent, D. aut DC. substituamus licet) *inq; eo est insula, qua pro receptaculo usus est Tiberius, navali pugnâ cum Vindelicis certans.* Rursus, *Lacum Rhæti exiguâ parte, majore Helvetii & Vindelici attingunt.* Demum, *Primum itaq; Illyrica exponamus, quæ & Istrum & alpes attingunt, sita in medio Italiæ & Germaniæ, incipientia à lacu qui apud Vindelicos & Rhætos.* Hinc fit, ut Brigantium, quam urbem Ptolemæus Rhætiæ propriæ, iste Vindeliciæ tribuat. Aventinus, & qui Aventinum ducem

Str. lib. 4. & 7.

ducem clausis oculis sequi constitutum habent, quo Ptolemæo Strabonem concilient, admonent imperitos apud hunc Vindelicos legere, ipsum Vindoligos scripsisse, quæ privata sub Rhætis gens sit. Verum quid alienius à Strabonis mente excogitari potuerit, nondum reperio. Interdum cogito, Aventinum ineptissimo præcipuè commento, experiri voluisse, quam patientes aliquando nacturus esset lectores. Nec enim certum aut clarum quidquam usquam, si quatuor hos Strabonis locos dubios & obscuros videri permittimus. Absurdum est id comminisci, Strabonem tam multa tam diligenter de Vindoligis, obscurissimi nominis populo (iis sanè, qui nulli fuere, nihil potest esse obscurius) cujus alius nemo meminerit, litteris consignasse, Vindelicos, quorum maximè illustre per ea tempora nomen fuit, tacitos præteriisse. Adde quod Licatios illorum esse ait; Licatios aut Licates ad genuinos Vindelicos omninò pertinere, non Ptolemæus, non Aventinus dubitat: Tum quod optimi codices Vindelicos constanter habent: Denique quod eos Strabo Rhætis ubique opponit. Sed ego nimis fortasse ineptus, si hunc solem lucere perneganti, rem manifestam rationibus persuadere aggrediar. Videndum potius, cum Ptolemæum & Strabonem dissentire constet, utrius nobis sententia sequenda sit. Neque magnopere ambigo, posterioris auctoritatem multis momentis in causâ præponderare. Sive ætatem inspicio, Strabo illius temporis æqualis, quo Rhæti & Vindelici ab Augusto victi, & perspicuè verum, utriusque populi fines tunc liquidius cognosci potuisse, quam cum in unam deinde provinciam conflati, alterum nomen, Vindelicum, ferme obsolevit: Ptolemæus longo intervallo ab hac memoriâ remotus. Si scribendi rationem, Ptolemæus pauculis verbis, quæ aliud cogitanti potuere excidere, has turbas commovit: Audio ea non nullos inducere tentasse, tanquam adulterina, quo consilio nos molestiâ, illum fortasse notâ liberassent, sed adversus omnium codicum fidem, nunquam mihi tantum licere velim: Strabo sententiam toties repetiit, ut si hanc aliquando controversiam exoriturâm præsensisset animo, vix puto explicatius & expressius quivisset testari: Quin & navalis pugnæ, quam Tiberius cum Vindelicis commiserit, meminit. Hæc si vera, ad lacum igitur Vindelicî, sin falsa, vanissimum hominem existimabimus, qui non satis habuerit nos falsâ descriptione ludere, insuper mendacibus narrationibus in errore voluerit confirmare; cui tamen culpæ nemo unquam affinem suspicatus est. Cum adversario generatim & universè componere, atq; uter præferendus definire, non est animus: Nisi me tamen multa fallunt, valde apertum est, ut Ptolemæus in mathematicis disciplinis palmam auferat,

Aventin. Annal. Bojor. lib. 2.

Stra-

Strabonem in hiſtoricis, quæ geographiæ præcipua lux, longè præcurrere. Rhætica & Vindelica equidem ab his qui bello cum Tiberio & Druſo interfuere, accepiſſe veriſimile fit, adeò diſtinctè pleraque aliis præterita in litteras retulit; Tiberium etenim eruditorum hominum comitatu in expeditionibus delectatum, oſtendit Horatius, & obſervavere grammatici, ad verſum hunc,

Horat. lib. 1. ep. 3. *Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit?*

Reſpondendum deinde nonnullis, qui ut ambos culpâ liberent, Rhætos & Vindelicos aliter Strabonis, aliter Ptolemæi ætate diviſos, probè utrumque ad ſuorum temporum rationem ſcripſiſſe exiſtimant. Hi cum ſe aliquid putent dicere, nihil dicunt. Quod temere fingunt Rhætos, poſt Strabonem terminos â lacu ad Lycum protuliſſe, unde hauriunt, aut quomodo nobis perſuadent? Imo quî fieri potuit, cum ſub Romanis utrique degerent? An Romani novam diviſionem inierunt? At quam latè Rhætia & Vindelicia patuere, unus præſes præfuit (quod docebimus) utroque populo in unam provinciam, Rhætiæ nomine coacto. Neque ſuberat cauſa, cur in partes divideretur: ſi tamen aliqua, cur ab antiquâ diviſione, & priſcis terminis, qui ante conſtitutam provinciam, diſceſſum fuiſſet? Collibuerit ita, certè utraque pars Rhætiæ nomen retinuiſſet, neque altera Vindelicum poſtliminio repetiiſſet. Nam eventus longè poſt comprobavit, bipartita Rhætia, primæ & ſecundæ cognomina accepit, Vindelicum nunquam recepit. Quin igitur quod res eſt, Ptolemæi peccatum agnoſcimus liberè. Volens lubens fateor, nihil à quoquam de Ptolemæo tam magnificè & ſplendidè dictum, quin ejus excellens ingenium, & ſolers induſtria omnia exuperet: Perſpectum tamen habeo, multa hoc tantum ingenium latuiſſe, multa induſtriam ſubterfugiſſe. Neque mirabitur, qui conditionem rerum, quas explicandas ſumpſit, univerſi orbis, tum univerſam, tum privatas deſcriptiones, poſuerit ob oculos. Si ipſe redivivus detur, cenſuram ultrò agniturum, atque inconſideratam eorum levitatem, ſi qui ſunt, qui aliter fieri potuiſſe perſuaſum habent, riſurum exiſtimo. Quot liceat illius errores manifeſtos colligere, ab iis, qui Germanica, Gallica, Hiſpanica, Britannica ſcripſere, obſervatos? Quoties hominem Alexandrinum in Italiæ deſcriptione, quâ unâ propter imperii ſedem nihil illuſtrius, ſuggillant? Exempli loco non prætereo, apud Græcos Æthaliam, apud Latinos Ilvam inſulam Italiæ adjacere legerat, duas credidit, quæ re verâ una eadem eſt, binomia Plinio teſte, & uti credidit, in tabulas retulit. Neque diſſimulo eundem in Strabone errorem, niſi codex corrupus, quem interpres eo loco aliâs ſuſpectum habet: nam & mihi vix fit credibilis, in homine

Plin. lib. 3. c. 6.

Strabo lib. 2.

homine qui se Corsicam, Sardiniam, Æthaliam suis oculis vidisse, alibi testatum reliquerit. Sed quidquid hujus sit, Quidquid etiam Ptolemæus in reliquis provinciis vel rectè vel perperam descripserit, horum quæ in alpibus & trans alpes sunt, imperitissimum fuisse palam est, nec quisquam tam ineptè ejus fautor, quin fateri necesse habeat. Liquido affirmare ausim, nullum esse ab alpibus ad Danubium flumen, nullum populum, nullam urbem, in cujus descriptione multis passuum millibus non aberrarit; sive metiendi rationem, quæ ab occidente in orientem geographis longitudo, sive alteram, quæ à meridie ad septentrionem latitudo est, respicimus. Latitudinis errorem Aventinus agnoscit, ex eo pendêre arbitratus, quod maxima alpium pars, ad nos præsertim vergens, neglecta, extima, quæ ad Italiam pertinet, tantum observata sit: Hinc evenisse, ut integer assis (gradum appellant) interciderit. Certum habeo, multo largius peccatum esse, & testes chorographicæ aliorum tabulæ diligentissimè confectæ in manibus sunt. Sed demus; sanè hic unus gradus aliquot centena stadia conficit. Quis ergo tam iniquus, omnes finium regundorum lites isto arbitro decidendas adhuc contendet? Cum præsertim etiam lacum, quem Strabo inter Rhætos & Vindelicos constituit, ignoraverit, nam Rheni fontem id loci constituisse apparet: Atqui vix est, ut hujus provinciæ quidquam perspectum habere potuerit, quem lacus fluctibus, (Virgilii verbis utar) & fremitu marino assurgens latuit. Mela & Solinus, quamvis geographica brevissimis verbis explicarent, neutiquam prætereundum existimavère. Nec alium credo Nicolaus Damascenus voluit historiarum libro centesimo octavo, uti Athenæus retulit, *circa montes alpium lacum esse in multa stadia porrectum.* Sic profectò est, Ptolemæus qui verum terminum lacum nesciret, & præter Lycum, nullius Rhætici fluminis nomen inaudisset, hoc substituit, quod verisimile crederet, confines populos potissimum fluvii alveo discriminari.

Str. lib. 5.

Avent. in chorogr. Vindel.

Mela lib. 3. Solin. c. 34.

Athen. lib. 15.

Vt itaque ad principium suum redeat oratio, Vindelici à lacu (Bigrantinum Plinii codices nonnulli, Brigantinum Solinus & Ammianus Marcellinus, Acronium sive Acromum Mela appellavit) ad Oenum, qua se in Danubium exonerat, pertingunt, hinc Noricum, inde Rhætiam propriam & Helvetios spectant: à Germaniâ magnâ Danubio arcentur: Fines in alpibus Italiam versus vix exactè describi posse opinor, Ptolemæus latissimo alpium vocabulo usus est: Propius tamen vero, extremas tantum & humiliores coluisse, quod Strabonis hæc significant, *Vindelici autem & Norici montana exteriora tenent*, fortassis hæc quoque, *Omnes, magis tamen reliquis Helvetii & Vindelici montanas incolunt planities.* Quæ causa censenda

Plin. lib. 9. c. 17. Amm. lib. 15.

cur Vindelici Romanis ſero cogniti, neque eorum nomen ante Auguſti tempora & bellum auditum: Cum Rhætorum jam olim Polybius apud Strabonem meminerit. Proximum de utriuſque gentis origine, & quod conſequitur, nomine quærere. Ægyptiæ vanitatis eſt quod à Diodoro relatum, extare in Nysâ Arabiæ columnam Oſiridi Regi ſacram, quæ illum ad eos populos, *qui Arcto ſubjacent, usque ad Iſtri fontes* perveniſſe, & univerſum orbem peragraſſe ſignificet: niſi cui figmento velum demere, Oſiridem Solem interpretari libet. Fabulas etiam & obſcurorum auctorum excogitandi libidinem ſequuti, qui Adulam Iſtri filium Rhæticas alpes primum tenuiſſe prodidere: cum incorruptis hiſtoriarum monumentis, antiquiſſimi habitatores non niſi Rhæti tradantur. Quos Livius, Plinius, Juſtinus & Stephanus Tuſcorum propaginem conſentiunt: Livius ſonum linguæ, ut ut corruptum, Tuſcę originis teſtem citat. Id perperam quidam de Romano ſermone accipiunt, quod Rhæti ad urbem Curiam hodie, Italiciſſent nimirum: Aliter res habet, lingua latina Latio olim incluſa, cæteram Italiam non pervaſit, ſingulæ gentes privatâ utebantur, Titinnius, *Oſcè & Volſcè fabulantur, nam Latinè neſciunt*; neque modicum aliquod inter has diſcrimen, quandoquidem Ennius tria ſeſe corda habere jactare auſus, uti eſt apud Gellium, quod loqui Græcè & Oſcè & Latinè ſciret: ſed proprii ſermonis, præcipuè Hetruſci, neque ejus rei poteſt eſſe dubitatio, Livius, *Cære educatus apud hoſpites, Hetruſcis inde litteris eruditus erat, linguamq; Hetruſcam probè noverat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis litteris eruditi ſolitos.* Si quid Rhætis latinum hæret, eſt id multo recentius, poſterioribus temporibus, cum ejus ſermonis uſus jam ad alpes proſerpſiſſet, à vicinis Italis, ſive poſt conſtitutam provinciam, à Romanis magiſtratibus & colonis invectum, Juſtinus à Gallis, qui Roma potiti Capitolium obſederunt, Tuſcos pulſos, ſe ad alpes contuliſſe ſcriptum reliquit. In quam ſententiam Diodorus, ab his Gallis mediam Apennini montis & alpium regionem, ejectis Tyrrhenis, qui tum illinc habitarent, occupatam. Notum enim, qui Græcis Tyrrheni, Latinis Tuſcos eſſe. Cum igitur Roma poſt annos amplius CCCLX. quam condita, capta & incenſa fuerit, efficeretur Rhætorum gentem eò non multo eſſe antiquiorem. Plinius Gallorum qui Tuſcos pepulerint meminit, nec tamen pâtet, num poſteriores hos, num priores alios, qui Italiam ante CC. annos Tarquinio Priſco regnante invaſerunt, accipiat. Plutarchus certè Tyrrhenos multo ante captam Romam à Gallis ejectos tradit, ut ad primam illam irruptionem videatur reſpexiſſe. Idem eſt Polybii ſenſus, Gallos poſt pulſos Tyrrhenos interjectis

Diod. Sic. lib. 1.

Liv. lib. 5. ab V. C. Plin. lib. 3. c. 20. Juſt. lib. 20. Stephan. in Onom.

Tit. ap. Feſt. v. Oſcum.

Gell. lib. 17 c. 17.

Liv. lib. 9.

Diod. lib. 14.

Plut. Camillo.

Polyb. lib. 1

terjectis temporibus bellum adversus Romanos instituisse. Atqui primo Gallorum transitu victi sunt Tusci alpibus proximi, quos Rhætorum conditores existimant, non æquè omnes interiores regno penitus exuti. Accedunt autem hac sententiâ Rhætorum antiquitati anni circiter CC. Verum enim verò Livius adhuc altiores gentis radices ostendit: Tuscos nullâ vi coactos florente imperio, tum plures in Italiâ colonias deduxisse, tum Rhætis atq; reliquis alpinis gentibus originem dedisse. Cui fidem adhibere me haud pœnitet, plerisque quippe populis usu venit rebus prosperrimè fluentib⁹, ob liberorum multitudinem juventutem apum more, quod Varro de Sabinis scripsit, in colonias emittere, idque pictor opinor in horum librorum ipso vestibulo voluit, alveo sub Rhæti pedibus effecto. An alpes tunc temporis vacuas, an habitatas, pulsis prioribus incolis occupaverint, nullus scriptorum prodidit. Nomen à duce Rhæto inditum, plerorumque antiquissimorum consensus habet. Eorum potissima apud me auctoritas est, cum rectissimè facere videar, si eos sequor, quos credibile est nihil temerè, sed vetustis instructos commentariis, qui postea perierint, omnia explorata litteris consignasse. Longè inferior ætate Cassiodorus, Retias dictas iñuit, quod contra feras & agrestissimas gentes (sic loquitur) velut plagarum quædam obstacula disponantur. Nisi hanc allusionem quam etymologiam interpretari malumus. Isidorus planè ridiculus, ait Rhetiam quod sit juxta Rhenum, Rhenum à Rhodani societate, quod ex eâdem oriatur provinciâ, Rhodanum à Rhodo oppido, Rhodum à rosa, rosam quod rutilante colore rubeat, nomen accepisse. Becani recens conjectura, *Rheten* Cimbricâ linguâ nescio quas rupturas & rimas, inprimis aquarum vi excavatas, significare, Rhetos inde, qui canales alpium, exesos vi torrentium fluminum, teneant. Trojanos aliqui advocavere, qui ex Euganeis, ubi Antenore duce consedere, immigrarint, & Rhætos à Rhætejo Troadis urbe dixerint. Sed infinitum est, omnes omnium ineptias scribendo persequi. In nominis scripturâ adeò variatum, ut in nullâ magis: *Retiam, Rhetiam, Rethiam, Roetiam, Rhoetiam, Rhaetiam, Raitiam,* & *Raetiam* invenio, Arrianus ῥαιτῶν pro ῥαιτῶν mendosè habet: At ex probatissimis nummis & marmoribus, *Raetiam* cæteris prætulerim. De Vindelicorum origine primi scripsere Servius & Porphyrio: Prior Liburnos, qui ab Amazonibus principium ducerent, somniat: Alter à Thracibus, quos Amazones patriâ ejecerint, derivat. Servii narratio, qua Amazones attingit, ad claritudinem eximia, avidè à nostris hominibus excepta. Sed quando nihil ex vano haustum his commentariis illinere statutum habeo, vereor ne intuenti diligentius, quæ de Amazonibus

Var. de re rust. lib. 3. c. 15.

Cass. Var. lib. 7. ep. 4.

Isid. orig. lib. 13. c. 21 lib. 14. c. 4. & 6. lib. 17. c. 9.

Bec. in Venet. & Hyperbor.

Arr. in. Indic.

Serv. in 1. Æn. intima tutus.

Porph. in Hor.

zonibus feruntur, fabularum loco sint, sive omnia sive pleraque, certè pro rei magnitudine non satis comperta. Etsi quid in illis solidi, nemo tamen operæ pretium existimet, fidem de Vindelicis his accommodare, quos apertum est nugandi ansam ex Horatii verbis nactos,

Vindelici: quibus
Mos unde deductus, per omne
Tempus Amazoniâ securi
Dextras obarmet, quærere distuli.
Nec scire fas est omnia.

Poëta quærere distulit, interpretibus divinare placuit, & Penthesilea securium inventrix menti observata est. Quam mallem Quintiliano paruissent, qui aliquid nescire, inter grammatici virtutes numerat. Nam si tam tenues conjecturas admittimus, nullus porrò conjectorum licentiæ modus statuetur. Aliquanto vaniores, qui Vandalum cum Vandalorum tum Vindelicorum conditorem pronunciant. In Plinio inter quinque Germanorum genera Vindelici pro Vandalis aut Vindilis aliquando lecti, errore à viris doctis dudum animadverso. Aventinus Vindeliciæ incolas semigermanos à Livio appellatos annotavit, ego nihil hujus in Livio lego; quod ait itinera, quæ ad Penninum ferunt, gentib⁹ semigermanis obsepta esse, nimis licenter huc trahimus, verisimilius de alpinis Gallis sensisse. Becanus cum miris argumentis, novâ prorsus ratione, omnium gentium Cimbricas texeret origines, Vindelicos quoq; illorũ coloniam contendit, colore ex Servii testimonio quæsito, quod Amazones à Cimbris ortas interpretetur. At verò, si ad Rhætos pertinent, quod iis, quæ exequuti sumus est consentiens, alias præter Tuscorum origines nihil quærere attinet: sin propria, & prorsus discreta natio, sic quoq; Livii verba eos spectare poterunt; nam Livius reliquis alpinis populis (puta qui Gallici non sunt) eandem à Tuscis originem tribuit, & ex Polybio docuimus, transalpinos ad Danubium ejusdem cum alpinis generis. Hæc si dubia, non video, quæ de adinveniendis primis conditoribus in nostrorum ingeniorum conjecturis spes superst; quandoquidem antiqui nihil hujus, quod ad hanc memoriam pervenerit, præterea litteris consignarunt. Cur non has ipsas, ignotas magis quam obscuras origines (ut in mysteriis solenne) veneramur, & vetustissimæ nobilitatis indices recipimus? In nominis notione variè lusum. Visum Aventino à Germanico *Vndenlec*, quod est infra Lycum: Quibusdam à Lyco & Vindis Bojoariæ pagis: Becano à *Ven* & Lyco, interjecto *dess* articulo Germanico, *Ven* Cimbris esse loca aquis exundantia, hinc Venetos, Venedos, Venelos, Vennones, aquarum accolas. Sed hoc est, in tenebris ad scopum collimare.

Quintil. lib. 1. c. 8.

Plin. lib. 4. c. 14.

Liv. lib. 21.

Eorum

Eorum magis ſententiæ ſim, qui à Vindæ (ſive Vindonis rectius eſt) & Lyci confluentibus opinantur deductum. Quam etymologiam majoribus præcipuè placuiſſe reperio, & plerique litterarum opinione clari homines ſequuti ſunt. Ricardus, qui Imp. Maximiliani Friderici F. res geſtas, non ineptiſſimis verſibus illuſtravit, commodè expreſſit, Rica. Auſt. lib. 2.

Reſpicit & latè fluvios Vindamq; Lycumq;,
Miſcentes undas, & nomina littoris, unde
Antiquam gentem, populumq; urbemq; vocarunt
Vindelicam ——————

Clam me non eſt, hæc effusè rideri ab Aventino, & tot cavillis exagitari, ut verborum vehementiâ abſterruerit multos, ne ſibi in veteri ſententia perſiſtendum exiſtimarint. Iniquum eſſe, quodam loco, hoc ipſum attingens argumentum ait, imperitorum negligentiam & inveteratum errorem diligentiæ ac virtuti præſcribere, at quanto iniquius vim veritati cujusquam auctoritate fieri? Nam ſi rem putamus, tenue eſt, quo ille præcipuè nititur, Vindam quam dicimus, à Fortunato poëtâ Chriſtiano antiquo Virdonem nominari, uti Paulus diaconus in Longobardicis retulit, ſi Auguſtanam editionem ſequimur, Baſilienſis enim id omnino nomen non habet: Mirum, ni eâdem ratione Pauli *Lecham* pro Lyco cogat recipere. Fortunatus cum libellum è Galliâ in Italiam profecturum pluribus alloqueretur, his verbis uſus eſt, quorum impolitia quin aſcribamus non faciet, Avent. nomenclat. nomin. German. Paul. l. 2. c. 13. edit. Auguſtanæ. Baſil. c. 9. Fortun. lib. 4. de S. Martino.

Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Vt placidè Rhenum tranſcendere poſſis & Hiſtrum,
Pergis ad Auguſtam, quam Vindo Lycusq; fluentat,
Illic oſſa ſacræ venerabere virginis Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Bajoarius obſtat,
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per alpes,
Ingrediens rapido qua flumine volvitur Oenus.

Quæ Paulus versâ vice narrat, Fortunato per *Briones & Auguſtam civitatem, quam Virdo & Lecha fluentant, iter fuiſſe* in Galliam. Quamquam inverſio noſtrâ nihil intereſt. At quod *Virdo* protulit, ſive librariorum incuriæ debeat, ſive memoriâ lapſus ſit, ſive analogiam vulgaris ſermonis *Vverten*, aut quod idem eſt *Vvertaha* (nam Germani antiquitus fluvios *Aha* dixerunt, inde plerorumque nomina in has litteras deſinunt, quidam minoris rei *Aha* ſimpliciter dicuntur) ſequi maluerit, ſanè Fortunatus *Vindo* ſcripſit. Si poſtrema Veneta editio, ex Vaticano codice expreſſa, ſic habet altera vetuſtior ab Al. Lipomano emiſſa, ſic in Calaritana legi, mihi V. Cl. Cæſ. Baronius fidem fecit. Aſtipulatur qui ante annos paullo minus ſexcentos ſcripſit Berno, is Berno in vita S. Udalr.

no, is terminatione diversâ eâdem primâ syllabâ *Vindicem* dixit, & sit mihi talium testium ab aliquot centum retro annis copia, qui Vindam Vindicemque promiscuè appellavere. Sed videor digitum ad erroris fontem posse intendere. Librariorum primum oscitantiâ *Vindo* in *Virido* cessit, ut in manuscripto Fortunato apud se extare Ab. Ortelius, quem honoris & amoris caussâ nomino, admonuit, id cum carminis lex non pateretur, sciolus aliquis, extritâ alterâ I, *Virdo* substituit. Estque ejus rei argumentum, quod viri docti nobisque amici Giphanii codex manuscriptus, qui unus quod ego sciam *Virdo* præfert, ab homine utique imperitissimo est exaratus; totum enim versum sic conceptum habet,

Pergis Augustam, quâ Virdo & Licca fluentans.

Cui ergo hæc Vindelici nominis compositio dura aut coacta, imo cui non certa & necessaria probabitur? Simile apud Plinium exemplum in Onobâ Hispaniæ oppido, quod ab interfluentibus Luxiâ & Vrio Lusturia cognominatum. Est Lyci Vindonisq; confluvium (ad rem magnopere spectat) in mediâ Vindeliciâ, ut lacus & Oenus æqualibus utrimque spatiis, circiter M. P. LXXV. distent. Atque Vindo Lycum ab occidente illabitur: ut istam etiam nominis derivationem consequatur, quod supra dictum, Ptolemæum, cum extremum Vindeliciæ terminum versus occasum Lycum fixit, erravisse. Ad scripturam quod spectat, quidam in Strabone *Vindoligos*, in Ant. itinerario *Vindelegos*, *Vimdelicos*, *Vendelicos* legunt, Pæanius Eutropii metaphrastes Βινδηλικους scripsit, errore manifesto; emendatiores libri, & lapides antiqui, *Vindelicos* præferunt. Nec obstat, quod Ypsilon à Lyco retinenda videbatur, quædam contra orthographicos canones sibi usus indulget, Licates exemplo, quos à Lyco esse, nemo negare animum inducit, tamen I. Latinâ scribi, Strabo, Plinius & Ptolemæus documento sunt. Quin Licus à quibusdam eodem modo, apertè contra originationem, in quâ fluminis conditionem spectatam, quod rapacitatem & ingluviem luporum æmuletur, dubium nullum est. Neque enim absurdum, Græco nomine aut à Romanis donatum, aut etiam ante Romanos usum, siquidem Taciti ætate verum, *monumentaq; & tumulos quosdam Græcis litteris inscriptos in confinio Germaniæ Rhætiæq; adhuc extare*: Sin à priscis Vindelicis *Lechum*, aut *Lecham* appellatum, à Romanis demum, sonus affinitatem, Græcamque significationem sequutis, in Lycum mutatum existimare malumus, res eodem recidet; nam Vindelici & Licates omnino ad Lyci, haud quaquam Lechi vocem conformati sunt. Ptolemæus *Lyciam* aut *Lycium*, hoc est, lupinum vocavit. Angelius Bargæ-

Plin. lib. 3. c. 1.

Tacit. de germ.

Bargæus inter primos hujus sæculi poetas, præcipuis Germaniæ fluviis annumeravit. Barg. Cyneg. 2.

——pubes generosa Albim, Rhenumq́, Lycumq́
Quæ colit, & gelido septem subjecta trioni est.

Vindonis quoque nomen, huic nostro fluvio proprium, cæteroquin appellativum, ut grammatici loquuntur, fuisse, quamquam significationem ignoramus, ex permultis compositis intelligimus, *Vindonissa, Vindomana, Vindobona, Vindocinum, Vindomora, Vindolana, Vindobola, Vindogladia*: præter ea, in quibus sonus leviter mutatus, ex qua classe *Vindelum*, Galliæ Narbonensis oppidum, à quo Florus præterfluentem fluvium, qui Straboni *Sulga* est, nec ad res nostras quidquam pertinet, *Vindelicum* appellavit. Sed & aliquot per Vindeliciam pagi, *Vinda* nomen habent. Atque hæc in universum de regione, & primis incolis dicta; quæ interjectâ tabulâ clariora evadent: mox rerum gestarum narrationem aggrediemur. Flor. lib. 4. c. 2. Str. lib. 4.

SPECTATOR.

HÆC SCIRE TVA INTEREST.

NVLLVM in tabulâ nomen cujus antiquitas dubia, præter tria: HILARA, LOISA, ISARA. Inserta, quod istorum fluminum mentio in historiâ obvia aliquoties, nec nomina prisca in promptu, nisi forte hæc ipsa, quod nescio: scio Isaram Strabonis diversam esse.

Omissâ quædam, non incuriâ, judicio: sive antiquitatem nullus idoneus testis tueretur, & novis hominibus (Aventinum præcipuè designo) fidem habere minus consultum videretur: sive quam de situ constituendo probabilē conjecturam sequerer, non esset. Parumne ridiculus Aventinus, qui Eponæ votum solutum in lapide antiquo legisset, ex Deâ equili præfectâ Coloniam Romanam ausus est concinnare? Restituta contra alia, nunc primū ex vetustatis ruderibus eruta. Pleraque variè jam antiquitus scripta. Exemplo pauca ista; *Ambra Ambro: Isenisca Iseniſco: Vimania Vemania*: fortassis hæc quoque, *Vinda Vindo: Hilara Hilarus*. In quibus, ne certò constituam, obstat geographicorum scriptorum paucitas, codicum inconstantia: Quo animus inclinabat, hoc sequutus sum.

Descriptione & positu locorum, variavi interdum nonnihil ab aliis ante me. Causas singulatim exequi longum, verbo dicam, quidquid hujus, feci meditatè. En specimen. Damasiæ nominis reliquiæ eædem ad utramque Lyci ripam superstites sunt: Cur illam, quæ apud Strabonem *Licatiorum veluti arx*, cis flumen in colle non reciperem, potius quam alteram ultra flumen in planicie, ad Ambræ seu Ambronis lacus oram? Batava ad Oeni ostia, potius quam in alpibus auctoritate Eugippii, Bojodurum in adversâ Oeni ripâ Noricâ, ex eodem, contra Ptolemęum. Ibi Boitræ nomen rivulo adhuc manet. Intervalla superstitiosè ad podismum exigi non velim: non à me, non à quoquam antiquario chorographo: nullus præstabit. Laudis species in hoc studio, errare mediocriter. Memineris interim, aliqua falsa videri parum cogitantibus, vera multum. Et sic habe, à Ptolemæo & Ant. itinerario nunquam temerè discessum. Sed profectò Terentiani verbis universè fateri non pigebit, veritatem

Dumos inter, & aspera,
Scruposis sequimur vadis.
Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes:
Aggressus labor arduus,
Nec tractabile pondus est.

MARCI

VINDELICIÆ VETE

Raetiae maioris pars: aliquando Raetia secunda appellata est
primam, et Heluetios spectat, Brigantinum lacum
Ab oriente, qua Noricum, Oenum flu

29 30 31 SEP TEN

GERMA NIAE

Nicer fl. Ascimoennis. Transitus Guntiensis. Viana. Riusiana. Phoeniana. Draciina. Sumi

SYLVA MARTIANA. Hercynie pars quæ et Helvetiorum eremus. Sueui, qui et Alemani.

FL. DANVBIVS. Danubii fons. Brigodurum. Monumenta et tumuli Græcis litteris inscripti in confinio Germaniæ ex Tacito.

VIN D

Hilara fl. Guntia fl. FL. VINDO. Rostrum Nemaus. Drusomagus. Guntia. Cassi. FLVCVS. Pontes Tessenij. Abuzelum. Bentauni

Taxgatium. Celiomons. Parthenum.

HEL VE TII. Confluentes. Aquæ castellum. Vindonissa. Confluentes. Fines. LACVS BRIGANTINVS. Strabo felix sive Acronius. BRI Cambodunum. GAN Vemania. Brigantium. Ebodurum. Hecto durum. BRENN

Vitodurum.

RAE TII. RHENVS FL. AL OENVS

Vicus.

TIAE PRO PRI Æ PARS. quæ et Rætia prima. Curia.

Tinnetio. Tarvisede. Teriolis.

Murum. Clavenna. Fons Œni. Tridentum. Summum lacus. ITA LIÆ TR

Addua fl.

29 30 31 M E R I

IS DELINEATIO.

Terminos habet; Ab occidente, qua Raetiam propriam, sive
A septentrione, qua Germaniam magnam Danubium:
m: A meridie, qua Italiam, Alpes.

Digitized by Google

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Secundus.

PRIMVM omnium satis constat, Tuscos, qui Rhæto duce imigrarunt, non statim à principio totam regionem occupasse, sed imperium protulisse paullatim. Ea enim maximarum rerum conditio, ut à primo ortu haud adultæ, temporis accessu evadant auctiores. Et finibus tam latè propagandis, magnum annorum numerum intercessisse, pro comperto est. Verum quibus artibus, qua rerum vicissitudine, quibusq; temporum intervallis contigerit, nos tanto post nati, in veterum silentio divinando non assequimur. Quin & eorum bellorum vetustate memoria abiit, quæ à Rhætis tum in reliquos vicinos populos, tum in eos, qui Romanis parebant, mota: creberrima fuisse, Strabo locuples testis, qui de Rhætis, Vindelicis & Noricis in universum loquutus, hæc addit, *Hi omnes cum Italiæ vicinas partes assiduis incursionibus vexaverunt, tum Helvetiorum, Sequanorum, Bojorum, Germanorum. Petulantissimi Vindelicorum habiti sunt Licatii, Clautinatii & Vennones: Rhætorum Rucantii & Cotvantii. Hestiones quoq; Vindelicorum sunt, & Brigantii: Vrbes ipsorum Brigantium & Campodunum, & Licatiorum veluti arx Damasia. De horum latronum in Italos sævitia hoc memoratur, eos pago aut urbe potitos, non modo puberes omnes necare, sed ne infantibus quidem masculis parcere: Imo ne hic quidem subsistere, sed gravidas etiam mulieres occidere, quas eorum vates dicunt virilem fœtum utero ferre.* Hæc scio haud impune à Romanis lata, sed scriptorum penuriâ premimur, & vix est, ut tenuibus conjecturis quædam hujus argumenti investigemus. Ex Livio compertum, Cl. Marcellum Cos. alpinos Gallos subegisse: Fuit is in magistratu anno V.C. DLXXXIIX. ad Var-

Str. lib. 4.

Liv. epit. 46.

ad Varronis chronologiam, quam ſequor. In Capitolinis ſcriptum, Marcellum triumphaſſe DE. GALLEIS. CONTRVBEIS. ET. LIGVRIBVS.----------TIBVSQVE. In quibus verbis & ſi Rhætorum veſtigium nullum, tamen conjectura eſt, bellum alpinum aliquâ ex parte ad eos pertinuiſſe, cum præſertim de Contrubeis nihil præterea conſtet, & Rhæticum aliâs Gallico nomine appellatum obſervaverim; forte an quod Galliæ & Rhæticæ gentes miſtæ in alpibus habitaverint. Anno DCXI. Ap. Claudius de Salaſſis alpino populo triumphavit, Oroſius indicat. Anno DCXXXVI. Q. Marcius Rex Coſ. *Sarnios gentem alpinam* (ſic habent vulgati Livianæ epitomes codices) *expugnavit*: manuſcripti aliquot *Stinos*. Anno DCLIX. Coſſ. L. Craſſus Q. Scævola. Craſſum alpinum bellum affectaſſe, ex Cicerone intelligimus, *L. Craſſus homo ſapientiſſimus noſtræ civitatis, ſpiculis propè ſcrutatus eſt alpes, ut ubi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſſam aliquam quæreret.* quamquam honore fruſtratus. An Cn. Pompejus, Magni pater, conſul Anno DCLXV. Rhætos armis aggreſſus, incompertum, at cum Strabo prodiderit, eum Comum à ſupra colentibus Rhætis afflictam inſtauraſſe, opinamur, vel hanc unam ob cauſam ad manus ventum eſſe. Neque non annotatum â viro docto. Q. Metellum Celerem, Murena & Silano Coſſ. A. DCXCII. rem in alpibus geſſiſſe; ſed dubio teſtimonio nititur, Metellum nempe ad Ciceronem ſcripſiſſe, *Qui provinciæ, qui exercitui præſum, qui bellum gero.* Quis præſtet hoſtes Rhætos, aut ex alpinis ſaltem aliquos fuiſſe? Id de D. Bruto Coſ. Deſ. Anno DCCX. probabilius, ſic enim etiam iſte ad Ciceronem, *Progreſſus ſum ad inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus ſatisfacere: quod mihi videor conſecutus. Cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi: multa caſtella cepi, multa vaſtavi: non ſine cauſſa ad Senatum litteras miſi.* De L. Munatio Planco, fermè circa hæc tempora, planè certum reddit Cajetana inſcripto, TRIVMP. EX. RHÆTIS. AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE. MANIBIS. Triumphum faſti Capitolini, & plerique ſcriptores, ex Gallia actum prodiderunt: ſive ob cauſſam quam antea innui, ſive quia Munatius Galliæ præfuit, cum rem adverſus Rhætos geſſit. Actus eſt An. DCCXI. IV. K. Jan. An. DCCXIII. L. Antonius K. Jan. ex alpibus triumphavit, & ſi nihil dignum triumpho geſſerat, neque omninò illis locis imperium habuerat, uti Dio prodidit. Verum hæc, & quæ alia hujus generis ex annalium memoriâ poſſunt erui, ad Rhætos Italiæ & Galliæ imminentes pertinent: transalpinos noſtros, ſive

Oroſ. lib. 5. c. 4.

Epit. 62.

Cic. in Piſ.

Str. lib. 5.

Epiſt. fam. lib. 5. ep. 1.

Epiſt. fam. lib. 11. ep. 4

Dio lib. 48.

sive Rhætos, sive Vindelicos, nequaquam attigere, nisi suspicari placet, quod nullis indiciis assequimur, hos illis quandoque auxilia submisisse. De transalpinis, Imp. Cæs. Augustum palma manebat: imperitè enim Appianus, dubiam inter Julium & Augustum statuit, in Illyricis, *Rhætios igitur & Noricos existimo C. Cæsarem, dum adversus Celtas depugnaret, subegisse: aut Augustum, Pæones cum aggrederetur, bello superasse. Nec ullū in Rhętios aut Noricos bellum gestum privatim reperi. Quamobrem cū reliquis finitimis una devictos fuisse arbitror.* Cęteri omnes Augusto adjudicant: Et subit mirari, clam Appiano bellum Rhæticum fuisse, cujus tot ante illum scriptores meminerint. Livius copiosè descripsit, ex epitome enim cognoscimus, huic uni librum centesimum trigesimum sextum prope solidum impendisse. Nos principis historici narratione, temporum injuriâ maximâ nostrarum rerum jacturâ destituti, quæ ab aliis sparsim prodita, in unum hunc locum collecta comportabimus. Id ut ordine, & ad temporum seriem aptè fiat, statuemus inprimis Anno urbis DCCX. C. Julium Cæsarem Cos. in magistratu occisum. Postero DCCXI. Pansâ & Hircio Coss. occiso Pansâ, C. Cæsar Octavianus Cos. suffectus est, sive XIV. k. Septembr. sive X. k. Octob. nam inter Dionem & Vellejum non convenit. Hinc ejus imperium auspicamur. An. DCCXXIII. Antonium IV. Non. Septemb. ad Actium vicit. An. DCCXXIV. Alexandriâ captâ, Ægyptum Romanam provinciam fecit. Fuit is annus à primo consulatu decimus tertius, vel decimus quartus, si Pansæ & Hirtii annum Octaviano integrum annumeramus, quod aliquibus placuit. Atque hæc inter auctores satis conveniunt. Nobis præterea, ad illa, quæ sequuntur certius prodenda, dies captæ Alexandriæ constituendus. In kalendario veteri marmoreo Romæ, ad VI. k. Apriles scriptum, HOC DIE CÆSAR ALEXAND. RECEPIT. Id plerique omnes de hac Octaviani victoriâ interpretantur: ego mihi videor docere posse, ad patrem Julium pertinere. Hisce rationibus pridie k. Octobr. Pompejum Magnum natum scripsit Plinius: pridie natalis sui in Ægypto occisum, consentiunt Vellejus & Plutarchus, qui est dies III. aut propridie k. eo, & pridie k. ante aliquot annos triumphum de Mithridate duxit; nam triumphavit biduo, quod quendam fefellit, qui pridie k. cæsum observavit, quoniam apud Dionem forte legerat, interiisse die, quo de Mithridate & piratis triumphasset. Mortuo Pompejo, *Cæsar post tertium diem insequutus*, ut est in Livianâ epitome. Mox Alexandrinum bellum motum: Ita ex commentariis belli civilis & Alexandrini constat. In quibus etiamsi temporum ratio minus dilucidè explicatur, rerum gestarū series

Dion. lib. 56.

Plin. lib. 37. c. 2. Vell. lib. 2. Plut. Pompejo.

Dion. lib. 42.

Epit. 112.

persua-

persuadet, bellum ultra quintum aut sextum mensem nequaquam protractum, exitum in mensem Martium incidisse. Inde Suetonius scripsit, gestum, *neque loco, neque tempore æquo, sed hyeme anni.* Ac quod in Appiano, *Inter has contentiones menses novem absumpsit* (Cæsar) *donec Cleopatram loco fratris Reginam fecit Ægypti, in Nilumque una cum ipsa quadringentis navibus subvectus, perlustravit regionem, & alioqui devinctus feminæ consuetudine*, sic accipiendum, Cæsarem omninò novem mensium moram in Ægypto traxisse: eoque probabilius, sexto mense bellum finitum, VI. K. April. Alexandriam receptam, reliquum temporis lustrando regno impensum. Receptam, non captam dixit (quamquam capi & recipi de re unâ eâdem aliquando dicitur, ut est in Augusti nummis ARMENIA. CAPTA. ARMEN. RECEP.) quia à multis jam annis Ægyptus Romanis fœdere obnoxia, & Alexandria ante bellum haud dubiè in Cæsaris potestate fuerat: Simul illud innuit (nam ut Gabinium spectaverit, à quo Alexandriam captam, cum Ptolemæum reduceret, Cicero scripsit, aut nescio quod testamentum, cujus hic etiam in agrariis meminit; *Quis enim vestrum hoc ignorat, dici illud Regnum testamento Regis Alexandrini, Populi Rom. esse factum?* mihi neutiquam probatur) bellum cum tyrannis potius & latronibus (ita Cæsar appellat Photinum, Achillam, Ganymedem) quam cum civitate gestum. Ejusmodi apud Livium exemplum: Accusabant Syracusani Marcellum victoriâ impotenter usum, censuit T. Manlius Torquatus, cum tyrannis bellum geri debuisse, hostibus & Syracusanorum & populi Romani, *& urbem recipi, non capi.* Julii ergo victoria in kalendario expressa. Octavianum Alexandriam Kal. Sextil. cepisse, ex Orosio, quiq; eum secutus est, P. Diacono in historia miscella, certum. Inquit Orosius, *Kalendis Sextilibus primâ luce, Antonius cum ad instruendam classem in portum descenderet, subitò universæ naves ad Cæsarem transierunt.* Neque obscurum cum ex hoc ipso Orosio, tum ex Plutarcho, Octavianum, quo die classis ad eum defecit, Alexandriâ potitum esse. Pridie omina & prodigia præcessere, quorum Plutarchus meminit; Antonius *inter cœnandum, ut fertur, imperavit servis, ut infunderent sibi, & exciperent epulis se liberalius, incertum esse, idem ne facturi postridie essent, an aliis dominis ministraturi, ipse verò extinctus jaceret & exanimis.* Paucisq; interjectis, *Circa noctis illius conticinium fama est, cum silentium & mœstitia ex metu & expectatione eventus teneret civitatem, repente omnis generis organorum exauditam symphoniam, strepitumq; turbæ cum clamore Bacchico, tripudiis Satyricis, velut sacro liberi patris choro, non sine ingenti tumultu erumpente, concessisse hanc turbam, quæ in-*

Suet. Julio. c. 35. App. Civ. lib. 2.

Cic. in Pis. Cic. agr. 2.

Cæs. Civ. lib. 3.

Liv. lib. 36.

Oros. lib. 6. c. 19.

Plut. M. Ant.

gens

gens esset, mediâ ferme urbe ad portam, quæ foras ad hostes ducebat, atq; ea evasisse. Visum est autem, prodigium hoc reputantibus, à Deo quem præcipuè effingere, & ad quem consueverat se accommodare, esse Antonium destitutum. Dein summo manè classis defectio, Antonii fuga & mors, Cæsaris victoria, consecuta sunt. Huc Senatus consultum respexit, quo Sextilis in Augustum mutatus, est inter reliquas causa relata, quod *Ægyptus hoc mense in potestatem Pop. Rom. redacta sit.* Quæ ad Actiacum prœlium qui referunt, in duplici errore versantur: Neq; ad Actium mense Sextili pugnatum, neque eâ pugnâ Ægyptus in potestatem pop. Rom. redacta est. Quamquam ex veteribus etiam Appianum, victoriam Actiacam cum Alexandrinâ confudisse, in aperto est: Cum scripserit, Ciceronem oratoris filium, Consulem, litteras de profligato ad Actium Antonio pro concione recitasse: At ex Plutarcho & Dione constet, Ciceronem non nisi Alexandriâ captâ, altero post profligatum Antonium anno, Consulem fuisse. Et quidem Idib. Septembr. suffectum, ex antiquo fragmento municipalium fastorum cognoscimus: Vt non sit incredibile, eum de victoriâ in Ægypto K. Sextil. partâ, Romæ ad populum Idibus Septemb. retulisse. Plutarchus narrat, eo consule Senatum Antonii statuas dejecisse, cæteraque ornamenta abrogasse, id nimirum Appiano imposuit. In hisce porro fastis bellum Alexandrinum inter K. Julias & Idus Septemb. notatum reperio.

S.C. extat apud Macrob. lib. 1. c. 13. App. civ. 2.

Plut. Cic.

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIVS K. IVL. C. ANTISTIVS

BELLVM ALEXANDR. EID. SEP. M. TVLLIVS

Et cum Cæsar obsessâ Alexandriâ brevi potitus sit, uti Suetonius scripsit, ejusq; rei nuntius ante Idus Septemb. Romam pervenerit (nam Idibus Augustum à Senatu obsidionali coronâ donatum, apud Plinium legimus) an non hinc quoque probabilem conjecturam de K. Sextilib. duceremus, si apertis Orosii verbis destitueremur? Sed & Marianus Scotus atque Sigebertus, si qua horum est auctoritas, disertè habent, Antonium & Cleopatram K. Aug. ab Octaviano victos esse: quod ad Alexandriam captam pertinet, cum ad Actium, Dione teste, IV. Non. Septemb. victi sint. Hæc fusius explicanda fuerunt, propter summam eorum auctoritatem, qui de VI. Kal. April. sentiunt. Post Actium & Alexandriam Octavianus Rempub. solus tenuit. An.

Suet. Octav. c. 17.

Plin. lib. 22. c. 6.

Mar. an. mundi. 4167. Sigeb. in Chron. an. 438.

Dio lib. 51.

DCCXXVII. Munatii Planci ſententiâ Auguſtus dictus, à nobis quoque hoc nomine deinceps appellabitur. An. DCCXXIX. Salaſſos, gentem alpinam, Terentius Varro devicit: quo loco caſtra habuit, urbem condidit, & tria millia colonorum ex cohortibus prætoriis deduxit, urbs Auguſta Prætoria dicta eſt. Quæ copioſè à Strabone & Dione narrata, viſum attingere, quod animadverterim, nonnullos cum rebus noſtris imperitè confundere. Ejus victoriæ cauſsâ Auguſto fornix trophæum ferens (Dio refert) in alpibus poſitus. Nam trophæum de alpinis gentibus, quod eſt apud Plinium, multo poſterius. An. DCCXXXIIX. *Camuni & Vennonetes, gentes alpinæ* (Rhætis plerique annumerant) *arma contra Romanos ſumpſerunt, victiq; à P. Silio & ſubacti ſunt.* Quod etiam à Dione proditum. Sequenti DCCXXXIX. M. Livio Druſo, Libone, L. Calpurnio Piſone Cæſonino Coſs. Rhæticum bellum motum eſt. Quod ſi non temporis circumſcriptione, ſed animis, & obſtinatione partium metimur, inter graviſſima numeremus licet. Verbi invidiam Romani victores lenient: quorum confeſſione palam eſt, fortiſſimam gentem militaribus potiſſimum artibus & inſidiis, non apertæ virtuti ceſſiſſe. Nam cum Auguſtus uni huic utrumque privignum, Tib. Claudium Neronem & Neronem Claudium Druſum duces præfeciſſet, præſtantiſſimos viros legatos addidiſſet, illi præſidentem, ſed inconditam, Rhætorum Vindelicorumq; fortitudinem eâ fregere ratione, ut bellum latè per omnem provinciam ſpargerent, & hoſtium exercitum in multa minuta agmina diducerent; quo excogitato, diſperſos non admodum difficulter vicere, quorum unitæ vires invictæ erant futuræ. Iſta Paterculi & Dionis auctoritate confirmanda ſunt. Hunc in modum Paterculus, *Neronem Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit, adjutore operis dato fratre ipſius Druſo Claudio, quem intra Cæſaris penates enixa erat Livia. Quippe uterq; diviſis partibus Rhætos Vindelicosq; aggreſſi, multis urbium & caſtellorū oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt.* Sic verò Dio, *Rhæti inter Noricum & Galliam, ad alpes Italiæ finitimas, quas Tridentinas nominant, ſedes ſuas habent. Hi vicinam Galliam frequenter populati, ex Italiæ finibus prædas egerant, Romanosq; & eorum ſocios, iter per ipſorum terras facientes infeſtaverant. Id quidem conſuetudine jam receptum erat, ut in eos, qui nullo eſſent fœdere juncti, ita ſtatuerent: Sed præter hoc omnes maſculos quos comprehendiſſent, etiam in utero adhuc matrum (id enim quibusdam divinationibus inveſtigabant) moran-*

Str. lib. 5. Dio lib. 53.

Dio lib. 54.

Paterc. l. 2.

Dio lib. 54.

rantes necabant. Ea propter Augustus principio Drusum contra eos cum exercitu misit, isq; Rhætos apud alpes Tridentinas sibi obviam factos, prælio congressus, haud magno certamine fudit, ejusq; victoriæ ergo Prætorios honores (honores quidem tunc Prætorios Quæstor, Præturam ipsam quinto post anno, quo res in Germaniâ gessit, accepit, neq; id Dio annotare neglexit, cautè ergo legendus Suetonius, *Drusus in Quæsturæ Præturæq; honore, dux Rhætici, deinde Germanici belli,* & quod mox ait, confestim post Præturam Consulatum iniisse, iniit namque Anno DCCXLV.) *adeptus est. Deinde cum ab Italia rejecti Rhæti nihilominus Galliam urgerent, Tiberium quoq; contra eos misit. Proinde Drusus ac Tiberius simul, multis locis in Rhætiam irrumpentes, legatorum operâ, ac ipse etiam Tiberius per lacum navigiis subvectus, exterruerunt eâ re barbaros: dissipatos aggressi haud difficulter exiguis præliis dispersas eorũ copias deleverunt; reliquosq; inferiores exinde, ac animis collapsos, in suam potestatem redegerunt.* Denuo monendum vix existimo, Dionem Rhætico nomine Rhætos & Vindelicos complecti. Nam Strabo Tiberium navalem pugnam in lacu cum Vindelicis pugnasse asseverat, loco quem jam antea produximus. Incredibile facinus, in quo neque patriæ & libertatis amor satis laudari, neque teterrima in liberos sævitia, quam nulla belluarum feritas imitetur, satis vituperari possit, Cheruscis, Suevis & Sicambris ab Orosio tributum, Florus Vindelicorum, reliquorumq; alpinorum feminis ascripsit, *Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendere: quæ deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo, in ora militum adversa miserunt.* Ovidius in carmine abjectæ adulationis, Augustum duobus bellis, Rhætico & Threicio, timuisse haud quaquam dissimulat,

Dio lib. 54. Suet. Claud. c. 1.

Oros. lib. 6. c. 2. Flor. lib. 4. c. 12.

Ovid. trist. 2.

Rhætica nunc præbent, Thraciaque arma metum.
Cum de reliquis multo lenius loquutus esset.
Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda.

* * * * * * * * *

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captaq; signa manu.
Nunc te prole tuâ juvenem Germania sentit,
Bellaq; pro magno Cæsare Cæsar habet.

Verum, etiamsi Rhætis dilaudandis omnium auctorum ingenia conspirent, nullum à quoquam ornatius elogium excogitari poterit, quam quod eos

Devota morti pectora liberæ

Appellavit Horatius. Quem Acron & Porphyrio, veteres grammatici, prodiderunt post editos tres priores carminum libros, coactum ab Augusto magno intervallo quartum scribere, ut prin-

cipis poëtæ versibus (Virgilius ante aliquot annos mortem obierat) victoria de Rhætis & Vindelicis parta illustraretur. Totidem prope verbis Suetonius in Horatii vitâ: Tam certam scilicet spem de versuum ejus æternitate Cæsarem concepisse, *ut non modo sæculare carmen componendum injunxerit, sed & Vindelicam victoriam Tiberii Drusiq; privignorum: eumq; coëgerit propter hoc, tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.* Hujus rei duas gravissimas odas testes habemus; quas, cum omnium manibus terantur, neq; rerum Augustanarum studioso adire grave sit futurum, huc exscribendas non putavi. Est ad commendationem fortitudinis insigne, quod in iis Rhætos draconibus reluctantibus aquilæ comparat: quod Vindelicas catervas diu lateque victrices fuisse narrat: quod nunc hos nunc illos, *Implacidum genus, Veloces, Immanes, Agmina ferrata*, appellat: Et quamvis Neronum impetum Aquilæ, Austro, & Aufido flumini conferat, facere non potest, quin victoriam arte & consilio potissimum extortam fateatur, De Druso his verbis,

Horat. lib. 4. Car. oda 4. & 14.

——————catervæ
Consiliis juvenis revictæ.
Istis ad Augustum,
Te copias, te consilium, & tuos
Præbente Divos.——————

Quin & quod de bello latè sparso diximus, innuit: Nam Drusum Genaunos, Brencos, & plerasq; alpibus arces dejecisse refert,

——————————plus vice simplici.

Quibus incommodis Rhætorum vires valde accisæ. Tamen neque generosos spiritus, neque libertatis amorem posuere. Imó quæ tot cladibus superfuere reliquiæ, Romanos toties victores directâ acie aggredi ausæ, extremam fortunam eventu minus læto retentavere. Quod ex Dione vix est colligere, sed Paterculus, si verborum seriem attentè consideramus, non obscurè, admodum manifestè ostendit Horatius, subjungit enim,

Major Neronum, mox grave prœlium
Commisit——————————

Et commissam pugnam multis, qui sequuntur, versibus mirum in modum amplificat. De loco quid certò asseverem non habeo. Et dissimularem id totum, nisi conjecturas quoq; probabiles in medium proferre statuissem; eæ prope est ut fidem faciant in campis ad Lycum, immensum patentibus pugnatum esse. Mitto videri à Rhætis, qui se hactenus arte, non armis victos intelligerent, postremo congressu amplissimam planitiem, quæ nihil ad tegendas insidias latebrarum haberet, testandæ virtuti delectam: Illud sanè credibile, ut quæque Rhætiæ partes Italiam & Galliam propius contingebant, ita prius victas, atque inde

inde consequens, qui ex prœliis alpinis & navali pugna effugerant, se in planitie, cujus hostes postremo potiti, recollegisse. Adde quod Horatius priori oda scripsit, Drusum bella sub alpibus gessisse, posteriori, Tiberium post alpinas demum victorias grave prælium commisisse: Vtrumque de extremo certamine in campis interpretor. Et inde etiam ultimo huic prœlio utrumque Neronem interfuisse conjecto. Nescio an ad locum quiddam faciat, quod interpretes sive Vindelicos, sive Rhætos Vindelicos eâ pugnâ superatos memoriæ consignarunt. Horatius semel Rhætos Vindelicos, iterum Rhætos tantum habet, Sed eo nomine (sæpe dicendum est) uterque populus solet comprehendi. Est tandem nonnullius apud me ponderis, fama jam antiquitus de Romanorum prælio his locis per manus tradita: quantumvis ea incredibiliter, uti fit, corrupta, & nugacissimis fabulis contaminata, in diversam prorsus sententiam detorta fuerit. Sed hæc, ut quisque volet, accipiet. Cum victoria à Romanis stetisset, eâ omnino debellatum esse ex Horatii versibus cognoscimus,

——— Nam tibi quo die
Portus Alexandréa supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus:
Laudemq;, & optatum, peractis
Imperiis, decus arrogavit.

Non me latet quorundam explicatio: Quo die Augustus Alexandriâ potitus, mortuo Antonio, captâ Cleopatrâ, anno post Mutinense prœlium decimo tertio, fortunam prosperam omnium præteritorum bellorum secundos exitus reddidisse. Sed alia est poëtæ mens, qui totus in celebrandâ Rhæticâ victoriâ, cur eo revolveretur, ut civilium bellorum finem annotaret? Quin commonstrat, quo die Alexandria capta, eo post tria lustra Rhætos superatos esse. Hanc sententiam caussali particulâ, quam vocant Grammatici, proximæ antecedenti ita conjunxit, ut haudquaquam divelli, neq; aliorsum flecti possit. Ideo in re aperta minus certandum interpretũ numero & auctoritate: Vetustissimorum tamen verba adducam, Pŏrphyrionis, *Evenit, ut post annos XV. Drusus eo die Rhætos Vindelicos vinceret, quo die Augustus Alexandriam vicerat.* Idem Acronis sensus, verum numeri corrupti, *Felicitati assignat Augusti* (poëta) *Drusi victoriam, demonstando ante annos XII. eo die Alexandriam ab Augusto captã, quo Drusus Vindelicos superavit.* Tria lustra XV. annos conficiunt, & cum Alexandriam K. Sextil. An. DCCXXIV. captam docuerimus, consequens Rhætos atq; Vindelicos iisdem K.

Anno DCCXXXIX. fuisse victos. Convenit quod Strabo scripsit, Nerones fratres unicâ æstate debellasse. Et Suetonius, *Sextilem mensem è suo cognomine nuncupavit, magis quam Septembrem quo erat natus: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigissent.* Plurium numero Alexandrinam & Rhæticam victoriam notavit. Eodem modo Dio, at in S. C. Ægyptiæ tantum mentio. Porro ineptiunt, qui duplices Rhætos commenti, quorum alteros Romani vicerint, alteros coercuerint tantum, ex Suetonii verbis perperam distinctis, *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhætiam & Vindelicos, ac Salassos, gentes alpinas coercuit. Et Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copiâ cæsis; Germanosq; ultra Albim fluvium summovit.* Legendum erat, domuit *Rhætiam & Vindelicos, ac Salassos, gentes alpinas. Coercuit & Dacorum incursiones.* Confecto bello milites victores honoris causâ ob virtutem donati sunt: Indicât apud Paterculum acclamationes Tiberio factæ, *ego tecum imperator in Armeniâ, ego in Rhætiâ fui: ego à te in Vindelicis, ego in Pannoniâ, ego in Germaniâ donatus sum.* Quæ mirè etiam sententiam nostram, de decretoriâ pugnâ in Vindeliciâ ad urbem principem commissâ confirmant, nam milites se in Rhætiâ quidem cum Tiberio fuisse, at in Vindelicis demum donatos jactant, eoque belli finis quo loco fuerit ostendunt. Regio victa in provinciæ formam redacta est, idem Paterculus de Augusto, *Rhætiam autem & Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamq; & Scordiscos, novas imperio nostro subjecit provincias.* Quod Italiæ proxima & contigua, continentem ex Vlpiani sententiâ cognominabimus, *Continentes provincias accipere debemus eas, quæ Italiæ junctæ sunt.* Termini circumscripti, quos in majoris Rhætiæ descriptione delineavimus. Nam Rhætiam propriam & Vindeliciam in unam provinciam coivisse, plerisque testimoniis confirmare possum, quibus ut in re clarâ abstineo: multa in hanc sententiam orationis nostræ cursus sponte suâ dabit, & eodem facit, qui mox sequitur Taciti locus. Quod vir eruditus Noricum & Pannonias adjectas scripsit, æquè multis infirmare licet, sed Tacito contenti simus: Noricum apertè à Rhætiâ disjungit, quo loco provinciarum motus post Neronis mortem narrat, *Duæ Mauritaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur.* De Pannoniis minus adhuc dubitandum. Et qui historias cum curâ legit, haud rarò inveniet alios Rhætiæ, alios Norico & Pannoniis præfuisse. Cum verò provincia Rhætiæ nomine appellaretur, evenit ut Vindeliciæ vocabulum paullatim desuetudine obsolesceret, nisi qua Augustæ cognomen

Suet. Octav. c. 31.

Suet. Octav. c. 21.

Vlp. Dig. lib. 50. tit. 6. l. 9.

Tac. hist. lib. 1.

cognomen manſit. Hinc eſt, quod qui poſt Auguſtum & Tiberium ſcripſere, nonnulli id nunquàm expreſſere, quanquam crebra eſſet occaſio, ſed ubiq; Rhætiæ nomine comprehenderunt, uti in Dione & Tacito, omnium diligentiſſimis obſervare licet. Nam quod Tacitus Vindelicarum cohortium ſemel meminit, alia ratio, proprium hoc illis à primâ inſtitutione nomen hæſit, neque fortaſſe ineptè, qui Auguſtanas cohortes interpretatus eſt. In Dione incredibiliter errat (obiter moneo) qui Vandalicos montes ex quibus Albis oritur, contra libros veteres, Xiphilini auctoritatem, rem ipſam, in Vindelicos mutat. Nonnulli expreſſere, ſed in hiſtoriis Auguſtæi ævi tantummodo, ut Suetonius, Eutropius, Victor, Rufus & Florus. Si qui extra iſtud diſcrimen eo uſi, præcipuè Martialis, Claudianus, Sidonius poëtæ (Ptolemæi privata cauſſa eſt, fecit enim neceſſariò, cum provinciam minutatim deſcriberet) non ideò minus verè in deſuetudinem abiiſſe dixi. De conditionibus, quibus in fidem recepta, hæc obſervavi ex Dione, *Quia verò populoſa erat gens Rhætorum, videbanturque bellum retentaturi, maximam ejus & ætate validiſſimam partem inde abduxerunt, iis relictis, qui & colendæ ei regioni ſufficerent, & ad rebellandum non ſatis virium haberent.* Reliquos magnâ agri parte mulctatos, ne monendum quidem, & de coloniâ, cui agrorum diviſio adnata eſt, paullo poſt videbimus. Tributis præterea immenſis afflictos, fidem faciunt Batavorum verba apud Tacitum, *Si Veſpaſiano bellum navaverint, Veſpaſianum rerum potiri: Sin populum Romanum armis provocent, quotam partem generis humani Batavos eſſe? Reſpicerent Rhætos Noricosq;, & cæterorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed viros indici.* Non fruſtra à Rhætis & Noricis exempla ducta, præteritis Gallis propinquis, ſed quod illi durius habiti: nam populos eo inclementius poſt victoriam haberi, quo conſtantius bello reſtiterint, in confeſſo eſt: Quæ tamen ad coloniam, & coloniæ territorium non pertinere, ſuo loco indicabimus. Jurisdictio, & rei militaris procuratio ſic ferme conſtituta. Cum Auguſtus imperium bifariam diviſiſſet (auctor Strabo) provincias barbaris finitimas ſibi continendas ſumpſit, populo Romano pacatas reliquit. Jam quoniam Danubii limes perpetuis excubiis contra Germanos tuendus erat, intelligimus Rhætiam Auguſto ceſſiſſe. Aliquanto apertius ex Dione, qui hanc diviſionem in annum urbis DCCXXVI. refert, & enumeratis utriusque partis provinciis, ſubjungit, *Quæ poſt id tempus ſub Romanam ditionem pervenerunt, ſemper Imperatori acceſſerunt.* Pervenit multò poſt Rhætia, in eam ergò Imperator Præſidem miſit. Quâ latiſſima ſignificatione, omnes omnium provinciarum Rectores continentur. In peculiari nomine

Tac. Annal. lib. 2.

Dio lib. 55

Xiphil. Aug.

Mart. lib. 9. epigr. 86. Claud. de bel. Get. Sid. Aviti in paneg.

Tac. hiſt. 5.

Str. lib. 17.

Dio lib. 53

quandoque variatum. Dio in Italiâ Proconſules & Proprætores, extra Præfectos inſtitutos ait, niſi nos interpres ludibrio habet; certè uſus obtinuit, ut multi etiam in provinciis Proconſules & Proprætores, apud Tacitum P. Oſtorius unus idem, Britanniæ Proprætor & Legatus, paucis interjectis verſibus dicitur: Prolegatum Rhætiæ in lapide vidimus, unde etiam legatum colligas: Procuratorem apud Tacitum; Judicem in Afræ actis, quod jurisdictioni nempe præeſſet. Julianus J. C. Prætorem hoc argumento judicem vocavit, & poſterioribus temporibus provinciarum Rectores promiſcuè eo nomine appellatos, crebra in Theodoſii codice teſtimonia obvia. Porro Præſides, Prætorios aut Conſulares fuiſſe (Equites rectè addit Strabo) eos, qui ab Imperatore mitterentur, jus gladii, in milites etiam vitæ necisque poteſtatem habuiſſe, atque militari habitu uſos, hoc eſt, paludatos in provinciam profectos, idem nos Dio docet. Accedebat, quod annuo tempore magiſtratus non circumſcribebatur, ſed quousque Imperatori collibuiſſet præeſſe poterant: Cauſſam Suetonius aperit, validiores provincias annuis magiſtratuum edictis regi, nec facile nec tutum eſſe. In Jurisconſultorum denique libris relatum, Præſidem majus imperium in ſuâ provinciâ habere omnibus poſt principem: ad ejus officium pertinere omnia provincialia deſideria, quæ Romæ varios judices habent: quandoquidem omnium Romæ magiſtratuum vice fungatur. Quæ verò liberâ Republicâ Quæſtoris partes, in eas Procuratores aut Rationales (fere equites aut liberti) ſub Imperatoribus ſucceſſere: Hinc provinciales querentes apud Tacitum, *ſingulos ſibi olim Reges fuiſſe, nunc binos imponi, è quibus Legatus in ſanguinem, Procurator in bona ſæviret.* Procuratoribus enim tributorum cura demandata, & quæ ad fiſcum præterea pertinent. Sed invaluit paullatim conſuetudo, ut certæ provinciæ Procuratorum nonnullis (quod genus Rationales nunquam dictos reperio) regendæ committerentur, nullo alio Præſide. Id multis exemplis compertum, quocirca unum Pontium Pilatum, Judææ Procuratorem Præſidis loco, nominaſſe ſufficiet. Et priores illos, qui de bonis tantum fiſco vindicatis ordinarium jus habebant Jurisconſulti, non vice Præſidis agentes, poſteriores, Procuratores qui vice Præſidis fungantur, aut qui vicem Præſidis tuentur appellaverunt. Et quoniam ex Tacito intelleximus, Rhætiam poſt Neronis mortem procuratore cohibitam, eum vice Præſidis fuiſſe perſpicuum eſt. Nec valde mirum, Præſidum appellationes ſub Imperatoribus ſæpius mutatas, quandoquidem ſtante etiam Republicâ eædem provinciæ pro re natâ aliàs, Conſulares, Prætoriæ aliàs. De militari præſidio, viſum Aventino prodere, cuſtodiſſe Vindeliciam præter au-

Tac. Annal. 12.

Jul. D. lib. 4. tit. 4. l. 41

Theod. C. lib. 1. toto tit. 6. & ſæpe alibi.

Suet. Oct. 47.

Dig. lib. 1. tit. 18. l. 4. 11. 12.

Tac. in vita Agric.

Cod. lib. 3. tit. 3. l. 1. lib. 9. tit. 20. l. 4. tit. 47. l. 2.

ter auxilia, tres legiones, Martiam, Quartam, Quintam Batavam. Sed ejus rei frustra quidquam credi postulat, cujus testem nullum producit, novi quam frivolas conjecturas sequi amet. Mihi persuasum, sub Augusto & deinceps aliquamdiu, nullam legionem in Rhætiâ stativa habuisse: etsi quasdam interdum immigrasse non negem. In quam sententiam Taciti potissimum auctoritate pertrahor, hic auxilia Rhætica, alas, cohortes sæpe, semel cohortes Vindelicorum nominat, Legionum nullibi meminit. Quin cum XXV. legiones quas Tiberius in armis habuit, enumeraret (neque plures sub Augusto fuisse Dio testis; nam XLIV. aut XLV. quas Augusto paruisse victo Lepido, scripsere Orosius & Appianus, missione reliquarum ad eum numerum redactæ) omnibus extra Rhætiam locum dedit: Rhenum octo contineri prodidit, tribus Hispanias, Africam duabus, totidem Ægyptum, Syriam quatuor, Pannoniam, Mœsiam & Dalmatiam binis singulas. Rhætiam ergo sequentibus verbis comprehendit, *Apud idonea provinciarum sociæ triremes, alæq; & auxilia cohortium: neq; multo secus in iis virium, sed persequi incertum fuit: cum ex usu temporis huc illuc mearent, glisscerent, numero, & aliquando minuerentur.* Eodem modo Dio legionum catalogum concludit. Quibus provinciæ locis, alæ & auxilia cohortium tunc fuerint dispositа, cum se Tacitus ob incertitudinem persecuturum neget, nos inepti, si nunc ætate tanto inferiores investigemus. Hoc tantum non leviter asseverare posse videmur, creberrima per Danubii ripam dispositа: qui *limes* (uti Rufus retulit) *inter Romanos & barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam & Mœsiam est constitutus.* Inconditè nonnulli codices, *finesq; inter Romanos & barbaros Augustus vindicans, per Noricum Mœsiamq; dispositit.* Vnde corruptissima Jornandis lectio fluxit, *finesq; inter Romanos & barbaros Augustæ Vindelicæ per Noricum Mœsiamq; dispositi.* Quæ in Notitiâ hac de re scripta, ad aliud sæculum pertinent.

Tac. hist. lib. 1. & 3. Annal. 2. Tac. An. lib. 4.

Dio lib. 55.

Oros. lib. 6. c. 18. App. civ. lib. 5.

Jorn. de regn. & temp. succ.

MARCI

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Tertius.

COLONIA deinde *in agros captivos, subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum*, deducta. Quæ sunt Taciti in re simili verba. Coloniæ autem quemadmodum apud Servium legimus, veteres definiere *cœtus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum auspicio munitum, quem certo jure obtinerent: Alii, Colonia est quæ Græcè ἀποικία vocatur, dicta autem est à colendo. Est autem pars civium aut sociorum, missa ubi Remp. habeant ex consensu suæ civitatis, aut publico ejus populi unde profecta est consilio. Hæ autem coloniæ sunt, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ.* Locus in latissimâ planitie clementer editus, prope Vindonis & Lyci confluvium, Danubio ad commoditates vicinus, nec expositus nimiâ propinquitate ad pericula Germanicarum incursionum, Vindeliciæ meditullio lectus: Nomen Augustæ inditum, Vindelicorum cognomen additum, differentiæ aliarum urbium, quæ eodem nomine appellatæ. Sed ut ea, quæ ponimus, certissimè demonstremus, copiosè & diligenter, de re suâ naturâ minimè obscurâ, disputandum erit: quod Aventinus antiquissimos terminos, primus quantum perspectum habeo, loco movere, Augustam ad nescio quos Isaræ & Loisæ confluxus transferre ausus, qui absurdissimam sententiam sequerentur multos repererit. Adeo plerumq; interest, non quid dicatur, sed quâ existimatione qui dicit habeatur. Vt autem veritas sibi semper constat, sic contra mendacio evenit, in varios errores dilabi. Nam qui post Aventinum scripsere, alius

Tac. Ann. 12. de Camoloduno. Servii schedę quas à Fr. Modio habuimus Æn. 1. Tyrii tenuere coloni.

alius alio ineptior, mirificas in hac cauſsâ, multiplicesque nugas excogitarunt, nec omnes inter ſe, nec ſinguli ſibi ipſis conſentientes. Quorum diverticula mihi haud quaquam perſequenda opinor. Si evinco, quod in quæſtione poſitũ, Auguſtam Vindelicorum à primâ origine inter Vindonem & Lycum ſtetiſſe, conſequitur ad Iſaram, aut ubivis alibi non ſtetiſſe: ſimul illud, neque Auguſtam aliam, neq; caſtra Auguſtana, nec Druſomagum, nec quamvis præterea urbem, hoc loco ſtetiſſe. Id quod profecto ipſe iſte urbis ſplendor, tot & tanta antiquorum ædificiorum rudera, quæ effodiendis fundamentis occurrunt quotidie, fornices, cloacæ, pavimenta, præterea inſcriptiones, ſcalpturæ, ſtatuarum baſes, aræ, numismata, vaſcula fictilia, quarum rerum nec vola nec veſtigium ad Iſaram, non tenuiter indicare, teſtatò denunciare videri poſſent, niſi hoc argumentandi genus totum remitteremus. Nunc ne quidquam ſine locupleti teſte aſſeveremus, docebimus inprimis coloniam deductam, eamq; unicam. Vnus utrumq; Tacitus conficiet: Qui hujus eum in modum meminit, ut unam fuiſſe diſertè oſtendat. *Hermunduro-* Tac. de germ.
rum civitas fida Romanis, eoq; ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus (obiter verbo oſtendit coloniam longiuſculè à Danubio diſſitam) *atq; in ſplendidiſſima Rhætiæ provinciæ colonia: paſſim ſine cuſtode tranſeunt. Et cum cæteris gentibus arma modo, caſtraq; noſtra oſtendamus, his domos villasq; patefecimus non concupiſcentibus.* Si plures in Rhætiâ coloniæ (Rhætiam quo ſenſu accipiat explicavimus) næ ille aut colonias dixiſſet, aut nomen ejus, quam animo conceperat, expreſſiſſet. Præterea nulla in medio ratio, cur Hermunduri in unam admitterentur, excluderentur reliqui. Quod lapidum nummorumq; inſcriptiones, & ex iis complures Rhæticas colonias objiciunt: Intelligant, de quibusdam non conſtare, an ad Rhætiam & Vindeliciam omninò pertineant, exemplo COL. TIBERIA. AVGVSTA. in quâ nihil afferunt, præter opinionem ſuam, cur Reginoburgum potius credamus, quam aliquam earum urbium, quæ diverſis aliis locis Tiberio Imp. dicatæ, duarum Nice- Nic. lib. 1. c. 17.
phorus Calliſtus meminit, *opus quoq; ejus eſt Judææ celebris urbs Tiberias, & quæ in Thracia eſt Tiberia*: at iſti noſtri, niſi conjecturis decipior, opinionem hauſerunt ex Leonis III. Pontificis diplomate Anno Chr. DCCIIC. perſcripto, cujus hæc verba ſunt: *Juxta muros Tiburniæ civitatis, quæ à Tiberio Cæſare Auguſto ædificata eſt, quæ modo vulgo appellata eſt Reginaſpurch*, cum Tiberiæ ſic ſatis confuſum, ſed nec Auguſtæ, nec coloniæ in iis extet veſtigium: De nonnullis conſtare quidem, ad nomen & ſitum quod ſpectat, coloniæ jus unquam adeptas non conſtare; eſt enim perabſurda perſuaſio, cum fœdâ antiquitatis ignoratione

ratione conjuncta, omnes a Romanis urbes, aut colonias, aut municipia fuisse: Sint quædam reliquæ, de quibus liqueat hoc ipsum, Eæ non tantum Augusto, etiam Tacito ætate inferiores censendæ. Neque quarundam cognomen Augustum obstare potest. Quibus Augusta proprium nomen, uti nostræ huic accidit, si antiquæ sunt (nolim enim nobis quisquam de Augustâ Siculâ à Friderico II. conditâ negotium facessat) ad Augustum referendas non negaverim: Quibus nomen proprium aliud, Augusta cognominis loco accedit, posteriores esse nihil prohibet: Quandoquidem cognominum ambitio an adulatio, mirè post Augustum crevit, & singulæ urbes sibi, quotquot vellent, propriâ auctoritate deligebant, uti Dio notavit. Maneat ergò, quod ex Tacito posuimus. Coloniam Augustam appellatam, ex Ptolemæo cognoscimus; Vindelicorum ille, Rhætorum alii dixere, Ambobus rectè tribui, ex iis, quæ disputata sunt, intelligitur. Vtriusque etiam cognominis rationem in lapidibus & nummis haberi, observatum. Ideò rectè conjunxit Notitia imperii, quo loco Augustam Vindelicensem Rhætiæ urbem dixit. Nam incepta est quorundam diligentia, qui ex unâ geminam constituere maluere, ut si cui Augustam Prætoriam, Salassorum & Subalpinam, in tres urbes placeat distinguere. Vindelicorum autem Augustam esse, quam Tacitus Rhæticæ coloniæ circumlocutione designaverit, neutiquam obscurum. Siquidem splendidissima colonia provinciæ caput extitit, & in eâ causâ Augusta omninò. Mitto nomen, nullo argumentorum ambitu suffultum, de primariâ urbe fidem facere: Ptolemæus ad hujus meridianum Vindelicîæ diem metitur: Auctor itinerarii, nomen litteris grandiusculis exprimit, & in inscriptionibus itinerum, quæ illam attingunt, ejus semper peculiarem rationem habet: Notitia, Præpositum thesaurorum ibi collocat, cujus hodie vestigium sive manet, sive restitutum est. At hæc præcipuæ urbi convenire omnes intelligunt. Accedunt nummorum inscriptiones, in quibus coloniæ dignitas clarè, si ex scriptoribus fides constat, mihi neque nummos, neque eorum delineatam speciem videre contigit. Et qua ratione Tacitus Rhætiæ provinciæ coloniam Augustam intellexit, eâdem alibi Taurinam coloniam dixit, quæ Augusta Taurinorum esset. Sequitur situm constituamus. Ptolemæus, quod Rhætiam propriam à Vindelicîâ Lyco semel distinxisset, facere non potuit (adeo fœcunda res error est, unus parit alterum) quin Vindelicas urbes omnes inter Lycum & Oenum, itaq; Augustam necessariò ad dextram Lyci ripam collocaret. Inde Aventinus opinionem hausit, ut Augustam, quæ nunc est, & quæ lævam occupat, ad Vindelicum nomen non admitteret. Strabonem, quem obstare videbat,

Vide Fazellium rer. Sicul. Dec. 1. lib. 3. c. 4.

Dio lib. 54

Observatum à Panvinio & Golzio.

Ptol. lib. 8.

Golz. in thes. c. 18. ex Tib. nūmis.

Tac. hist. lib. 2.

debat, ridiculâ cautione eludere satis habuit. Verum ego, quid Straboni, quid Ptolemæo in hac causâ tribuendum, differui. Et cum amplissimâ Strabonis auctoritate constet, Vindeliciam ad lacum Brigantinum pertigisse, Ptolemæum ei valde magnum agri modum nullo jure abstulisse, deinde rerum aspectu doceamur, hunc imperitè in reliquâ descriptione versatum esse, ne miremur si maximis erroribus minutum istum adjunxit, Vrbem ex lævo fluminis latere (quantulum interest?) in dextrum temere trajecit. Commodum extat nescio cujus dictum, si Ptolemaicas descriptiones cum regionum, fluviorum, montium, urbium situ, quavis jacturâ conciliare necesse, satius multò, & minoris operæ videri, tabularum lineas, quam rerum immutabilium mutare naturam. Eo respexere principes hujus ætatis geographi, quorum unus in veteris Germaniæ typo, alter in postremâ Ptolemæi editione, Augustam ad lævam delineantes, rei veritatem præ Ptolemæi præjudicio sequi maluere. Et cur præsentem oculorum sensum, tot sæculorum fide subnixum, præ uno hoc non sequerentur? Si mediæ ætatis auctores respicimus, Augusta quæ nunc maximè inter Vindonem & Lycum jacet, itidem Augusta est, sine cognominis adjectione, Bedæ, Egolismensi, monacho auctori vitæ Caroli Magni, Scriptori incerto, qui annales sub Ludovico Pio collegit, Frodoardo, Dietmaro, Vitichindo, Liutprando, Honorio, Lamperto, Gottefredo, multis præterea: quippe quibus nulla hujus, tanto post exorituræ, controversiæ suspicio in mentem venire poterat. At antiquus chronographus Rhabani Mauri temporibus æqualis, Hermannus quem contractum dicunt, Sigebertus, Otto Frisingensis, Guntherus, Liechtenauius, Vindelicum nomen non dubiè recipiunt, etsi fere Rhætici soli urbem dicant. Si recentiores qui sequuti sunt colligere libeat, numerum conficiam, cujus invidia adversarium nimiopere oneret. Plerique inter illos summæ auctoritatis atque eruditionis viri, & quod caput est, qui auctores Græcos & Latinos, quos Aventinus, omnes viderint. Antiquiores quærimus? Fortunatus ante proximos mille annos, versibus quos produximus, nominat,

Ab. Ortelius. Ger. Mercator.

Beda Mart. 7. Id Aug. Egol. à Pithœo edit. Incert. A. 787. Frod. A. 948. Dietmar. lib. 2. c. 6 Vitich. lib. 3. Liut. lib. 2. c. 3. Hon. in Chron. Lamb. Ann. 1047. 10. 73. 1076. 1077. Gottef. p. 17. Chron. ant. a. 831. Herm. a Diocl. 20. Otton. 15. Chr. 1047. 20 52. Sig. a. 942. Otto lib. 3. c. 4-45. Gunt. lib 7. bis. Liecht. a. 1167.

——*Augustam, quam Vindo Lycusq; fluentat.*

Providè Vindonem adjecit, ne de adversâ Lyci ad orientem ripâ suspicaremur. Et propiusné poterat Vindelico cognomini alludere? Antiquior Fortunato Afræ martyris historia, (sub Constantino Magno scripta videtur) etiam Augustæ ad Lycum meminit. Antiquiores Afrâ quatuor milliares lapides L. Septimio Severo & filiis inscripti, quos meritò tot sanctissimos testes appellem: Eorum tres prope Vrsinium antehac extabant, nunc in monasterium illud translati sic habent; Primus quidem,

VIAS. ET. PONTES. REST.
AB. AVG. M.P. XXXXI.

Secundus,

AB. AVG. M.P. XXXXII.

Tertius,

AB. AVG. M.P. XXXXIII.

Quartus Vilthaimi, haud procul Oeni—ponte,

VIAS. ET. PONTES. REST. AB. AVG.
MIL. PAS. CX.

Cum hæc ſpatia Auguſtæ hodie quoque conveniant, non video, quis de veteri ſitu ambigendi locus ſuperſit. Nam illa de Auguſta Rhætorum nebula, quam abſurdè oppoſuere Vindelicorum coloniæ, ut Vindelicis Vindoligos, & quod eſt in Amphitruonis fabulâ, omnia congeminarunt, hoc ſole diſcutitur. Vnam tantum in viciniâ Auguſtam fuiſſe, inde manifeſtè verum, quod Severus nullum cognomen addidit, addidiſſet ſi aliter res habuiſſet, ne dubium relinqueret, à qua pontes viasque reſtituiſſe intelligendum eſſet. Accedit ad hanc ſuſpicionem planiſſime eluendam, Itinerarii Ant. auctoritas, quam tum Ptolemæo, tum cæteris omnibus (Severi lapides excipuos habeo) tantum prætulerim, quantum experimentum præſentemq; intuitum, rationibus & auditui anteſtare æquum. Exempla quæ in manibus, Conſtantino quidem recentiora ſunt, nam meminere urbium, quibus à Diocletiano, Maximiano, & Conſtantinis nomina: Verum principium & inſtitutum, multò vetuſtius, & qui à Julio, Æthici verbis perſuaſi deducunt, me volente faciunt. Nec nuperæ urbium appellationes obſtant, cum ſequutis temporibus, pro re natâ, adjici potuerint. Itineraria autem, præſidiariorum exercituum uſui præcipuè à metatoribus parata, hinc fides certa: Quæ enim fallendi cauſſa? Fuerit aliqua, tot millia militum, ſive fraus ſive error, in re præſenti num latuiſſet? Itaque viri docti, quoties occaſio tulit (factum frequenter) hoc teſtimonium tamquam locupletiſſimum produxere: ipſe ille, cum quo nobis res eſt Aventinus. Vnus quidam admonuit, ei temere non fidendum. Quo verbo ſi errores reſpexit, qui à librariis multi, nihil moror. Eadem ratione nullius, quantumvis optimi auctoris libri ſine cautione legendi, hæc calamitas omnes pervaſit; neque negandum, hunc libellum ob vulgatiſſimum uſum, pejus plerisque aliis habitum: Sin itinerarium novitium, vel aliâs dubiæ fidei credidit, patietur eum potius leviter opinari, quam auctores itinerarii temerè ſcripſiſſe eligamus. Itinera autem quæ huc faciant, complura ſunt, idque cadit percommodè: Et cum Auguſtæ noſtræ ita reſpondeant, ut jam aptius non poſſint; quid eſt

cur

cur rei claræ & compertæ tenebras offundere, de ruderibus ad Isaram (quo hæc itinera nullo conatu, nullis machinis queant pertrahi) somniare quemquam delectet? Primum est *De Pannoniis in Gallias, per mediterranea loca.* Inde partem excerpsi, quæ ad hoc institutum, & fere ex Aventino interpretor.

Juvavia. Aventino Salisburgum. Certè non procul abfuit.

Bedajo M. P. XXXVI. Nullam valde probabilem conjecturam habeo.

Ponte Oeni M. P. XVIII. Oetinga Aventino, & omnibus. Errat, quisquis analogiam sequutus, Insprugg, ad verbum Oenipontem vertas, accipit.

Isiniſca M. P. XX. Isem Aventino, fluvio & pago nomen manet.

Ambra M. P. XXII. Prugk an der Amber Aventino; plures hoc nomine vici ad eum fluvium, sed itineris ratio illi, qui ad monasterium Furstenveld est, favet.

AVGVSTA VINDELIC. M. P. XXVII. Vindelicorum aut Vindelicûm: quidam codices Vindelicus. Nam Augusta probè Vindelicus dici videtur Scaligero, eo modo, quo Mediolanum Santonum, Santonus, Lutetia Parisiorum, Parisius. Scal. in Auson. lib. 2. c. 10.

Rostro Nemaviæ. M. P. XXV. Nihil constituo. An. Rosshaupten?

Camboduno M. P. XXXII. Kempten omnibus. Confirmat lapis antiquus Isnæ. Differt à Campoduno Ptolemæi, aut hic insignitè errat.

Vemania M. P. XVI. Neq; hic quidquam statuo.

Brigantia M. P. XXIV. Bregenz ad lacum, Aventino & reliquis extra controversiam. Proximum iter inscribitur, *Per ripam Pannoniæ, à Tauruno in Galliam,* ejus quoque partem subjicio.

Quintanis. An castris? Videtur. Aventino Kiinzen, & Quintanorum colonia. De loco & nomine recenti assentior: de coloniâ amplio. Est ibi fluvius Quintanica, ex Eugippio.

Augustis. M. P. XX. Videntur Augustana Notitiæ: neq; dubium, hîc quoque castra subintelligi, quæ Danubii ripam tutarentur. Aventino Azelburg, & Augusta Acilia, cujus tamen nominis nullum testem laudat. Ego Atiliam in Azelburg abiisse videri, dixi ad inscriptionem Saturnini, quam inter monumenta agri Augustani XIX. loco posui. Neq; tamen abhorret, ad id oppidum castra Augusta fuisse.

Regio. M. P. XXIV. Castra Regina Notitiæ opinor. Aventino Roking, Distat à Reginoburgo M.P. XV. Quibusdam Reginoburgum ipsum esse, nomen persuadet.

Abusina M. P. XX. Aventino Abensperg.

Vallato M. P. XVIII. Aventino Pfal.

Sumuntorio M. P. XVI. Aventino Hochwart.

AVGVSTA VINDELICVM M. P. XX.

Guntia M.P. XXII. Gunzberg ad fontes Guntiæ, fluvius enim nomẽ non mutavit. Quidam Gunzburg ad oſtia interpretati: Abſurdè, nec enim itineris ratio patitur. Tranſitus Danubii Guntienſis in panegyrico ad Maximianum Aug. is eſt.

Cœlio monte M.P. XVI. Quibusdam Kelmunz, ſonus enim accedit, ſi in Cœlio — mons C. antiquè pro K. proferas. At quoniam itineris ratio adverſatur, conjectura acutior eſt quam verior, mihi locus ignotus.

Camboduno M.P. XIIII.

Vemania M.P. XV.

Brigantia M.P. XXIIII.

Tertio itinere, Lauriaco Brigantiam aut Brigantium, per mediam Auguſtam Vindelicorum, Juvaviâ Brigantium uſque manſionum nomina à primo nihil differunt, interſtitiorum numeri differunt, neq; id nullo noſtro commodo: Docemur enim, ut loca ipſa ex inſcriptionibus antiquis, itinerum ductu, nominum ſimilitudine, fluviis & lacubus adjectis, rectè conjiciuntur, ita ſi intervalla, itinerarii numeris non prorſus reſpondeant, de errore haud ſtatim ſuſpicandum, quin exiſtimandum eſſe, hos corruptos, qui tam frequenter vacillent, aut viarum compendia mutata.

Juvavia.

Bedaio. M. P. XXXII.

Ponte Oeni M. P. XVII.

Iſiniſca M. P. XX.

Ambra M. P. XXXII.

AVGVSTA VINDELICVM M. P. XXXVII.

Roſtro Nemaviæ M. P. XXV.

Camboduno M. P. XXXIII.

Vemania M. P. XV.

Brigantia M. P. XIIII.

Vltimum Auguſtâ Veronam ſic habet.

Abuzaco M. P. XXXVI. Aventino & aliis Fueſſen, ad alpium fauces. Ejus rei cum alia indicia, tum fabula quam oppidani narrant, oppidum conditum à gigante, cui Abuzacus nomen fuerit.

Parthano M. P. XXX. Aventino Parthen — Kirch, Nomen fidem facit, & ſitus conſentit. De iis, quæ ſequuntur, mihi tenebræ: nec ſequi placet quorundam hariolationes, cum præſertim noſtræ rationes ſine illis conſtare poſſint.

Veldidena M. P. XXX.

Vipiteno M. P. XXXII.

Sublavione M. P. XXXII. An Sabona vel Sabiona? An Brixen, Brixina vulgo?

Endideio — M. P. XXIIII.

Tridento M. P. XXIIII. Notum.

Ad Pa-

Ad Palatium M. P. XXIIII. Reliquias in vico diruto Palazzo ſupereſſe ferunt.

Verona M. P. XXXVI. Nomen non mutavit. Jam ſi ad chorographicam tabulam oculos refero, animadverto manſiones unius itineris, haud equidem omnes in rectam lineam incidere: Fert enim exercituum ratio, pontes ob fluminum trajectus, civitates annonæ cauſsâ, etiam per ambages ſectari, cujus generis exempla in Ant. per omnes provincias obvia, in præcipuarum maximè coloniarum gratiam. Verum, uti hæ cauſſæ à rectâ ſæpius abducunt, ita retrogradi, & inſtitutæ peregrinationi contrariam viam ire, numquam cogunt. Et in Juvaviâ, Ponte Oeni, Iſiniſcâ, Ambrâ, mediores illos flexus animadvertimus, qui etiam Auguſtam, Cambodunum, Brigantiam commodè complectuntur. Si contra Auguſtam ad Iſaræ & Loiſæ confluentes ſtatuas, mirificos mæandros flexionesq; ſequaris oportet. Iſiniſcâ Ambram petens, Iſaram fluvium à tergo relinques, Ambrâ rurſus ad Iſaræ & Loiſæ confluentes profecturus, aliâ quidē viâ, nam ad lævam flectes, retrò tamen omninò redibis. Hujus itionis reditionis quæ, non dicam neceſſaria, veriſimilis eſſe cauſſa potuit? An Iſeniſcâ ad Iſaræ confluentes (Auguſta ibi ſtetiſſet) non rectum patebat iter, quod non fluvius, non alicujus nominis rivus impediret? Reliquorum itinerum ſimilis ratio eſt. Abuſinâ Vallatum, Sumuntorium, ad Lycum ducit, neutiquam ad Iſaram. Auguſtâ Abuzacum & hinc Parthanum, à Lyco non ab Iſarâ abducit. Quæ tam aperta, ut hodie pleraque non mutatis ſtationibus in uſu maneant. Sed nugas ago, ſi multus ſum, in re, quæ ſe inſpectis tabulis ſtatim explicat. Næ in illis, quæ Aventinus in Bojoariâ retulit, neminem præter ipſummet arbitrum dari velim, nam ipſius ferè, quæ mihi probiſſimæ viſæ, interpretationes ſequutus ſum. Vt ſæpe mirari ſubeat, quid illam tabulam deſcribenti, & itinerarium legenti, probanti, mentis fuerit, quin addo frontis, Auguſtam contra hujus ſenſum, & omnium ætatum conſenſum aliò transferre. Niſi tanti aut novandi lubido, aut quemquam unum hominem cum veritatis jacturâ ab erroris opinione vendicaſſe. Sed benè habet, nobis verum & rectum, omnibus Ptolemæis amicius. Stat itaq; poſt longiuſculas ambages, quod initio poſitum. Et cum demonſtraverimus, Ptolemæum in deſcribendo Auguſtæ ſitu erraviſſe, fit, ut hoc accedat argumentis, quibus eum in Vindelicię deſcriptione lapſum antea oſtendimus. Nam principem provinciæ urbem extra provinciam ſtetiſſe, nemo concipiet. Neque non conſequens veriſimile, in Licatibus quoq; falſum, quos neceſſariò, iisdem veſtigiis inſiſtens (uti in catenarum complexione anulus anulum ducit) cum reliquis Vindelicis ad dextram Lyci rejecit. At quam longiſſimè annalium memoria retrò repeti

poteſt, proxima planities ad utramque ripam, lævam quidem præcipuè, Licates campi appellati : Et opinor cauſſa nulla eſt, cur Licates aliquando ultra flumen tantum habitaſſe ſuſpicemur, cum Vindelici, ad quos pertinebant, utrimque colerent. Cujus rei ignoratio Ptolemæo multis modis impoſuit. Quapropter ſumma hæc ſit: Auguſtam coloniam à primâ origine in Licatibus Vindeliciæ, quæ majoris Rhætiæ pars eſſet, deductam. Strabonis ſententiâ Licatii inter audaciſſimos & ferociſſimos Vindelicorum cenſi: ἰταμώτατοι, interpres non ſatis ſplendidè vertit, *petulantiſſimi.* Cōloniæ porrò aliæ in veteres, in novas aliæ urbes mittebantur. Hyginus de Auguſto, *Quibusdam deletis hoſtium civitatibus, novas urbes conſtituit : quosdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominavit.* Novarum urbium coloniis nova nomina indita, me tacente intelligitur. Antiquarum retenta quædam, adjectione quædam aucta, quædam omninò mutata. Retenta ſunt, frequentiſſimè; Aucta republicâ ſtante non ita ſæpe: Eversâ, plurimis Juliæ, Auguſtæ, Sebaſtæ, Cæſareæ, præter alia ambitioſa cognomina adjecta : Rarenter etiam ante Cæſarum tempora mutata, ferè ominis cauſſa, ſic Beneventum ex Malevento, Narnia ex Nequino, ex Epidamno Dyrrhachium orta: Poſtea in nominum mutatione, eadem quæ in adjectione ambitio invaluit. Quam harum conditionum Auguſta ſequuta ſit, exquiramus. Patriis annalibus proditum, antiquiſſimis temporibus Aborigines hoc ſolum tenuiſſe. Veriſſimi enim Aborigines, qui non interruptâ ſerie principem hominem Adamum generis auctorem ciere poſſunt, quod Japheti filiis contigit. Iſtos poſt diluvium huc immigraſſe, urbem condidiſſe, ſive Vindelicam, ſive Ciſaram appellaſſe memorant : Vtrique nomini confluvium cauſſam præſtitiſſe. Vindelicæ ratio in aperto, Ciſaræ neſcio quam exoticam etymologiam ex Hebræorum ſermone proferunt. Verum hæc uti auctoribus placuit conficta, nullâ auctoritate, neque probabilis ſaltem conjecturæ ſpēcie nixa, nemini paullo cordatiori imponere poterunt. Inventores ſi veniam accipiunt, ſatis habeant: Livio præeunte, his artibus majorum primordia auguſtiora facere, ſibi licere crediderunt, quæ illuſtrium urbium fortuna eſt. Nos aliâ cœpimus viâ, eâ pergamus: Altè ſedeat, nobilitatem originumque ſplendorem, nullâ re æquè ac veritate commendari: nec committamus, ut falſis ornamentis conquiſitis ac aſſutis, illorum fidem, quæ vera ac certa ſunt, labefactemus. Hinc quæ ſequuntur etiam, de Ciſarâ anno ante Romam conditam DC. à Marpeſia Amazonum Reginâ expugnatâ & reſtitutâ, atque totâ Vindeliciâ gynæcocratumenâ, poëticis fabulis fortaſſis non indecora, hiſtoriam veri amantem ne interturbent. Abſurdiora ſunt,

Hyg. de lim. conſt.

Liv. lib. 1.

quam

quam ut iis excutiendis operam ludamus. Neque non cenſendæ eodem loco nugæ planiſſimæ, de Trojanorum reliquiis, duce Priami nepote Priamo altero, urbe Genauniâ, & quæ ſibi præterea indulſit inſcita temeritas. Altera eorum ſententia, qui de Japheti filiis nihil ſolliciti, urbem quam iſti dicunt, ita retinent, ut de originis tempore non conſtituant, id aſſeverent, Ciſaram à religioſo barbari numinis cultu, Vindelicam à fundo dictam. Neq; hæc temere excogitaſſe videri volunt, quando ad ea, quæ de Ciſarâ narrant, firmanda, producunt fragmentum hiſtoricum, quod Auguſto an Paterculo olim ſcriptum dubii, nunc demum in lucem rediiſſe exiſtimant. Sed mihi conſtat, ab aliquot centum annis hominum manib⁹ verſatum, à Liechtenavio pæne verbatim in chronicis relatum, Ottoni Friſingenſi quoque lectum, & actis D. Afræ, multis phaleris auctum, inſcriptione hiſtoriæ Gallicæ præfixum eſſe; neq; Aventinum latuiſſe ſatis apparet, ſed is parcè illo & tectè, ſuis ſuſpicionibus firmandis uſus. In hanc autem ſententiam conceptum eſt. Germanos occupatis Rhætiis, urbem in planitie ſub alpibus, prope Noricorum fines, ad rapidiſſimorum amnium confluentes conſtituiſſe, vallo & foſſa ſepſiſſe: Ciſaram aut Ziſaram, à Cisâ vel Zisâ Deâ, cujus ligneum templum, etiam poſt deductam Romanam coloniam inviolatum manſerit, deinde vetuſtate collapſum colli nomen dederit, appellaſſe. T. Annium Prætorem, ut excurſiones cohiberet, eam Kal. Sextil. exercitu circumdediſſe. Ipſum cum legione Martiâ ad meridiem, qua ſolum æquo pede, nullo fluvio impeditus erat aditus, caſtra poſuiſſe: Avarem Bogudis Regis filium, eximiâ indole, græcis latinisq; litteris imbutum, cum equitatu, & auxiliaribus Macedonibus, ad occidentem, qua barbari timerentur, ultra flumen, vallo circumducto, loco anguſto conſediſſe. Poſt cœptam obſidionem die LIX. qui Ciſæ ſacer, ludum & laſciviam, non formidinem oſtentaret, incredibilem barbarorum multitudinem, ex proximis ſylvis derepente effuſam, caſtra irrupiſſe, equitatum omnem cum auxiliis deleviſſe, Avarem, qui regio habitu inſignis in poteſtatem vivus veniſſet, fœdè mactaſſe. Prætorem auxilio properantem, ab oppidanis interceptum, acri pugnâ congreſſum, oppidanorum principes Habbinonem & Caccum occidiſſe, parum abfuiſſe quin reliquos in fugam verteret, niſi illis ſocii, adversâ ripâ jam victoriâ potiti, opem ferre maturaſſent. Vtrosq; dein conjunctis copiis Romana caſtra perrupiſſe, Prætorem, qui tumulum fruſtra cepiſſet, & extremam fortunam fortiter tueretur, obtruncaſſe, legionem divinam, ut ne nuncius ſupereſſet, internecione occidiſſe, unum Verrem Tribunum, transmiſſo amne in paludibus deliteſcentem, honeſtam mortem ſubterfugiſſe: Quam non multo poſt Siciliæ pro-

Liecht. An. 1168. Otto lib. 3. c. 4.

conſul, immani avaritiâ turpem promeruerit. Hæc fragmenti narratio. Quam ad Auguſtam pertinere, valdè liquet: neque tot retro annis, ex quo primum prodiit, cuiquam ambigere in mentem venit, præter recentiſſimos perpaucos, quibus & iſta Iſaræ confluentibus tribuere placitum: Quod exiſtiment nec Auguſtam in Norici finibus ſitam, nec fluvios, qui ad eam confluunt rapidos, nec paludes, in queis Verres perierit, in propinquo. Sed omnia ſecus habent. De Norico non eo inficias, quod antea, multis confirmavi, antiquitus ad Oenum pertigiſſe, neque ultra progreſſum, quâ ratione Iſara nihilo verius in ejus finibus: At cum dein Boji Romanis Vindeliciæ partem, quæ inter Oenum & Lycum, abſtuliſſent, & ex Norico credo illuc immigraſſent, factum ut totus hic tractus cum Bojoariæ ſive Bavariæ, tum Norici nomen acciperet. Quod innumeris mediæ ætatis ſcriptoribus perſpectum, ſi unius Guntheri auctoritas hic firmabit, ſatis eſt,

Gunth. Lig. lib. 2.

——————*Qua Norica lambit,*

Rura Lycus——————

Hinc Auguſta, ſolo fluminis alveo diviſa, Norico proxima. Lycum & Vindonem qui rapidos negat, rem manifeſtam negat, cujus Lycæum nomen admonere debebat, rectius norunt, qui ripas utrimq; ingentibus molibus nunquam ſatis munire poſſunt. Paludum quoque cauſsâ non eſt, cur ad lacus circa Iſaram nos vocent, quorum diverſa ratio, nos paludes ſtagnante Vindone in agro Auguſtano ſæpe intuemur. Verum enimverò, etſi fragmentum Auguſtam ſpectat, & Auguſta aliquid inde lucis expectat, cavendum tamen, ne à fumosâ nec lucidâ face, plus aliquanto fuliginis, quam fulgoris inferatur. Inprimis nimis obeſæ naris eſt, ſi quis Auguſtum aut Paterculum auctorem autumat. Prior ex membranis, quibus HIST. AVG. hiſtoria Auguſtæ, aut Auguſtana ſcilicet præſcripta, irrepſit. De poſteriori incertior conjectura; ſed quæcumque erroris cauſſa, plumbum iſtud longè eſt ab auro omnis illius ævi. Et ſi melioris metalli venæ intercurrunt, hoc tantum indicant, auctorem, in bonis ſcriptoribus, non prorſus fuiſſe hoſpitem. Ætatem Auguſti cur affingimus, quam ille non affectat? Quæ de templo narrat, multo poſt coloniam deductam, quæ tamen ſub Auguſto deducta, contigiſſe credi poſtulat: Rhætias numero plurium appellat, cujus rei Hadriani temporibus uſus obtinuit: & quæ de Norico notavimus, multis adhuc annis recentiorem, poſt ejectos demum Romanos ſcripſiſſe oſtendunt. Quin ab ejectis Romanis, aliquem temporis modum ad hanc ſcriptionem fluxiſſe intelligimus, qui ſciamus, iſta tunc ſtudia mirè jacuiſſe. Si divinare licet, eo feror, ut Caroli Magni tempora ſentiam, quibus

quibus primum cogitationes de litterarum ſtudiis à noſtris hominibus ſuſceptæ, rudes quamquam & incompoſitæ, nam multa ab illo ſæculo falſa veris intermixta turbido quodammodo alveo ad nos fluxerunt. Neſcio an inſcriptio hiſtoriæ Gallicæ, quam fragmentum aliquando præferre dixi, ſuſpicionem adaugeat. Sanè Friſingenſis, qui ante annos plus minus CCCCL. ſcripſit, Quinctilii Vari cædem cum iis, quæ de Annio Præt. fragmentum narrat, vulgato plerisq; errore confundens, *Tradunt Auguſtenſes hanc cædem ibi factam, oſtenduntq; in argumentum collem ex oſſibus mortuorum compactum* (inexplicabilis hujus commenti vanitas eſt, cum in hoc quidem colle, quem ex oſſibus totum conſtare ajunt, nemo ullum unquam officulū repererit) *quem in vulgari Perleich, eo quod ibi legio perierit, usq; hodie vocant, vicumq; ex nomine Vari appellatum monſtrant*, ſignificat famam, quæ ex fragmento tota fluxit, plurium ſæculorum curriculis jam tunc confirmatam, Carolo, aut ſi forte Ottonibus (nemo certum diem ſcripto tam vetuſto & obſcuro aſſignet) inferiorem haud eſſe. Atq; hanc temporum diſquiſitionem conſequitur, auctorem ut ut antiquum, qui Auguſto, & memoriâ rerum narratarum procul vixerit, in iis, quæ ab antiquiorib⁹ monumentis diſſentiunt, fidem neutiquam mereri: in reliquis, non niſi conſideratè & circumſpectè mereri. Nemo adeò hebes, Verrem Siciliæ Prætorem, Anno urbis DCLXXXIII. repetundarum damnatum, hic ferat. Nam Proconſulem imperitè appellatum, de morte irrogatâ falſa eſſe prodita, ne objicio quidem. Commodè ſcilicet interpretantur, & culpam in hominem ſtolidum, cujus temeritate iſta adjecta ſint, transferunt: quod mihi non difficulter perſuaderent, ſi tot præterea manifeſtæ vanitatis veſtigia, reliquæ hiſtoriæ impreſſa non cernerem. At præcipuum caput, clades Martiæ legionis, quam itidem vanum? Num credibile cædem laudatiſſimæ legionis, quæ una iſto cognomine ob virtutem honeſtata, ut Appianus notat, & quæ (utar Ciceronis verbis, nam fragmentum ea reſpexiſſe crediderim, cum divinam appellavit) *videtur divinitus ab eo Deo traxiſſe nomen, à quo Pop. Rom. generatum accepimus*, reliquis ejus ævi ſcriptoribus omnibus tacitam tranſmiſſam? Tacito etiam, qui clades à Germanis illatas ſimul comprehenſas, tamquam in tabellâ nobis ob oculos poſuit? Quin & iis, qui inter adverſa Auguſti Lollianam, *majoris infamiæ quam detrimenti* ait Suetonius, in qua una quintæ legionis aquila Vellejo teſte amiſſa, retulere? eam namque Tacitus, quod minoris momenti, præterit. Atqui nulla Martiæ hujus ab Auguſto in hiſtoriis memoria. Verum. Ego quoque Martias poſteriores, nihil ad iſtam pertinuiſſe, iſtam finitis civicis bellis in legionum numero eſſe deſiiſ-

Otto lib. 3. c. 4.

App. Civ. 4 Cic. Phil. 4.

Tac. de Germ.

Suet. Octav c. 23.

desiisse sentio: Sed aliis de caussis. Sive quod in Ionio mari perierit, die, qui Cassio in campis Philippicis illuxit ultimus, & est
App. Civ. 4. in eam sententiam idoneus auctor Appianus: sive quod naufragio an navali prœlio (in medio cum hoc Appiano relinquimus) superstites reliquiæ, mox emeritæ militiæ præmia perceperint, agris donatæ, in coloniam deductæ: auctores habeo, qui se coloniæ nomen certis conjecturis assequutos opinentur, si nobis id hîc quærere propositum. Quin constet, etsi contra est, Martiam à Germanis deletam, sive inter Varianas tres, sive alibi, nunquam erit, ut ejus suspicio cadat in bellum Rhæticum. Rei gestæ series, quam ex gravissimorum scriptorum auctoritate retulimus, neutiquam patitur: minimè omnium Velleji verba, Victoriam partam esse *majore cum periculo quam damno Romani exercitus*. Nisi levis jactura XIV. M. militum circiter, periculo quam damno propior. In legione enim pedites paullo supra VI. M. (aliâs alio numero fuisse non ignoro) equites DCC. tantundem plerumq; ex sociis peditum, duplum equitum, ut est
Polyb. hist. lib. 6. Liv. lib. 3. Polybius auctor, quin & pedites interdum geminati, sic apud Livium, *Hernici & Latini jussi milites dare ex fœdere: duæq; partes sociorum in exercitu, tertia civium fuit*, ac sæpe alibi. Id
Vlp. D. lib. 3. tit. 2. l. 2. est, quod fragmentum exercitum appellavit: Vlpianus, *Exercitum autem non unam cohortem, neq; unam alam dicimus: sed numeros multos militum, nam exercitui præesse dicimus, qui legionem vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat*. Neq; item fieri potest, ut clades ante bellum: nam id commenti quidam, qui dum scribant, quid scribant nihil pensi habent. Strabo & Dio belli caussam memorant, frequentes & fœdas Rhætorum Vindelicorumq; populationes, ex Italicis & Gallicis agris: at multo speciosior titulus ex vindictâ cædis nobilissimæ legionis, si cædes præcessisset. Prætereo, quod Germani nondum tunc temporis in his oris, & quæ de Rhætiis ac Norico jam semel dicta. Sed nec post bellum locum vacuum reperiem[9]: Pacata tunc omnia, Strabo, *jam agitur annus tertius supra trigesimum, ex quo quiescentes tributum legitimè persolvunt*. Ad
Str. lib. 4. hoc, noster coloniam post cladem deductam ostendit: Colonia autem sub Augusto, statim à bello. Historiam ergo, quæ omni tempore excluditur, supereſt manifestæ fabulositatis damnemus.

Inde ineptiarum etiam, quod collem à Cisæ templo nomen inveniſſe memorat. Frigidum commentum est, cuiquam homini Romano hæc curæ, ut scriberet in mentem venire potuisse. Appellationem quæ ad Cisam forte fortunâ, uti fit, alluderet, fabulæ occasionem dedisse, & auctori asserendi audaciam addidisse, satis video, nisi cui tamen clivus à fabulâ demum, quod fieri nihilominus potuit, videatur indigetatus: nam in censualibus Rei publicæ

publicæ libris, clivus *Zizenberg* inter D. Vdalrici & D. Dominici deſcribitur. Aliis *Eiſenberg* proximè Curiam, cujus originatio à publico carcere, apertè Germanica, viſum ſubſtituere, quod Ciſam eandem Iſidem eſſe comminiſcantur. *Zuſem, ZuſemeK, Zuſemalten, Zuſmerhauſen,* agri Auguſtani fluvium & pagos, certus ſum non niſi incogitantiâ præteritos, aptus enim hic ſe jactandi campus, affinitate inter I. & V. litteras notâ. Porrò quem *Zizenberg* diximus, ridiculo vulgo nomine *Affen—wald* Simiarum ſylva, eſt, & ſi nugis habenas libeat laxare, non diffidam aliquibus probari poſſe, quod nunc maximè in mentem venit, *Afræ—wald,* exiguâ unius alteriuſve litteræ mutatione primitus dictum lucum, in quo Afra Venerem Cypriam, plerique enim eam Ciſam exiſtimant, coluerit. At nos hæc ridere ſolemus, qui ſciamus nomenclatorium iſtud cacoëthes, poſt Carolum demum invaluiſſe, pervaſiſſe autem omnes qui reconditas hiſtorias docti videri volebant, ut locorum nomina effictis fabulis explicanda putarent, & iis inveniendis confingendisq; promptiſſimus, maximâ laude cenſebatur. Longius itaque progreſſi noſtri, non à Cisâ collem tantum, ſed ab Avare (Varus Friſingenſi eſt aut Avar hic, aut Verres, qui mox ſequitur) Habbinone, Cacco, Verre, proximas circa urbem villas, à legione quæ perierit, forum deduxerunt. Addidere in eum ſenſum carmina, ſine riſu non legenda, inſciti homines antiqua, marmoribus deſcripta, ſe perſuaſuros ſperabant. Mihi ægrius eſſet, niſi cognitum haberem, omnes propè alicujus rei & famæ urbes hac labe aſperſas. Quid ridiculum præ Italicis iſtis, Vicetiam dictam à Vicis centum, Papiam quaſi Patriam Piorum, Placentiam à Placentulo Trojano, Tridentum à tribus dentibus, Cremonam à crumena Jani, Veronam tamquam Romæ minantem, væ Roma, & ſexcenta, quorum origines ſi recenſere vacet, omnium fabellarum ineptias ſuperent. Barbaro ſæculo fidem inveniſſe vix patimur, in hac litterarum luce feramus? Nemo aures accommodet, neque noſtris, neque nuperis illis, qui ad Iſaram tranſtulere campos Perlaich à legionis pernicie, lacus Vvirm—ſee à Verre, Vvalhen—ſee ab Italis cæſis, à tegendo Teger—ſee, nihil eſt toto genere inſulſius. Verum, uti hæc apertè frivola, ita inſunt fragmento quidam non dubii veri radii: Rurſus alia, quæ item ex vero nata ſuſpicari libeat, ſed obſcurius. Sive auctor famam veterem, tunc temporis nondum adeo corruptam, ſive (quod potius reor) litteraria monumenta, quibus nos deſtituimur, præ oculis habuit, eaque additis, demptis, immutatis plerisque, novis coloribus ad hanc ſpeciem, quam cernimus, adumbravit. Eo nomine de patriâ, cui optimè voluit, peſſimè meritus. Dum omnia in majus auget, Vindelicos contra quam res tulit, victores quàm victos narrare

rare mavult, assequutus est, ut ipse quidem animo suo indulserit, nos quid verè actum sit, vix multa cogitando, legendo, conferendo divinare, quæ vero substituit, propemodum omnia commentitia esse, non difficulter scire possimus. De radiis quod dixi, Primo topographia tota probata est: Verum dein Germanos Rhætias occupasse, sed longè alio sæculo: tum coloniæ deductio non dubia: item pugna cum Romanis, diverso eventu licet: Kalendæ denique Sextiles commisso prælio nobiles, uti pluribus diseruimus: At auctor prœlium quod Vindelicis male cessit, declinatum volens, obsidionem subjecit. Suspiciones obscuriores istæ: Vrbem id loci stetisse, quæ & à solo, & à Deæ alicujus nomine binomia. T. Añium aliquem, Prætorium forte an inter Neronum legatos fuisse, nobilis enim gens Annia multis imaginibus, nec isto prænomine infrequens, Consul Anno DCI. T. Annius T.F. Anno DCXXVI. T. Annius T. F. T. N. Candidatus Anno DCCII. T. Annius Milo, quem æternitati sacravit Cicero, mitto alios, sub Augusto honoratam, indicio nummi Annii III. Viri A. A. A. F. F. Macedones dein auxiliares, nihil à Romanâ consuetudine abhorrent: Nihil equites Mauri sub Avare, & ipsus sanè Avar quam Numidicum sonat, fere consonant Aspar & Dabar Sallustii. Bogud notus Romanis historiis, cujus uxor Eunoe amata Julio, Methone ab Agrippa bello Actiaco interfectum prodidere Dio & Strabo, atque cum regno multò ante mulctatus fuerit, eo verisimilius filium armis rem & famam quæsivisse: Talis apud Tacitum Ornospades Parthus, *exul quondam, & Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoq; civitate Romanâ donatus.* Litterarum quoque studia (fragmentum horum in Avare meminit) non aliena à calidis Afrorum ingeniis, & quidem Regum: Juba Jubæ F. laudatus Plinio, Vitruvio C. Julius Massinissæ F. quo cum sermones de philologiâ contulit, & eâdem famâ proximè Abdelmelecus Marocci & Fessæ Rex, is qui cruentâ pugnâ cum Lusitanis congressus, victoriæ immortuus est. Postremò, quandoquidem Vindelicos ducibus usos necessum, iis tam Habbinonis & Cacci, quam quævis alia nomina esse potuerunt, & qui rerum exitus, occisos non incredibile. De numero LIX. dierum à Kalend. Sextil. alius dicendi locus incidet. Hæc ergo vera, hæc verisimilia in caussâ: Sic ut verisimilia, quantumvis quid contra dici debeat non video, vera præstare nequaquàm audeam: facerem, si paullo gravior esset fragmenti auctoritas, nunc scio, testi mendacii semel comperto, vera narranti fidem haud facile adhibendam. In urbe Cisarâ equidem, cujus ergo huc progressi sumus, testimonio de nomine tantum stamus, res sine teste in dubium vix venire poterat.

Sal. Jugurth.

Dio lib. 50 Str. lib. 8.

Tac. Ann. 5

Plinio sæpe. Vitruv. lib. 8. c. 4.

rat. Nam istud camporum æquor, modicis collibus, tamquam lascivientibus fluctibus interstinctum, cœlo maximè temperato & salubri, solo pascuis læto, agris frugifero, virentibus nemoribus, & pisculentis rivis amœno, intelligere possumus ex quo hominum cultum Rhætia regio accepit, habitatoribus non caruisse: Quorum urbem (frequentes per Rhætiam urbes, tum alii testes, tum Vellejus) in ipsius planitiei acie, ad confluentes majorum fluviorum Vindonis & Lyci, qui maximâ aquarum vi, fossarum in modum pleraque latera muniunt, & commodo tamen interjecto spatio eluvionum metum procul habent, sitam fuisse, situs propè, est ut fateri cogat. Sic sanè, nisi quod de Megarensibus Deus respondit, Vindelicos veteres cæcos fuisse arbitramur. Nam Germani haudquaquam auctores, quibus nihil tunc temporis rei cis Danubium, neq; ex illorum institutis urbes: Tacitus, *Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes:* Vindelicos magis est ut conditores demus. Tacit. de germ.

In ætate constituendâ nihil video, profiteor, cum plausibiles etiam suspiciones destituant: nisi quod antiquitatem, situs, quam diximus, prærogativa arguit. Gentis caput jam tunc extitisse, idem situs suadet, totius regionis umbilicus: tum quod huc coloniam deduxere Romani, cum primarias provinciarum urbes constituendis coloniis deligere consueverint. Hinc Vindelicæ quoq; nominis fides constat, quando nihil in omni historiâ frequentius, quam principes urbes populorum nominibus appellatas observare. Adjutant disputata de Vindeliciæ etymo, quod ex solo ab hac urbe infesso originem traxisse indicavimus. Et Frisingensis verba in istâ testium penuriâ non negligenda, *Drusus Moguntiam in Galliâ, & Augustam in Rhætia, quæ ante Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam, fundasse vel instauasse dicitur.* Frisl. lib. 3. c. 4. Neq; interim alterum Cisaræ nomen locum habere non poterat, nihilo secius quam illa à confluvio Lusturia, proprium Onobæ retinuit. Si in re simili ludimus, auctor est Stephanus, etiam Syriæ Larissam binomiam, indigenis Zizaram appellatam. Quin creditum quibusdam, omnes omnino urbes duplici nomine usas, publico nimirum ac vulgari, tum altero occulto, religioso, & in vulgus ignoto. Quod Macrobius de Româ prodidit post Plinium; ego universè nolim asseverare. Id tamen ex Macrobio compertum, *omnes urbes in alicuj' Dei esse tutelâ*, & à Diis tutelaribus plerasque appellatas videmus. Macr. lib. 3 c. 9. Plin. lib. 3. c. 5. Non enumero Alabandum, Tenem, tot alios, in promptu cum sit exemplum urbis binomiæ Terracinæ, quæ Anxur à Jove Anxuro dicta. Idem in Cisarâ accidisse fragmentum (quem magis idoneũ testem producam, nunc nullus est) adeò narrat probabiliter, ut mihi cetè approbet. Sic interim,

terim, si quis hanc conjecturam ad priores quas rejecimus, ablegare maluerit, nihil sum succensurus: Existimatio namque rei incertæ, in medio relinquenda. Ego, nescio quî fit, testis etiam suspecti, in re valde credibili fidei cogor credere, & cum non videam, cui bono nomen confingi debuerit, neque confictum esse possum animum inducere. Num enim absurdior Cisa apud Vindelicos, quam *Asculanorum Ancaria Dea, Volsinienſum Nursia, Otriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia*, quas Tertullianus enumerat? At qui Cisam ex Tacito Isidem interpretantur, quoniam is scripserit, *pars Suevorum Isidi sacrificat*, errant largiter, & turpis chronologiæ lapsus, res Vindelicas cum Suevis, qui tanto post immigrarunt, confundere: cui inscitiæ fragmenti tamen auctor obnoxius. Quod si Cisa Suevorum Isis fuisset, ineptirent adhuc de muliebri oris specie, parumne testato Tacitus, *Signum ipsum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem?* Et mox (quo etiam nugas de Cerere aut Cybele, aut etiam Venere refellit, quas Cisæ nomine à Suevis cultas ali conjecere, argumento imagunculæ, sub scapo coni, qui Augustanis insignium loco) *Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrantur.* Cujus rei à Maximo quoque Tyrio proditum exemplum sermone, utrum Diis dicanda sint signa, *Celtæ*, inquit, *colunt Jovem: Celticum verò Jovis signum, altissima quercus.* Ineptus cassusque labor est, barbara numina Romanis & Græcis conferre velle: Quis Deus Alabando respondet? Aut si Germanica malumus, quis Tuisconi & & Manno, quæ Dea Tanfanæ? Mihi Minerva Cissæa apud Pausaniam lecta, Zizilia Venus Sarmatica apud Possevinum, & scio quibus Germaniæ oris *Zizen* mammæ sint. Neque ut ad Cisam aut Zizam (quam Camboduni quoq; Vindelicâ urbe cultam, veteribus annalibus consignatum reperio) quidquam horum pertinere arbitrer, ideo inducor. Servius rectè annotavit, Topicos deos ad alias regiones numquam transire. Dixi de urbe Vindelicâ, sive Cisara fuit, quam potui maximè credibiliter. Illam Kal. Sextil. in Romanorum potestatem venisse, quidam in litteras retulêre, neq; quam auctoritatem sequantur comperio. At convenit, quod his Kal. debellatum demonstravimus, & si coniectura sedet, in istis campis pugnatum, credibile uno impetu urbem captam fuisse. An quod Horatius Alexandriæ mentionem injecit, huc alluſit? Par utrimque ratio *: Alexandriâ Kalendis captâ, Ægyptus in potestate fuit, sic Vindelicia Cisarâ. Victoria victæ urbi, quod rarò assolet, splendorem & ornamentum addidit. Nam quia coloniâ honestatam intelligimus, scire interest, præcellentem coloniarum dignitatem extitisse:

Tertul. Apolog.

Paus. Corinth. Possev. in ep. ad R. Pol.

Serv. in 7. Aen. Laurente Marica.

extitiſſe : Adeo, ut cum præſtantiſſima eſſet municipiorum conditio, quippe quæ ſuo jure & legibus utentia, muneris tantum honorarii cum Pop. Rom. participia, potiori tamen, & præſtabiliori exiſtimarentur coloniæ, quæ jura inſtitutaque omnia Pop. Rom. haberent : nimirum *propter amplitudinem majeſtatemq; Pop. Romani, cujus iſtæ coloniæ quaſi effigies parvæ ſimulachraq; eſſe quædam videntur* : Gellii verba ſunt. Quo Suetonii locus de Auguſti coloniis ſpectat, *jure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliquâ adæquavit*. Cum enim in arce rerum humanarum Roma conſtituta eſſet, ut quæq; illam urbes arctiſſimis neceſſitudinis vinculis contingebant, ita ſeſe præ reliquis maximè extuliſſe videbantur. Hoc eſt quod in lege Mamiliâ, perpetuo primo loco coloniæ, deinde municipia, præfecturæ, fora, conciliabula ordine nominantur. Inde, quod ex Divi Hadriani oratione Gellius memorat, Italicenſes, Vticenſes, & quædam alia municipia antiqua, *cum ſuis moribus legibusq; uti poſſent, in jus coloniarum mutari* voluiſſe. Hinc denique, quod inferioris ætatis & ſequioris ſæculi ſcriptores Municipiorum nomine minoris rei urbes tantum dixêre. Quoniam verò victoriam anno poſt Romam conditam DCCXXXIX. partam oſtendimus, indicio eſt illo coloniam deductam : Quatenus nihil attinet ambigere, hoc genus præſidia debellatis populis protinus impoſita. Colonias militares dico, cum ex Quiritibus ſcriptæ in aliquot interdum annos poſt victoriam dilatæ ſint. Et princeps provinciæ civitas Auguſti honori hunc in modum ceſſit ; minoribus oppidis, privata victoriæ monumenta fixêre Nerones, à majore ſiquidem Tiburnia, aut ſi quo alio nomine rectius appellatur ; nam hoc ſanè abſonum, Tiberina opinor concinnius, à minore Druſomagum, cujus Ptolemæus meminit, dicta ſunt. Quæ ſi à Strabone præterita, intelligere poſſumus eum ſtatum regionis, qui ante provinciam conſtitutam, & Romana nomina inducta, fuit, ſumpſiſſe deſcribendum. Vindelicę quoq;, quam ante provinciæ conſtitutionem ſtetiſſe, haud obſcuris freti argumentis oſtendimus, nullam rationem habuiſſe non valde miror, cum idem plerisque urbibus, quæ populis cognomines, accidiſſe ſciam, credo quia populorum editis nominibus ſatis indicatæ videbantur.

Gell. lib. 16 c. 13.

Suet. Octav. 46.

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Quartus.

SED circa coloniam multa præterea expedienda. Quæ quoniam hic locus à nemine satis perpurgatus est, quo poterimus ordine prosequemur. Primum, nulli nisi lege latâ deducere licuit: ut paullo latiore legis appellatione, tam Senatus, quam populi jussiones comprehendamus. Et stante quidem Republicâ, singulis deductionibus, sive una colonia deduceretur, sive plures simul, singulæ leges ferebantur. At Senatus Populique potestate in unum transfusâ, peculiari lege nihil opus erat, quod eâ, quâ Populus in illum unum omne imperium & potestatem conferebat, de coloniis quoque caveretur. Plutarchus de Sullâ, *Omnium præteritorum data ei fuit ex lege impunitas: in futurum autem jus necis, publicationis bonorum, coloniarum deducendarum, urbium condendarum, & diruendarum, jus regna auferendi, & pro libito condonandi.* Hinc verba fluxerunt, quæ Neroni Seneca affingit, *Quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est.* Atque idem Julio & Octaviano tributum, definitè & nominatim opinor: quamquam quod Dio & alii, Imperatoribus à subditis nihil non concessum prodiderunt, universè jus istud, de quo loquimur, tum reliqua omnia complectitur. Supereſt in fragmentis legis Regiæ ejus sententiæ formula, VTIQVE QVÆCVMQVE EX VSV REIPVBLICÆ, MAJESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM, PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSEBIT,

Seneca de Clem. lib. 1. c. 1.
Dio lib. 53.

BIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE SIT. Quod in colonias, quæ istâ ratione à Sullâ, Julio & Octaviano deductæ, fere Veterani milites missi, eas Vellejus Militares nominavit, & à reliquis deductis *jussu Senatus* distinxit. In Ancyrano lapide indice rerum ab Augusto gestarum, COLONIAS MILITVM appellatas video; Et verò est apertum, Augustam istarum numero censendam. Quæ etsi separatim nullâ lege deduci jussa, duplicem tamen colonicam legem accepit: Augustæam inprimis, cujus persæpe apud auctores rei agrariæ mentio, quâ Augustus generatim præscripsit, quæ in coloniarum collocationibus servata vellet: tum privam aliam; quam posteriore loco excutiemus. Augustææ specimen præbere possunt, cum aliarum hujus argumenti legum reliquiæ, præcipuè Mamiliæ: tum quod ipsius nonnullæ, apud auctores, quos jam nunc laudavi, superant, tamen etsi maxima pars interciderit. Eâ enim cautum esse, ut ager assignetur, QVA FALX ET ARATRVM EXIERIT, Hygenus semel atq; iterum auctor: explicationem adjicit, *Hac lege, suâ interpretatione quidam putant, tantum cultum nominari: ut mihi videtur, utilem ait agrum assignari oportere: hoc erit, ne accipienti sylvæ universus modus assignetur, aut pascui. Qui verò majorem modum culti acceperit, optimè secundum legem accipiet aliquid sylvæ, ad implendum accepti modum.* Deinde limitum latitudinem constitutam, ex Hygeno itidem percipimus: *Limitibus latitudines secundum legem & constitutionem Divi Augusti dabimus. Decumano maximo pedes XXXX. Kardini maximo pedes XX. Actuariis autem limitib' omnibus decumanis pedes XII. Subruncivis pedes VIII.* Hæc quo intelligantur rectius: Primo duo limites in coloniarum deductione, agrorumq; assignatione, constituebantur: Decumanus Maximus, & Kardo item Maximus, sese rectis angulis mutuò intersecantes, ille ab oriente ad occidentem, hic à meridie ad septentrionem directus: Licet ea ratio nonnunquam mutata, interdum inversa fuerit. Vtrimq; dein singulæ centuriæ (quarum modum non unum reperio, jugerum scilicet L. C. CC. idque frequentissimè, CCX. CCXL. & CCCC.) singulis limitibus, qui prioribus illis paralleli, distinguebantur: primus, secundus, tertius, & quartus à Decumano Maximo, Linearii seu Subruncivi appellabantur, quintus Actuarius sive Quintarius, quem etiam sextum non pessimè diceres, si Decumanum maximum pro primo numerares, nam quinque centurias sex limitibus comprehendi necesse est: hi autem prorsi omnes. Et quoniam post Kardinem maximum, eâdem ratione transversi quatuor Subruncivi, postmodum Actuarius quinto loco succedebat, sequebatur ut Decumano &

Kardine maximis, atque duobus illis Actuariis, quatuor omninò rectis lineis, XXV. centuriæ circumscriptæ essent. Quo deinceps ordine pergebant, Vt Decumanus & Kardo Max. non repeterentur (singulares enim erant, ad quorum normam reliqui exigebantur) sed semper post quintam centuriam Actuarius duceretur: atque totus ager, si sub unum aspectum caderet, cancellatam tessellatamque speciem præbere posset. Quæ apud auctores, quos sequor, distinctè prodita. Neque tamen perpetuò observata sunt, quoniam agri natura & spatium aliud interdum suadebant. Atque hæc agrimensorum erat curatio, qui agros perticâ sive decempedâ, cujus in antiquis nummis adhuc forma visitur, metabantur.

Val. Cato Diris.

Pertica, quæ nostros metata est impia agellos.

Prop. lib. 4. el. 1. Et Propertius,

Abstulit exultas pertica tristis opes.

Cic. Phil. 3. A decempedâ, Cicero L. Antonium privati & publici agri decempedatorem dixit. Ligneam fuisse arguit, quod talis Quincupeda apud Martialem.

Mart. lib. 14. epigr. 92. *Puncta notis ilex, & acutâ cuspide clausa.*

Præter Decumanum autem & Kardinem Max. per Actuarios iter Populo deberi, jam olim lege Semproniâ Corneliâ & Juliâ cautum erat: Subruncivos itidem coloniarum conditores aliqui publicaverunt, fructus asportandi causâ. Sed nos Augustææ legis ossa pergamus legere. Cum hæc, quæ diximus, non limitibus tantum circumscribenda, sed & terminis firmanda (propriè hîc vocibus istis utimur, cum aliàs confundi soleant, & ut Festus auctor, *limites in agris, nunc termini, nunc viæ transversæ* sint) ac à vicinorum injuriis vindicanda essent, videtur Augustus de terminorum genere & usu pleraq; caviſſe. Certe non frustra est, quod agros, uti lege & limitibus Augustæis, sic terminis Augustæis assignatos legimus: Latinus & Mysrontius, *In locis montanis terminos posuimus rotundos, quos Augustæos vocamus, pro hac ratione, quod Augustus eos recensivit, & ubi fuerunt, lapides alios constituit, & omnem terram suis temporibus fecit remensurari, ac veteranis assignari.* Apud Hygenum nonnullorum species delineatas cernimus: apud alios foveas Augustanæas, fossatosque Augustæos observamus, quod terminorum vice essent scilicet. Nescio an ex eâdem lege Hygenus mutuatus, illa quæ in hoc genere, iis, quæ de limitibus antea attulimus, statim subjungit, neque enim satis pâret, *In mediis tetrantibus lapides defigemus ex saxo silice, aut molari, aut ne deteriore, politos in rotundum, crassos pedem, in terram ne minus habeant pedibus II. S. super terram sesquipedem.* Sed nobis de terminis iterum dicendum

Festus v. Limites.

dum erit. Nunc locum hunc concludemus, si prius annotaverimus, ea quæ Hygenus omnes divisionum auctores sanxisse scripsit, ab Augusto non fuisse præterita, *Vti quæcumque loca sacra, sepulchra, delubra, aquæ publicæ, aquæ vicinales, fontes, fossæq; publicæ; vicinalesq; essent, item si qua compascua, quamvis agri dividerentur, in omnibus* (sic lego, pro, ex omnibus) *ejusdem conditionis essent, cujus antè fuissent.* Quamquam sepulchra interdum colonorum cupiditati cessisse video, Suetonius Julio, *Cum in coloniâ Capuâ deducti lege Juliâ coloni ad extruendas villas sepulchra vetustissima disjicerent, idq; eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inventa est.* Neque plura hujus legis capita hactenus eruimus: nam quæ præterea in his ipsis libris supersunt, & hinc manare suspicamur, nullum nomen ascriptum habent, ideo asseverare vetat religio. Edictis deinde pro re natâ obscuriora nonnulla explicata fuisse, idoneus testis Hygenus est, *Sunt quoque quædam Divi Augusti edicta, quibus significat, quoties ex alienis territoriis sumsisset, & assignasset veteranis, nihil aliud ad coloniæ jurisdictionem pertinere, quam quod veteranis datum assignatumq; sit.* Suet. Jul. c. 81.

Præter perpetuam autem Augusti omnium coloniarum legem, privam, quam dixi, singulatim unicuique à conditoribus præscriptam, exploratum est. Siculus Flaccus, *Auctores divisionis assignationisq; leges quasdam colonis describunt:* Nec non alibi, *Leges datæ coloniis municipiisq; intuendæ:* Hygenus, *omnium coloniarum municipiorumq; leges semper respiciendæ.* Hæc fortassis multa continuit: duo aut tria potissimum capita, qua ratio, qua scriptorum auctoritas persuadet. Nam cur non opinemur (etsi rei, quæ ad limitū quæstionem nihil pertineret, nullum appareat in nostris auctorib' vestigium) primo loco, cum diversi essent coloniarum gradus, ejus cui lex scripta, conditionem expressam? Antiquitus aliæ civium Romanorum, Latinæ aliæ: At Italiâ totâ civitate donatâ, optimo fuere jure, quæ Italicum jus adeptæ, uti ex Jurisconsultis Vlpiano, Celso, Gajo, Paullo haurio: pessimo quæ, ut etiam Vlpianus monet, *nihil præter nomen coloniæ* haberent. Rursus coloniæ quædam immunes, quædam neutiquam: Italicæ fuisse videntur immunes omnes, non contra. Quæ caussa, cur Plinius in Italiâ immunium non meminerit, in provinciis meminerit. Qui diversè sentit, cogitet, num fieri potuerit, ut in Italiâ colonia immunis nulla, id enim sequeretur: deinde num concedendum existimet, Tyriorum coloniam, cui *Divus Severus & Imperator noster, ob egregiam in rempublicam imperiumq; Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit,* atq; Berytensem, Augusti beneficiis, Vlpiani quoque Dig. lib. 50. tit. 15. ll. 6. 7. 8.

Cod. lib. 11 tit. 21. l. 1. verba sunt, gratiosam, quam cum postmodū Theodosius & Valent. metropolim decernerent, *suis virtutibus coronatam*, appellaverunt, immunes non fuisse, quod in utraq; Italici tantum juris fiat mentio: Demum, quid sibi Paulli hæc velint, *Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent. Sed tributum his remisit capitis. Sed Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus:* Vt ego sentio, si Vespasianus jus Italicum dedisset, de immunitate nulla potuisset oriri quæstio. Plenissima porro immunitas, omnium tributorum, soli & capitis, atq; publicorum munerum, extra coloniam, remissionem complectebatur. Atqui Augustam Italici juris fuisse, quod dubitemus nihil est: Nisi veterani post percepta præmia, assignatamque coloniam, pejori conditione quam milites in exercitu fuissent, vixêre: In legione namque jure Italico, cives Romani erant. Quin ut mea memoria est, non observo ab Augusto coloniam deductam, præterquam Italicam. Si coloniæ Augustæ non Italicæ occurrunt, vel antiquiores Augusto sunt, ab illo nomine tantum Augustæo honestatæ, vel fortassis coloniæ dignitate nullâ deductione rescripto auctæ. Hoc habet, in quas milites missi, quæq; exin Militares appellari possunt, Italicas fuisse omnes. Dabo Strabonis locum, qui edoceat, Militares quantumvis novas & tenues, clarissimas reliquas dignitate & existimatione præstitisse. Quid enim cuiquam largiretur Augustus, ut abnueret militibus, quorum beneficio se imperio potiri, fateri necesse haberet? Strabonis ista sunt, *Hispalis claret, ipsa quoq; Romanorum colonia. Ac nunc quidem emporium durat: honore autem, & recenti militum Cæsaris eo missorum inhabitatione Bætis præcellit, quamvis non splendidè condita.* Sed in nostrâ, exemplis & argumentis accedit Taciti auctoritas: Is cum splendidissimam cognominavit, verbo concluſit ornamenta, quæcumque possunt in coloniam cadere. Neque Apulejus (cujus summum circa sermonis proprietatem studium) quod Madauræ patriæ tribueret, præclarius elogium invênit, *Veteranorum militum novo conditu, splendidissima colonia sumus:* Quæ item apud eum Hypata *civitas cunctæ Thessaliæ antepollet*, honoris ergò *splendidissima & unica Thessaliæ civitas* appellatur. Pari sensu Vlpianus, splendidissimam Tyriorum coloniam dixit, quæ cum jus Italicum haberet, uti vidimus, tum esset *nobilis regionibus, serie sæculorum antiquissima, armipotens, fœderis, quod cum Romanis percussit, tenacissima.* Exscripsi lubens, quæ ob dicta hactenus, & dicenda postmodum, in Augustâ æquè omnia agnoscimus. Jam si coloni cives Romani, idque optimo jure, in tribum relati fuere: neque nos nisi de Fabiâ aut Scaptiâ, quas utrasque Augustus, Suetonio teste obtinuit, aut Juliâ, quæ ex veterib⁹ una (sive Fabia

Str. lib. 3.

Apul. Apol. 1.

Vlp. D. lib. 50. tit. 15. l. 1.

Suet. Octav. c. 40.

sive

sive Scaptia opinor) in Augusti honorem, ut Dio auctor est, appellata, suspicari possumus, maximè omnium credibiliter de Juliâ. De linguâ, veste, moribus, institutisque reliquis Romanis si admoneam, ineptus videar. Sequebatur caput legis, quo coloniæ jurisdictio & coercitio mandabatur, certisque finibus circumscribebatur. Operæ est, formulam ex Hygeno proponere, *QVOS AGROS, QVÆVE LOCA, QVÆVE ÆDIFICIA, INTRA FINES, puta illos, & intra flumen illud, intra viam illam, DEDERO, ASSIGNAVERO, IN EIS AGRIS JVRISDICTIO COERCITIOQVE ESTO COLONIÆ illius, cujus civibus agri assignabuntur.* Id spatium regionis nomine expressit Flaccus, *Regiones autem dicimus, intra quarum fines singularum coloniarum, aut municipiorum magistratibus, jus dicendi, coercendiq; est libera potestas.* Cæterum Territorii appellatio vulgatior est: Frontinus, *Quicquid enim ad coloniæ municipiive privilegium pertinet, territorii juris appellant:* Flaccus, *Territorium dixere, intra quos fines jus ducendi esset:* eleganter, etsi sunt qui malint, *juris dicendi jus esset:* Et Pomponius, *Territorium est universitas agrorum, intra fines cujusq; civitatis.* Etymologia sive deducēda, ut hîc Pomponius existimat, *quod magistratus ibi jus terrendi habeat*, sive quod *hostis terrendi caussa constitutum est*, ut Aggenus Vrbicus, sive à terendo uti Varro, sive à bobus, quasi terribovium, quemadmodum Cato in originibus, sive denique, quod Isidoro placuit, à tauris tauritorium: nos non admodum laboramus. Hoc potius, quodnam Augustæ coloniæ territorium fuerit. Intelligo difficile ad fidem esse, in tam obscurâ & reconditâ antiquitate, certos limites affirmare: Sed tamen, quod jam aliquoties rebus dubiis fecimus, conjecturas, quas verum proximè existimabimus, assequi concipiemus. Visum nonnullis, fines in universum quantum sacram episcopi jurisdictionem porrigere: neque ego auctoritatem defugio. Homines enim Romanarum ecclesiasticarumq; antiquitatum ex æquo periti, hæc vestigia alibi lubentes sectati sunt: Cum rerentur, quod episcopis à civitatibus nomina indita, Augustæ hîc, alius alterius urbis vocatur Episcopus, satis esse indicio, Augustæ, rerumq; Augustanarum, quæ territorio proculdubio continentur, inspectionem illi & curam demandatam. Quâ ego occasione illos præterire non debeo, qui quas urbes episcoporum aliquando dictas inveniunt, in episcoporum potestate fuisse opinantur: Rectè si sacram sentiunt, sin aliam, quam profanam differentiæ caussa appellamus, nihil imperitius, cum eodem argumento episcopos civitatum paruisse imperio necessariò sequatur

Dio lib. 44.

Pomp. D. lib. 50. tit. 16. l. 239.

Varro de lingua L. lib. 4. Cato apud Serv. in 5. Aen. Vrbem designat. Isid. lib. 14. c. 5.

quatur, quod utiq; falsum est, nam ut episcoporum civitates, ita versâ vice civitatum episcopi appellantur, nec obscurus utriusq; locutionis sensus. Paulus Apostolus ad Corinthios scripsit, *In omni loco ipsorum & nostro*, neq; ille tamen profecto Corinthiorum dominus, sed ut significanter admodum Cajetanus interpretatus, *addidit ET NOSTRO, ut quemcumque locum, qui est Corinthiorum invocantium nomen Christi, explicaret esse etiam Apostolorum; quod est verum, non solum propter unitatem charitatis, sed etiam propter extensionem jurisdictionis Apostolicæ.* Aliorum commentatorum sententias, quæ variæ sunt, nihil necesse afferre. At quoniam comperi, Carolo Magno Imp. Divo Simperto episcopo, Augustanæ ecclesiæ diœcesim, quam vocant, auctam, nec non idem sæpius vel ante vel postea fieri potuit, vix opinor territorii modum hac viâ rectè investigabimus, nisi primo loco de accessionibus sigillatim (quod nunquam futurum vereor) cõstiterit. Incredibiliter namq; errat, quisquis antiquas rationes, ad eum, qui nunc est, rerum statum revocat. Huic itaq; subsidio, alia ex rerum naturâ, temporumque conditione petita, adjungenda sunt. Kardinem palam est, septentrionem versus provinciæ limitem Danubium haudquaquam transiisse, neque agros in hostico assignatos esse, etsi in eam Germaniæ Magnæ partem, jam episcopi religiosa jurisdictio porrecta: Ad meridiem ab alpib⁹ initium sumpsisse, neque profecto ullum veteranorum in iis (quamquam in alpes quoque sacra episcope nunc penetret) agros accepisse: quin ad hunc locum pertinet, quod Hygenus quodam dixit, *Rupium multitudo limites accipere propter loci difficultatẽ non potuit: Sed relicta est, ut aut sylvam Reip. præstaret, aut si sterilis esset, vacaret.* Aggenus, *Hæc autem sunt loca quæ soluta* (ita lego, pro insoluta) *dicuntur, quæ aut in saxosis & sterilibus locis sunt, aut in paludibus, ubi nulla potuit exerceri cultura, quia dum non esset, quod excoli potuisset, nullis necesse fuit limitum regulis obligari, propterea & soluta loca vocata sunt.* Et quamquam materiam olim etiam secundo Lyco ex alpibus devectam, Hygeni verbis consentaneum sit, quas tamen sylvas colonia acceperit, non ausim definire, neq; eas extra territorii fines fuisse, absurdum. In Decumano, priscæ diœcesis certiora indicia apparent: Adeo, ut intra fluvios, Lycum, qui ab oriente, & Hilaram ab occidente constitisse, in dubium venire prope nequeat: Cum Hilara Augustanam à Constantiensi diœcesi hodieque discriminet, nec caussa sit, cur fines variasse existimemus, ab eo tempore, quo ante Constantiam conditam, episcopi sedes Vindonissæ fuit: Lycum ecclesiasticam provinciam altroversum tunc terminasse, etiam perspicuum, eo quod

1. Cor. 1.

Simper-

Simperto demum episcopo (Aventinus Divo Vdalrico non rectè tribuit) Novoburgensem jurisdictionem Augustanæ accensam, Novoburgensemque ad Lycum pervenisse, annalium monumentis testatum. Hoc est, quod in vetusto manuscripto codice legere memini, Simpertum Augustanam diœcesim Noricorum finibus auxisse: antiquum namque Noricum (quod jam semel indicavimus) ad Oenum tantum, posterius ad Lycum usque pertigit. Decumani ergò longitudo XXX. M. passuum, plus minus, complectebatur: neque tamen exacta ratio, fluviis non usque quaque parallelis, iniri potest: Kardinis ab alpinum radicibus ad Danubii alveum M. Pass. circiter LXX. Itaque tota territorii area habuit decies centena passuum millia bis millies, & id quod excurrit. Cum Siculus Flaccus scripsit, interdum territoria fluminibus finiri, interdum summis montium jugis, fieri potest, ut de nostrâ colonia ne cogitarit quidem, ejus nihilominus terminos, uti omnino habuere, expressit. Legem denique de rerum divinarum humanarumque curatoribus, sacerdotibus & magistratibus nimirum, decurionumque ordine caviisse, nemo ambigere inducet animum: Vnum ambigo, an privata ista, an publica Augustæa caverit, & fere est ut Augustæam opiner. Sed quoniam totus hic locus ad colonicæ reipublicæ constitutionem pertinet, posterius exequemur. Jam cum de legibus plura non occurrant, deinde admonendum est, Coloniam deductam jussu, vel utriusque, Neronis vel quod credibilius multò, alterutrius; Cum patrato bello, ordinandæ & constituendæ provinciæ, ambo tempus non triverint. Ac malo equidem de Druso verum esse, quod & plures tradidere auctores: tametsi antiquiores (ne fallam) Ottone & Honorio Augustodunense nondum reperio. Sed bonum factum, conditoris memoriam, insertâ imagine apud nostros homines novare.

Otto Fris. lib. 3. c. 4. Hon. in chron.

Triumviros qui deducerent (alio aliâs numero fuisse sciens sum) arbitror lectos ex legatis, quorum operâ Dio victoriam partam prodidit; neque his honor cuiquam haberi poterat justius. At hi ignoti sunt, nisi qua Augusti nummus suspicioni rimam adaperit.

Tribu-

Tribunitia poteſtas cum anno DCCXXXI. V. K. Julii primum inſtituta ſit, fit ut annus ejus IX. nummo inſcriptus, ex iisdem K. anni DCCXXXIX. quo Auguſtam deductam diximus, ſumat initium. Id temporis coloniam aliam deductam, nemo opinor certo teſtimonio approbabit; eo minus leviter conjecero, ſi ad hanc coloniæ ſymbolum bovem retulero. Notæ II. VIR. de P. QVIN. VARO. M. TITIO. L. COR. BALBO. à quibus coloniam deductam ſuſpicor, accipi neque debent, neque poſſunt, quî enim tres Duumviri? Verum nummum auctoritate Duumvirûm, qui princeps coloniæ magiſtratus, ſignatum oſtendunt. Quod idem veſtigium (an æmulatione Romani moris, quo Senatus auctoritas hiſce notis S. C. aſcripta?) in multis præterea colonicis nummis, nec tamen omnibus, variè ſpectatur. Nudè interdum, nullo adjecto nomine, ut Cæſarauguſtanis quibusdam, CAESAR AVG. II. VIR. Binis nonnunquam additis nominibus, C. HEIO. POLLIONE. ITER. C. MVSSID. PRISCO II. VIR. quæ ipſorum Duumvirûm eſſe nihil ambigo: Ternis ſæpe etiam, exemplo præter noſtrum, Sebaſtæ nummus, L. FABATO. T. TAVRO. L. PISONE. COL. SEBAS. II. VIR. coloniæ incertæ alter, AP. PVLCHRO. T. TAVR. L. PISO. CN. F. II. VIR. quæ ad coloniæ conditores audacter refero. Nam cum Appium, Taurum & Piſonem, Conſules ſub Auguſto faſti prodant, quid illis in coloniâ ſimul rei eſſe potuit, præter hoc unum, ſi in ejus deductione collegæ? Extremè frigidum commentum eſt Appios, Tauros, Piſones alios à conſularibus, totidem nominibus in coloniâ unâ aliquâ extitiſſe. Et ut ad noſtra revertar, P. Quinctilium Varum, qui poſt biennium ordinarius conſul cum Tiberio iniit, M. Titium Rufum, qui ante annos XVI. ex Kal. Majis ſuffectus eſt, & L. Cornelium Balbum, ſive majorem, qui ſuffectus extremo anno DCCXIV. ſive minorem, qui ex Africâ triumphum egit Procos. an. DCCXXXV. VI. K. Aprilis, III. Viros Coloniæ deducendæ, agrisque aſſignandis, à colonis Auguſtanis hoc nummo poſteritatis memoriæ piè & gratè commendatos interpretor. Nam conſularia & trium-

triumphalia ſingulorum ornamenta, de legatione quæ diximus probabiliter confirmant. A triumviris verò coloni ſcripti, Cato in M. Cœlium, *In coloniam mehercules ſcribere nolim, ſi triumvir ſim, ſpatiatorem aut ſeſcenninum.* Servius notavit, tranſcribere hac in re ſolenne verbum. *Tranſcripti enim in colonias deducebantur.* Ad colonorum numerum conſtituendum, in tantâ veterum ſcriptorum diſperditione, & omnis antiquæ memoriæ, quod toties conqueri neceſſe habeo, abolitione etiam hæremus. Aliqui ter mille miſſos ſcripſere: ſed hos ſimilitudo nominis in errorem duxit, ut quæ Strabo de Auguſtâ Prætoriâ prodidit, ad noſtram detorquerent. Alii duplum, vel paullo amplius volunt, nam integram legionem, ſine auxiliis, miſſam conjiciunt. Aut hîc, aut nullibi, Taciti verba locum habere, *Olim univerſæ legiones deducebantur, cum tribunis & centurionibus, & ſuis cujuſq; ordinis militibus, ut conſenſu & charitate Rempublicam efficerent.* Ego frequētes ad firmitatem provinciæ miſſos aſſentio, & numerum VI. millium non abjudico. Quod ſi quis, probabili ſubnixus ratione, de ampliore cenſuerit, in ejus ſententiam me pedibus iturum, jam nunc profiteor. Si enim anno urbis conditæ CCCCL. nomine Æquorum prope ad internecionē deleto, proximo *Albam in Æquos ſex millia colonorū ſcripta*, quod Livius annotavit, ſi anno DXXXVI. Placentiam totidem deducti, *in quibus equites deducendi fuit cauſſa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant*, quod ex Pædiano cognoſcimus, non eſt cur hic numerus in Vindelicâ coloniâ, quæ coërcendis provincialibus recens domitis, tum reprimendis vicinis Germanis, præcipuè Suevis, jam tunc imminentibus, inſtruenda eſſet, non exiguus exiſtimari debeat: eo potiſſimum, quod à militaribus præſidiis, per provinciam diſpoſitis, auxilium non adeò magnum, ex Italiâ interjectis alpibus, nullum omnino, niſi ſerum admodum ſperari potĕrat. Equites eadem quam in Placentiâ Pædianus cauſſam notavit, perſuadet, deductos, ut opponerentur Germanis, qui Gallis haud paullo acriores hoſtes eſſent. Colonorum nomina nemo expectabit. Si ex triumviralibus tabulis maximè in promptu eſſent, huc attexere odioſam diligentiam argueret. Indicabo tantum, monumenta antiqua, quæ noſtros cōmentarios ſequentur, videri nonnulla ad primos colonos pertinuiſſe, nonnulla ad eorum poſteros: ſed ut illa, quæ legionem tertiam Italicam, multo poſt inſtitutam reſpiciunt, non aīumeremus. Hîc placet ſubſiſtere, & putare animo, quam fœdas plerasq; hiſtoriæ labes antiquitatis inſcitia aſperſerit, quæ levi ejus cognitione rurſus detergi poſſint. Ilio cremato Æneam profugum in Italiam veniſſe, regnum conſtituiſſe, poſteros Romam condidiſſe, omnium conſenſione convenit.

Cato apud Feſtum. v. ſpatiator. Serv. 5. Aen. Tranſcribunt urbi matres.

Strabo lib. 5.

Tac. An. 14.

Liv. lib. 9. & 10.

Pæd. Orat. in Piſ.

Neque diſcrepat, qui à Romanis deſcenderint, ſibi & reliqua Romanæ nobilitatis decora, & Trojanam originem rectè ac merito aſciſcere. Quin coloni Auguſtani aſciverint, nihil cauſſæ eſt: nam cunctas gentes laudis appetentiâ vicêre Romani, nec laus ulla, publico populorum conſenſu, æquè ac Trojanæ originis fama appetita eſt, eo uſq; ut multi, qui verè non poſſent, per mendacium in eam inſeri voluerint, opinati credo, quod Plinius enuntiavit, *mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutum amor*. Plin. lib. 35 c. 2. Hujus ergo rumoris cum neſcio quid majores noſtros afflaſſet, neq; facile rationem invenirent, qua Trojani in has oras appuliſſent, excogitarunt inſcitiſſimam narrationem, cujus verbo ante meminimus, nunc uberius explicare nullum operæ pretium: Multo labore aſſequuti, ut rem perſpicuè veram, à Trojanis Auguſtanos ortos, nemini unquam fuerint perſuaſuri. Neque verò Vindelicorum ſtirps ideò ſublata, ſed mixta Romano ſanguini, veluti læta arbor inſitione aucta eſt, cujus rei ſymbolũ in limine horum librorum ſub Druſi imagine expreſſum. Nam multas hoc genus colonias collocatas prioribus civibus nequaquam pulſis, certum. Exemplo ne longius abeam, Vbiorum oppidum, in quod colonia Agrippinæ nomine deducta, non eo minus ſe pleriq; civium Vbios, origine Germanos ferebant, ita Tencterorum legatis apud Tacitum reſpondent, *Vt vobis cæterisq; Germanis conſanguineis noſtris jungeremur*, Et mox de Romanis colonis, *Deductis olim & nobiſcum per connubium ſociatis, quiq; mox provenêre, hæc patria eſt. Nec vos adeò iniquos exiſtimemus, ut interfici à nobis parentes, fratres, liberos noſtros velitis*. Tac. hiſt. lib. 4. Atque in libello de Germanis, *Vbii quidem, quamquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine non erubeſcunt*. Porrò colonos ſub militaribus ſignis deductos, ut exercitus ſpeciem præbere poſſent, obſcurius alii, apertè Hygenus ſignificat, *Cum ſignis & aquilâ, & primis ordinibus ac tribunis deducebantur*. Territorium aratro ambiri conſueviſſe, videtur innuere Cicero, cum in Caſilini deductione Antonio portam Capuæ, aratro circumducto, vomere pæne perſtrictam, & florentis coloniæ territorium imminutum objicit. Cic. Phil. 2. Sequebatur territorii diviſio & aſſignatio. Nam agro, quâ ratione prius dictum eſt, centuriato & limitato (utroq; verbo Feſtus utitur) ſingulis colonis agri modus tribuebatur viritim, idq; ſortitò. Feſtus v. centuriatus & limitatus. Sortitionis morem pluribus verbis Hygenus, tum uno aut altero exemplo proſequitur. Neque tamen inquit Siculus Flaccus, *omnibus æqualiter datus, ſed & ſecundum militiam modus eſt datus*. Permagna autem territorii portio, colonis neq; diviſa, neq; aſſignata. Excipua enim primo loco, quæ complecti-

tur

tur caput legis Augustææ, quod ultimum ex Hygeno posuimus, & hic paullum mutatis verbis, ex Flacco repetimus, cum lucem antiquariis tenebris collatione inferri existimemus, *Qui agri delubris sepulchrisve publicis, qui solis, itineris, viæ, actus, ambitus, ductusq; aquarum, qui publicis utilitatibus servierint, ad id usq; tempus, quo agri divisiones fierent, in eâdem conditione essent quâ ante fuerant.* Subseciva deinceps, quorum duo genera, Flacco & Frontino; sive cum in extremâ assignatione centuria expleri non potuit, sive cum in mediâ assignatione, & inter ipsas centurias, spatia superfuere, nomen manavit, quod à reliquo corpore subsecta essent quodammodo. *Evenit hoc autem ideò, quoniam militi veteranoq; cultura assignatur, si quid enim amari & incerti* (an inertis?) *soli est, id assignatione non datur.* Vt Aggenus prodidit, *hæc aliquando auctor divisionis aut sibi reservavit, aut aliquibus concessit, aut Reip. aut privatis personis.* Vespasianus pleraq; vendidit, reliqua Domitianus, iis, qui tunc possiderent, donavit; Quod præter agrarios istos scriptores, Suetonius memoriæ consignavit. Ad hoc, Subsecivorum itidem conditionis erant, Relicta & Extracluſa: sic dicta, quæ in assignationem omnino nunquam venerunt, sive ob locorum asperitatem, uti de Subsecivis dixim⁹, sive quod conditori quacumque de causſa ita collibuisset. Hæc si intra coloniæ fines sita, territorio certè accensebantur; sed nisi alicui aut homini, aut urbi, aut locis sacris & religiosis attributa essent, remanebant jure in ejus potestate qui assignare potuerat, *re* inquit Aggenus, *plerumq; proximi possessores invadunt, & opportunitate loci irritati, agrum obtinent.* Quasi Subseciva etiam Compascua, *sive loca quæ proximi quique vicini, id est, qui ea contingunt, pascua* habent, uti Flaccus: Tum fluviorum alvei, & ad ripas utrimque spatium, eo usque interdum, quousque inundationes possent alluere, uti hic ipse Flaccus, & plenius Aggenus scriptum reliquere. Accedebant agri sacerdotum collegiis, & certis sacris dedicati, in quibus quoque luci, ædes, templa: Agri vectigales, sive Pop. Rom. sive coloniæ, qui mancipibus locabantur, vel in annos singulos, vel in lustra, vel in annos centenos, ut fructus partem præstarent quintam, aut septimam, aut etiam pecuniam pro soli ubertate, proximi quiq; possessores rursus à mancipibus conducebant, quod ex Hygeno affero: Agri præterea provincialium noñulli, nam provinciales non omnes pulsos, & patrimonio exutos, Siculus Flaccus ostendit, *nec tamen omnibus personis victis ablati sunt agri, nam quorundam dignitas, aut amicitia, victorem ducem movit, ut eis concederet agros suos.* Omnia denique loca publica, quæ Aggeni verbis enumerare satius est, *loca autẽ, quæ sint publica, videam⁹. Sunt sylvę, de quib' lignorũ copia in lavacra publica ministrãda cęduntur. Sunt & loca publica,* Suet. Domit. 9.

quæ in pascuis sunt relicta, quibuscumq; ad urbem venientibus peregrinis. Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quæ loca culinas appellant. (Festo Culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur) *Sunt & loca, noxiorum pœnis destinata.* (Capitales enim animadversiones fere extra urbes, nisi quæ spectaculo in theatris & circis propositæ. Huic rei in Augustano agro antiquitus Lyci fluminis insula, quæ postmodum in continentem abiit, addicta : quod ex Afræ martyris actis jam olim observatum; in Vindeliciæ tabulâ expressimus, Tacitus credo *locum servilibus pœnis sepositum* Romæ appellavit.) *Ex his locis, cum sint suburbana, sine ulla religionis reverentiâ solent privati aliquid usurpare, atque hortis suis applicare. Sunt autem loca publica coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipii jus relata. Sunt & alia loca publica, quæ præfecturæ appellantur. Nam & pomœria urbium, de quibus jam superius suo loco disputavimus* (dixerat Pomœrium esse certæ mensuræ spatium ante urbis muros , aliquando etiam intra muros, propter fundamentorum custodiam , quod privatis operibus occupari non oporteat , neq; ullo jure alienari possit) *publica esse noscuntur.* Horum igitur omnium, cum nihil ad colonos privatim pertineret, singulorum nomine portionem aliquam detractam necesse est : multo maximam subseciva & vectigales agros abstulisse crediderim, nam ad Lycum multa millia sterilis & amari soli jugera & vectigalib⁹ Augustum colonias suas largiter instruxisse, scripsit Suetonius. Hinc quamquam rei dubiæ nulla esse potest certa asseveratio, opinor tamen, colonis interdum minus, cum plurimum , ultra semissem agri colonici assignatum non esse. Quo Hygenum refero, *multis coloniis immunitas agri, vicit assignationem:* aperte namq; agros immunes, qui in assignationem non venerunt, denotat, cum alii immunes assignati essent. Acsi integrum territorium millies mille passus bis millies comprehēdisse recte disputavimus, assignationi non plus dimidio, passuum decies centena millia millies cessisse consequetur. Pedum etiam rationem inde non difficulter inibimus : cum passus quinos pedes longitudine contineat, fit ut passui quadrato, cujus singula latera quinque pedum , pedes quadrati (planos quoq; & constratos appellabant, Varro pedes magnos) insint viginti quinq;, itaque ex superiori summa proveniant, vicies quinquies millies mille pedum millia : quorum numerorum ratio, nisi meditatò vix queat animo concipi : Jugera autem (ad quæ calculus revocandus est) paullo supra octingenta sexaginta octo millia: siquidem jugerum Romanum, vicies & octies mille atq; octingentos pedes complectitur. Vnde apparet, sex millibus colonis dari potuisse in singulos jugera centena, ut in universum ducenta sexaginta

Fest. Pauli v. Culina

Tac. An. lib. 15.

Suet. Oct. cap. 46.

Var. de Ling. lib. 4

octo

octo millia jugera superarent, inter Centuriones, Equites, & Benemeritos partienda. Nam Centurionibus & Equitibus, liberâ etiamnum Republicâ, liberalius quam cæteris militibus assignari consueviſſe, frequens testis est Livius; idem postea in reliquis militarium dignitatum gradibus obtinuisse, Flacci quæ attulim⁹ verba fidem faciunt. Benemeritis extra ordinem fundi modum quantus conditori placuisset concessum, addito insuper privilegio, ne quo munere coloniæ obstrictus esset; ex Hygeno in Augustæâ lege cognovimus: eo referenda Aggeni verba, *Legimus in quibusdam locis ab uno mille & trecenta jugera fuisse possessa*, Et quod Cicero Antonio objicit, *Medico tria millia jugerum, quasi te sanum feciſſet; Rhetori duo, quasi disertum facere potuisset.* Nam ut quisquam existimet, tam immodicas ullas divisiones fuisse, quæ tot jugera assignarent viritim, frustra erit: quin de centenis adhuc exempla quæro, nunc præter unum Appuleji Saturnini, de quo auctor de viris illustribus, *ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri jugera in Africâ dividerentur*, aliud ad manus nullum est. Sed quod anno DLXIV. & DLXXI. in præpingui & opimo Italiæ solo, Bononiæ & Aquilejæ, quinquagena divisa invenio, minus incredibile visum tanto post, ætate, qua prisca parsimonia ita laudabatur, ut rideretur, in transalpinâ provinciâ, bello recens partâ, duplum ejus fuisse assignatum. Atq; hæc, quæ nos omnibus vestigiis indagamus, olim in Cæsaris tabulario pinacibus delineata, & libris distinctè perscripta, tum æneis tabulis, quas in Capitolio fixas opinor, insculpta erant: Istas agrorum formas appellabant, ita Vlpianus, *Qui tabulam æneam legis, formamve agrorum continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Juliâ peculatus tenetur.* Plura ejusdem rei nomina adducit Sicul', *Quamvis una res sit forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem, alii limitationem, alii cancellationem, alii typon; quod ut supra diximus, una res est forma.* De Cæsaris tabulario idem Siculus, *Omnium enim agrorum, & divisorum & assignatorū, formas & divisionem, & commentarius & principatus in sanctuario habet: qualescumq; enim formæ fuerint, si ambigatur de earum fide, ad sanctuarium principis revertendū erit.* Hygen⁹ æris libros nominat, atq; eorum exempla etiam in coloniis constituta significat, *Libros æris, & typum totius perticæ, linteis descriptum.* (an lineis? verius est linteis, ad æneorum scilicet tabularum exemplar adumbratis, eodem modo Constantinus de lege quadam, æreis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis scriptâ) *secundum suas terminationes, ascriptis affinibus, tabulario Cæsaris inferemus: & si qua beneficio cōcessa, aut assignata coloniæ fuerint, sive in proximo,*

Liv. lib. 35. de Vibone lib. 37. de Bononia lib. 40. de Aquileja.

Cic. Phil. 2.

Vlp. D. lib. 48. tit. 13. l. 8.

Const. C. Theod. lib. 11. tit. 27. l. 1.

ximo, sive inter alias civitates, in libro beneficiorum ascribemus. Et quidquid aliud ad instrumentum mensorum pertinebit, non solum colonia, sed & tabularium Cæsaris, manu conditoris subscriptum, habere debet. Paullo ante dixerat, *Omnes significationes & formas æris tabulis inscribemus: Data, Assignata, Concessa, Excepta, Reddita, Commutata pro suo, veteri possessori, & quæcumq; alia inscriptio singularum litterarum in usu fuerit, & in ære permaneat.* Sed multa ad hæc apud auctores istos de æreis formarum tabulis loca extant. In Capitolio fixas suspicatus sum, quod id legum tabulis observatum scirem, eoque colonicæ leges indubitatè pertinuerint, neq; formarum caussa diversa videretur. Inde Suetonius tria millia ærearum tabularum, quæ cremato Capitolio perierunt, & à Vespasiano, undiq; investigatis exemplaribus restituta sunt, *instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum* appellavit. Quoniam autem agrariæ ratiocinationis principium & originem à pede duximus, memoratu haud indignum fuerit, in pede, cujus nunc Augustæ usus, certum antiquitatis vestigium residere, neq; videri dubitabile, quin ad ejus mensuram colonis agri divisi. Non quod existimem hunc legitimum Romanum pedem esse, quem plerique omnes scriptores latini nudo pedis nomine intelligunt, qui Græco semuncià brevior, & ad cujus rationem amphora, sive quadrantal constitutum: nam video, quæ viri eruditi de istius modulo disputant, nec improbo, & intelligo nostrum tantillum longiorem esse: sed quia pluribus præterea pedum generibus Romanos usos scio, ad quorum aliquod unum noster referendus. Nomina, caussas, & differentias sigillatim exequi, nunc fortassis nemo possit, at res in universum sicuti dixi habuit. Indicant cum pedes sepulchris antiquis aliâ atque aliâ magnitudine insculpti, tum eorum moduli ærei, quandoque è ruderibus Romæ eruti, affabrè confecti, palmis, unciis & digitis distincti, claviculis ita aptati ut complicari, & rursus explicati, fibulâ contineri porrecti possint, qui commensu inter se haud quaquam conveniunt. Præterquam quod Hygenus tres species expresè numerat, & nominibus distinguit, Monetalem, Ptolemaicum & Drusianum: quorum secundus primum semuncià, tertius sescuncià excedit. Nam Drusianum saltem à Romanis esse, evincit appellatio. Ptolemaicus si idem cum Græco, quo inclinat animus, legitimus Romanus Monetalis erit, Græco semuncià contractior; & hæc caussa fortassis, cur Hygenus istos posteriores cum illo comparare voluerit. In nominis origine parum video, nisi inde est, quia in Capitolio, ad Monetæ mensura proposita, ad quam hi pedes exigerentur: suspicionem movent, quæ in congio antiquo leguntur, IMP. CÆSARE. VESPASIANO. VI. T. CÆS. AVG.

Suet. Vesp. c. 8.

AVG. F. IIII. COS. MENSVRÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. & quod amphoram ſimili de cauſsâ in Capitolio poſitam memini, Fannius,

Fan. de pond. & menſ.

——quam, ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Vnde Capitolinus pari ſenſu, Capitolinam amphoram dixit, quæ juſtæ & exactæ menſuræ eſſet. Neque verò, quod ad pedum differentias præterea pertinet, placet quorundam cogitatio, labente imperio menſuras & pondera aucta, recentiſſima quæque maxima eſſe: Facilius dicuntur iſta, quam probentur. Rem nummariam ſenſim mutari, in pejus ſcilicet, pondere decreſcente, & vilioris metalli portione admixtâ, in plerisque Rebus publicis vidimus: At pondera & menſuras, raro niſi everſis imperiis & victoris populi legibus receptis, neque id ſemper. Vt apud Romanos aliter acciderit, eodem modo utraque imminuta, non aucta, ſuſpicaremur rectius. Cauſſas igitur quæremus alias: Vel diverſis artificum collegiis diverſos pedes fuiſſe, quo modo Græcorum medicorum pondera à veterinariis differunt: aut Romæ quidem unius generis fuiſſe, Romanis autem per varias provincias varios: cui ego potiſſimum accedo ſententiæ, & eo Hygenus, Ptolemaicum Cyrenaicæ, Druſianum Tungris aſcribit. Atque idem in ponderibus uſu veniſſe Symmachus innuit, cum Theodoſio *Mille ſexcentas auri libras* Senatus nomine offert, *urbanis ponderibus conferendas, id eſt, trutinæ largioris examine.* Nam quod diſſimiles pedum modulos Romæ erutos, & ſepulchris inciſos ſcripſi, nihil obſtat, neque conſequitur, in illâ urbe omnes uſitatos: Quin quod ex Theodoſii codice habemus, *In quinque pedibus & ſeptem unciis uſualibus delectus habeatur*, contra indicio eſt, pedes alios non uſuales fuiſſe. Vt porrò eo redeam, Auguſtanum à Romanis eſſe, ex Marliano, qui antiqua urbis monumenta diligenter obſervavit, deprehendi: prodidit enim columnam à ſe dimenſam, cujus Græca inſcriptio ΝΟΔΩΝ. Θ. novenos pedes ſignificaret, ejus longitudinem in tot æquales partes diviſam, menſuram confeciſſe, quam ille libro inſeruit, ego ad oram delineavi, quæ cum Auguſtanâ prorſus eſt eadem. Meminit hujus Philander quoque, & ex Luca Pæto didicimus, ſupereſſe ex ære aut orichalcho antiquũ modulum, diligentiâ quam paullò ante memoravimus confectum, cum columnæ ratione conſentientem. Quod vir doctus ex inſcriptione conjectat, columnam ad Græcorum pedem exactam, errat, quandoquidem legitimum Romanum, noſter iſte nonâ tantum, aut ſeptimâ, aut quartâ (variè hæc ſcribo, quia de legitimo Romano aliquot ſcrupulorum tenus, nondum convenit) aut ſi plurimum, tertiâ unciæ parte ſuperat, cum Romanum à Græco

Capit. Maximinis

Sym. lib. 10. ep. 26.

Lib. 7. tit. 13. l. 3.

Mar. lib. 1. c. 7.

Phil. in Vitruv. lib. 3. c. 3.

Pætus de menſ. & pond. lib. 1.

semunciâ vinci, sit in confesso. Ac ne non omnes divisionis reliquias persequamur, extant in agro Augustano, ad certos pagos propter viam, colliculi exigui, quos manu aggestos satis apparet, ita in orbem compacti, ut torno rasi videri possint: Eos ad limitum rationem pertinuisse arbitror, adductus Fausti & Valerii verbis, qui auctoribus, quos in hoc argumento crebrò laudavimus, succenturiati accedunt, *In limitibus verò, ubi rariores terminos constituimus, monticellos plantavimus de terrâ, quos Botontinos appellavimus.* Et sæpe præterea Botontinorum nomen per illos libros occurrit: neque aliter accipio, quod de agro Ausculino in Apuliæ & Calabriæ civitatum enumeratione proditum, *Finitur per terminos, & terrarum tumores.* Iis carbones, cineres, testæ contusæ & calx subdi consuevere, quorum fortassis adhuc aliqua, terrâ paullo altius effossâ, invenirentur. Aliis quoque terminis ejus generis, quæ tempori non facile cederent, signa (sic appellabant) substrata fuisse observo, neque id tamen perpetuò. Siculus Flaccus, *Quibusdam placet & videtur, ut sub omnibus* (terminis) *signum inveniri oporteat, quod ipsum voluntarium, non necessarium est. Si enim essent certæ leges, aut consuetudines, aut observationes, semper simile signum sub omnibus inveniretur: nunc quoniam voluntarium est, aliquibus terminis nihil subditum est, aliquibus vero aut cineres, aut carbones, aut testas, aut vitrea fracta, aut ossa subcensa, aut calcem, aut gypsum, invenimus; quæ res tamen, ut supra diximus, voluntaria est.* De carbonib⁹ egregiè, ut omnia, Augustinus, *Noñe miranda res est & tanta infirmitas, ut id u levissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, usq; adeo, ut eos substernere soleant, qui limites figunt, ad convincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumq; limitem non esse contenderit?* At ego cur jam non rideam perversam impostorum hominum impudentiam, qui quo cupidis & credulis quibusdam os oblinant, excogitavere stropham istam, ubicunque, se dant obviam, latentium thesaurorum, qui non nisi impiis cæremoniis adhibitis in lucem possint erui, certa & indubia indicia esse, ab iis, qui pecunias olim condiderint, constituta. Quem plerisque pernicioſum erro-

Pes Augustanus, in palmos, uncias et digitos tributus.

Aug. de civ. lib. 21. c. 4.

errorem, antiquitatis etiam notitia eximit. Aliquanto illuſtrius à primâ coloniæ conſtitutione, & agrorum diviſione, uti ſentio, monumentum ſupereſt, quod cum in omnium oculos incurrat aſſiduè, à nemine hactenus ſatis eſt obſervatum, aut certè explicatum. Saxum intelligo, altitudine quinquepedali circiter, quod ante aliquot multos annos terrâ effoſſum, ad D. Vdalrici nunc ſpectatur; cujus effigiem vetuſtate arroſam hîc repræſentare fuerit optimum, cum præſertim Auguſtanorum inſignium ſpeciem referat, & nos de iis quoque, ſecus quam alii factitarint, diſſerturi ſimus.

Hanc formam quoniam in duo membra commodè partimur, nequaquam diſſentio, conum, qui ſcapo nixus eſt, reſiniferæ alicujus arboris (pini ſtrobilum ut definitè pronunciem non adducor) nucem exprimere: infra coni ſcapum, columnæ capitulum eſſe, cujus abaci mediæ areæ ſcapus inſiſtat, nemo ibit inficias, quisquis quid columna, quid capitulum, quid ejus abacus ſit, cognitum habet. Neque non fatebitur, quamquam rudi operâ elaborata ſunt omnia, ob lapidis ſcabritiem, nimirum, nam ex ſilicum genere eſt, Corinthiæ tamen, aut ſanè Italicæ architecturæ, quam mixtam vel compoſitam appellavere, manifeſta in capitulo

pitulo vestigia extare. Jam columnam capitulo olim fuisse subjectam, ne monendum quidem, cui enim capitula usui, nisi huic uni? Columnam, quæ capitulum istud sustineret, nullum potuisse fulcire ædificium, verissimum quoque est, quando planum, in quo epistylia sive trabes considere solent, scapo & cono occupatur: Restat ergo, sub dio statutam fuisse credamus. Quod si sic est (nam mihi sine ullâ dubitatione videtur) cogitabimus, quem porro usum habuerit: Ego terminum fuisse mihi dudum persuasi. Mitto, antiquissimos terminos conorum formam tulisse, tale esse apud Homerum saxum, quod Hector in Græcorum munitiones jaculatur, idq; Virgilium, qui Homerum æmulatus, terminum interpretatum,

Homer. Iliad. 12. Virg. Aen. 12.

Saxum antiquum ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus ——————

Nostra ad Romanorum mores examinare magis est. His innumeras prope terminorum differentias fuisse hinc animadverto, quod pleraq; nomina auctores de limitum constitutione recensuere, species supra quadraginta unus Hygenus delineavit, cum interim permultas iis præteritas Boëtius nominet. Ex Augusti lege pauca & obscura hujus argumenti fragmenta supersunt, aliunde itaque auxilia corroganda. Flaccus scripsit, nonnullarum coloniarum territoria finiri *lapidibus positis præsignibus, qui à privatorum terminorum formâ differunt*: Interdum ararum specie, Hygenus, *Aris inscriptis conditoris nomine, & coloniæ finibus*, paullo post, *Aras lapideas ponere debebimus, quarum inscriptio ex uno latere perticæ applicito, finem coloniæ demonstrat*. Et mox, *Has utræq; civitates constituant. Ad fines enim eisdem locis, nomine Imperatoris, & finium suorum inscriptionibus, aras consecrare debebunt*. Sed id neutiquam perpetuum. Nam præter quod lapides præsignes Flacci aræ non sunt, videmus quoq; inter schemata, quæ Aggenus Vrbicus libello de limitibus subjecit, hujus generis terminos cipporum aut columnarum formâ, quibus vel statuæ, vel nescio quæ alia, nec enim satis discerni possunt, sint imposita. Existimaverim autem territoria iis bifariam munita fuisse, prope coloniam statim à pomœrio, ubi agrorum assignatorum principium, & ad fines, in agrorum extremitate. Atque quod dicere cœperam, eo tum capitulum & conum, tum columnam quæ periit refero: haud paullo credibilius, quam alii in Drusi cenotaphio, aut Cybeles simulachro luserint. Nam Boëtio inter *nomina lapidum finalium*, est *circulatus pyramus, item acuto similis. Item pyramus vitæ* (alii viæ legunt, mihi in utroque nomine tenebræ) *præcisæ similis*: quæ de cono interpretemur licet. Quamquam in nostro caussa accedit alia; uti à Fausto & Valerio annotatum per Gallias & Africam, atque circa urbem Romam,

Boet. geom. lib. 2.

oliva-

olivaſtellum (minutam olivam accipio) & *cotoneum* (malus cydonia appicta eſt) terminorum loco fuiſſe; ita ſtrobilos apud nos eâdem occaſione uſurpatos veriſimile eſt, quod Rhætia coniferarum arborum, Abietis, Pini, Pinaſtri, Piceæ, Laricis admodum ſit ferax. Quod ſi illæ per Gallias, Africam & Latium, oliva atq; cydonia malus, veræ fuere arbores, haudquaquam ex lapide imitatæ, non quidquam prohibet in Rhætiâ, quoque genuinas larices, pinus, abietes, ſimili ratione ſæpe ſtatutas: nec interim abſurdum, ab illis qui perpetuitati, quantum ejus fieri poteſt, conſulebant, lapideos terminos ſtrobilorum formâ poſitos, cum arbores totæ non ſatis commodè ex ſaxo fingerentur: & id præcipuè, qua publico coloniæ nomine fixi, præſignes, & formâ, uti Flaccus ſcripſit, à privatis terminis diſcretâ. Niſi lapides caput aquilæ, caput vituli, quorundam animalium ungues & ungulas (diſcimus ex Latini librorum de terminis reliquiis) præferre potuerunt, ſpeciem ejus fructus, qui per totam provinciam frequentiſſimus, non potuerunt. Nec icunculam in capitulo mirabitur architectonices peritus, varietatis enim lenocinio laudem aucupare ſoliti ſculptores: itaque videmus in capitulis antiquis Romæ ſigilla diverſorum generum, trophæa militaria, copiæ cornua, fulmina, equos alatos, aquilas, gryphes, ora monſtrorum quorundam, deorum etiam capita, denique quid non? Idq; ſive temerè, ſivè certâ ratione: nam cum in Jovis æde, inter acanthi folia, aquilas ad capitulorum angulos, in medio fulmina ſub ipſius dei capite ſcalpſerunt, quid ſpectarint palam eſt: quid in noſtro conſilii fuerit, eo difficilior conjectura, quia parieti adhæreſcit, & unum tantummodo latus conſpicuum eſt, neque an reliqua ſimili formâ ſcalpta ſcire poſſumus. Subdubitandi anſam dedere verba ex Dolabellæ libris, ab iis, qui auctores de limitibus collegere excerpta, *Omnis terminus ab oriente limpidum latus habet, ab occidente roſcidum latus habet*, iſtæ dein ſubjectę figuræ,

Quæ in univerſum, de omnibus terminis vera non ſunt: Dolabella, credo, de aliquo terminorum genere, aut certis provinciis loquutus, eo *omnis terminus* retulit, & oſtendit, ortum verſus os ſolis radiatum, ad occaſum lunam cornutam ſcalpi conſueviſſe.

Quod

Quod si in capitulo de quo quærimus, aversum latus solem habet, imaginem quam cernimus lubens accipiam pro lunâ, quæ sine cornibus frequenter ficta fuerit, & sic qua hîc habuit, vetustate possint conjici detrita : Sin hanc eandem effigiem præfert, simpliciter ad architectorum quæ diximus ornamenta revocabimus. Elegans ejus generis antiquum capitulum Veronæ ad D. Cæciliæ extat, in quo etiam feminæ effigies pectore tenus, inter Amaltheæ cornua, quæ ad angulos excurrunt. Quam religiosè autem terminus coleretur, nihil attinet dicere, ejus rei veterum libri pleni sunt : ex Siculo Flacco tantum ponendi ritum ascribemus, *Cum enim terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant, proximè ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, unguento velaminibusq; & coronis eos coronabant : in fossis autem, quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaq; immaculatâ cæsâ, facibus ardentibus, in fossâ cooperti sanguinem instillabant, eoq; thura & fruges jactabant; favos quoq; & vinum, aliaq; quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossâ adjiciebant, consumptisq; omnibus dapibus igne, super calentes reliquias collocabant, atq; ita diligenti curâ confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent. Tale ergò sacrificium, domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant:* in publico, opinor, magistratus. Et quoniam hac superstitione termini omnes imbuti, odio impietatis à Christianis, cum primum rerum potiri cœperunt, æquè ac Deorum simulachra sublati sunt, Prudentius,

Torellus Saraynarerũ Veron. lib. 2. delineavit.

Prud. in Sym. lib. 2.

——————————lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueverat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rigare,
Frangitur, & nullis violatur terminus extis;
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.

Quæ observo, quo causam aperiam, cur ex tanto terminorum numero, tam pauci ad nos pervenerint. At quamquam hæc fortassis non absurdè disputata sunt, nihil tamen adhuc dictum, cur terminum in urbis symbolum abiisse suspicemur: Nec ego illuc ibam. Verum, si de saxeo cono quæ diximus constant, probabilis de cætero erit existimatio, in coloniæ symbolo easdem causas valuisse. Provincias enim urbesque rerum, quarum maximè feraces sunt, præferre symbola, incredibile dictu quot exempla in medio. Quis nummariam antiquitatem unquam attigit, quin perspectum habeat Africam elephante, aut scorpione, Arabiam camelo, Ægyptum crocodilo, & has omnes, uti etiam Alexandriam, Tyrum atq; Judæam, palmâ, vel palmæ ramo designari? Quis pisces in nummis maritimarum urbium Syracusanorum, Catanensium, Thuriorum, Massilienssium : spicas &

cas & frumenti grana, fertilitatis argumento, in Hiſpaniâ, Africâ, ac plerisq; Siciliæ & magnæ Græciæ urbibus non obſervavit? Propius ad res noſtras Mamertini, Martis capiti (Mars Oſcâ lingua Mamers dictus, ait Feſtus) piceæ fructum addiderunt, quia ad eorũ urbem *ſylva ferens picem optimam*, uti Strabo notavit. Jam cum alpes, & Rhætia reliqua (uti dictum) plurimas coniferarum arborum ſylvas habeat, ac Plinius prodiderit, laudatiſſimam abietem in alpibus & Appennino naſci, eoq; forſan Virgilius reſpexerit,

Feſtus v. Mamers. Str. lib 6. Plin. lib. 16 c. 10. Virg. ec. 7.

——— *Abies in montibus altis,*

Deinde alpina larix Romanis prope miraculo fuerit, quippe quam flammis non obnoxiam, falsò licet, crederent, quod Vitruvius, Plinius, Palladius referunt: Ideo Tiberius, *concremato ponte naumachiario, larices ad reſtituendum cædi ex Rhætia* juſſerit, inter quas fuit ampliſſima arborum ad id ævi Romæ viſa (Plinius memoriæ conſignavit) *trabs è larice, longa pedes CXX. bipedali craſſitudine æqualis. Quo intelligeretur vix credibilis reliqua altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus*: Quid eſt cur dubitemus, quo ſtrobilus in principe provinciæ urbe pertineat? Cauſſæ conjectionem nihilo difficiliorem autumo, quam ſi Tyrum & Alexandriam palmæ ſigno hactenus uti, ſemperque uſas fuiſſe conſtare poſſet: Nam neque nos antiquorum numorum auctoritate deficimur, quos poſtea videbimus. Quin pari de cauſſa M. Aur. Antonini nummus, uti Ortelius acutè obſervavit, abiete Germaniam deſignat, cum Germanicarum ſylvarum vaſtitas veterum ſcriptis celebrata ſit, & Tacitus terram frugiferarum arborum impatientem appellaverit, Strabo neſcio quam illius oram alpibus comparans, ejusdem materiæ feracem dixerit. Nam quod Plinius ſcripſit, in Germanicis inſulis pini lacrymam electrum gignere, fabuloſum. Quæ ſi ſe hoc modo habent, in ſymbolo Auguſtano ſtrobilum tantum conſiderabimus, reliqua parergorum loco ducentes, ſive ſtrobilus columnæ capitulo imponatur, ſicuti elegantiæ cauſsâ vulgo fit: & capituli quidem icunculam turritam fingunt, quo ſi Cybelem hîc olim cultam innuunt, non probo ſi coloniæ, aut etiam provinciæ, illam imaginem eſſe volunt, non valde improbo; etſi malim nihil à ſaxeo termino, aut à nummis, utrumvis ſequi placeat, mutari, quod eam antiquitati venerationem deberi exiſtimem: ſive pediculo inſiſtat minoris operæ, tornatili ſpecie, qualem in nummis aſpicimus, qualemque majores prætuliſſe intelligimus, publicum quippe ſignum, quo Reſpublica etiam nunc utitur, ita ſculpendum curaverunt. Spicæ, quod exemplum laudavimus, etiam non uniusmodi, nunc ſingulæ, nunc plures, ſolutæ, colligatæ, caniſtro extantes, & per ſolum projectæ in

Vitruv. lib. 2 c. 9. Pli. lib. 11. c. 19. Plin. lib. 16 c. 39. & 40. Tac. de Germ. Str. lib. 7. Plin. lib. 37 c. 3.

ctæ in nummis visuntur, cum omnium una sit significatio, frumentariam ubertatem respiciens. Sed operam rectè colloco, si ostendo cum symbolo, symboli quoq; nomen, utut mutilum, à Romanis ad nos perveniſſe. Patrio sermone urbes *Pyr* dicimus, nec eam particulam ullâ casuum inflexione variam⁹, eò pyrum, quod quidam opinati, significare non potest, *Bir* enim, quo pro pyro in recto utimur, in obliquis *Biren* est, adde quod *Bir Biren* fœminino, *Pyr* neutro genere efferimus: & num luscioſi adeo majores nostri, qui pini conum pyrum putaverint? Verius multò, *Pyr* à *Pyramo*, quæ apud Boëtium termini rotundi acuti appellatio, esse reliquum, atque hinc generatim ad symbolum transiisse. Quoniam verò, ut nunc usus habet, insignia non tam rebus, quam certis coloribus constant, quibus & clypeorum, & symbolorum imagines distingui solent, videtur ejus rei initium à Romanorum ævo & moribus neutiquam petendum. Quamvis Romani, & omnis ante Romanos antiquitas, symbolis, quæ signa & insignia dicimus, uti consueverit, quippe nec exercitus sine aquilis, draconibus, vexillis (muta signa Vegetio, ad distinctionem vocalium & semivocalium) neque fere heroës apud poëtas sine clypeorum imaginib⁹, neque signatoriæ gemmæ sine cælaturâ, neque pleræq; urbes absq; symbolis: hæc tamen ad unum aliquod idem præscriptum cum nostri ævi insigniis non exigenda sunt, falluntur admodum qui exigunt, & res, quas ex eodem fonte, naturæ parentis instinctu haustas fatemur, sed alio atq; alio ritu, prout temporum ferebant consuetudines, constitutas fuisse videmus, imperitè confundunt. Quin leges quæ hodie, opinione an certo jure, insignia circumscribunt, ut antiquissimæ sint, Carolum magnum non prævertunt, à quo primum adumbratas, sub Henrico demum Aucupe & posteris, perpolitas arbitror. Fortissimi Imperatores, militarem virtutem, cui toto pectore incumbebant, hoc ornamento honestatam voluere: Vnde clypei & cassidis nata species, nomen quoq;, nam vernaculis quibusq; linguis ARMA appellamus. A militibus, ad reliqua postea hominum genera fluxere, tam effusè, ut cum Europam omnem pervaserint, Asiam usque penetrarint: Vidimus ex Sinis parmulam advectam, in quâ tum alia, tum auro pictum scutum erat, pantherâ conspicuum, scuto incumbebat galea aperto hiatu, cancellis fenestrato, laciniis sive vittis utrimq; dependentibus tecta, supra galeam plumea crista surgebat, prorsus ad Europæum morem. Sive cui credibilius Sinas hæc ab Europæis nequaquam accepisse, quin iis idem quod nobis suâ sponte in mentem venisse; id enim profectò de bellicis tormentis & chalcographiæ arte nulla propemodum verisimili ratione negari potest. Sed nobis in orbitam redeundum. Vti ergo in

Veg. lib. 3. c. 5.

Cæsarum

Cæsarum aquilis Romanas veneramur, etsi alterum caput Constantinopoli serò adnatum, aureum clypei, nigrum aquilæ colorem à Francis aut Germanis esse scimus: Sic certum itidem habemus, coloniam jam olim strobilum prætulisse, ut is viridi, qualem natura ante plenam maturitatem fert, scutum rubro & candido, jucundissimis omninò coloribus exornaretur, longo post tempore instituisse: eaque in re antiquos Germanorum mores esse sequutam, de quibus Tacitus, *nulla cultus jactatio, scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt.* Vt præterea ad colorum significationes diligentius expendendas, ac pleraque strobilorum mysteria, etiam philosophis, & nobili in primis theologo D. Ambrosio celebrata, explicanda digrediar, aut ut fabulam de puellâ à Borea & Pane amatâ in pinum versâ ex geoponicis, somniorum de pino, & strobilis interpretationes ex Artemidoro afferam, utve pino Noëticam arcam hominum servatricem asseram, quod *Gopher* in sacris litteris eo quidam modo interpretati, ut denique varios nucum in medicinâ usus ex Theophrasto, Dioscoride, Galeno conquiram, mihi non indulgebo: neque item, ut de æneâ pini nuce antiqui operis disputem, quæ Romæ in Vaticano visitur, quam nonnulli in fastigio sepulchri Hadriani Imp. stetisse, quidam ineptè prorsus, ex æneâ pinu, honorario Scipionis monumento superesse opinantur; cum nux in multorum pedum altitudinem assurgat, arboris immanis magnitudo animo concipiatur necesse est, quæ profectò, ænea potissimum, omnia totius orbis miracula longo intervallo vicisset; sed hæ nugæ sunt, nec ad res nostras pertinent, nihilo magis quam lapis ille glandis formâ, ut ajunt, Mogontiaci, quem Drusi cenotaphium existimant: aut quod Tacitus de Paphiâ Venere scripsit, *Simulachrum Deæ non effigie humanâ. Continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exurgens, & ratio in obscuro:* aut Herodianus de Elagabalo, *Simulachrum verò nullum Græco aut Romano more manufactũ ad ejus Dei similitudinem. Sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram.* Nos quæ ad urbem pertinent, deinde prosequemur.

Tac. de Germ. Vide Pic. Hierogl. lib. 7. Val. lib. 52. Amb. Hex. lib 4. c. 16. Geop. lib. 11. c. 11. Artem. lib. 2. c. 25. lib. 1. c. 74. Oleaster in genes.

Tac. hist. lib. 2.

Herod. lib. 5.

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Quintus.

ROMANÆ urbis effigies parvas ſimulachraque colonias appellavit Gellius, ut vidimus: Inde uſu venit, ut plerosque omnes ritus, quos Romulus Româ condendâ vel primus inſtituit, vel ut Varronem accipio, ab Etruſcis eſt mutuatus, poſteri in coloniarum collocatione religioſè ſervarent. Eo Varro generatim univerſeq; dixit, *oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo, urbes: & ideò coloniæ noſtræ omnes, in litteris antiqueis ſcribuntur urbes, quod item conditæ ut Roma*: Nos prolatis certorum ſcriptorum teſtimoniis, ſigillatim planum faciemus. Hoc primum: cum Cicero ſcriptum reliquerit, *nihil publicè ſine auſpiciis, nec domi nec militiæ gerebatur*, cõſentaneum fuit rem tantam, quanta coloniarum deductio ſemper habita, auſpicatò aggredi: Varro, *hoc faciebant religionis cauſsâ die auſpicato*: Cicero contra Rullum, *Jubet auſpicii coloniarum deducendarum cauſsâ, Decemviros habere pullarios*: in Antonium, *Negavi in eam coloniam quæ eſſet auſpicatò deducta, dum eſſet incolumis, coloniam, novam jure deduci.* Sed & ſacrificia adhibita: cui rei ara intra ſpatium, quo colonia conſtituenda, ſolemnibus cæremoniis, quas Ovidius explicat, poſita,

Var. de ling. L. lib. 4.

Cic. de div. 1.

Cic. agrar. 2.

Cic. Phil. 2.

Ovid. Faſt. 4.

Foſſa fit ad ſolidum, fruges jaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita ſolo eſt.

Fruges jactæ ubertatis omine: terra de vicino ſolo, terra eſt ex patrio ſolo petita, in patriæ nimirum memoriam, nam Roma à vicinis populis condita.

Foſſa

Fossa repletur humo, terræq; imponitur ara,
Et novus accenso finditur igne focus.

Plutarchus ejus fossæ Romæ in Comitio meminit, quo intelligimus, aram futuræ urbis meditullium occupasse. Dein ambitus aratro circumscriptus. Fidem faciunt permulti colonici nummi, in quibus arantis species, & in promptu aperta Varronis verba, quæ attulimus. Modum Servius ex Catonis originibus minutatim descripsit, *Condituri enim civitates taurum in dextrâ, vaccam intrinsecus jungebant* (futuræ fœcunditatis spe) *cincti ritu Gabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto, loca murorum designabant, aratrum sustendentes circa loca portarum*, ne portæ eâdem qua muri religione consecratæ manerent. Ex Plutarcho & Carminio habeo, vomer fuisse æreum: credo quod æs perpetuitatis symbolum, etsi alias caussas Macrobius profert. Boves albos lectos ex Ovidio,

Plut. Romulo.

Serv. 5. Aen Vibem designat.

Carmin. 2. Italic. apud Macrob. sat. lib. 5. c. 19.

Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

———Vtrumq; circumaratâ coloniâ, cum multis præterea victimis mactatum, Dionysius Halicarnasseus prodidit. Lustratio sequebatur, cujus apud Ciceronem mentio, *In lustrandâ coloniâ ab eo, qui eam deduceret, & cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias deducerent, eligebantur:* Bona nomina, ex quibus faustum omen ducitur, qualia apud Festum *Valerius, Salvius, Statorius*. Lustrationis hic ferme ritus. Hostiæ majores, taurus, aries, verres, circum condendæ urbis spatium ter ducebantur, eas Sacerdotes, Triumviri, & coloni fausta ominantes sequebantur, primus deinceps Triumvir, aut is cui sors obtigisset, sic enim de Censoribus Varro, *inter se sortiuntur, uter lustrum faciat*, Jovem, Martem, Vestam, Deum vel Deam, in cujus tutelâ colonia, Deosq; reliquos conceptis verbis veneratus, ad aram immolabant. Nam circuitum verbi etymon exprimit, siquidem lustrare circuire est, quod Nonius notavit: inde ab urbis ambitu dictum Amburbium etiam, pari significatione, Vopiscus, *Lustrata urbs, cantata carmina, Amburbium celebratum*; neque non Lucanus utrumque nomen, qua poëtæ licuit, conjunxit,

Dionys. lib. 1. Cic. de div. 1.

Fest. v. lacus Lucrinus.

Var. lib. 5. de ling.

Non. c. 4. v. Lustrare.

Vopisc. Aurel. Luc. lib. 1.

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & festo celebrantes mœnia lustro &c.

Ternarius numerus ex Dionysio est, qui in lustro Romano servatum ait, Virgilius in Ambarvali,

Dionys. lib. 4. Virg. georg. 1.

Terq; novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socii comitentur ovantes.

Quorum versuum posterior, vulgus hostias faventibus linguis

comitatum confirmat: de sacerdotibus, ratio vincit multo magis, & Lucanus in Romano Amburbio sacerdotum seriem bene longam, per collegia distinctam, civibus conjungit. *Cantata carmina* Vopisci, *chorus & socii ovantes* Virgilii, fausta omina sunt. Hostias Amburbiales dictas Paullus ex Festo habet. Majores, exemplo Romani lustri scire possumus: cum Ambarvalibus contra lactentes immolatas Cato fidem faciat, etsi Servius, *sæpe de porcâ fœcundâ & gravidâ fieri* consuesse scripserit. Suem, ovem & taurum mactatos, testes Festus & Asconius; unde quoq; Suovetaurilia majora appellata, quemadmodum in Fratrum Arvalium monumentis legimus; Festus & Valgius maluere Solitaurilia. Jovi, Marti, Vestæ & Diis tutelaribus supplicatum quod dixi, Ovidium (Dionysius & Lucanus Martis tantum meminere, nec enim omnes omnia exprimunt) sequor, apud quem Romulus,

Paul. v. Amburbiales.

Cato de re rust. cit. 141 Serv. 1. georg. Felix cat hostia.

Fest. v. Solitaur. Ascon. in divin. Fratr. Arval. inscript. 12 ap. Vrsin. Valg. de quæs. per ep. ap. Charis. lib. 1. Ovid. 4. Fast.

——Condenti Juppiter urbem
Et genitor Mavors, Vestaq; mater ades,
Quosq; pium est adhibere Deos ——

Postremis verbis tutelare numen comprehensum interpretor, cujus neque præteritio in hoc sacrificio ferenda, nec nomen ex Pontificum disciplinâ enuntiandum, nisi nos à Plinio, Plutarcho, Macrobio fallimur. Inde tot aræ inscriptæ Tutelæ urbium & Geniis, nullo expresso nomine, sic & Tertullianus, *ille mihi Deos suos, vel coloniæ Genium propitios imprecetur.* Atq; eâdem precatione, censeo, coloniæ nomen inditum, nam non loco, non tempore commodiore fieri poterat. Exemplo etiam persuadeor: lustricis diebus lustrabantur infantes, quibus nomina accepisse, Suetonius, Festus, & Macrobius referunt, Tertullianus inde solemnitatem nominalium appellat. Præeunte autem sacerdote solemne carmen, Triumvir aram tenens, præfatus Janum, cui, ait Servius, *consecratum est omne principium*, ideoq; mos, quem Ovidius tangit, obtinuit,

Plin. lib. 28 c. 2. Plut. Problem. Macrob. Sat. lib. 3. c. 9. Tertul. de Idolol.

Suet. Ner. c. 6. Fest. P. Lustrici dies. Macr. Sat. lib. 1. c. 16. Serv. 1. Aen. Foribus cardo strid. Ovid. 1. Fast.

——Quamvis aliorum numina placem.
Jane tibi primum thura merumq; fero.

Deos inde quos diximus, hisce verbis obsecrasse creditur: Te Juppiter Opitule Stabilitor, Marspiter Quirine, Vesta Mater, seu queis aliis nominibus appellari voltis, Et te, sive Deus, sive Dea es, in cujus tutelâ hoc solum, vos cæteros item Deos Deasq; immortales omnes precor, quæso, obtestor, utei sitis volentes propitii: Quæ à me, collegisq; meis gesta sunt, geruntur, postq; gerentur, ea Imp. Cæs. Divi, F. Augusto P.P, Pontif. Max. conjugi, liberis, gentiq; ejus, Pop. Rom. Quiritibus & Decurionibus, Colonis, Incolis Coloniæ Augustæ Vindelicorum agriq; Augustani Vindelicorum, intra regionem & fines, quos me sentio dicere, uteiq;

uteiq; rectissimè sentio, conjugibus, liberis, familiisq; eorum, bene verruncent, vos omnia salva servassitis, sicut velim ea salva servata sint, bene juvetis, prosperetis, bonis auctibus auxitis: Viduertatem, vastitudinem, famem, morbos, pestilentem, intemperias, calamitates, vim, populationem hostilem & obsidium, prohibessitis, defendatis, averruncetis: Perduelles terrore, fugâ, squalitate, miseritudine, morte afficiatis, eorum ulciscendorum copiam faxitis. Harumce rerum ergo, coloniæ agrique lustrandi, lustriq́ue faciundi ergo, macti hisce Suovetaurilibus majoribus immolandis estote. Augustæ nominis observatio tacitè non transmittenda. Scio quibus urbibus conditores, quod eas florentes, potentes, valentes & pollentes futuras aut sperarent aut optarent, inde nomina indidêre, at augustum, auspicatissimis quibuscumque grandius sonare & sanctius, palam est. Majestatem eo æstimare possumus, quod maximus principum, diserti oratoris consilio, eruditissimo sæculo, *Augustus, quasi hominis naturâ amplior*, inquit Dio, *cognominatus est: Augusta enim ea, quæ honore dignissima ac sanctissima sunt, dicuntur.* Dio lib. 53

Neque me interim præterit, eâ urbes esse conditione, ut non primigenio, sed derivato ab Octaviano honore, hoc nomine fuerint insignitæ: Verum inter præcipuas dignitates id ipsum censum, Octaviani præcipuè ætate, cum quorundam postea licentia, nimium multum in hoc genere sibi indulserit, utrumque Dionis fide, *Paphiis terræmotu afflictis, largitus est* (Augustus) *jussitq́; ut urbem Augustam nominarent. Id non eò à me refertur, quasi non aliis quoq; urbibus multis, prius ac postea, in simili infortunio Augustus ac Senatores auxilium tulerint, quas si quis omnes enumerare velit, res in infinitum se extenderit: sed quod cognomina etiam urbium honoris caussâ Senatus eis imposuit, & non, quod nunc fit, ipsæ sibi nomina quotquot vellent delegerunt.* Dio lib. 54.

Paphus anno, quo colonia nostra condita, instaurata est. Nec Virgilius hunc imponendæ concedendæq; appellationis morem annotare neglexit, Virg. 5. Aen.

Vrbem appellabunt, permisso nomine, Acestam,

Vt verò Augusti nomen honoris ergò inditum, sic contra contumeliæ pœnæq́; aliquando ademptum, cujusmodi Agrippæ exemplum apud Dionem, *cum multos milites amisisset, multos propter rem male gestam ignominiâ notasset, nam præter cætera, totam legionem quæ Augusta vocabatur, eo nomine uti prohibuit.* Dio lib. 54.

Jam illud ab aliis observatum, nullam dubitationem habet, quæcumque urbes Augustæ à populis cognomina accepere, quemadmodum Taurinorum, Veromanduorum, Rauricorum, multis præterea, inprimis Vindelicorum aut Rhætorum Augustæ accidit, istorum eas populorum principes fuisse & capita, uti Æduo-

Tac.An.3. rum Augustodunum appellat Tacitus. Visum verò memorabile, ex innumeris prope hujus ordinis, quarum splendore plerasq; provincias Octavianus illustravit, unam Vindelicorum superesse, quæ nomen non mutaverit, & coloniæ dignitatem post tot sæculorum ætates adhuc tueatur: Cum reliquæ quotquot fuere, omnes aut perierint funditus, aut nomine, aut libertate, aut utrâq; re mulctatæ fuerint. Subvereri interdum soleo, ne, quæ disserimus, parum propria & accommoda argumento instituto videantur: Quod quidam liberâ Rep. non multo aliter habuisse, ritusq; quos protulimus servatos, fortasse consentiant, sed non perinde opinentur ad Augustum referendos, cujus ævo pleraque veterum instituta sint perversa, leges contemptæ. Rursus alii neque antea quidem colonias, quæ in vetera oppida ducerentur, circumarari consuevisse, sed eas tantum, quibus nova ædificabantur, quod Cato scripserit, *Qui urbem novam condit, tauro & vaccâ aret, ubi araverit, murum faciat.* Utrisque occurrendum: nostrâ enim interest, quæ scribimus vera & solida videri, uti sunt, non ad inanem speciem & ostentationem conformata. Priores, quod Reip. formam versam ajunt, nihil errant, palam est sub Julio & Augusto imperium à pluribus ad unum migrasse: Verum publicas privatasq; consuetudines, præsertim condendarum coloniarum rationes, idcirco immutatas, quî fit consequens? Nemo unus Augusto antiqui moris retinentior, ut Suetonius observaverit, *etiam habitum vestitumq; pristinum reducere* studuisse: In religione superstitioni quam neglectui propior, neq; omina & auspicia, neq; somnia vel sua, vel aliena de se neglexit, & cæremonias *veteres ac receptas reverentissimè coluit.* Atqui quæ circa coloniæ deductionem fiebant, ad religionem pertinuisse vident omnes: Nihil ergò caussæ, cur quas jure optimo deductas voluit, aut non auspicatò deduxerit, aut non circumaraverit, aut non lustraverit, in iis denique eorum quæ enumeravimus minimum aliquid prætermiserit. Posterioribus Varro satisfacit, quem asserentem audivimus, colonias omnes urbes dici, quod eo quo Roma modo sint conditæ: cum uno verbo omnes comprehenderit, fieri non potest, ut quæ in vetera oppida missæ, quæque novas numero longè superabant, excluserit. Adde quod Berytum, Cæsaraugustam, alias quasdam, antequam coloniæ fierent, diu stetisse exploratum habemus, quarum tamen nummi nihilominus boves junctos cum aratro, pone nescio quem stivæ innixum præferunt, & circumactionem perspicuè significant. Nec istud Cato convellit: ut scriptum reliquerit, quo ritu novæ urbes condendæ sint, non indicavit, eo uti nefas esse, deducendis coloniis in oppida jam extructa: Quin si nomen presse accipimus, & in Varronis etymologiam intuemur, hæ quoq;

Cato apud Isid. lib. 15. c. 2.

Suet. Octav c. 40.

Suet. Octav c. 90. 91. 92

quoque novæ urbes ſunt, ideo uſus obtinuit, ut coloniæ in antiquiſſima oppida miſſæ, non minus condi dicerentur, quam quibus nova à ſolo & fundamentis fuere exædificata: ſic Apulejus, cum Madauram Syphacis oppidum appellaſſet, novo dein conditu, coloniam evaſiſſe ſubjunxit. Vno differebant vetera, muro jam antea uſa, quod is in ſulco noviter ducto ſtatui non poterat, ſed aratrum vel muro applicitum, vel proximè pomœrium circumactum exiſtimo: ſin muro carerent, nam quædam aggere tantum, aut ſi forte vallo munita (hæc de Vindelicâ fama manet, etſi vetuſtate obſcurior) mœnia ex ipſo ſulco excitabantur, prorſus ad eum modum, quem Cato præſcripſit. Apul. apol. 1.

Primum coloniæ ambitum ut tamquam radio deſcribam, nemo exiget, ejus enim memoria cum veterum mœniorum veſtigiis deperdita: quæ mediâ prope urbe murorum reliquiæ à S. Crucis ad Marianam portam, & hinc ad D. Ægidii ſuperant, Auguſti ævum longo intervallo non attingunt: quique conjecere muros ab Ægidii, per clivum, cui hinc nomen *Maurberg* manſerit, ad turrem, quam Regiam appellant, inde per forum olitorium, ac per depreſſum vicum, Valleculam ex re dictum, ad S. Crucis portam rurſus pertigiſſe, Triumviros hoſce fines circumſcripſiſſe, nimis tenuiter de ampliſſimâ coloniâ, tot ornamentis inſtructâ ſentiunt: Commodius ſenſuri (fuerit is aliquando ambitus) ſi poſterioribus temporibus tribuere maluiſſent, quibus, collabente imperio, & afflictis provinciarum præſidiis, multarum urbium cives, munitiones quo facilius tueri poſſent, in arctum contraxêre, ſi occaſio ferret, iterum ex porrecturi. Quod & noſtrâ ætate Romæ accidiſſe ſcimus, cum nonnullis locis novo opere urbs muniretur. Inter Marianam quam diximus portam, & novos muros, tot antiquorum ædificiorum rudera effoſſa vidimus (neq; plura ullibi) ut id ſpatium ad coloniam olim pertinuiſſe, nihilo magis quam de coloniâ ipsâ ſit ambigendum; Et ſi profectò D. Vdalrici ætate, qui anno Chriſtiano C M L X X I I I. obiit, urbe neutiquam fuerit comprehenſum, annales enim eum templum S. Stephani *non longè à civitate* conſtruxiſſe memorant, quod nunc intra muros eſt, & hoc ipſo ſpatio, quod coloniæ tribuimus, continetur. Momentum adjicit D. Galli ædicula (hoc nomine nunc celebris eſt, cum antiquum ignoremus) quam omnium primam Chriſtianis ſacris Auguſtæ dicatam, multorum ſæculorum conſentiens fama prodidit, ea longè extra interiorem ambitum, proximè novos muros poſita. Id non negaverim, qua ſe urbs in meridiem erigit, aliquantum ultra veterem modum eſſe porrectam: argumento etiam, quod id loci, ubi SS. Vdalrici & Afræ templum jam viſitur, Chriſtiani ſepulcra (aream aut cœmeteriũ, antiquis

antiquis ecclesiæ vocibus, appellemus licet) Diocletiani ætate habebant, cum in civitate sepelire neq; per XII. tabulas, neque per Imperatorum rescripta liceret. Item aliis sæpe locis pro rerum temporumq; rationibus sive promotam sive contractam fatendum. Porrò quoniam circumaratione, & cæteris illis ritibus coloniæ constituebantur, ratione factum, ut natalem inde auspicarentur. Et quamquam paucis omninò certum originis diem assignare possumus: nam præter Brundisium, quam Non. Sextil. conditam ex Cicerone intelligimus, Bononiam, quam III. Kalend. Jan. ex Livio, Placentiam Prid. Kal. ex Pædiano, & ipsis Kal. Jan. Saticulam ex Festo, nescio num aliæ litterarum monumentis consignatæ: unum tamen Brundisinorum exemplum, cujus Cicero meminit, dubitare nos non patitur, quin & reliquæ natalem sanctum celebratumq; habuerint, ac Romana Palilia aliqua ex parte fuerint æmulatæ. Vt in nostrâ ex obsoletâ antiquitate eruere, & ad fidem queamus constituere, metuo: at ne qua susceptum munus destituam, quærere & indagare pulchrum existimo. Repetamus ergo animo, Rhætici belli exitum in Kal. Sextil. incidisse, videtur consequi deductionem ante proximam hyemem maturatam, medium autumnum huic curæ impensum. Ac cum vulgatâ famâ, aliquibus etiam monumentis testatum sit, IV. Kal. Octobr. ex omni memoriâ religiosè Augustæ cultas, quid est cur non hæc potissimũ coloniæ encænia suspicemur? Incidunt in LIX. diem à Kalend. Sextilib. quem Cisæ sacrum tertii libri fragmentum monuit: Vti pleraq; reliqua narratio, ita fortassis hæc pars, veri istud refert vestigium, etsi perturbatum & confusum. Perspeximus Kalend. Sextilium annotationem haudquaquam inanem fuisse, quantumvis fragmenti auctor ad frivolam fabulosamq; narrationem detorserit) eo minus erit, ut LIX. dierum numerum, accuratè adeò proditum, ex vano haustum adducar credere. Nam quod postea princeps ecclesia eo die Christiano cultui dedicata, certo consilio factum autumo: Fuit jam olim in more positum, superstitiosos Deorum cultus, substitutis Christianis cæremoniis, quæ priorum loco in vulgi oculos incurrerent, publico consensu abrogare, sive verius expiare. Cujusmodi, si res postulet, multa suppetant exempla. Hîc piâ prudentiq́ue cogitatione, quæ sacra Jovi Regi, Terræ matri, & Genio coloniæ fiebant annuè, in Deum Opt. Max. Virginem matrem, & Spiritus cœlestes tutelares, quibus omnibus ecclesia sacrata est, sanctiori ritu versa interpretor. Quin & ludos, qui equorum decursu celebres ad nostram ætatem prope urbem duravere, ab usq; Coloniæ constitutione eâdem occasione originem ducere existimaverim. Nisi conjecturis plus æquo indulgeo, quod mihi quidem non videtur.

Ex XII. tab. Cic. 2. de div. Imp. Hadr. ab Vlp. D. lib. 47. tit. 12. l. 3. Impp. Diocl. & Max. C. lib. 3. tit. 43. l. 12.

Cic. ad Attic. lib. 4. ep. 1. Liv. lib. 37. Pæd. or. in Pis. Fest. v. Satic.

detur. Mœnibus delineatis, ſequebantur platearum directiones, ędium ſacrarum, fori, & reliquorum locorum, quæ ad publicum uſum pertinent deſignationes, arearum privatis domibus ædificandis diviſiones. Quæ quia natali abſolvi omnia nequivere, in poſteros dies rejecta ſunt. Viæ (nam reliquiæ indicio ſunt) *ſilice in urbe, glareâ extra urbem* ſtratæ, ad Romanum exemplar, quod ex Livio cognoſcimus. Earum cæteroquin rationem, ut nunc res habet, nullam inire poſſumus, formâ urbis (quod Livius Romæ quoq; poſt bellum Gallicum inſtauratæ, accidiſſe ſcriptum reliquit) occupatæ magis quam diviſæ ſimili. Sive prior urbs nullo certo ordine ædificata, curam vicos dirigendi non admiſit: Sive, quod vero propius reor, quæ â conditâ coloniâ multa & fœda ſequuta ſunt incendia, bella, vaſtationes, & ipſe tot ſæculorum curſus, priſcam deſignationem ita immutavêre, ut ejus vel nulla, vel obſcura, nec agnoſcenda veſtigia ſuperſint. Ad ædificia quod ſpectat, in publicis interdum à coloniis non res tantum, ſed & appellationes ad Romanum exemplar conformatas animadverto, ſive dominæ urbis imitatione, & ad ejus quodammodo præjudicium, ſive tacito naturæ inſtinctu, quo ad patrii ſoli memoriam omnibus modis revocamur. Sic Helenus apud Virgilium,

Liv. lib. 41.

Liv. lib. 5.

Virg. Aen. 3.

——— parvam Trojam, ſimulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Conſtituit, & Æneas,

——— hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Eſſe jubet. ———

Virg. Aen. 5.

Inde eſt, quod in quibusdam coloniis campum Martium, & neſcio quæ hujus generis reperimus, ſed frequentiſſimè Capitolia: nam Capitolia habuiſſe illuſtres urbes Capuam, Beneventum, Nolam, Pompejos, Ravennam, Brixiam, Florentiam, Mediolanum, Carthaginem, Conſtantinopolim, Nemauſum, Toloſam, Narbonem, Auguſtodunum, Treveros, Santones, Agrippinam, locupletes teſtes prodidere: Neque nos eo ornamento deſtituti, meminere Capitolii Auguſtani acta Afræ martyris ſemel atque iterum. Quâ urbis regione ſteterit, nullis ſuſpicionibus aſſequor, niſi quod ſummam, Vitruvii auctoritas tuetur, *Ædibus verò ſacris, quorum Deorum maximè in tutelâ civitas videtur eſſe, & Jovi, & Junoni, & Minervæ, in excelſiſſimo loco, unde mœnium maxima pars conſpiciatur, areæ diſtribuantur:* In Capitoliis quippe cum conjuge & filiâ cultus Juppiter. Vnde ad Capitolium primam noſtrarum inſcriptionum pertinuiſſe autumo, Jovi optimo maximo, æterno, conſervatori, & cæteris diis deabusque ejus loci, à neſcio quo Præſide provinciæ Rhætiæ dedica-

De lap. capit. Suet. Tib. c. 40. Cajo. 57. Benev. Id. de gram. Orbilio. Nol. Ado. martyr. 14. Jan. Pomp. Vitruv. lib. 3. c. 2. Raven. Rub. hiſt. 1. Brix. acta SS. Fauſt. & Jovitæ. Flor. & Med. Borgin. orig. Flor. Carth Cyp. ep. 55. & de lapſ. Conſtant. Gyl. Top. lib. 3. c. 7

tam,

Nem aús. Pold. antiq Nem. c. 16. Tolo. Greg. Tur. de glor. mart. cap. 48. Narb. Sid. de laud. Narb. Augustod. Eun. paneg. Trev. vitâ S. Tyrsi. Sant. Pith. adverſ. lib. 2. c. 18. Agrip. nomẽ adhuc manet. Vitruv. lib. 1. c. 7. Arnob. lib. 4. Varro de ling. lib. 4. Hier. de locis Hebr. & comment. in Iſ.

tam, ut ego quidem lego. De filiâ Arnobius, *Nonne vides in Capitoliis omnibus virginales eſſe ſpecies Alinervarum?* de patre & Junone conjecturam à Romano mutuamur: hinc Varro auctor, Capitolium vetus (diverſum à Capitolio Tarpeji montis) nomen accepiſſe, *quod ibi ſacellum Jovis, Junonis, Alinervæ,* & ad hoc exemplar in Auguſtodunenſi, ut eſt apud Eumenium, aras habuere *Jupiter pater, & Alinerva ſocia, & Juno placata.* At quamvis Capitolium Romæ multa comprehenderit, Arcem, Aſylum, Curiam Calabram, Romuli caſam & pleraq; templa; unum tamen inter hæc Jovis Capitolini à Tarquinio Priſco votũ, à Superbo exædificatum, ita enituit, ut Capitolii nomen ſæpe ſolum ſuſtinuerit, quod, qui antiquos ſcriptores attigerit, non eſt negaturus. Eâ ratione in reliquis urbibus, Capitolium fortaſſis interdum arcem complectebatur, eò S. Hieronymus Babyloniæ arcem Capitolium vocavit, ſed id neutiquam perpetuum, nec ſcio an in noſtro verum: de templo certè primario & maximè ſplendido, ubi ubi Capitolii nomen occurrit, dubitare non poſſumus, tum quod ſcriptores, quorum ad oram nomina hoc indicant, ex quibus Eumenius in panegyrico, Apollinis templum atque Capitolium Auguſtoduni, appellat *fana longè omnium in hac urbe pulcherrima*, tum quod concilium Eliberi habitum, prohibet, ne quis *ad Idolum Capitolii ſacrificandi cauſsâ aſcendat:* S. Zeno, Judæorum Synagogas, & gentium Capitolia Chriſtianorum eccleſiis comparat: & ad Auguſtanum ut accedens ſacrificaret, Gajus judex Aſram hortatus eſt: Neque aliter Saturninus Apollinarem martyrem Ravennæ, uti acta habent notæ vetuſtatis; quæ eo libentius exſcribo, quod de templo, ejus ſplendore, Jovisque cultu dicta, ſimul confirmant, *An ignoras ſacrum nomen Jovis, qui magnus eſt habitator Capitolii urbis hujus, cui te oportet ſupplicem fieri? B. Apollinaris reſpondit: Quis ſit ille habitator neſcio, nec templum ejus novi. Pontifices dixerunt: Veni ergo, & vide magnificum ſanum, mirificeq; exornatum, videbis illic invictiſſimi Jovis ſimulachrum.* Extra Capitolium ædes ſacræ præterea aliæ, quarum non omnium memoriam intercidiſſe, inſcriptionibus, quæ hos commentarios ſequuntur, debemus. Silvani templum, cum ſigno vetuſtate collapſum (quod ex illis cognoſcimus) Sext. Attonius Privatus reſtituit: Plutoni & Proſerpinæ ædem Flavia Veneria Beſſa, viſu monita ſtatuit: Mercurio, cujus ſedes à tergo ejus inſcriptionis fuere, Appius Claudius Lateranus votum ſolvit, item M. Baſſinius Vitalis: Marti Criſpus Rhæci filius: Marti & Victoriæ, contubernium Marticultorum: Diis Deabusque omnibus, Adjutorius Romanus. Quamquam marmora, quæ votum ſolutum tantummodo indicant, ad templa pertinere affirmatè non dixerim, quod

Concil. Elib. can. 59. Zeno ſerm. de ſpirit. ædif. dom. Dei.

Vide inſcript. Auguſt. parte 1.

quod vota persæpe, positis simulachris loco non sacro reddita. Ædis incertæ nescio cujus, nomen enim temporis injuriis concessit, cum suis ornamentis, meminit Antonii Æliani lapis: De Cisâ suspiciones in medio: Veneris aliquod delubrum extitisse, Afræ historia innuit: Augusti, Suetonii verba; *Provinciarum pleræq; super templa & aras, ludos quoq; quinquennales pæne oppidatim constituerunt*, nam inter plerasq; has provincias, eæ sine controversiâ imprimis numerandæ, quæ etiam totas civitates Augustæo nomini dicatas habuere. Sed templa profectò complura alia, deperditis jam nominibus, partim cum coloniâ nata, partim sequentibus temporibus constituta sunt. Situm vix scio an ullius rectè indicabimus. Viam eò munirent lapidum inscriptiones, si quibus locis singulæ erutæ, annotassent majores, nunc eo auxilio deficimur. Mercurius tamen credo in foro cultus, sententiæ Vitruvium auctorem habeo: qui, quod Martis & Veneris fana extra urbem, Hetruscam disciplinam sequutus, collocat, video ejus ne Romæ quidem semper rationem habitam. Plutonis & Proserpinæ haud procul à Salvatoris templo stetisse, visum aliquando, argumento arulæ illiteratæ exiguæ, in proximo Societatis Jesu collegio erutæ; memineram Vitruvium Jovi, omnibusq; cœlestibus excelsissimas præscribere, humiles Vestæ, Terræ, Mariq;, inde humillimas inferis tribuendas procul dubio censebam. Sed quam ancipites & incertæ hariolationes istæ, nec ignoro, nec diffiteor. Ineptè etiam quidam, quoniam Silvano lacte factum legerant, in lacticiniorum ei foro quod nunc est, locum dedere. Fori colonici area statim à principio designata, ad eadem maximam Virginis genitricis, nisi nos vestigia quæ odoramur decipiunt. Occupasse censeo, cum spatium quod id loci ad orientem solem hodieq; patet, tum quidquid ædi post primam constitutionem ex eâ parte adjectum, Magni operis ædificium intelligo, quod ab alterno divinarum laudum concentu chorum, ab ætate novum, cum vulgo dicim⁹. Favet Vitruvius, qui foris media urbe locum tribuit: multò validius fama vetus, cujus fidem persæpe nugis & fabulis intermixtis dubiam, rarò ex toto vanam mendacemq; expert⁹, qua ferri potest, nunquam elevare consuevi: narrat hæc, ubi nunc ædes est, stetisse Romanis temporibus Xystum, amplamve porticum, ego basilicam interpretor, in quâ magistratus jus dicerent, & mercatores maximè per hyemem convenirent; nam *basilicarum loca adjuncta foris*, ex Vitruvii præscripto scio, quem in architectonico argumento sæpius laudare necesse habeo. Et quidni fuerit basilica porticus, quam basilicarum dimensionibus constitisse ex vestigio colligimus? Siquidem chalcidicum novum (chorum appellavimus) & extremas utrimq; testudines (cum ædes quin-

Suet. Oct. c. 60.

Vitruv. lib. 1. c. 7.

Vitruv. lib. 4. c. 8.

Vitruv. lib. 1. c. 7.

Vitruv. lib. 5. c. 1.

cuplex sit) latitudine inter se haud quaquam consentientes, cogitatione paullisper sejungimus, harum enim symmetriæ vitium, certo mihi argumento, à Romanis non esse. Reliquæ interiores tres, simul junctæ, duplam longitudinis ad latitudinem proportionem habent, & mediana, triplâ fere latitudine singulas laterales excedit: ad occidentem in hemicyclo, ubi jam Episcopi solium lapideum, tribunalis locus. A quibus rationibus nihil dissentiunt basilicarum ichnographiæ, in architectorum libris deformatæ. Verum, etiamsi areæ circumscriptio convenit, absurdè tamen, quisquis æstimat testudines tres interiores, quas diximus, cum Romanam architectandi rationem neutiquam referant, ex basilicâ supereſſe: ferri possit, quod quidam probabilius conjecêre, supereſſe ex eâ pilas quadratas, sive columnas Atticas lapide structas, utrimque octonas aut novenas, quibus fornices incumbunt ad dimidiam circinationem arcuati, medianam testudinem sustinentes; nam antepagmenta lateritia pilis adpressâ, hinc medianæ, lateralibus inde testudinibus subservientia, postea accesêre, quod apertum est, cum per ipsa epystilia hac de causâ incisa excurrant: Reliquam basilicam omnem dudum disjectam, ejus fundamentis eccleſiam inædificatam existimamus, exterioribus porticibus jam tunc, at longo post tempore chalcidico, adjectis, cum de chalcidico ex annalium monumentis constet. Quod enim Christianis usibus eccleſiæ in longũ porrectæ etiam antiquitus aptæ viderentur, cujus rei testimonium Apostolicæ constitutiones dicunt, *sit ædes oblonga, ad orientem versus navi similis*, subinde accidit, ut vel basilicę, utpote hac formâ, in eccleſias verterentur, quo fortasse Ausonius respexit, *Basilica olim negotiis plena, nunc votis:* vel eccleſiæ dirutarũ basilicarum spatia occuparent. Et hinc potissimum manasse crediderim, quod maximis & amplissimis quibusq; eccleſiis id nomen passim inditum: quamquam Isidorus, & quidam sacrorum rituum interpretes, aliam appellationis causſam assignant. Num quæ præterea veteris basilicæ reliquiæ extent, diu multumq; vestiganti, occurrit frustum columnæ striatæ in proximo episcopii atrio, crassitudine diametri duorum pedum cum quadrante circiter, quod inde esse conjiciebam: ejus altitudinem ad Corinthium genus æstimantibus, scapus columnæ cum basi & stylobatâ, cumq; capitulo, epistylio, zophoro & coronâ, in triginta sex pedes assurrexerit, aliquanto minus, si ad Doricas, aut Ionicas, aut etiam Hetruscas dimensiones vocemus. Quia verò Vitruvius ostendit, basilicas supra contignationem columnas habuisse inferioribus minores, hanc superiori ordini tribuo, Atticis quippe illis longè graciliorem. Conjuncta deinde foro ærarium, carcer, curia: de ærario & carcere nihil præterea affero, nisi cui

Clem. Apost. constit. lib. 2. c. 57.

Ausſ. orat. ad Gratiã.

Isid. orig. lib. 15. c. 4. Ammal. lib. 3. c. 2. Walfrid c. 6. & 7. Io. Steph. Durant. lib. 1. c. 1.

Vitruv. lib. 3. c. 2.

cui tamen credibile, monetæ officinam, quæ proximè ædem maximam ſtetit, ad annum usque abhinc centeſimum quinquageſimum plus minus, ærarii locum occupaſſe. Curiam profectò in vicinià ad turrem Regiam fuiſſe, prodidere majores, & eo argumento conjecturæ de fori regione minus pœnitet. Hanc ipſam turrem (reperio aream id loci inædificandis ædibus, tradidiſſe beneficii nômine, Othoni Bogenario Auguſtano civi Gottefridum comitem Hohenloënſem, anno poſt Chriſtum natum MCCXLVI. IV. K. Septembr. Conrado *illuſtri, Romanorum in Regem electo* coram, uti in litteras relatum, quib⁹ ſcribendis Henricus Velſerus teſtis affuit) hanc inquam turrem, ſunt qui Romanum opus opinentur, nec ejus rei præter vetuſtatis ſpeciem indicium ullum habent: mihi Germanicum aut Francicum, aut ut vetuſtiſſima ſit, Gothicum ſapit, & vel Theodorici, vel Pipinorum & Carolorum tempora ſubolent. Curia ubi nunc eſt, Prætorium, Præſidum antiquitus uſui paratum, fuiſſe certis rationibus perſuadeor, atq; ita interpretor, quod in vetuſtis tabulis *Amthaus* appellatur. De thermis & amphitheatro non certus index, non ſatis clara indicia ſuperant, argumentis in ſuſpiciones trahimur: nam ut tunc mores erant, illæ ad lavandi uſum voluptatesq;, iſtud ad oblectamenta ſpectaculorum propemodum neceſſaria: Et paucæ ſine utrisque coloniæ, tenuiores dico, ne de maximâ florentiſſimaq; ambigamus. Salvianus epiſcopus, qui ſe vixiſſe oſtendit quo tempore *Romana Reſpublica vel jam mortua, vel certè extremũ ſpiritum* agebat, in theatra & ludos aſperius invectus, diſertè ait, illas ſolas ludis carere urbes, quæ vel in barbarorũ poteſtatẽ redactæ, vel miſeriâ & egeſtate ita attenuatæ, ut faciendis ſumptibus vires non ſufficiant; ſupereſſe tamen in his adhuc *loca ipſa, ac diverſoria ludicrorũ*, hoc eſt theatra; quam ego nunc vocem generatim capio. Ante non multos annos, in hortis ad D. Stephani quibusdã, ſcrobe altitudine trium aut quatuor pedum forte effoſsâ, detectum apparuit pavimentũ teſſellatum ſectile egregii operis, in quo quadratis ſpatiis delineati gladiatores, aſcriptis nominibus, bigæ, metæ, alia id genus, ut ſatis appareret ædificio ſplendido, qualia in opulentis urbibus, homines præpotentes & perdivites, ad luxum atque magnificentiam comparare ſolent, inſeruiſſe, hoc cum per aliquot menſes nivib⁹, gelicidiis & omni hyemis injuriæ, magno antiquitatis neglectu ſub dio patuiſſet, terrâ iterum eſt obrutum: Mihi aliud ex alio cogitanti, in mentem venit, thermarum videri poſſe veſtigia, ſed rei incertæ certus eſſe auctor nolim, etſi probè cognitum habeo, balnearum loca omni ornamentorum genere, pavimentorum inprimis, fuiſſe veſtita; & memini apud Plinium legere, Agrippam in thermis, quas Romæ fecit, pavimenta novo invento,

Salv. de provid. lib. 4. & 5.

Plin. lib. 36 c. 25.

ex humo etiam in cameras transtuliſſe. Amphitheatrici cadaveris nec oſſa conſpici, non velim quisquam nimis miretur: quot eâ fortunâ Romanæ urbis monumenta, inſanis ſumptibus in ſpem æternitatis ſtructa, præ quib⁹ quid fuerint ædificia coloniæ, quantumvis ſplendidæ? Pleraq; ſenium ſolvit, nam & ſaxis ſua mors imminet, multa ſubruerunt manus inimicæ, quædam amicæ: En amphitheatra, Placentinum Vitelliano bello, Tacitus teſtis, obſeſsâ urbe incenſum conflagravit: altâ pace Catanenſe, Theodorici Regis conceſſu (reſcriptum in Caſſiodori variis legitur) reficiendis mœnibus impenſum. Et ſcio hanc frugalitatem pluribus antiquis operibus fuiſſe exitio. Lapideorum tamen membra, quamquam alio translata, formâ quadantenus agnoſcendâ manſere, lateritiorum neutiquam. Quæ meo animo cauſſa inter primas, cur pauca veterum ædificiorum fragmenta Auguſtæ poſſimus oſtendere, plura alibi, in quibusdam minoris rei & famæ urbibus. Cum enim in propinquo lapicidinæ nullæ eſſent, lapides magno conſtitiſſe verum eſt: à colonis itaque (etſi impenſæ cum uſus ferret non pepercíſſe, & pilæ ex baſilicâ reliquæ, & columna ſtriata, præter alia indicant) factum prope neceſſariò, quod Reges & civitates locupletes nonnullas, firmitatis perpetuitatisque gratiâ feciſſe conſulto Vitruvius & Plinius ſcripſere, ut lateritia pleraque opera, publica privata, ſtatuerent: quibus ſemel disjectis, uti exciſis arboribus nihil niſi radices, ſic præter fundamentorum veſtigia, nullius rei indicium relinquitur. Nam quæ ex lapide ornamenta acceſſiſſe credibile eſt, cum pro modo ſingulorum ædificiorum pauca fuerint, in calcem ſoluta, aut alios uſus verſa, priori formâ amiſsâ minus apparere, non videtur incredibile. Fundamentorum verò rudera multa & magna, duritiâ ut ferro vix cedant, diverſis urbis locis fodientibus nunc quoque occurrunt, ex quorum accuratâ obſervatione, periti architecti inædificatorum olim operum ſpeciem, non difficulter animo conciperent, ſi hæc eâ, quâ æquum eſſet, curâ curarentur. Eſt, exempli cauſſa, haud ita procul à pavimento quod thermis tribuimus, vicus in creſcentis prope lunæ modum incurvus hortorum utrimq; parietibus incluſus, quibus ſi fundamenta ſubſint, quæ tanti ædificii fidem ſuſtinere poſſint, de amphitheatro profectò conjecturam ex formâ ſumam. Ductus demum inducendis educendisque aquis, à primis colonis videntur. Rivos, qui perpetuis foſſis, ex Lyco & proximis quibusdam amnibus, magno civium commodo in urbem derivati, atque cloacas eluendis ſordibus ſubterraneas fornicatas intelligo. Nam rivos, tacentibus domeſticis annalibus rei inſignis auctorem, cui quam Romanis tribuimus rectius? quibus hoc genus opera mirè uſitata, ut à ductis foſſis nonnullæ urbes nomẽ

Tac. hiſt. 2.

Caſſ. lib. 3. ep. 49.

Vitruv. lib. 2. c. 8.

Plin. lib. 35 c. 14.

invene-

invenerint: hinc Eumenius, Imperatores sui temporis commendat, qui *residēs aquas, & novos amnes, veluti aridis fessæ urbis* (Augustoduni) *visceribus infundant.* Cogitavi aliquando Fortunatum eò scripsisse, Augustam à Vindone & Lyco fluentari, quod de Lyco per canales istos verum sit, in Vindone poëticâ phrasi propinquitatem spectaverit. Non nego posterioribus sæculis novos rivos additos, veteres variè mutatos esse, sed hîc principium indicamus. Cloacarum, præter sordium expurgationem, eædem quæ Romæ caussæ, *Has primum Romæ fecisse dicunt* (ait Isidorus) *Tarquinium Priscum, ut quotiens pluviarum inundatio existeret, per eas aquæ extra civitatem emitterentur, ne maximis perpetuisq; tempestatibus, planitiem vel fundamenta urbis strages aquarum subverteret.* Etsi Plinio Romanas *operum omnium dictu maximum* appellare visum, nec Augustanæ quidem pro coloniæ modo contemnendæ: nam quod ille miratur unicè, *durant tamen à Tarquinio Prisco annis DCCC. propè inexpugnabiles,* altero tanto nostræ, & aliquanto amplius, à conditâ coloniâ ad hanc ætatem perstitere. Quod Livius de Romanis prodidit, ut *primò per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta,* istis itidem contigit, certo antiquitatis indicio, formâ urbis hodie valdè immutatâ. Atque publica in hunc ferme modum habuere. De privatis unum moneo, domos aut domorum areas, sorte fuisse divisas, ita Æneas apud Virgilium,

Eum. pro schol. instaur.

Isid. lib. 15. c. 2.

Plin. lib. 36 c. 15.

Liv. lib. 5.

Sortitur q; domos——————

Virg. Aen. lib. 5.

In quem locum Donatus, *dabantur autem sorte, propter locorum differentiam*, ut enim quæque foro proxima, ita situ maximè commoda & opportuna censebatur. Nunc, quoniam coloniæ corpus, quâ fieri potuit delineavimus, restat animam (Reipublicæ constitutionem me dicere palam est) describere. Hæc in duo membra disparata, divina & humana complectitur. Nobis de religione universim eo minus dicendum, quod colonos patria sacra, Romana videlicet, coluisse nemo ambigat: ludis tamen, festisque quibusdam diebus variasse docet Cicero, quod inter Romanæ urbis commoda, ludos & festos dies numerat, quibus Quirites in colonias missi sint carituri. Et Tertullianus ait, aliquas ludorum species ex *municipalibus fastis superstitionibusque caussas originis* habere. Curatio sacrorum Sacerdotibus demandata, inter quos eminuere Pontifices. Extant fasti marmorei Pontificum coloniæ Juliæ Sutrinæ; C. Virius quidam PONTIF. ET DECVR. in antiquâ inscriptione legitur, & plura hujus generis, præter Ciceronis verba, quæ mox dabimus, nos de colonicis Pontificibus dubitare non patiuntur. Singulorum deinceps Deorum Flamines, Augures, Haruspices, Æditui etiam, Tibicines, Popæ, ministri alii.

Cic. agrar. 2.

Tert. de Spectac.

Vide inscript. Smetii f. 44. n. 15. & f. 159 n. 10. & præsertim capite Magistratuum municipalium

Quorum omnium numerum grandiorem fuisse, quam hodie quisquam facile cogitatione concipiat, persuasum habeo. Nec
Pac. in paneg. Theod defuere dignitatis ornamenta: Latinus Pacatus Naronenses Theodosio Imp. gratulantes describens (Illyrici ea colonia) nominat *Reverendos municipali purpurâ flamines, insignes apicibus sacerdotes*:
Tertul. de Idol. Tertullianus, cognoscendæ antiquitati inprimis bonus auctor, addit auream coronam, quæ provincialium sacerdotum insigne fuerit proprium, uti prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, certis dignitatum generibus Romæ: inde apud Epictetum ne-
Arriani Epict. lib. 1. c. 19. scio quis, Augusti sacerdotium Nicopoli ambiens, *At auream coronam gestabo.* Ad politiæ rationem quod spectat, coloniam leges ab Imperatore & Triumviris accepisse dixi, nec muto: Sed & alias à colonis, pro re natâ latas, compertum, sic
Virg. Aen. 5. est ad Virgilii verba,

——— patribus dat jura vocatis,

Apud Servium, *Dat condendi juris potestatem, his quos appellaverat patres*: res firmat, nam quî prospicerent Triumviri eventura tam acutè, ut novis in dies legibus opus non esset? Superant quædam hujus generis æreæ & marmoreæ reliquiæ, sive decretorum sive legum nomine inscriptæ, sive coloniarum sive municipiorum, quod eodem in hac causâ recidere arbitror. Legum porrò cura ad publicum consilium pertinuit: publicum consilium Decurionibus constitit. Hos nomen accepisse existimant
Pomp. D. lib. 50. tit. 16. l. 239. quidam, ait Pomponius, *quod initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur, consilii publici gratiâ conscribi solita sit.* At errant profectò isti quidam, nec est ut in bene constitutâ Republicâ ullâ, decimus quisque civis Senator ferri possit. Scilicet Romæ ad Sullæ Dictaturam usque Senatus trecentorum numerum non excesserit, in coloniis nonnullis quadrin-
Cic. agrar. 2. gentorum, quingentorum, sexcentorum expleverit? Cicero Rullo objicit, *Quinque millia colonorum Capuam scribi jubet*: Si decimam deducimus, quingenti proculdubio Decuriones provenient, At aliter ille, *Huc isti Decemviri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem Augures, sex Pontifices constituerint.* Totidem ego Augustæ crediderim constitutos. Ad Romanæ originis hâc quoq; in parte si-
Prop. lib. 4. el. 1. militudinem, Propertius,

Centum illi in prato sæpe senatus erat.

Nam Capuæ exemplo opinionis alterius ineptiæ satis superque patefactæ. Etymon igitur à curiâ, quæ est Isidori in originibus
Isid. lib. 2. c. 4. interpretatio, aut de curiis deducere verius. In decurias enim Decuriones tributos suspicor; inde Decemprimi nati, quorum præsignis præ reliquis dignitas, meminit Cicero oratio-
Liv. lib. 29. ne pro Sex. Roscio Amerino: Livius in historiâ secundi belli Punici,

nici, *Decreverunt ut Consules magistratus, denosq; principes Nepete, Sutrio, Ardeâ, Calibus, Albâ, Carseolis, Sorâ, Suessâ, Setiâ, Circeis, Narniâ, Interamnâ (eæ namq; coloniæ in eâ caussâ erant) Romam accirent:* & hisce Julius Firmicus, *Faciet claros, & glorioſos, civitatibus præpoſitos, aut maximarum civitatum Decemprimos;* hinc Hermogenianus Decemprimatum dixit. In curiâ conveniſſe, clarum : Itaque poſteriores, Curiales pro Decurionibus promiſcuè appellavere, uti eſt in Arcadii & Honorii lege, tum ſæpe alibi. Primos à Triumviris coloniæ deducendæ lectos conjicio: vacantibus deinceps locis allecti vel à Cenſoribus, quod minoris Plinii auctoritate aſſero, vel ab ordine ipſo, uti lapis antiquus habet, HVIC. ORDO. SENIENSIVM. ORNAMENT. DECVR. PRIMO. DECREVIT. ſiquidem Decurionum ornamēta decernere ad eos, qui legerent, pertinuit: vel à Decurionibus, Auguſtalibus, & Plebe, ſic eſt in Sueſſanâ inſcriptione, HONOREM. DECVRIONATVS. GRATVITVM. DECREVIT. ORDO. DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM. ET. PLEBS. VNIVERSA. Imperatorum deniq; juſſu plerosque Decuriones & magiſtratus conſtitutos, ſcio neminem ambigere, at id præter conſuetum morem contigit, nec nobis hoc loco de Principum auctoritate, quæ infinita fuit, diſputandum. Allecti pecuniam quandoque erogabant, ita Cn. Sulpitius in vetuſto marmore, DEDIT. DECVRIONATVS. NOMINE H-S. IↃↃCIↃ. ſportularum ſcilicet ratione, *pro introitu* ait Plinius: ex quo intelligo, in quibusdam civitatibus lectos à Cenſoribus, hoc honorarium non intuliſſe, ſed ſupernumerarios tantum, Imperatoris indulgentiâ adjectos, in quibusdam utrosque; Trajanus reſcripſit, *id ergò quod ſemper tutiſſimum eſt, ſequendam cujusq; civitatis legem puto.* Ex Plinio conſtat, Decurionum cenſum centum millium fuiſſe: ex Diocletiani & Maximiani reſcripto, libertos in curiam non admiſſos, niſi qui jus aureorum annulorum aſſequuti, vel natalibus ſuis reſtituti eſſent: Ex Jurisconſultorum libris, neque lectos minores viginti-quinq; annis, niſi ex certâ cauſsâ, qui tunc ſportulas quidem Decurionum accipiebant, interim ſuffragium ferre non poterant: nec majores quinquagintaquinque invitos, niſi illis conſuetudo obſtaret: nec in totum ſurdos & mutos: nec relegatos ad tempus & reverſos, niſi Principis accederet permiſſio: nec naviculatios. Cicero ſignificat, excluſos item, qui præconium facerent, non qui feciſſent. A Gratiano & collegis Imperatoribus, Decuriones Senatores ſuæ curiæ nominatos obſervo, additâ cautione, *ſi ſic dici oportet*, quod Senatoriæ vocis majeſtatem, præterquam principi principis urbis conſilio, convenire vix exiſtimarent:

Firm. lib. 3 c. 12.

Hermog. D. lib. 50. tit. 4. l. 1.

Arca. & Hon. Cod. lib. 1. tit. 3. l. 22.

Plin. lib 10 ep. 113. 116

Inſcript. Smet. f. 161 n. 9. f. 83. n. 5.

Sulpicii inſcr. in Aldi Orthogr. v. circumvenio.

Plin. lib. 10 ep. 113. 116.

Plin. lib. 1. ep. 19. Diocl. Cod lib. 10. tit. 32. l. 1. Juriſc. D. lib. 50. tit. 2. l. 2. 3. 6. 7. 9. 11. 13. & tit. 4. l. 8

Cic. fam. lib. 6. ep. 18

Grat. C. lib. 10. tit. 31. l. 33.

Digitized by

Nov. lib. 4. Nov. 1. marent: à Leone & Majoriano minorem Senatum, *Curiales nervos esse reip. ac viscera civitatum nullus ignorat, quorum cœtum rectè appellavit antiquitas minorem Senatum*: est in lapidibus disertè, SENATVS. P. Q. TIBVRS. S. Q. NOLAN. SENATVS. POPVLVSQVE. SIGNINVS. & plura ad hunc modum, quibus sanè Decuriones Senatus appellatione dignati, quod Plinium pariter atque Trajanum sequutum video, & olim Livium, ubi de XII. coloniarum defectione agit: abstinuere tamen pleræque coloniæ, aut Ordinis, aut Decurionum inscriptione contentæ. Cicero de Puteolanis verba faciens, amplissimum ordinem vocavit. Plinius in Bithynicis & Ponticis civitatibus, Græcâ Buleutarum appellatione usus est. Quo quisque loco in album relatus sententiam dixerit, Vlpianus docet, *Decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut lege municipali præcipitur: sed si lex cessat, tunc dignitates erunt spectandæ, ut scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est: puta qui Duumviratum gesserunt, si hic honor præcellat* (utitur exceptione, propter municipia, in quibus Dictatores, aut summo loco Ædiles, id enim Arpini consuevisse, ex Cicerone scimus, *is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet*; & credo etiam in aliis interdum municipiis, non item in coloniis, quæ Dictatores nullos, Ædiles infra Duumviros habuere) *& inter Duumvirales antiquissimus quisque prior is: deinde hi qui secundo post Duumviratum honore in Republica functi sunt: post eos qui tertio, & deinceps: mox hi, qui nullo honore functi sunt, prout quisque eorum in ordinem venit. In sententiis quoq; dicendis idem ordo spectandus est, quem in albo scribendo diximus.* Sed intererat, quâ quis ratione dignitatem assequutus, *Nomina ante scribi oportet eorum, qui dignitates principis judicio consecuti sunt: postea eorum, qui tantum municipalibus honoribus functi sunt.* Et *patrem, non habenti filios anteferri*, Diocletiani & Maximiani lege cautum. Decurionum partes duas, totius curiæ instar exhibere, Arcadio & Honorio placuit. Quod major pars curiæ effecisset, pro eo haberi, ac si omnes egissent, Scævola interpretatus est. Nam Decreta, quæ non legitimo numero Decurionum coacto facta sunt, non valere Marcianus annotavit: & ordinem non aliter habendum, quam duabus partibus adhibitis, ante Arcadium ex municipali lege Vlpianus prodidit. Vti verò Senatus consulta Romæ duabus singularibus litteris S. C. ita Decurionum Decreta totidem D. D. notabantur: eò L.D.D.D. in fragmento Augustanæ inscriptionis, monumento Locum Datum Decurionum Decreto significant. At quoniam Decuriones pleraque Reipublicæ munera suo periculo tractare cogebantur, inferioribus maximè temporibus, eis militiâ,

Plin. lib. 10 ep. 83. 84. 115. 116. Liv. lib. 27.

Cic. pro Cæcilio.

Vlp. D. lib. 50. tit. 3. l. 1. 2.

Cic. fam. lib. 13, ep. 12.

Diocl. C. lib 10. tit. 31. l. 9. Arc. C. lib 10. tit. 31. l. 46. Scæv. D. lib. 50. tit. 1. l. 19. Marc. D. lib. 50. tit. 9. l. 2. Vlp. l. 3.

Vide C. lib. 10. tit.

militiâ, vectigalium publicorum, alienarumque rerum omnium conductione & procuratione interdictum, ne hiſce curis à proprio munere avocarentur. Itaq; uſu venit, ut honor tot oneribus implicitus, à paucis ambiretur, eum plerique enixè fugerent, etſi prærogativis quas enumerabimus auctum: Statuere ideo Imperatores plurimis conſtitutionib', ne publica munera negligerentur ſcilicet, Decurionum filios curiis neceſſario obnoxios, cujus rei antiquitus nec ſuſpicio incidit: quin nec Chriſtianos eximos habuerunt, Chriſtianos namq; Judæorum nomine intelligit Vlpianus, quo loco ſcripſit, *Eis, qui Judaicam ſuperſtitionẽ ſequantur, Divi Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt: ſed & neceſſitates eis impoſuerunt.* Arcadius & Honorius omnium ſuperſtitionũ aſſeclas admiſere; Julianus clericos etiam invitos addixit, ut eſt apud Sozomenum. Poſtea prohibitum à Gratiano & collegis, ne quis ſupplicii loco curiæ deputaretur; gravi addita ſententiâ, *cum utique unumquemque criminoſum, non dignitas debeat, ſed pœna comitari.* Prærogativis præter ſportulas, hiſce propemodum uſi ſunt: Nullum in coloniâ magiſtratum majorem niſi Decurio gerere poterat, *quia Decurionum honoribus plebeji fungi prohibentur*, quæ Paulli verba ſunt: Extraordinariorum munerum omnium immunitate fruebantur: & Theodoſii lege, mortuo Decurione, extraneis relictis heredibus, qui ad curiam non pertinerent, quarta facultatum portio cedebat beneficio reliquorum Decurionum; nullo legitimo ſucceſſore relicto, bona omnia ordinis utilitati proficere Conſtantinus reſcripſit: *Decurionibus facultatibus lapſis alimenta decerni permiſſum*, Hermogenianus prodidit: Non fuſtibus, non quæſtioni ſubjiciebantur, niſi majeſtatis rei, capitali propoſitâ pœnâ judici, qui contra tentaſſet: non in metallum dabantur, nec in opus metalli, nec in opus publicum, vel ad beſtias; nec furcæ ſubjiciebantur, nec vivi exurebantur: ac omnino capite non damnabantur, niſi ſi qui parentem occidiſſent: gravioris facinoris rei, à Præſidibus non puniebantur, ſed carceribus tantum diligentioris cuſtodiæ cauſsâ mancipabantur, deque iis ad Imperatores referebatur. Vlpianus ait, Decurionem *punire ſibi Præſes permittere non debet; ſed recipere eum in carcerem, & principi ſcribere de pœna ejus.* Quæ privilegia & Decuriones, & eorum parentes atque liberos complectebantur, quod ex Imperatorum, Jurisque prudentum ad oram notatis locis planum. Sed & alia pleraque de Decurionibus aſcribi poterant, nos capita delibavimus. Auguſtanorum mentio in noſtris monumentis obvia aliquoties, duorum tantum, aut ſi plurimum trium nomina reliqua, Antonii Æliani, C. Juliani Julii, & Adjutorii Romani, nam de poſtremo mihi minus conſtat. Magiſtratus colonici fuere multiplices:

31. l. 38. §. 11 §§ D. lib. 50. tit. 8. l. 2. lib. 6. tit. 2. l. 6. C. lib. 4. tit. 65. l. 30.

Impp. C. lib. 10. tit. 31. l. 22. 26. 32. 35. 36. 37. 41. 43. 48. 50. 62. 66.

Vlp. D. lib. 50. tit. 2. l. 3

Arc. C. lib. 10. tit. 31. l. 49.

Soz. lib. 5. c. 5.

Grat. C. lib. 10. tit. 31. l. 38.

Paul. D. lib. 50. tit. 2. l. 7. Vide C. lib. 10 tit. 31. l. 21. ti. 34. per totum, lib. 2. tit. 11 l. 5. lib. 9. tit. 41. l. 16. D. li. 48. tit. 19. l. 9. 15. 18. lib. 50. tit 18. l. 3. lib. 28. tit. 3. l. 6. lib. 49. tit 4. l. 2

C. Theod. lib. 5. tit. 2. l. unicâ D. lib. 50 tit. 2. l. 8.

tiplices: Majores, minores. Majores hîc voco, qui rem publicam respiciebant universam, minores, qui certa corpora & collegia. Priores, ut observasse videor propemodum annui, est in fragmento municipalium fastorum, ab Apiano edito, sæpius præscriptum, EX. K. IVL. AD. K. IVL. & EX. K. IAN. AD. K. IAN. interdum EX. K. IVL. AD. K. FEB. aut EX. K. IVL. AD. K. IAN. Credo quod ii, quorum nomina subscripta, in magistratu mortui, vel se ante statum tempus abdicaverint. Excipio tamen Quinquennales, quos inter majores infra numerabimus, cum alii minores sint: & Duumviros, qui nominati aufugissent aut latitassent, hos repertos, *biennio integro onera Duumviratus* ferre, Constantinus coëgit: à summo quippe philosopho sapienter proditum, magistratus dignis tribuendos esse, sive volentib⁹, sive nolentibus etiam. Magistratus in curiâ à Decurionibus ex ipso ordine lectos, Diocletiani lege satis liquet. Prout quisque Decurio creatus, ita magistratum adipisceretur, Divorum fratrum rescriptum cavit: Vlpianus interpretatus, non locum habere, nisi cum omnes æquè idonei & sufficientes: Modestinus, ita quoque municipales leges intelligendas, quæ de certorum hominum honoribus constituant. *Vt gradatim honores deferantur, edicto, & ut à minoribus ad majores perveniatur, epistulâ Divi Pii ad Titianum* expressum. *Majoribus honoribus functos, ad minores devocari non oportere, rationis* esse, visum Diocletiano & Maximiano: Neminem item ad eadem munera revocandum, si aliorum civium sit copia. Prætextæ honore usos, Livius docet, *Magistratibus in coloniis municipiisq́, hîc Romæ infimo genere magistris vicorum, togæ prætextæ habendæ jus permittemus, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur.* Vestis purpurâ prætexta, cæterum alba, nam de municipali magistratu apud Juvenalem est,

Conſt. C. lib. 10. tit. 31. l. 18. Ariſt. 2. de Rep. c. 7.

Diocl. C. lib. 10. tit. 31. l. 2. Vlp. D. lib. 50. tit. 4. l. 6. Mod. tit. e. l. 11.

Diocl. lib. 10. tit. 41. l. 2. & 3.

Liv. lib. 34.

Juven. ſat. 3.

——— *clari velamen honoris*
Sufficiunt tunicæ ſümmis Ædilibus albæ.

In tunicis ne quis vim faciat, generatim pro veste poëta dixit. Incuntes quandoq; spectacula edebāt; exemplo Thyasus Corinthius in Apuleji Mileliis, *Vt ejus prosapia atq; dignitas postulabat, gradatim permensis honoribus, Quinquennali magistratui fuerat destinatus: & ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat*: Et L. Fladii Pieri basis Allifæ,

Apul. lib. 10.

Smet. f. 82. n. 13.

QVI. OB. HONOREM. DECVR. EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST. GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATION. BESTIARVM. AFRICANAR. ET. POST. PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV. SVO. ACCEPTIS. A. REP. H-S. XMX.

XMX. N. VENAT. PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX. EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS. SCÆNICOR. P.S.F. AGI. Quod ne cui mirum, privati quoque & extremæ conditionis homines, ambitiosâ tantum vanitate impulsi, munerum interdum in coloniis editores, Martialis,

Mart. lib. 3. epig. 58.

Sutor cerdo dedit tibi culta Bononia munus,
Fullo dedit Mutinæ, nunc ubi caupo dabis?

Summus autem magistratus Duumviri, quorum per omnia litterarum monumenta, scripta, sculpta, percussa, frequens memoria, ut stultum sit inhærere singulis. Nihil planius Ciceronis verbis, quibus Campanum fastum notat, *cum cæteris in coloniis Duumviri appellentur, hi se prætores appellari volebant.* Cæteræ coloniæ, coloniæ omnes sunt, nec contra est, quod in quibusdam tum coloniis tum municipiis Quatuorvirorum graves scriptores, aut etiam lapides meminere, quod Cicero IV. Viros Neapolitanos, Cumanos, Larinates, & Fregellanos nominat, quod in lapidib⁹ Nepesini, Spoletini, Vrbinates, Veronenses, alii multi sunt: neutiquam enim consequitur, quod nonnullis placuit, diversis Rebuspublicis II. Viros aut IV. Viros præfuisse: forsan potior sententia utrosque fuisse in omnibus, certè in aliquibus, principe loco Duumviros, inferiore Quatuorviros; quin & III. Viros & IIII[I]. Viros quos non raro observamus. Neapolitanos siquidem, quibus IV. Viros Cicero tribuit, II. Viros habuisse, multorum marmorū scimus testimonio, & Patavinæ inscriptiones II. Viros IIII. Virosq; promiscuè præferūt, nec plura exempla colligo. Sed præfuerint alicubi IIII. Viri (non enim pernegandum credo est) cogitavi fieri potuisse, ut nomine à II. Viris differrent, re essent iidem, & bini per vices annuum, omnes simul integro biennio magistratum gererent. Leviter in hanc cogitationem traxit exemplum VI. Virorum Mediolanensium, quos in Seniores Junioresque tributos ex inscriptionibus compertum, nec sat scio, an istâ de causâ, Seniores scilicet, qui anno suo jam functi, nam hoc distinctionis genus in magistratibus pleræque hodie etiam Germaniæ Respublicæ tuentur. Confirmavit aliquantò validius tabula ærea, in qua Vespasianus Imp. SALVTEM. DICIT. IIII. VIRIS ET. DECVRIONIBVS. SABORENSIVM. cum ad finem duorum tantum expressa sint nomina, II. VIRI. C. CORNELIVS. SEVERVS. ET. M. SEPTIMIVS. SEVERVS. PVBLICA. PECVNIA. IN. AERE. INCIDERVNT. Simile propemodum est quod apud Fulvium Vrsinum in æneâ item tabellâ Senatusconsulti municipalis, M? ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS. FRONTO. IIII. VIR. I. D. appellantur.

Cic. agr. 2.

Cic. ad Attic. lib. 10. ep Epistola tua. orat. pro Cluent. fam. lib. 13 ep. 77. Inscript. Smetii. f. 73. n. 6. f. 74. n. 13. f. 77. n. 1. f 159 n. 18. f. 160. n. 16. II. Viri. Neap ap. Smet. f. 84. n. 1. 9. f 164 n. 15. 18. Pat. inscript. apud Scardeon.

VI. Viri Mediol. ap. Smet. f. 158 n. 16. 17.

Inscript. Hisp. Oconis pag. 27. n. 1. Fabric. antiq. monum. lib. 1. Mariana hist. Hisp. lib. 4. c. 4.

Asinii

Pol.ap.Cic. fam.lib.10. ep.32.

A linii Pollionis apud Ciceronem de Balbo verba an ad hanc sententiam faciant, neque pro confesso, neque pro vano posuerim, *Quatuorviratum* (Gadibus) *sibi prorogavit : comitia biennii biduo habuit.* Eandem fere rationem habet, quod in Republicâ nostrâ nunc quoque experimur, Consules, ut vulgo appellant, sive Prætores si ad Romanos mores accommodamus, VI. Viri Juredicundo si ad colonicos verius, sex, annum ita partiuntur, ut quaternis vicissim mensibus bini jurisdictionem exerceant. Jurisconsultorum absque dubio libri, Duumviros maximum inter municipales magistratus usurpant, minimum duodecies, Quatuorviros, quod sciam, semel. Cæsar etiam generatim, *Duumviris municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant, Brūdusiumq. deducendas curent.* Quod Jurisdictionem exercerent. II. Viri Juredicundo appellati sunt : quamquam & alii magistratus, puta IV. Viri & VI. Viri, Juredicundo : Isti etiam eximiè II. Viri Præfecti, & II. Viri Præfecti juridicundo, quod lapidum auctoritate fisus profero, itaque frustra est quidam, qui in numis coloniæ Victricis Juliæ Leptis L. NER. L. SVR. PR. II. VIR. & A. P. SALPA. M. FVLV. PR. II. VIR. Prætores Duumviros interpretatur : frequentissimè tamen nudè II. Viri. Quod vir doctus Consulum nomen affectasse annotat, non persuadet, & nimis elatè Ausonius, si se Burdigalæ II. Virum lectum verbis istis intelligi voluit,

I.C.D.lib.2 tit.3.l.unica.lib.3.tit. 4.l.6.lib. 15.tit.1.l. 3.lib 27. tit.8.l.1. lib.38.tit. 2.l.4.lib. 47.tit.2.l. 52.tit.10. l.13.lib.50 tit.1.l.38. C.lib.3.tit. 1.l.16.lib. 6.tit.9.l.9. lib.10.tit. 31.l.53. lib.11.tit. 35.l.3.lib. 6.tit.29.l. unica Alexander A.IIII.Viris & Decur.Fabret. Cæs.de bel. civ.lib.1. IV. Viri I. D.Iæpe.VI. Viri I. D. ap. Smet. f.158.n.9. f.157.n.12. II. Viri Præf. ap. Occon.inscrip.Hisp. pag.13.n.9. p.15.n.5. p.16.n.2.9 Aus. de urb.13. Cic.agr.2. Apul.de Asin.lib.3. Arc.lib.10. C.tit.31.l. 53.

Diligo Burdigalam : Romam colo : civis in hac sum,
Consul in ambabus. ——————

Mihi perplacet, —*Consul in hac sum, Civis in ambabus*— est enim ad veritatem expeditius, & proximo confirmatur hemistichio— *cunæ hîc, ibi sella curulis*, sed librarius varium pronominis usum non percepit. Duumviros antiquitus lictores duo cum bacillis anteibant, nam id ex Cicerone colligo, & Apulejo, qui postea auctâ ambitione in fasces crevere, si Arcadio & collegis Impp. credimus, *Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium, extra metas territorii propriæ civitatis.* Etsi Cicero idem jam olim Campanos ausos indignatus. Augustanorum Duumvirûm puto antiquissimam memoriam extare in Augusti nummo, quem quarto libro expressimus : ad eos præterea refero imagines duas togatas, quas inscriptionibus inseruim⁹. Quinquennales coloniarum Censores, non obscuris usus argumentis, interpretor. Parum cautè confundit cum summis Duumviris, vir eruditus, quem paullò ante diximus : distinguit clarè C. Hedii lapis, II. VIR. II. VIR. QVINQ. Rursus alii à Quatuorviris, ên C. Vesidieni iste, IIII. VIR. IVR. DIC. IIII. VIR. QVINQ. A. Quintilii alter, IIII. VIR. IVRE. DIC. IIII. VIR. QVINQ. & quos præterea recensere longum : in quibus Quinquennales tum Duumviros, tum Quatuorviros observo. Cogitabimus

tabimus,an eâ ratione, quam dell. Viris & I^{vir}. Viris Juredicundo propoſimus. cenſores cenſumque in coloniis fuiſſe, vel ex S. C. de XII. Coloniis quæ Quintis Fabio & Fulvio Conſulibus abnuiſſent milites dare, quod apud Livium extat, in promptu eſt, *Cenſumque in iis coloniis agi ex formulâ à Romanis Cenſoribus data: dari autem placere eandem, quam Populo Romano: deferriq; Romam ab juratis cenſoribus coloniarum, priusquam magiſtratu abirent.* Hæc quia his coloniis nominatim juſſa, apparet de cætero, cenſorias coloniarum tabulas Romam non fuiſſe delatas. Plinius ſcripſit, in Bithynicis civitatibus Senatum à Cenſoribꝰ lectum, ut indicavimus. Legimus in marmore, CENSITOR. CIVIVM. ROMANORVM. COLONIÆ. VICTRICENSIS. item CENS. ET. DVVMVIRATV. BENE. ET. E. R. P. ACTO. Præcipuam eam dignitatem fuiſſe, cui primores, fere Duumvirales præfecti, Romanum exemplar monet: hinc Apuleji verba fluxere, *permenſis honoribꝰ, Quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus;* cæteroquin enim hic idem Apulejus, ſummum honorem Duumviratum fuiſſe, diſertè confirmat, *In qua coloniâ patrem habui loco principe Duumviralem, cunctis honoribꝰ perfunctum. Cujus ego locum in eâ republicâ exinde ut participare curiam cœpi, nequaquam degener, pari ſpero honore & exiſtimatione tueor:* atq; Spartianum de Hadriano ita accipio, *In Hetruriâ Prætoram Imperator egit: Per latina oppida Dictator, & Ædilis & Duumvir fuit: Apud Neapolim Demarchus: in patria ſuâ Quinquennalis: & item Hadriæ Quinquennalis, quaſi in alia patriâ: & Athenis Archon fuit.* Nomen nactos quod Romanorum more per quinquennium magiſtratum geſſerint, non video cur dubitemus: cum præſertim coloniarum luſtra ex lapidibus alii dudum obſervaverint. Sed accedat conjecturæ pondus à Conſtantini lege, quâ medicis & profeſſoribus immunitatem tribuit, *Si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, à Magiſtratibꝰ vel Quinquennalibus exactus.* Magiſtratuum nomine ſummos, id eſt II. Viros (neq; hoc infrequens) Quinquennalium Cenſores, ad quos cenſus ratione immunitatis cognitio & tuitio pertineat, omnino complectitur. Faſcibus uſos, non eſt cur denuo ex Apulejo repetamus. Jam in Ædilibus, coloniæ matrem non minus imitatæ ſunt; quos itidem binos quaternosve, variæ inſcriptiones indicant, quamquam quaternos ſæpius, hoc nonnunquam modo, IIII. VIR. AED. POTEST. & breviori ſcripturâ, A.P. Ædilitiâ poteſtate: tabula municipii Cæritum, unum AED. IVRIDIC. alterum AEDIL. ANNON. habet, & eſt apud Suetonium, C. Albutium Silum Novarienſem ædilitate in patriâ fungentem, jus pro tribunali dixiſſe. Annonæ certè

Liv. lib. 29.

Plin. lib. 10 ep. 83. Smet. f. 85. n. 2.

Occ. inſcript. p. 23 n. 2.

Apul. apol. 1.

Conſt. Theod. C. lib. 13. tit. 3. l. 1.

Duo Ædil. in faſtis municipa- lib. Apiani. Quatuor. ap. Smet. f. 73. num. 10. f. 75. n 11. f 82. n 7. Tab. Cær. ap. Smet. f. 15. Suet. de clar. Rhet.

Apul. de Aſ. lib. 1. certè illis cura mandata, Apulejus, *Annonam curamus, ait, & Ædilem gerimus: & ſi quid obſonare cupis, utiq; commodabimus:* & balnearum, Alfenus, *Ædilis in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur.* Ædificiorum præterea curam geſſiſſe: à nobis ne monendum quidem, nomen monet. Sed & hos virgis Apulejus ornat, *Et lixas & virgas, & habitum prorſus magiſtratui congruentem in te video.* Auguſtæ Ædilis & Ædilitius fortaſſe fuerit (quamquam Quinqueñalitium quoque ſuſpicari licet) C. IVLIANIVS. IVLIVS. IIII. VIRALIS. cujus in vetuſtis noſtris monumentis nomen ſuperat. Quæſtores demum in coloniis & municipiis: C. Gracchus oratione de legibus promulgatis, *Quæſtori Sidicino M. Mario datum eſt negocium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur,* paullo poſt, *ſuæ civitatis nobiliſſimus homo M. Marius,* deinde, *Ferentini ob eandem cauſſam Prætor noſter Quæſtores arripi juſſit.* In lapidibus hac notâ Q. crebri ſunt. Miror fefelliſſe eum, qui in titulo quodam, AEDIL. Q. IIII. VIR. I. D. maluit Ædilem quinquennalem, quam Ædilem, Quæſtorem & Quatuorvirum interpretari: Quinquennales cum breviſſimè, duplici tamen Q. Q. ſcripti. Atque Duumviratum, Quinquennalitatem, Ædilitatem, Quæſturam, diſtincta munera eſſe, per ſe clarum, clariſſimum Allifanâ M. Granii inſcriptione redditur, II. VIRO. TER. QVINQ. AED. Q. nam hic omnibus functus. Quæſtores annuos fuiſſe, in municipalibus faſtis videmus. Cum pecuniæ publicæ & ærarii curam geſſerint, fit ut eos ipſos II. VIR. AER. in Genevenſi inſcriptione dictos autumem. Auguſtales quo loco reponerem dubitabam: inter Sacerdotes, ſuadebat Tacitus, *Idem annus novas cæremonias accepit addito Auguſtalium ſodalium ſacerdotio;* vetabant lapides, in quibus ſodalium nomen nunquam additum, & à Flamine Auguſti unus apertè diſtinguit, FLAMINI. DIVI. AVG. VI. VIRO. AVGVSTALI. Nec enim unus aliquis ejusdem numinis flamen & ſodalis: diverſum ergò viſum Taciti ſacerdotium, cum unum nomen multas ſignificationes admiſerit, Vegetius Auguſtales in legione milites vocaverit, qui ordinariis ab Auguſto juncti, & notus Auguſtalis Ægypti præfectus ſit: Inter magiſtratus, juvabant quædam alia, tum in ſpeciem validè Petronianus locus, *Quod præcipuè miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum unam partem embolum navis æneum finiebat; in quo erat ſcriptum: G. POMPEIO. TRIMALCIONI. VI. VIRO. AVGVSTALI. CINNAMVS. DISPENSATOR.* Obſtabant multa, in primis duo, quod eos ubique non tam poſt magiſtratus, quam poſt Decuriones etiam poſitos

Alf. D. lib. 19. tit. 2. l. 30.

Gracch. ap. Gell. lib. 10 c. 3.

Turn. Adverſ. lib. 11 c. 10.

Smet. f. 82. n. 11.

Smet. f. 157 n. 19.

Tac. An. 1.

Smet. f. 80. n. 6.

Veget. lib. 2. c. 7.

positos reperi, DECVRIONES. ET. AVGVST. ET. POPVLVS. DECVR. AVGVST. ET. POP. DECVR. AVG. PLEBS. idem est, DEC. VI. VIR. PLEBS. quodque iis sportulas parcius datas, OB. DEDICATIONEM. EARVM. DEC. XV. VI. VIR. XIII. PLEB. X. II. DARI. IVSSIT. item, DECVRIONIB. SING. H-S. XXX. SEX. VIRIS. ET. AVGVSTALIB. SING. H-S. XII. PLEBI. SIN. H-S. IIII. &, DECVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET. SPORTVL. H-S. X. N. ITEM. PVER. CVRIAE. INCREMENT. ET. VI. VIR. AVG. QVIBVSQ. V. V. E. CRVST. MVLSVM. ET. H-S. VIII. N. Smet. f.73. n.14.& 15 f.74.n.13. Smet. f.74. n.14. f.75. n.12.f.81. n.7.

Quæ eos infra Decuriones collocant. Petronii secures facile hebetamus, nec enim Augustalitatis insigne, sed ad ostentandum mirificum Trimalcionis luxum & fastum, atque uti nescio quis annotavit, ad terrorem & supplicium servorum, à mimico Rege id loci fixas, præcipua illa narrantis quoque admiratio innuit. Eo facit ipsum Trimalcionis nomen regium aut triregium verius, Eunapius quippe prodidit, Malchum Syrorum linguâ Regem sonare, inde Martialis ridiculè de Zoilo, Eun.vit. philos. Porphyr. Mart. lib.3. epig. 81.

Hos Malchionis patimur improbi fastus.

Cum de cętero patronos Reges à clientibus adulatoribus audisse, multa hujus epigrammata ostendant. Istius originis sunt in sacris literis etiam Melchias, Melchon, Melchisedech, & in communi credo usu Melchior. Quod itaque de Augustalium officio minus liquere potest, in medio sit: Hæc satis liquent, dignitatis id genus inter Senatum, sive Decurionum ordinem & plebem constitisse, sex numero fuisse, quod tam multa marmora loquuntur, ut nec Duumvirûm, nec Censorum, nec Ædilium, nec Quæstorum, neque planè horum simul omnium plura meminerint: A Decurionibus creatos, VI. VIR. AVGVSTALIS. QVI. INTER. PRIMOS. AVGVSTALES. A. DECVRIONIB. AVGVSTALIS. FACTVS. EST. Pecuniam ejus caussâ quandoque solvisse, Hic. PRO. SEVIRATV. IN. REM. P. DEDIT. H-S ∞ ∞. Mart.lib.1. ep.113. lib. 2.ep.18.68. lib.3.ep.7. lib.4.ep.84 lib 5.20.23 lib.10,ep. 96. Alc.in 1o. lib.C.

Eam interdum remissam, HVIC. ORDO. DECVRIONVM. OB. MERITA. EIVS. HONOREM. AVGVSTALITATIS. GRATVITVM. DECREVIT. item IIIIII. VIRO. AVGVSTALI. GRATVITO. D. D. Perpetuos demum non fuisse, at honorem aliquos repetivisse. FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER. Apud nos Augustales, Sext. Attonius Privatus, qui Silvani templum restituit, & Tib. Cleuphas purpurarius. Equitum Smet. f.74. n.4. f.83.n. 7.f.159.n. 17. Smet. f.49. n.7.

duo fuisse genera, quorum unum in re militari peditibus responderet, alterum in civitate senatui & plebi, notius est quam ut hîc exequar. Prius illud, locum in coloniis habuisse dudum diximus, neque aliter capiendus Livius toties, *tria millia & septingenti pedites ierunt, trecenti equites.* & *tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena jugera, cæteris colonis, quinquagena sunt data.* Item, *tria millia peditum quinquagena jugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt.* Caussa cur Augustam hujus classis equites deductos existimare debeamus, suo loco explicata. Sed nec de posteriori genere in coloniis dubitemus, cui Equitum Romanorum, Equestrisq; ordinis nomina peculiari modo fuere propria, Monobricensis lapis, II. VIRI. VNACVM. ORD. EQVEST. ET. POPVLO. Lugdunensis, DECVRIONIB. ORDINI. EQVESTRI.]IIII[. VIRIS. AVG. Plures paucioresve, pro coloniarum splendore & magnitudine fuisse, Curiis multum dignitatis iis Decurionibus accessisse, nemo neget. Senatorium etiam Romæ locum persæpe assequutos, innumeris per omnes scriptores locis in comperto, nobis uno aut altero comprobare satis: Tacitus, *Cn. Julius Agricola, vetere & illustri Forojulienſium coloniâ ortus, utrumq; avum Procuratorem Cæsarum habuit: quæ equestris nobilitas est. Pater Julius Græcinus Senatorii ordinis.* Expressius Claudius Imp. oratione super civitate Gallis dandâ, quæ æneis tabulis incisa Lugudini extat, DIVVS. AVG.....ET. PATRVVS. TI. CÆSAR. OMNEM. FLOREM. VBIQVE. COLONIARVM. ET. MVNICIPIORVM. BONORVM SCILICET. VIRORVM. ET. LOCVPLETIVM. IN. HAC. CVRIA. ESSE. VOLVIT. paucis interjectis, ORNATISSIMA. ECCE. COLONIA. VALENTISSIMAQVE. VIENNENSIVM. QVAM. LONGO. IAM. TEMPORE. SENATORES. HVIC. CVRIÆ. CONFERT. EX. QVA. COLONIA. INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM. L. VEST]NVM. FAMILIARISSIME. DILIGO. Apud nos, ANTONIO. AELIANO. EQVITI. ROMANO. quem inter Decuriones Augustanos numeravimus, vetusta inscriptio testimonium præbet. Et alium nostrorum quempiam (nomen periit) cui PEREGRINIVS. BELLICO *sus* titulum posuit, Consularibus ornamentis auctum, ex fragmento, quod in hunc modum restituendum videbatur, CONSVLARES. HO*nor. adept.* colligebam. Minores magistratus collegiorum licitè coeuntium appellamus.

Liv. lib. 34. lib. 37. lib. 40.

Monob. ap. Oc. p. 25. n. 8.

Lugd. ap. Parad.

Tac. vita. Agric.

Ex Paradino.

Hos

Hos per quinquennium præfuiſſe, indicio nomen Quinquennalium, aut Magiſtrorum Quinquennalium, nam utroq; uſi; & inde eſt luſtrorum mentio in lapidib', qui ad illos pertinent, M A G. QVINQ. COLL. FABR. TIGNAR. LVSTRI. XXVII. item, MAGISTER. QVINQVENNALIS. FABRORVM. TIGNVARIORVM. OSTIENSIVM. LVSTRI. II. Videntur iidem, quos Lampridius in Alexandro Defenſores dixit, *Corpora omnium conſtituit, Vinariorum, Lupinariorum, Caligariorum, & omninò omnium artium, hisq; ex ſe ſe Defenſores dedit.* Gratianus & collegæ Impp. quinquennii ſpatium Defenſoribus diſertè præſcribunt, *In defenſoribus univerſarum provinciarum erit adminiſtrationis hæc forma, & tempus quinqueñii ſpatium metiendum.* Quamquam ea lex Defenſores generatim univerſos, non hos collegiorum privatim complectitur. Collegia quod pecuniam communem haberent, Quæſtores etiam habuere, Q. COLLEGI. CENTONARIOR. Vti ab Vlpiano proditum, *Divus Marcus omnibus collegiis, quibus coëundi jus eſt, manumittendi poteſtatem dedit.* Auguſtæ multa hujuscemodi collegia eſſe potuere, & verò fuere, ſed de ſingulis difficiles obſcuræq; conjecturæ. Negotiatorum certè collegium aliquod extitiſſe credibile, niſi eos in multa collegia diviſos credibilius; meminere lapides noſtri negotiatorum aliquoties, MVNICIPI. AEL. AVG. NEGOTIATOR. quantumvis hujus nomen vetuſtate evanuit, FLABIA. CVNANIO. SERENO, NEGOT. item, VICTO*ri*O. VICTOR*i*ANO. *ne*GOTIATORI. *Aug.* In duobus negotiorum genus expreſſum, IVL. VICTOR. NEGOTIATORI. QVONDAM. VESTIARIO. TIB. CLEVPHAS. IIIII. VIR. AVG. NEGOTIATOR. ARTIS. PVRPVRARIÆ. Quinquennales autem magiſtros, non à Decurionibus, quod in majoribus magiſtratibus obſervatum diximus, ſed à collegiis creatos credederim; ex ipſis collegiis lectos, Lampridii verba oſtendunt. Non ignarus ſum, plures præterea utriusq; generis magiſtratus in coloniis fuiſſe, ſed neque perpetuos, quin pro re natâ variè mutatos, neq; eosdem in omnibus: nos illos enumeravimus, quibus fere Reipublicæ conſtitutio comprehenſa. Judicia ab ordine univerſo in curiâ exercita, Judices non alii à Decurionibus: ſic de Oppianico Cicero, *Illum tabulas publicas Larini Cenſorias corrupiſſe, Decuriones univerſi judicaverunt.* At operę pretium eſt judicandi formam in rei capitalis cognitione, ex Apulejo afferre, id compendi facturi, ut obiter nonnulla etiam, quæ antea diximus, comprobemus: *Magiſtratus interim, metu periculi proprii, ne de parvis indignationis elementis, ad exitium*

Smet. f. 32. n. 5. f. 96. n. 2.

Grat. C. lib. 1. tit. 51. l. 4.

Smet. f. 159 n. 15. Vlp. D. lib. 40. tit. 3. l. 1.

Cic. pro Cluentio.

Apul. lib. 10. de Aſ.

disciplinæ civitatisq; seditio procederet, partim Decuriones deprecari, partim populariter compescere: ut ritè, & more majorum judicio reddito, & utrimque secus allegationibus examinatis, civiliter sententia promeretur, nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis inauditus: & in pace placidâ tam dirum sæculo præberetur exemplum. Placuit salubre consilium, & illico jussus præco pronunciat, Patres in curiam convenirent. Quibus protinus dignitatis jure consueta loca residentibus, rursum præconis vocatu, primus accusator intendit: tunc demum clamatus inducitur etiam reus. Vtriusq; partis orationes sibi parũ compertas esse ait; *sed quæ planè concepi, ad istas litteras perferam. Simul enim finita est dicentium contentio, veritatem criminum fidemq;, probationibus certis instrui, nec suspicionibus tantam conjecturam permitti placuit: atque illum promptissimum servum, qui solus hæc ita gesta esse scire diceretur, sisti modis omnibus oportere. Nec tantillum cruciarius ille, vel fortunâ tam magni judicii, vel confertæ conspectu curiæ, vel certè noxiâ conscientiâ suâ deterritus, quæ ipse finxerat, quasi vera asseverare atque asserere incipit.* Deinceps subdolam confessionem prosequitur. *Nec quisquam Decurionum tam æquus remanserat juveni, quin eum evidenter noxæ compertum, insui culleo pronunciaret. Cum jam sententiæ pares, cunctorum stilis ad unum sermonem congruentibus, ex more perpetuo, in urnam æneam deberent conjici: quo semel conditis calculis, jam cum rei fortuna transacta, nihil postea commutari licebat, sed mancipabatur potestas capitis in manum carnificis: unus è curiâ senior, præ cæteris compertæ fidei, atque auctoritatis præcipuæ medicus, orificium urnæ manu contegens, ne quis mitteret calculum temerè, hoc ad ordinem pertulit:* Sequitur medici oratio, de servo quæstio, & pueri, quem mortuum credebant, in judicium productio: *Jamq; liquido servi nequissimi, atque mulieris nequioris patefactis sceleribus procedit in medium nuda veritas: & novercæ quidem perpetuum indicitur exilium, servus verò patibulo suffigitur; & omnium con-*
Apul. lib. 2. *sensu, bono medico sinuntur aurei, opportuni somni pretium.* In theatra interdum judicia translata ob loci amplitudinem Aupulejus alibi ostendit, *Jamq; sublimi suggestu magistratibus residentibus, jam præcone publico silentium clamante, repente cuncti consonâ voce flagitant, propter cœtus multitudinem, quæ pressuræ nimia densitate periclitaretur, judicium tantum theatro redderetur.* Populi partes in his rebus publicis quæ fuerint, non admodum clarè dispicio; videtur in nonnullis leges jussisse, Decuriones legisse: ad utrumque pertinere potuit lex tabellaria, quam M. Gratidium in Arpinati municipio
Cic. 3. de leg. tulisse, Cicero scriptum reliquit, & supra adduximus inscriptionem,

nem, quæ popularem Decurionum lectionem confirmaret. Sed hæc vetuſtiorum temporum, poſtea poteſtas omnis, ſi rectè obſervo, in Senatum, & Magiſtratus translata : quod ſi qui lapides Senatus populique, aut Decurionum & plebis meminêre, opinor populi aſſenſum applauſumque, haudquaquam ſcitum ſignificant. Quamquam fatendum, iſta conjecturis probabiliora, quam auctoritate nobis compertiora. Nunc, quoniam tota hac diſputatione, municipiorum & coloniarum exemplis uſi, rationes ex iis promiſcuè collegimus, cum differentia, à Gellio potiſſimũ prodita, in omnium ore verſetur, edocendum profectò accuratius, quid nobis ita viſum confundere. In primis cauſſa illa honeſtiſſima, quod itidem veteres probatosque ſcriptores feciſſe animadvertebam. Neq; hi colonias tantum ſed & Præfecturas & Fœderatas civitates, uno municipiorum nomine complexi. Haud equidem quod minus luculenta ſit Gellii diſtinctio, nihil eâ verius, verum quia vocabulum ipſum multiplicem vim laxioremque interdum ſignificationem obtinuit, Livius, *per Appiæ municipia, quæq; propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lavinium præmiſit* : At Setia & Sora coloniæ jam tunc temporis. Cicero oratione pro Plancio, *Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas, nemo Aquinas*, & mox, *iisdemq; nunc è municipiis adſunt Equites Romani*. Idem in epiſtolis, *L. Caſtronius Pætus, longe princeps municipii Lucenſis* : Cum Luca Anno urbis DLXXVI. colonia deducta fuerit, Livii etiam auctoritate. Item pro L. Varено, niſi levis Priſciani fides eſt, *C. Ancharius Rufus fuit è municipio Fulginate*, poſt hæc, *in præfecturâ Fulginate*. Fœderatam demum Neapolim (Neapolim antequam civitatem acceperit fœderatam, ut nullus alius, idoneus teſtis Polybius eſt) municipium Cicero vocavit, *L. Manlius eſt Suſis; is fuit Catinenſis, ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, Decurioq; Neapoli, erat enim aſcriptus in id municipium, ante civitatem ſociis & Latinis datam*. Sed ut elevemus horũ nonnulla, quando cognitũ municipia in colonias interdum mutata, & viciſſim colonias in municipia, nihil omnino apertius iis verbis, quib' Paulus in Pompejanâ epitome municipia tripliciter ita diſtinguit, ut tertium genus, municipia propriè dicta, & colonias ſimul comprehendat, *Tertio, cum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipia eſſent ſua cujusque civitatis, & coloniæ, ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes* : Quibus ſi ſubjunxero unum Gellii locum, *Quotus enim fere noſtrum eſt, qui cum ex coloniâ Pop. Rom. ſit, non ſe municipem eſſe, & populares ſuos municipes eſſe dicat?* Vlpiani alterum, *Nunc abuſivè*

Gell. lib. 16 c. 13.

Liv. lib. 26.

Cic. fam. lib. 13. ep. 14.

Liv. lib. 40.

Priſc. lib. 7.

Polyb. lib. 6

Cic. fam. lib. 13. ep. 31.

Paul. in v. Municipium.

Gell. lib. 16 c. 13.

Vlp. D. lib. 50. tit. 1. l. 1.

municipes dicimus, suos cujuscumque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos: Nullus qui nos pungat supererit scrupulus, quin permulta de municipiis allata testimonia, ab eorum auctoribus de coloniis dicta fuisse consentiamus. Nam & Augustam coloniam in nostris inscriptionibus municipium appellatam sæpe invenio, nec necesse, rei claræ & testatæ aliarum lapides in eundem sensum conceptos ascribere. Non absurdior illa, quam deinde causam sequuti sumus: Vt municipia etiam propriè, & quâ à coloniis differunt consideremus, rerum publicarum formæ, quantum vestigiis odorari potuimus, perparum plerumque à coloniarum rationibus distabant, & oppidò credibile, iis quotidie propius conformatas, sive quod coloniarum politiæ à Romanis conditoribus sapientissimè institutæ, & ut pulcherrima quæque æmulemur naturâ fit: sive quod in dominæ præcipuè urbis gratiam, disparilitatem quæ intercederet exuere, & se ad similitudinem harum, quæ Romæ effigies & simulachra essent, componere, quam à majoribus tradita instituta retinere maluerint, nam & hoc naturâ fit. Sanè Dictatores municipiorum sensim obsoluere, nec de cætero aliæ differentiæ valde in conspicuo. Vnde nimirum fluxit, quod cum Jurisconsultis de civitatum constitutionibus sæpe præscribendum fuerit, municipalium legum nomine, tum municipales, tum colonicas intellexerint.

Vlp. D. lib. 50. tit. 1. l. 27.

In transcursu admonendum, quod Vlpianus colonias contra municipia distinguit, *Si quis negotia sua non in coloniâ, sed in municipio semper agit: in illo vendit, emit, contrahit: eo in foro, balineo, spectaculis utitur: ibi festos dies celebrat, omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum, fruitur: ibi magis habere domicilium, quam ubi colendi causâ* (quidam codices, colendi ruris causâ, legunt) *diversatur*; non ad urbanas colonias, sed ad rustica prædia pertinere, quo sensu alibi, vias *quæ post Consularem excipiunt, in villas, vel alias colonias ducentes, putem etiam ipsas publicas esse*: & sic quoque Paullus eâ voce usus est, *nec enim semper liberabitur dominus, eo quod secundo vel tertio anno patietur fundo frui. nam & qui expulsus à conductione, in aliam se coloniam contulit, non sufficiturus duab', neque ipse pensionum nomine obligatus erit*: item Scævola, *quæsitum est, an reliquâ colonorum, qui finita conductione, interpositâ cautione de coloniâ discesserant, ex verbis suprascriptis legato cedant*.

Vlp. D. lib. 43. tit. 8. l. 2.

Paul. D. lib. 19. tit. 2. l. 24.

Scæv. lib. 33. D. tit. 7. l. 20.

Neque porrò dissimulabimus, quantumvis coloniæ, Reipublicæ constitutione quam explicavimus usæ, non obscuram libertatis speciem aspexerint, multis tamen modis Præsidum potestati fuisse obnoxias. Id in nostrâ historiâ approbant acta Afræ martyris, quam Præses Augustæ capitis damnavit: Et multo creberrima sunt Jurisconsultorum testimonia, ex quibus

quibus id ipsum constituamus. Quod Strabo scripsit, Nemauso nihil negotii esse cum præfectis Româ missis, aut absolutè verum non est, aut eximium ejus coloniæ privilegium fuit, nam & Plinii epistola & Trajani rescriptum ostendunt, Præsides coloniarum rationes cognovisse, nisi privilegium, aut mos vetustus, arbitrio suo Rempublicam administrandi obstaret. Quod si placet similitudine quâdam conferre inter se, res magnitudinis differentiâ valde dissitas, ut colonia, Decuriones, Duum viri & magistratus reliqui, Dominæ urbis, Senatus, Consulum, totiusq; Rom. Reip. vestigium referebant, sic præsides Imperatorum vicem præstabant, & quem Imperatores Romanis libertatis modum largiti, eo propemodum colonias per Præsides usas sentiendum. Nec postremò illud disconvenit, quod Imperatores sedem imperii orbis terrarum Romæ, præsides provinciæ in coloniâ, si una esset, aut in coloniarum præcipuâ, si plures, figere soliti, quod multis exemplis in promptu: sic tamen, ut pro rerum temporumque statu, reliqua suæ jurisdictionis loca peragrare non intermiserint. Vtrumque ex legum præscripto; *Vnusquisque judex in his locis sedem constituat, in quibus oportet omnibus præsto esse rectorem.* Et, *Provinciis præsidentes per omnium villas sensim atque usitatim, vicosq; cunctos discurrant.* Morabantur in civitatibus quibus palatia aut prætoria erant, in his ipsis, cæteroquin in privatorum civium ædibus. Rhætiæ Præsides Augustæ sedem habuisse cum in dubium revocandum non sit, neque argumentis hîc nobis comprobandum video. At deinceps, converso Romani imperii statu, in provinciis Præsidum loco Reges aut Principes succedere, & factum eâdem occasione, ut innumeræ per omnes regiones coloniæ, mero illorum dominio concederent. Augusta, & paucæ præterea, admirabili & memorabili in omni fortunâ fortitudine, per tot sæculorum ordines eluctatæ, una cum cæteris civitatibus, quas liberas vulgò quoque appellant, iis hodie legibus vivunt, quibus nec Præsides, qui isto sensu jam nulli sunt, neque Principes, præter summum unum, cui imperanti Romanus orbis pâret, respiciant: Quin communi probataq; doctorum hominum sententiâ, ipsæ Principis jure habeant, Principisq; vicem obtineant. Et quandoquidem terminos quos nobis ab initio panximus, Romana scilicet & Gothica tempora, orationis quodammodo curriculo sumus prætervecti, visum isto deinde loco, priusquam ad lineam redimus, annotare exortæ postmodum dignitatis genus, quod cum non tam iis quæ memoravimus sæculis, quam constituto etiam in Germaniâ Imperio planè sit recentius, antiquum tamen eo usque est, ut auctoris &, omninò originis memoriâ vetustate abierit, constet interim aliquot multis retrò ætatibus hominum

Strabo lib. 4.

Plin. lib. 10 ep. 56. 57.

Cod. Theod. lib. 1. tit. 6 l. 4. & 5.

Cod. just. lib. 1. tit. 41. l. 14.

Vide Ant. Gail. Observ. lib. 2. Observ. 57. num. 7. & Doctores quos allegat.

minum existimatione apprimè viguisse. Lecti nimirum quaterni ex singulis, quos hoc Imperium complectitur ordinibus, ii qui auctoritate & potentiâ cæteris sui ordinis antestantes, tanti Imperii majestatem columnarum veluti more fulcire, sive in membrorum modum illi subservire possent, nam utrâque appellatione honestatos reperio : cœptum à Ducibus primùm, quorum summa post Imperatorem habita potestas, per omnes ordine gradus descensum est. Inventæ itaque quatuor ex liberarum urbium omni numero (is superiori quidem ævo aliquantò quam nunc est fuit amplior) quæ reliquo uti par est credere consentiente & deferente collegio, columnis quas, appellavimus, accensæ, eximiè urbes, sive ut quidam vertendum existimarunt metropoles dictæ sunt. Eas inter Augustâ relatâ, magnum id ipsum dubio procul haberi poterat, at cum relata fuerit præterea loco omnium principe, quid Germaniæ de illâ universitas senserit, abundè profecto testatum reliquit, neq; ei rei cujusquam interpretatione opus. Nobis ad Romanos maturè revertendum.

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Sextus.

QVONIAM verò inter egregia Romanorum instituta, illud ab usque Romulo manavit, quod *coloniarum & sociarum ac amicarum civitatum, & bello subactarum quæque* (Dionysii verbis hæc referimus) *suos habebat Patronos, quoscumque vellet è Romanis civibus, & sæpenumero Senatus controversias civitatum ac gentium, ad earum Patronos remisit, eorumque judicia rata habuit*, cujusmodi tum multa, ex libris, tum infinita numero ex lapidibus suppetunt exempla; quin Augusta Drusum potissimum adoptaverit, in cujus se clientelam dederit, in ambiguo nimirum esse non debet. Is provincialibus & colonicis rebus compositis, redux exquisitis honoribus ab Italicis urbibus acceptus est, quod versus in ejus funere Liviæ consolandæ scripti innuunt, Dionys. lib. 2.

Funera ducuntur Romana per oppida Drusi,
(Heu facinus) per quæ victor iturus erat,
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis,
Hei mihi, quam dispar huic fuit illud iter.

Prætoria ornamenta Augustus, durante adhuc bello, ob pugnam in Tridentinis alpibus feliciter commissam detulerat, uti ex Dione cognovimus. Triumphus non ipsi, non fratri Tiberio, quidquid causæ fuerit, decretus, neque omnino Vindelici unquam triumphati sunt. Quod Eusebius anno Augusti XXXVIII. retulit, *Tiberius de Rhætiis, Vindeliciis, Armeniis ac Pannoniis triumphavit;* de Pannoniis (etsi diverso anno) verum est, de Armeniis, Dio lib. 54.

meniis, Rhætis & Vindelicis neutiquam, ſiquidem in hoc argu-
Vel. vol. 2. mento potior Velleji auctoritas, & Vellejus diſertè narrat, Tiberium ter triumphaſſe, bis ex Dalmatiâ, & Pannoniâ, ex Germaniâ ſemel, quatuor præterea triumphos meruiſſe, nec egiſſe, unum minorem, *ex Armeniâ receptâ, & ex Rege ei præpoſito*, tres majores, *Vindelicorum Rhætorumq́* victorem, & rebus in Germaniâ iterum tertiumque bene geſtis. Quid ergo Euſebio de
Suet. Tib. c. 9. Armeniaco ſcribere in mentem venit? In Rhætico & Vindelico, ex Suetonii verbis errandi anſam accipere potuit, quæ de Tiberii bellis hæc ſunt, *Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas ſubegit, Germanico XL. millia dediticiorum trajecit in Galliam, juxtaq́ ripam Rheni, ſedibus aſſignatis collocavit. Quas ob res & ovans & curru urbem ingreſſus eſt*: At neutrum ad Rhæticum & Vindelicum, utrumque ad Pannonicum & Dalmaticum, atque Germanicum bellum referre debebat. Oroſii etiam errorem, quem plerique ſequuti,
Oroſ. lib. 6. c. 21. hiſt. miſcel. lib. 7. Freculph. tomo 1. lib. 7. c. 16, Vel. lib. 2. Dio lib. 55. Flor. lib. 4. c. 12. hac occaſione notare fuerit operæ: Cum ſcripſerit Piſonem adverſus Vindelicos miſſum, quibus ſubactis victor ad Cæſarem Lugdunum venerit, Thraces ex Vellejo, Dione, Floro ſubſtituendi, Vindelici ex pungendi ſunt. An hominem fefellit, quod Vindelici Piſone conſule à Neronibus victi? Anno poſt Romam conditam DCCXLV. à coloniâ deductâ VI. (temporis rationem, ex numero annorum Tribuniciæ poteſtatis Auguſti inimus) numiſmata, quæ hodieque extant, hac ſpecie ſignata,

Ea quin ad Auguſtæ ſymbolum, quâ conum præferunt, referam, Auguſtæque percuſſa fuiſſe exiſtimem, cauſſæ nihil eſt, cur ita exiſtimem, cauſſæ graves ſunt aliquot. Nam quod coloniæ nomen non expreſſum, ſymbolum pro nomine eſt: Quomodo Julii nummos, qui parte adversâ Bellerophontem & Chimæram habent, Corinthiis omnes tribuimus, etſi Conrinthiorum nomen non omnes exhibent, & Antonii Triumviri leone inſignes, Lugdunenſium ſunt, tam qui coloniæ nomen habent, LVGVDVNI. A. XL. quam qui eo deſtituti, ANTONIVS. IMP. A. XL. Fit nimirum propriarum rerum fiduciâ, ut noſtra æquè omnibus nota, æternumque futura nobiſmet facile perſuadeamus. Nec quod his annis bellum in Germaniâ geſtum, cui Druſus immortuus, & quod Germaniam abiete notari

dixi-

diximus,ideo ſtrobilus, Germaniæ tribuendus. Victos populos nummi hoſtilibus ferè expreſſis armis & trophæis deſignant, aut alatis victoriis & coronis, aut captæ provinciæ ſpecie, aut captivis & ſupplicibus barbaris, aut arcuum fornicibus, & quadrijugis curribus, denique litteris rei bene geſtæ indicibus, quorum hîc nihil eſt. Accedit,quod TI. SEMPRONI. TI. F. GRACCVS. LEG. PROCOS. (Graccus ſine aſpirationis notâ,antiquitatis affectatione, Quintilianus, *Diu deinde ſervatum, ne conſonantibus aſpiraretur, ut in Graccis & triumpis)* Germanico bello intereſſe non potuit, ſiquidem id Druſus primum Prætor, dein Conſul geſſit, cum Gracchus interim legatus Proconſulis fuerit,& ut legatum Proconſule interpretari malimus,ineptientis eſt opinari,Prætorem aut Conſulem legatis Proconſulibus uſos. At Gracchum utrovis nomine Rhætiæ Præſidem egiſſe, non quidquam vetat, cum conſtet, quod de III. Viris docuimus, colonias Præſidum quoque nomina nummis honoris cauſsâ impreſſiſſe,fidem Auguſtæi iſti aſtruunt, P. CARISIVS. LEG. PROPR. COL. TOLET. P. CARISIVS. LEG. PROPR. EMERITA. prior caput fæminæ turritum,poſterior muros coloniæ & portas preferunt,ſic neſcio cujus coloniæ nummus, laureæ coronæ inſcriptum habet, SISENNA. PROCOS. ſubjectis Duumvirorum nominibus. Cæterum Sempronius Gracchus is ipſe videtur, qui Juliæ Auguſti F. adulterio nobilis, in Cercinâ Africi maris inſulâ exul ſub Tiberio cæſus: meminere Vellejus & Tacitus; nummi alii Quæſtoris & IIII. Viri titulos adjiciunt. Numiſmata Auguſtæ ſignata poſuimus,ſequuti præter vulgarem unam rationem, quâ non eſt credibile,colonicos nummos,extra eam coloniam,cujus aut nomen aut ſymbolum gerunt percuſſos, privam aliam; quia videlicet certæ in provinciis conſtitutæ urbes, quibus non tantum honorarii nummi iſti, ſed & pecunia ad quotidianos uſus, publicè feriretur (eo Ciceronianum pertinet, *cum ſignaretur argentum Apolloniæ)* atque Auguſta inter eas opinor: ſuadet tum ſplendor coloniæ, tum multo maximè Notitia, quâ Romani imperii forma poſt Conſtantinum deſcripta, nam nominat Præpoſitum theſaurorum Auguſtæ Vindelicenſis, quem & vectigalibus Rhæticis, & pecuniæ ſignandæ præfuiſſe; non incommodè conjicio. Neque illis accedo,qui perpaucis tantum locis,quibus Notitia Procuratores Monetæ conſtituit, pecuniam percuſſam ſentiunt,cum numiſmatum notæ plerasque præterea urbes indicent. Inventa Conſtantii Londinio,uti Camdenus obſervavit,ſic inſcripta, P. LON. S. quod pecunia Londinio ſignata nimirum, cum tamen Notitia Procuratorem monetæ in Britanniâ nullum habeat, habeat verò præpoſitum theſaurorum

Quint. lib. 1. c. 5.

Vell. lib. 2. Tac. An. 1.

Cic. fam. lib 13. ep. 10.

Cambd. Britan.

rum Auguſtenſium, ſiquidem Londinium Auguſtam dictam Marcellinus auctor. Sequentis anni hunc nummum habemus,

Marc. lib. 27.

Quem nemo imperitus adeo Germaniæ tranſcribet. Mulier ſellæ quadratæ inſidens, turribus comas cincta, dextrâ pineam nucem, lævâ cornu copiæ oſtentans, planè florentis quieſcentisque coloniæ, haudquaquam barbaræ & hoſtilis, bello oppreſſæ provinciæ ſigna prætendit. Tales MHTPOΠOΛEΩC. ΔAMACKHNΩN. ſub Antonino Pio, & AΔPIANOΠOΛEITΩN. ſub Caracallâ ſignatos nummos vidimus, niſi quod altera pro nuce victoriolam, altera dextram inanem porrigit. Prætereo plerasque ſive civitates ſive provincias, ſtantes cum Amaltheæ cornu expreſſas, ſed ſemper amicas, honoris commendationisque ergò, inimicas nunquam; idque comprobarem pluribus, ſi cui hæc aliquando in dubium ventura addubitarem. Iam unum non invitus conceſſero, coniferam imaginem non tantum coloniam Auguſtam, quamquam hanc inprimis, verum Rhætiam quoque omnem deſignare, quemadmodum Alexandrini nummi Ægyptum non minus reſpectant, utique ob conſenſionem inter caput & corpus reliquum. Ad annum coloniæ VIII. (annos Tribuniciæ poteſtatis cum annis coloniæ deductæ ita concinnamus, ut quamvis illa V. K. Julii occeperit, hæc, ut exiſtimamus, IV. Kal. Octobr. deducta fuerit, ejus tamen differentiæ nobis rationem non habendam putemus) nummus, qui ſubjectus eſt, pertinet,

Vindelicum eſſe ſi mihi liquere pronunciem, fallam, ſin me non inaniſſimis adductum ſuſpicionibus, hunc in modum arbitrari, fidem merear, & ſpero faciam. Libro ſecundo oſtendimus Præſides

ſides Rhætiæ pluribus annis præfuiſſe, ne quis ſolidum triennium à Graccho in magiſtratu exactum aſpernetur, ut hac depoſitâ provinciâ, mox aliam regendam acceperit, nimiò minus probabile eſt. At ſi hactenus Rhætiæ Præſes, quænam alia à Vindelicorum urbe colonia Julia Auguſta, quando idoneus valde auctor Tacitus, unam hanc Rhætiæ coloniam id temporis fuiſſe perdocuit? Julii nominis adjectio, Auguſti honori, quem in Juliam gentem adoptatum ſcimus, tributa, quâ ratione Juliam Berytum, Juliam Corinthum, Juliam Carthaginem, Juliam Parmam, Juliam Dertonam, Juliam Fidentiam, Juliam Valentiam, denique Juliam Auguſtam Taurinorum, & multas ad hunc modum in antiquis monumentis legimus; quin ſatis credo, coloniaſ Auguſti Julium cognomen omnes aſciviſſe, ad ſplendorem ſaltem & pompam, haudquaquam ad quotidianum uſum & conſuetudinem. II. VIR. ITER. nummum juſſu Duumvirûm, qui refecti eſſent, ſignatum oſtendit. EX. S. C. Senatusconſultum reſpicere nemo neſcit, ſed id quod vulgò adeò conſentiunt, hujus notæ numiſmata omnia Romæ percuſſa, palam falſum eſt, niſi ſi quis ferre poteſt, Duumvirorum & coloniæ potius Romæ, quam Senatus conſulti in coloniâ rationem habitam, cum hoc profecto conveniens, illud abſurdum ſit. EX. S. C. nos interpretamur, Senatum ejus facti, quod Auguſtani honeſtando Graccho nummo impreſsêre, extitiſſe auctorem; neque non quale id fuerit, ex Julii Cæſaris nummo quodam ſintelligere poſſumus; cum enim ille parte alterâ ſic inſcriptus ſit, COL. CASILIN. TI. SEMPRON. GRACCVS. Q. DES. ITER. indicat Gracchum Caſilini deductioni (Caſilinum coloniam à Cæſare deductam Cicero ſcripſit) præfuiſſe, & eo in noſtro boves juncti aratro, cum arante ritu Gabino cincto pertinent, ne quis de coloniâ ipsâ Auguſtâ ſuſpicetur, nam & alii Gracchi hujus nummi viſuntur, coloniarum ſymbolis vexillo, aquilâ, aratro, decempedâ inſignes. Eodem anno Tiberius Claudius Nero Conſul II. Imp. II. Kal. Januariis de Germanis triumphavit, uti eſt apud Dionem & cæteros, cujus ergò nummus hîc cuſus.

Vide Golzii theſaurum.

Cic. Phil. 2.

Dio lib. 55

Apertè noſter: Quî enim ad Germaniam hunc ſtrobilum vocemus (in quâ me tamen opinione aliquando verſatum, non diffi-

teor)cum utiq; rei natura, devictarum gentium ſymbola triumphantium curribus imponi, cogitare non patiatur : rectè illud, imponi eorum ſymbola, qui nummosſignavere ; ad manum exemplum L. Aquilii Flori, is quo cognominis originem oſtenderet, aut ad illud,uti fit, alluderet , quibusdam nummis florem bene magnum impreſſit,uni,quo Auguſto triumphum aliquem gratulatus , nam hæc eſt inſcriptio, AVGVSTVS. S. C. & parte alterâ, L. AQVILLIVS. FLORVS. III. VIR. quadrigam triumphalem impreſſit, & quadrigæ floſculum minutum impoſuit. Cui omnino geminum Auguſtanorum conſilium, Tiberii triumphum effictâ quadrigâ coluere, interim additâ pineâ nuculâ , nummus ubi percuſſus eſſet ſignificarunt. Quod ſi hoſtile ſolum pinea referret,imo erat ſine dubio loco ponenda , quemadmodum in navalibus interdum triumphis navium roſtra, & in Siculis ſpicas ſub equorum pedibus videmus. currui honoratiſſima quæq; impoſita , aut victores ipſi, aut numina, quorum ope ſe viciſſe crederent , aut ſymbola quæ nummorum auctores indicarent , nihil inimicum, niſi victor triumphans hoſtium ſpolia manu prætenderet ; opima præſertim Virdumaro detracta in Marcelli nummis obſervo. Anno demum coloniæ IX. ſi nobis in numeris Pliniani librarii non imponunt,Auguſto, QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIISQVE. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QVÆ. A. MARI. SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT. SVB. IMPERIVM. P. R. REDACTÆ. SVNT. trophæum à S.P.Q.R. poſitum,in eo perſcripti LICATES noſtri, & nomina præterea gentium XLII. Anno X. aut duobus proximè ſequentibus, nimirum ante Conſulatum Auguſti XIII. nummus iſte exiit,

Plin.lib.3. c.20.

Quem nobis eo minus audacter vendico,quod pleræque coloniæ Juliæ Auguſtæ;indicandus tamen viſus, quoniam & noſtra inter illas. Manus junctas,caduceum & copiæ cornua,concordiæ , pacis,abundantiæque eſſe argumenta omnes ſcimus. Anno coloniæ XIII. Cn. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Meſſallino Cotta Coſs. VIII. Kal. Januarii IESVS CHRISTVS Domi-

Cæſ.Baronii rationes in an-

Dominus Deus noſter ex virgine Mariâ natus, proximis Kal. Januarii Imp. Cæſ. Auguſto XIII. & M. Plautio Silvano Coſs. circumciſus eſt. A circumciſione faſti Chriſtiani initium capiunt, quos mihi porro ſequendos ſumo, cum omnis externæ hiſtoriæ collatio ex iis in proclivi ſit. Annos colonicos qui annumerare maluerit, intelliget à natali coloniæ ad Chriſti natalem interceſſiſſe annos XII. menſes II. dies XXVII. ad circumciſionem annos totidem, menſes III. dies IV. Anno Chriſti XVI. XIV. K. Septembr. Auguſtus obiit. De quo ſi rectè opinatus Suetonius, *non eſt, ut opinor, provincia, excepta duntaxat Africâ & Sardiniâ, quam non adierit*, eum Rhætiam adiiſſe conſequitur, atque de coloniâ inde quod ſuſpicemur habebimus. Eſt apud Suetonium, eum vino Rhætico maxime delectatum, quo Virgilium reſpexiſſe nonnulli ſentiunt,

——— & quo te nomine dicam
Rhætica? ———

Quamquam alioverſum trahat Servius. Sed quidquid hoc vini, Catoni quoq;, Straboni, Plinio, & Martiali laudati, in Rhętiâ quæ ad Italiã vergit naſcitur, ad res noſtras minus pertinet. L. Piſonem Rhætiæ Præfidem ſub Auguſto retulit Aventinus, primum ait poſt Claudios Tiberium & Druſum: quod cum ſcriberet, Oroſii locus, à nobis correctus paullò ante, menti obverſatus eſt, nam præter eos quos fefellit Oroſius, Piſonis in Rhætiâ nemo meminit, nec quisquam item Claudios Rhætiæ Præſides unquam dixit. Sunt tamen apud hunc, & apud quendam, qui vaniſſimâ item temeritate perpetuum Rhætiæ Præſidum catalogum edere profeſſus, alii adhuc inanioribus nixi ſuſpicionibus, de quibus ſi ſigillatim ſuis quibusque locis dixero, meo me ſimul & lectorem otio video abuſurum: Quid enim, exempli cauſsâ, in eo verba perdas, qui M. Antonium Præſidem ſub Imp. Claudio auſus obtrudere, quod in Euſebii chronico legiſſet, *M. Antonius Liberalis Latinus Rhetor*, profeſſionis hoc nomẽ ad Rhætiam pertinere arbitratus? quapropter ſemel moneo, quos Aventinus & alter ille prodidit, omnes à me viſos, omnes penſiculatè examinatos, eos tantũ receptos, quorum fides certis probatorum auctorum teſtimoniis ſubſiſteret. Cæterum tempora nominibus Imperatorum, quibus Rhætia paruit, & annorum numeris diſtinguere ſatis habui. Auguſti locum Tiberius tenuit, cujus initia legionum ad Rhenum ſeditio excepit; eâ per Germanicum compoſitâ, inquit Tacitus, *Veterani haud multò poſt in Rhætiam mittuntur, ſpecie defendendæ provinciæ, ob imminentes Suevos; cæterum ut avellerentur à caſtris, trucibus adhuc, non minus aſperitate remedii, quam ſceleris memoriâ.* Vidi, qui hoc loco ad pſeudo-Vellejanas nugas firmandas abuteretur, mirè

ANNUS CHRISTI. 1

16

no nativitatis Chriſti ſequimur.

Suet. Octav. c. 47.

Suet. Oct. c. 77 Virg. georg. lib. 2.

Cato apud Serv. Strab. lib. 4 Plin. lib. 14. c. 1. 2. 6. Mart. lib. 14. ep. 102.

Tac. An. 1.

mirè ineptus, nec enim ullum est verbum, ex quo Suevos provinciam irrupisse appareat; Germanicus imminentes tantum verbo prætexens, cum verior alia subesset caussa, præsidium non necessarium submittere voluit, quo colore quæsito castra exhauriret. Prætereo quantivis stuporis esse, hæc cum illis, quæ ante coloniam deductam contigerunt, confundere, & Tacitum tam supinum historiæ scriptorem existimare, ut veteranos in Rhætiam ablegatos accuratè litteris consignaverit, internecione paullo post cæsos silentio dissimularit. At nec imminentes quidem Suevi otiosè transmittendi, qui jam id ævi Rhætiæ proximi coluerint, ad Martianum videlicet nemus, quod Hercyniæ sylvæ pars est prope Danubii fontem, cui Ausonius aliquot post sæculis hæc verba affinxit,

Ausepigr. 4. ——————— *fontem mediis effundo Suevis.*

Strab. lib. 7. Nam & Strabo, maximam Suevorum gentem, partim in Hercyniâ, partim extra habitare, à Rheno ad Albim, atque adeo ultra

Tacit. de germ. Albin pertingere scripsit, & Corn. Tacitus, Suevorum non unam ut cæterorum gentem esse, *majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusq; discreti, quanquam in commune Suevi vocentur*. Nos in tabula Suevos, qui postea Alemani appellati, eo sanè loco posuimus, nec procul inde confinium Germaniæ Rhætiæque, ab hoc quoque Tacito memoratum. Et hæc monuimus, ne quem ancipitem haberent, Suevi à diversis auctoribus ad Rhenum, ad Danubium, ad Albim, ad Oceanum Suevicum, quin & in Sarmatarum finibus collocati. Vt item proclive esset intelligere, quid ita Danubii fontes auctores Rhætiæ, Sueviæ, Germaniæ promiscuè ascripserint. Anno XVIII. post Christum natum, Germani- 18
cus Arminium ad Visurgim flumen magnâ pugnâ vicit, qua bonam fortemque operam Romanis Rhæti & Vindelici navave-

Tac. An. 2. re, Tacitus, *Insignis Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam: incubueratq; sagittariis, illa rupturus, ni Rhætorum Vindelicorumq; & Gallicæ cohortes signa objecissent. Nisu tamen corporis & impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam agnitum à Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emissumq; tradiderunt.* Dixi dudum, videri cuidam, Vindelicor. cohortes pro Augustano Vindelicis accipiendas esse, nec vanè: Hoc planè indubiū, ut Rhæticæ & Vindelicæ cohortes milites interdum peregrinos, qui provinciæ præsidio erant, significent, sicuti Syriacæ & aliarū gentium legiones eâ de caussâ dicuntur, ita Rhætorum Vindelicorumq; cohortes de provincialibus ipsismet intelligendas. Anno XX. Strabo de Rhæ- 20

Strabo lib. 4. tis, Vindelicis, Noricis prodidit, *Jam agitur annus tertius supra trigesimum, ex quo quiescentes tributum legitimè persolvunt.*

34 *vunt.* Anno XXXIV. IESVS CHRISTVS, Dominus Deus noſter cruci affixus, pro hominum ſalute mortuus
39 eſt. Anno XXXIX. Tiberius obiit: cujus nummos hiſce inſcriptionibus extare, COL. AVGVSTA. VINDELICOR. & COL. AVGVSTA. RHÆTORVM. Golz theſ. c. 18. alienâ fide ſcribo, ſi bona & certa, leviter enim ſubdubito, uterque noſtram coloniam, quamquam diverſo cognomine intuetur: cauſſas differentiæ multò ante explicavimus. Sub eo, qui ſucceſſit Cajo Caligulâ, nihil de rebus Rhæticis, quod ad noſtram cognitionem pervenerit, litteris conſignatum. Etſi enim Aventinus Fabianum neſcio quem Tiberii & Caji temporibus Vindelicorum Rectorem ex patriis annalibus, quos faciles nimis & obſequentes habere ſolet, eruit, aſſenſum ſuſtineo: ſiquidem annales iſti, antiquiſſimi ut ſint, ante aliquot centum annos, non adeo multos, ab imperitis hominibus ſcripti ſunt, nec nos alia ad commentandum potior cauſſa impulit, quam ut eorum rubiginem & ſitum detergeremus. Adde quod ſæpenumero obſervo, quædam ex cariosis iſtis obſcurorum auctorum ſcriptis à nonnullis audacius quam conſideratius colligi, quæ tantum ab ipſorum ſententiâ, quantum ipſi à veritate abſce-
43 dant. Anno XLIII. Cajo occiſo, Claudius iniit: quo imperante Petrum Apoſtolum Romam veniſſe, innumeris ſanctiſſimorum hominum teſtimoniis à ſacræ hiſtoriæ ſcriptoribus
56 comprobatum video. Anno LVI. Nero rerum potitus: ſub quo Paulus in Italiam appulit. Atque ab his Apoſtolorum principibus, Chriſtianæ religionis radios aliquos jam tunc temporis in Rhætiam immiſſos, non eſt improbabile. Præcipuè à Petro, ſive per miniſtros, quos Romæ ſedens ablegaverit, ſive per ipſum, quo tempore edicto Claudii, cujus Suetonius meminit, cum cæteris Judæis Româ pulſum, evangelii lucem per Italiam vinicasque provincias circumtuliſſe credendum. Nam Pauli nobilis locus, *Ita ut ab Hieruſalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Chriſti*, vereor ne ad res noſtras parum faciat. Sed quod in eâdem epiſtolâ Davidis vaticinium, *in omnem terram exivit ſonus eorum*, effectu vel tunc confirmatum aſſeverat, oſtendit profectò, plerasque provincias jàm aut apoſtolos, aut apoſtolorum diſcipulos, qui homines ad pietatis ſtudium cohortarentur, inaudiviſſe: Et ſi conjecturis quidquam licet, id de Italiâ, Italiæque proximis, inprimis exiſtimare æquum, cum de perlonginquis multis indubium ſit. Sin verò de Petro, Petriſque diſcipulis non ita liquet, Petri tamen ſucceſſoribus evangelium à Rhætiâ deberi pro comperto eſt; his enim Innocentius Pontifex, epiſtolâ ante annos prope mille ducentos ſcriptâ, omnium Italicarum eccleſiarum conſtitutionem diſertè tribuit, Italiæ autem Innocentii ætate Rhætia accenſa,

Suet. Claud c. 25.

Paul. ad Rom. 15. Paul. ad Rom 10. ex pſ. 18.

Innoc. ep. 1. ad Dec.

Manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atq; Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Nec quisquam tam absurdi ingenii est, quin monitus sibi persuadere patiatur, permultas illustres civitates, Christianæ religionis cultores, eorumque præfectos episcopos, dudum ante ea tempora habuisse, quæ nunc ex privatis annalibus vetustissima possunt erui, nam memoriam tot sæculis intercidisse num mirum? cum præsertim Diocletiani dein Imp. jussu incredibilem numerum librorum, quibus ecclesiastica monumenta comprehensa, ignis absumpserit. Neronis apud nos nuper æreus nummus effossus, circa caput hisce notatus litteris, NERO. CAESAR. AVGVSTVS. parte aversâ sub figurâ sedente & dexterâ pateram prætendente, SALVS. S.C. Ejus interitum anno LXX. Galbæ 70
paucorum mensium imperium consecutum est, à quo descisendi initium Germanicæ legiones fecere: eas sequuta Rhætia, *contactu valentiorum* agebatur, ait Tacitus, neq; in militaribus copiis per provinciam dispositis *mora, quo minus statim adjungerẽtur.* Itaque à Galbâ (Othone nunquam recepto) principio anni sequentis LXXI. in Vitellii nomen juravere, Porcio Septimio Procuratore præeunte. Aventinus Septimium & Sevastum Rhætiæ 71
Vindeliciæque legatos sub Nerone nominat, cum Sevastum Aquilejæ Fori Julii civitati præsedisse acta Hermagoræ episcopi ostendant. Porro iis bellis, quæ Vitellius cum Othone & Vespasiano gessit, fortem fidelemq; Rhætorum operam expertus est, adversantibus Noricis. Cum partium Vitellianarum dux Cæcina, per Helvetios in Italiam iter faceret, tumultuantibus Helvetiis, *missi ad Rhætica auxilia nuncii, ut versos in legionem Helvetios à tergo aggrederentur. Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. Exitiosum adversus veteranos prælium, intuta obsidio, dilapsis vetustate mœnib'. Hinc Cæcina cum valido exercitu, inde Rhæticæ alæ cohortesq;, & ipsorum Rhætorum juventus, sueta armis, & more militiæ exercita; undiq; populatio & cædes. Ipsi in medio vagi, abjectis armis, magna pars saucii, aut palantes in montẽ Vocetium perfugêre. Ac statim immissâ cohorte Thracum depulsi, & consectantibus Germanis Rhætisq;, per sylvas, atq; in ipsis latebris trucidati. Multa hominum millia cæsa, multa sub coronâ venundata. Cumq; direptis omnibus, Aventicum justo agmine peteretur, missi qui dederent civitatem, & deditio accepta.* Hic observo Rhæticas alas cohortesque, à Rhætorum juventute distingui, illas

Tac. hist. lib. 1.

Vide acta Hermag. apud Vincent. lib. 8. c. 116. Pet. de Nat. lib. 6. c. 86. lib. 8. c. 291. Candid. hist. Aquil. lib. 2.

illas esse alas & cohortes inter auxilia conscriptas, hanc non scriptam provincialem voluntariorum juventutem, cui egregium militaris fortitudinis testimonium perhibetur. Pergens in itinere Cæcina, *quia præsidio alæ unius latissima pars Italiæ defendi nequibat, præmissis Gallorum, Lusitanorum, Britannorumq; cohortibus, & Germanorum vexillis, cum alâ Tauriana ipse paululum cunctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret, adversus Petronium Procuratorem, qui concitis auxiliis, & interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu, ne amitteret præmissas jam cohortes alasq;, simulq; reputans plus gloriæ retentâ Italiâ, & ubicumque certatum foret, Noricos in cætera victoriæ præmia accessuros, Pœnino subsignanum militem itinere & grave legionum agmen, hibernis adhuc nivibus, traduxit.* Othonis autem exercitu Bedriaci victo, ipsoque mortuo, Fl. Vespasianus de imperio cogitans, sibi quoque Rhætiam occultis artibus adjungere tentavit, *deprehensi cum litteris edictisq; Vespasiani, per Rhætiam & Gallias militum & centurionum quidam, ad Vitellium missi necantur: plures fefellêre, fide amicorum, aut suomet astu occultati.* Consilium id tamen frustra fuit, Rhætiâ in fide persistente; itaque occupata à Flavianis Veronâ, magno adjumento summæ rerum existimatum, obstruxisse saltem aditum *per Rhætiam Juliasq; alpes.* Atque labentibus Vitelli deinde rebus (sive hæc ante Veronam captam, quod viro docto & amico I. Lipsio non ab re videri video, contigêre) Vespasiano adjunguntur, & *trahuntur in partes, Sido atque Italicus, Reges Suevorum* (eorum qui apud Sarmatas & Iazyges, haud quaquam in Rhætiæ finibus, nam de Sidone apertè ex Taciti annalibus colligas) *quibus vetus obsequium erga Romanos, & gens fidei commissæ patientior. Opposita in latus auxilia, infestâ Rhætiâ, cui Porcius Septimius Procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum alâ Aurianâ & VIII. cohortibus, ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Oeni fluminis, quod Rhætos Noricosq; interfluit, missus; nunc illis aut his prœlium tentantibus, fortuna partium alibi transacta.* Quibus explicandis mirificè quidam nugatur, cum lectori non ignavo sensus satis constet: opposita scilicet à Flavianis auxilia, quod illis Rhætia adversa, cui Septimius Procurator Vitellianarum partium præesset, missum ergo Felicem, Oeni ripam Noricam insedisse. Flavianis autem quotidie magis invalescentibus, & Cæcinæ proditione jam patefactâ, adhuc *ingens Germanorum vis per Rhætiam timebatur*, auxilium latura Vitellio, Rhætiæ Præside transitum per provinciam perlubenter concessuro: sed hæc maturato Vitellii exitio irrita, idque Antonius Primus, ut suâ virtute perfectum, Vespasiano inter præcipua

Tac. hist. lib. 2.

Tac. hist. lib. 3.

Lipsius ad 3. lib. hist. Tac.

Tac. An. lib. 12.

Tac. hist. lib. 3.

pua beneficia imputavit, *ſuâ conſtantiâ perruptas alpes, occupatam Italiam, interſepta Germanorum Rhætorumq; auxilia.* Vitellio demum occiſo, Rhætia cum reliquâ Republicâ in Veſpaſiani poteſtate fuit. Neque inde fidem Germanico bello, quod Civili Batavo duce motum, exuit: eo Sextilius Felix, Romanis ad Rhenum ſubſidia adducens, ex Norico *cum auxiliariis cohortibus, per Rhætiam* iter tenuit. Tac. hiſt. lib. 4.

Anno LXXII. Hieroſolyma à Tito, Veſpaſiani filio, capta & exciſa: ejus rei hanc in Hebræorum libris chronicis memoriam reperio, *Venit Aſpaſianus* (Veſpaſianus eſt) *devaſtans templum, tranſtulitq; Iſrael, & familias multas de domo David & Jehuda in Aſpamiam, quæ eſt Hiſpania.* Seder Olam Zuta. 72

Quid hic ſibi Hiſpania ſola velit neſcio, niſi auctor Hiſpanus patriæ tantum rationem habere voluit: Rectius Joſippus, *Veniens Veſpaſianus Cæſar atque Titus filius uxoris ſuæ, devaſtaverunt domum ſecundam, tranſtuleruntq; Iſraelem Romam*, Romæ nomine Romanum imperium intelligit; nam Judæos illa clades non tam in unam Hiſpaniam, quam reliqua terrarum ſola, quæ præſertim Romanis parerent, disjecit, Ioſ. de decẽ captiv. Prud. Apoth. adv. Iud.

———— *per omnes*
Terrarum pelagiq; plagas tua membra feruntur,

Ait Prudentius, totam gentem alloquens: quo Rutilius ſcripſit, *Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt.* Rutil. Itiner.

Nec improbabile credo eſt, eâdem occaſione nonnullos Auguſtam delatos, ubi diutiſſimè conſediſſe multis Hebraicis characteribus inſcriptis monumentis, & privatorum annalium auctoritate compertum. Benjamin quidam Tudelenſis, qui ante annos CD. ſcripſit, inter Germanicas urbes, quæ Judæorum Synagogas habeant, *Davir Asburk* poſuit vulgarem *Augsburg* enunciationem, uti videtur, ſequutus, ſubjungit autem, *in quibus etiam metropolibus multi ex Iſraelitis ſunt, ſapientum diſcipuli ac divites.* Quo fortaſſe *Davir* reſpicere cuipiam videatur, nam Hebræorum lexica *Dabir* interpretantur oraculum. Porro ſi ex primis Judæis unum aliquem tamquam protento digito indicare cogar, TIB. CLEVPHAS. IIIIII. VIR. AVG. NEGOCIATOR. ARTIS. PVRPVRARIÆ. cujus titulus apud nos extat, certè extitit, hujus potiſſimum conditionis videatur; Cleuphæ enim vel Cleophæ nomen Hebraicum eſſe, divinarum litterarum monumentis proditum, Tiberii prænomen, in Romani alicujus clientelâ fuiſſe indicat, ſic Flavii Joſepho accrevit, & purpurariam factitaſſe ab homine Paleſtino non alienum. Ben. Itiner. Luc. c. 24. Joan. 19.

Anno LXXXI. Titus patre mortuo imperavit. Ad utrum horum pertinuerit baſis prægrandis, Veſpaſiani nomine elegantiſſimis litteris inſcripta, quam ante annos circiter XX. cum horreorum ad Marianam portam fundamenta 81

damenta locarentur inventam, terraque denuò operarum incuriâ adobrutam, & ei inædificatum esse audio, non admodum scio; quandoquidem quos magistratuum titulos numerosque prætulerit tunc, haudquaquam observatum, neque nos nunc comperire possumus. Filii est nummus æreus inter pulcherrimos, qui unquam Augustæ eruti, T. CAES. VESPASIAN. IMP. PON. TR. POT. COS. II. parte aversâ eques, CÆSAR. DOMITIAN. DES. COS. II. S.

83 C. Post Titum Domitianus anno LXXXIII. imperium suscepit; à quo L. Antonius, superioris Germaniæ Præses, ut Suetonius habet, defecit, quem L. Maximus, ait Xiphilinus, bello vicit & cepit. Eo bello Norbanum (Præfectum Prætorio postea) pro Cæsare stetisse, *& Vindelicis in oris* degisse, cum apud Martialem reperiam, fortassis eum Rhætiæ Præsidem fuisse minus insulsè suspicer, quam de plerisq; aliis quidam fecerint; sed multæ præter hanc causæ Norbano esse potuerunt veniendi in Rhætiam, quapropter nihil assero, Martialis versus isti sunt, Suet. Dom. c. 6. Xiph. Domit. Mart. lib. 9. epigr. 80.

Cum tua sacrilegos contra Norbane furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieriâ ludebam tutus in umbrâ,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat. &c.

Nisi quis tamen amphiboliam illuc trahat, ut haudquaquam *tibi Vindelicis narrabat in oris*, verum *me Vindelicis raptum in oris* componat, quod à poëtæ sensu existimo alienum. Quæ Aventinus de Vindeliciâ, Rhætia, Norico, his temporibus à Germanis vastatis, nullus veterum prodidit, ideo nec memoratu digna

98 credidimus. Occiso Domitiano anno XCVIII. Nerva imperium non toto biennio tenuit. Vidimus ejus nummum argenteum, in Augustano agro repertum, IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P.P. parte aversâ manus junctæ, cum signis militaribus, CONCORDIA. EXERCITVVM. Et quamquam aliorum etiam Imperatorum nummi, sive Augustæ, sive in viciniâ reperti multi extent, eos tamen, qui argumentum nostrum nihil juvarent, parcè, neque nisi si qui dum hæc maximè commentaremur eruti forte quadam in manus venissent, indicandos duximus. An-

100 no C. Trajanus excepit: is quamvis vigesimum annum attigerit, nihil tamen eo Principe de rebus Rhæticis annotatum a-

119 nimadverto. Hadrianus anno CXIX. successit. Qui pleraque in imperii constitutione novavit, Victor in epitome, & auctor historiæ miscellæ eum secutus, *officia sanè publica & palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit, quæ paucis per Con-* Hist. misc. lib. 10.

stanti-

ſtantinum immutatis, hodie perſeverat. In Rhætiâ multa ejus rei veſtigia obſervo: quæ tum aliunde, tum ex Notitia imperii cautè ſublegenda, nec omnia promiſcuè confundenda ſunt; uti illi procul dubio fecerunt, qui dimidiam Notitiam edentes, hoc eſt indicem occidentis tantum, Hadriani ei ætatem aſcripsêre, cum interim Gratianenſes, Valentinianenſes, Honoriani, alia ſexcenta inſcripta nomina, totis ſæculis Hadriano poſteriorem eſſe vincant. Nam quod Notitia Conſulares octo per Italiam deſcribit, Spartianus de Hadriano palam diſſentit, *quatuor Conſulares per omnem Italiam judices conſtituit*, & quædam alia hujus generis, ab illis non animadverſa minus miror. Verum quod ex hac ipsâ Notitiâ appâret, Italiam diviſam in ſeptendecim provincias, quarum Rectores Præfecto Prætorio Italiæ, ſive ejus Vicariis omnes paruerint; & quidem duas fuiſſe, Rhætiam primam, & Rhætiam ſecundam, ſub ſingulis Præſidibus ſingulas; Rem militarem procuratam ab uno Duce in utrâque Rhætiâ, qui Rhætici inde limitis Dux dictus, ſub diſpoſitione Magiſtri peditum fuerit: Fiſcum à theſaurorum Præpoſito, qui Auguſtæ conſtitutus, Comiti ſacrarum largitionum rationes reddiderit: Horum ut opinor nihil eſt, quin ex Hadriani inſtitutione, etſi leviter fortaſſis poſtmodum mutatum inflexumque, ducat originem. Quæ maximè inſignia, Provinciç diviſionem, & militaris ſive Comitis ſive Ducis inſtitutionem, ab Hadriano manaſſe, hâc potiſſimum ratione colligo, quod cum imperii deſcriptionem ſemel atque iterum poſt Auguſtum mutatam cognitum habeam, ab Hadriano primum, à Conſtantino ſecundo loco, neceſſe ſit ea, quæ poſt Hadrianum denique, neque antea, ante tamen Conſtantinum obtinuiſſe obſervamus, Hadriano aſcribere: At Rhætiam unius numero, auctores Hadriano vetuſtiores conſtanter ubique omnes habent, Strabo, Vellejus, Plinius, Tacitus, Suetonius, & qui Livianas epitomes ſcripſit, quem non ex ſuo, ſed ex Liviano ævo cenſeo: niſi cui tamen Taciti locus ſcrupulum objicit, *Germania omnis à Gallis Rhætiisq; & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisq; mutuo metu, aut montibus ſeparatur*; ſed intuenti diligentius, apparet hæc gentium, haudquaquam provinciarum eſſe nomina, & eâdem inflexione nonnulli apud Juſtinum legunt, *ex nomine ducis gentes Rhætiorum condiderunt*, ubi ego tamen *Rhætorum*, in Tacito *Rhætis*, longè malim. Alioquin Tacitus Rhætiam novies minimũ, ſingulari numero diſertè ſcripſit, plurali nunquam. Poſt Hadrianum autem Rhætiam & Rhætias promiſcuè reperio: certè Capitolinus in Pertinace, Vopiſcus in Probo Rhætias nominant, neque, eorum qui poſt Conſtantinum ſcripſere, Ammiani, Zoſimi, Caſſiodori, plurimo-

Tac. de germ.

Juſt. hiſt. lib. 21. Tac. An. lib. 1. hiſt. 1. 2. 3. ter. 4. de Germ. biſ.

rimorum aliorum, nunc mihi ratio habenda. Vti ergo cum Galliam & Hiſpaniam interdum, ſæpe Gallias & Hiſpanias apud auctores legimus, utramque multiplicem fuiſſe intelligimus, ſic abſurdum eſt, ex quo tempore Rhætiæ nonnatæ, ſimplicem provinciam cogitare: quod ſi duplex, duos itidem Præſides habuiſſe conſequitur. Neque ob id negandum, utramque, prout Imperatoribus collibuiſſet, uni potuiſſe committi, cujusmodi & alibi gentium exempla prodita. In agro Veronenſi lapis extat, quem inter externa monumenta, quæ ad res Auguſtanas pertinent, retulimus, inſcriptus Q. CAICILIO. CISIACO. SEPTICIO. PICAI. CAICILIANO. PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG. PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC. ET. VALLIS. POENIN. Is Hadriano poſterior, ſiquidem Auguſtorum meminit, nec omnino anterior M. Antonino & L. Vero, qui primi Auguſti pariter appellati, indicat Cæcilium Rhætiam, Vindeliciam & vallem Pœninam ſimul rexiſſe (nam ſingulas deinceps rexiſſe vereor nemini probare poſſe) ſed eum in modum indicat, ut diſtinctis nominibus tres provincias ſignificet, Alpium ſcilicet partem, quæ ſeptendecim Gallicis provinciis in Notitiâ hoc titulo annumerata eſt, *Alpes Pœninæ* (Penninæ quibusdam codicibus) *& Grajæ*, atque Rhætias duas, primam Rhætiæ ipſius, ſecundam Vindeliciæ nomine: nam C. Ligurius qui inſcriptionem poſuit, antiquitatis uti videre eſt affectator, priſco Vindeliciæ vocabulo pro Rhætiâ alterâ, non aliter ac AI diphthõgo pro AE uſus. Atque hinc in illas conjecturas ſum propenſior, quæ Rhætiam ſecundam iisdem, aut planè non multum diverſis terminis, quibus olim Vindeliciam conſtitiſſe volunt. Memini cum motus voculâ PROVINCIAI. Rhætiam Vindeliciam Vallem Pœninam, unam Provinciam accepi: nimis leviter: nunc corrigo. Sic eſt in lapidibus PROCVRATOR. PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. ET. AQVITANIAE. item PROCVRATOR. AVGVSTAE. VIAE. OSTIENS. ET. CAMPANAE. cum Lugdunenſis & Aquitania duæ tamen provinciæ, Oſtienſis & Campana duæ viæ ſint. Sed & illud muto, quod PROCVR. Procuratorem, qui vice Præſidis jus dixerit, aliquando interpretatus; verius eſt ex Rationalium claſſe fuiſſe, ejus generis quod Notitia Præpoſitum theſaurorum appellat, Auguſtæque Vindelicorum in ſecundâ Rhætiâ ſedem habuiſſe oſtendit. Quandoquidem PROLEG. eo ſpectat, illum abſentibus aut mortuis harum provinciarum Præſidibus Legatisve, eorum officio pro tempore eſſe functum, idque à PROCVR. utique diſtinguit. Vtramque Rhætiam Italiæ attributam, Notitiæ auctoritate dixi, cujus Goltz. thes. c. 12.

fidem per se certam & spectatam, firmat provinciarum libellus. & Longobardica Pauli Historia; neque enim hunc auctorem so-leo contemnere, quem multis optimis libris, quibus nos deficimur, usum sciam. Caussa cur hæc, & quædam aliæ provinciæ sectæ, cur item rei militaris procuratio separatim sub duce habita, fuerit vel ambitio, quo magistratus & honores ad plures pertingerent, vel Imperatorum cautio, ut vires immodicæ Præsidibus acciderentur, quo nimirum pacto Aristophanes in Platonis Symposio homines insolescentes à Jove in duas sectos partes memorat: nam infamis illa postremorum temporum, quam Claudianus elegantissimis versibus, sub Auroræ personâ, in Eutropii eunuchi invidiam expressit,

Paul. lib. 2. c. 15. edit. Aug. l. b. 2. c. 11. edit. Basil.

Claud. in Eutr. lib. 2.

Aula choris epulisq; vacat, nec perdita curans,
Dum supersit aliquid: ne quid tamen orbe reciso
Venditor amittat, provincia quæque superstes
Dividitur, Geminumq; duplex passura tribunal,
Cogitur alterius pretium sarcire peremptæ.
Sic mihi restituunt populos, hac arte repertâ,
Rectorum numerum terris pereuntibus augent,

Hadriani ætati, rebus Romanis maximè florentibus, minus convenit. Quantumvis autem Notitia Præsidum sedes non expressit, quoniam tamen Augusta Rhætiæ secundæ attributa, pro explorato credo afferre possumus, illius partis ibi Præsidem consedisse: Primæ tribunal Curiæ fuisse, & nomen indicio est, & quod ea urbs perpetuo ejus provinciæ caput habita. Nam quod quidam Constantii demum ætate conditam existimant, infirmis admodum suspicionibus persuasi sunt. Alterum caput, Ducis nimirum institutio, ex Notitiâ æquè in aperto est. Sed hîc etiam docendum, Rhæticos Duces ante Constantinum fuisse, quod ex Notitiâ, cum posterior Constantino sit, scire non possumus, Vopiscus ostendet, *ex libris Acholii, qui Magister admissionum Valeriani Principis fuit libro actorum ejus IX. Cum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam officio Palatino, assidentib⁹* tum aliis quos enumerat, tum inter eos, *Fulvio Bojo Duce Rhætici limitis:* Et in Bonoso, *duxit ordines, tribunatus egit, Dux limitis Rhætici fuit.* Inde eodem argumento quod in provinciæ divisione sequuti, originē ad Hadrianum referimus, quando Valerianus & Bonosus ante Constantinum. Neque tamen inficias imus Comitem rei militaris primum appellatum, qui postea nomine tantum mutato in Ducem abierit, quandoquidem acta Faustini & Jovitæ, qui sub Hadriano pietatis rei, Italici Comitis Rhætiarum meminere. Atque Spartiani de Hadriano verba ad hanc rem universè facere crediderim, *post Cæsarem Octavium, labantem disciplinam incu-*

Vop. Aur.

Acta S. Faust. ap. Sur tom. 1. Martyr. Adon. 15. Fecr. Spar. Hadr.

riâ su-

riâ ſuperiorum principum, retinuit, ordinatis & officiis & impendiis: Propriè nummum iſtum,

In quo minutum quiddam obſervo, inter militaria ſigna nullam conſpici aquilam, quoniam necdum ulla legio in Rhætiâ ſtativa habebat, legiones autem tantum aquilis uſæ, & ſi forte Prætoriæ cohortes, uti ex Antonii Triumviri nummis cognoviſſe videor: apud Tacitum Germanicus, aquilas *Romanas aves, propria legionum numina* appellat. Tac. An. 2. Eques dextrâ elatâ Hadrianus eſt, ut vel hinc certi reddamur, ejus quod jam antea ex hiſtoriis ſubolebat, Hadrianum Rhætiam adiiſſe; ait Xiphilinus, *Hadrianus in alias ex aliis provincias, regionesq; & urbes proficiſcitur, viſendi cauſsâ.* Xiph. Hadr. Spartianus, *peregrinationis ita cupidus, ut omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præſens vellet addiſcere,* Gallicam Germanicamque profectionem præter cæteras, nominatim memorat, quarum utrâque Rhætiam attingere potuit. Victoris epitome, *Immenſi laboris, quippe qui provincias omnes pedib' circumierit.* Sed & coloniam adiiſſe, quin & ornaſſe credimus. Hæc in commune ex Dione Xiphilinus, *Socias urbes, atque ſubditas imperio Romano, ex quibus multò plures, quam ullus unquam Imperator vidit, magnificè juvit, easq; aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecuniâ, honoribus, cæterisq; rebus auxit, atq; ornavit.* De Auguſtâ privatim fidem facit, quod Ælium ab illo prænomen mutuata, ſic enim in antiquo apud nos lapide bis legitur, AEL. AVG. Aelia Auguſta, cum credibile neutiquam ſit, urbes hujus generis nomina, niſi inſignitis beneficiis affectas aſciviſſe, ſic eſt in Veronenſi lapide, COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. quod MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM. DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS. IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO. AVG. N. Smet. fol. 145. n. 8. Quodnam Hadriani in noſtram beneficium extiterit, definitè pronunciari non poteſt. Sciens ſum Imperatores præterea aliquos Ælios dictos, quin & Cæſarem Hadrianum Ælium adoptavit, cujus æreum numiſma inventum Auguſtæ, L. AELIVS. CAESAR. inde ſpei typus, TR.

POT. COS. II. S. C. sed civitates Æliæ, quantum observo, Hadrianum qui id nomen privatus tulit spectarunt, testes, COL. AELIA. CAPITOLINA. COL. AEL. HADR. AVG. COL. AELIA. HADRIANA. AVG. ZAMA. REGIA. MVNICIPI. T. AELI. HADRIANI. AVG. CIVILITAN. & opinor, COLONIA. AELIA. AVGVSTA. THAENIT. quarum omnium æra & marmora meminere. Sed neq; quod antea Augustam Juliam appellatam conjecimus, nunc Aeliam dictam, lapidi non credere nequimus, novum est; ascititia enim hæc nomina, quasi exemptilia emblemata, pro tempore sumebantur, ponebantur. Plerasq; multò etiam magis istâ ambitione luxuriasse videmus; Aventicum, aut Avanticum, ut Ptolemæus habet, est in Domitiani nummo, COL. IVLIA. AVANTICOR. in lapide, *COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. AVENTICVM. HELVETIORVM. FOEDERATA. Contra in antiquissimo marmore simplicissimè, COL. HEL. Colonia Helvetiorum, proprio nomine non expresso, quomodo videlicet Tacitus Rhæticam coloniam dixit. Matidiæ, quæ Sabinæ Hadriani uxori soror fuit, statua hoc tempore Augustæ posita, cujus basis nunc quoq; supereſt. Anno Christi CXL. Antoninus Pius imperare 140
cœpit. Sub quo Justinus, Christianus Philosophus & martyr scripsit, *ne una quidem natio, vel Græca vel barbara, vel quocumq; tandem censenda vocabulo, ne ex his quidem, quæ pro domib' plaustris utuntur ac tentoriis, agentes vitam pastoricam, tam aliena est à Jesu crucifixi nomine, ut nec preces, nec gratiarum actiones in eâ dirigantur, ad omnium patrem conditoremq;.* Ergo conjecturæ de Claudii & Neronis ætate ut minus sedeant, sub Pio tamen homines Christianos in utrâq; Rhætiâ, pæne suburbanis provinciis, fuisse, ne disquirendum quidem amplius. Pius Faustinam Annii Veri F. uxorem habuit, cujus nummus argenteus, dum hæc commentamur, Augustæ repertus, nobis allatus est, DIVA. FAVSTINA. AVG. parte unâ inscriptus, alterâ AETERNITAS, ipsius Pii æreus magnus, ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. inde, ANNONA. AVG. COS. IIII. S. C. uti enim Capitolinus ait, *vini, olei & tritici penuriam per ærarii sui damna emendo, & gratis populo dando sedavit.* Avidium Cassium Rhætiarum legatum tunc temporis annotavit Aventinus, ex Vulcatio Gallicano venatus, cujus de Cassio verba sunt, *Cum exercitum duceret, & inscio ipso manus auxiliaria, centurionibus suis auctoribus, tria millia Sarmatarum negligentius agentium, in Danubii ripis occidissent:* at piget pudetq; ineptiarum, quas facere non possum quin,

Golz. thes. c. 13.

Lips. auct. ad Smet p. 26.

Stumf. lib. 8.

Just. colloq. cum Tryphone.

Vulc. Avid. Cass.

præter

præter quod propoſueram, interdum caſtigem. Vt quis nimirum exercitum prope Danubium duxit, Rhætiæ ſtatim legatus aut Præſes fuit? Quamquam ferrem conjecturas utcumque, ſi pro conjecturis ſe ipſæ ferrent; nunc tam tenuia nugamenta pro certo & comperto, velut ex tripode pronunciari, neque lectori dubitandi inveſtigandique occaſionem relinqui, ferendum non
163 eſt. Anno CLXIII. M. Aurelius Antoninus Philoſophus & L. Verus ſimul iniere. Sub his fieri poteſt, ut Q. Cæcilius Ciſiacus Septicius Pica Cæcilianus, Rhætiarum Prolegatus, Auguſtorumque Procurator fuerit. Etſi enim ſæpe poſthac duo pluresque ſimul Auguſti, antiquaria tamen ſcribendi ratio, quam in iſtius elogio notavimus, inferioris ſæculi vix videtur. Cum Catti in Rhætiam irrupiſſent, contra eos Aufidius Victorinus, vir Senatorii ordinis præcipuus, Marciq; condiſcipulus, miſſus eſt, uti apud Capitolinum legimus. Philippum epiſcopum hâc tempeſtate ſupplicio ob Chriſtianam fidem Auguſtæ affectum, prodidere Primus Cabilonenſis, & Franciſcus Irenicus: quorum tamen non graviſſima apud me fides, quod auctores quos ſequuti non laudant, quod hujus epiſcopi in noſtrarum eccleſiarum monumentis memoria nulla extat, quod denique his ipſis Imperatoribus Philippus Gortynæ in Creta epiſcopus vitâ & litteris illuſtris vixit, cujus Euſebius, Hieronymus & martyrologia meminere; atque fieri potuerit, ut affinitas inter Cretæ & Rhætiæ nomina impoſuerit, nam id aliâs contigiſſe
171 certus ſum. Anno CLXXI. L. Vero mortuo, Marcus imperium ſolus tenuit; quodque barbari provinciam denuo incurſarent, P. Helvium Pertinacem, qui Commodo in imperio ſucceſſit, Prætoriis auctum ornamentis, cum legione primâ ſubmiſit, is confeſtim *Rhætias & Noricum ab hoſtibus vindicavit. Ex quo, eminente induſtriâ, ſtudio Marci Imperatoris conſul eſt deſignatus.* Pertinacem conſulem ſub Marco faſti nulli habent, itaque nec ordinarium, ſed ſuffectum interpretor, anno Chriſti CLXXVII. quo Piſo & Julianus ordinarii conſules, nam in Didio Juliano Spartianus ait, *fuit conſul cum Pertinace;* inde credi-
176 bile rem in Rhætiâ geſtam, anno priori CLXXVI. qui victoriâ contra Marcomanos & Quados, Chriſtianorum militum precibus divinitus impetratâ celebris. Quamnam primam legionem Pertinax adduxerit, cum plures fuerint, non auſim definire. Quoniam verò Marcus Germanos Rhætiis & Norico magis magisque inhiantes animadvertit, neque ſufficere populationibus prohibendis auxilia per præſidia diſpoſita, nec vicinarum provinciarum copias adeſſe in tempore, novas legiones inſtituit duas, Secundam & Tertiam Italicam, quarum prior in Norico, in Rhætiis poſterior ſtativa haberet, ſic enim Dio prodidit. Neque

Capi. M. Ant.

Prim. in topogr. Iren. in exeg.

Euſ. hiſt. lib. 4. c. 24. Hier. de ſcript. eccleſ. mart. Rom. Beda. Vſuar. Adon.

Maur. 3. Id. April.

Capit. Pertin.

Dio lib. 55

moror inſcitiam cujusdam, qui legiones tertias Italicam, Auguſtam, Alpinam & Felicem differre non ſenſit. Italicæ, aliqua in agro Auguſtano, ſed & frequentia in urbe monumenta extant, quæ Legatum, Tribunum, Aquiliferum, Alæ Decurionem Militesque reſpiciunt. Verum ab inſtituto nihil diſceſſero, ſi rem omnem militarem Rhæticam, oblatâ occaſione ex Notitiâ breviſſimè deſcripſero; quantumvis enim non eam inficias, à Marco ad Notitiæ ævum quædam mutari potuiſſe, & verò mutata fuiſſe, quia tamen de iis ſigillatim per temporum momenta non conſtat, hic commodus viſus locus totius illius rationis ſemel explicandæ. Omnes ergo copiæ Ducei, (qui à Præſidibus proculdubio diverſus, nonnunquam tamen Principum voluntate idem erat, ſic Valerianus apud Pollionem, *Tranſrhenani limitis ducem, & Galliæ Præſidem Poſthumum fecimus*) Dux Magiſtro peditum, qui quod prope Imperatorem ageret Præſentalis dictus, parebat. Spectabilis viri nomine inſignitus, Perfectiſſimis & Clariſſimis ſuperior, Illuſtribus inferior erat, nam has dignitatum differentias, ex Imperatorum legibus, Juriſconſulti obſervant. Officium, id eſt, ohortem comitatumq;, hocce habebat; *Principem ex officiis Magiſtrorum militum præſentalium, alternis annis* (viciſſim ſcilicet ex officio Magiſtri peditum & Magiſtri equitum) *Numerarios duos, ex utrisq; officiis præſentalibus ſingulos. Commentarienſem, ex utrisq; officiis alternis annis. Adjutorem. Subadjuvam. Regerendarium. Exceptores. Singulares. Et reliquos officiales.* Peditum equitumq; præſidia circiter viginti utriusq; provinciæ locis diſpoſita, Coloniâ Auguſtâ imuni. Nam id inſignis beneficii loco quibusdam aliquando urbibus conceſſum, eſt in plebiſcito, quo Thermenſes Majores Piſidæ immunes facti, NEI. QVIS. MAGISTRATVS. PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS. NEV. QVIS. ALIVS. MILITES. IN. OPPIDVM. THERMESIVM. MAIORVM. PISIDARVM. AGRVMVE. THERMESIVM. MAIORVM. PISIDARVM. HIEMANDI. CAVSSA. INTRODVCITO. NEIVE. FACITO. QVO. QVIS. EO. MEILITES. INTRODVCAT. QVOVE. IBEI. MEILITES. HIEMENT. NISEI. SENATVS. NOMINATIM. VTEI. THERMESIVM. MAIORVM. PISIDARVM. IN. HIBERNACVLA. MEILITES. DEDVCANTVR. DECREVERIT. Simili propemodum formulâ Auguſtanis Vindelicis cautum crediderim. Cæterum legionem Italicam in quinque Præfecturas tributam video, cum Præfectus ejus unus ſive Caſtris Reginis, ſive Vallato egerit; alter Sumuntorio, cui cura ripæ Danubii, inibi primæ ut vi-

Vide Briſſ. & Hotoman. de vero. ſignif.

ut videtur appellatæ, credita: Tertius Camboduni, qui Vemaniâ Cassiliacum usque curavit: quartus Fœtibus, specierum transvectioni præpositus; nam quæ antiquitus fruges, frumentum, vinum, oleum, postea species dictæ: quintus Terioli, hoc ipso titulo fuit, præpositus scilicet annonæ, quam ex Italiâ Transpadanâ importatam credimus, meminit Annonæ Rhæticæ D. Augustinus, etsi commentator in clarissimâ luce cæcutiens, nescio quid pro eâ nugarum obtruserit, *Quasi somnia narrasse, quæ passus est, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Rhætica, quoniam ad Rhætias deportatur:* Extra legionem deinde, Præfectus militum Vrsariensium Guntiæ: Præfectus numeri Barbaricariorum Confluentibus aut Brigantiæ, quamquam ad meum sensum Barcariorum rectius, cum & alibi classem Barcariorum Notitia nominet, & barbaricarii non milites, sed fabri fuerint, qui cassides auro, argento, ære ornabant. Tribuni Cohortium septem, Cohortis nimirum Novæ Batavæ Batavis: Cohortis III. Brittonum Abusinæ: Cohortis VI. Valeriæ Rhætorum Venaxamadoro, nisi nomen corruptum: Cohortis I. Herculeæ Paroduni, quod pro Parthano accipio: Cohortis V. Valeriæ Phrygum Pinianis: Cohortis III. Pannoniorum Cælio: Cohortis Herculeæ Pannoniorum Arbore. Quibus octavum addamus licet, Tribunum gentis per Rhætias deputatæ Teriolis. Notum autem inferioribus temporibus gentes & gentiles dictos barbaros, quorum magna vis in Romanorum castris; id indignatus Synesius, Reipublicæ aliquando interitum allaturum prævidit, & luculentâ illâ oratione, quæ est de regno ad Arcadium, prædixit. Equitum, Stablesiani seniores Augustanis, Juniores partim Ponte Oeni aut Febianis, partim Sumuntorio: Alæ præterea tres sub totidem præfectis, Ala I. Flavia Rhætorum Quintanis: Ala II. Valeria Singularis Vallato; Ala II. Valeria Sequanorum Vemaniæ. Atque has stationes in chorographicâ tabulâ singulas notavimus, paucis omnino exceptis; nam Fœtibus, Venaxamadoro, Pinianis & Febianis, quis situs tribuendus sit, necdum scio. Quendam, quiplerasque præterea legiones temere in Rhætiâ collocat, & omnium ineptissimè magnam vim peditum equitumque, quam Notitia Magistro militum præsentali Orientis tribuit, ex alio orbe huc transcribit, nihil moramur, quandoquidem ea motæ mentis somnia sunt; Celsus ait, *Fere verò antiqui tales ægros in tenebris habebant*, idem si ad rem nunc litterariâm conferantur, magno reipublicæ bono fiat. Anno CLXXIX. Eleutherus Pontifex Soteri Romæ subrogatus: Sub quo Lucius Britannicus Rex, cui patrem Coillum, avum Marium aut Manium, proavum Arvitagum ejus gentis historici prodidere, Christum profess-

Aug. de civit. lib. 18. c. 18.

Cels. lib. 3. c. 18.

179

Hanc reg. succeff. vide apud Galf. Mon. lib. 4. c. 16. 17. 18. 19.

Pontic. Vir. lib. 5. Polid. lib. 2 Beda hist. lib. 1. c. 4. & de sex æt. Ado in chron. Mar. Scot. in chron. lib. 2. Sigeb. in prol. chrō. Dam. in Pontif. Martyr. 3. Id. Dec. Sig. Meisterlin. chron. m. 5. p. 4. c. 1. Aeg. Scud. de Rhæt. c. 15. Stumf. chron. lib. 10. c. 15. ex tabulis eccles. Cur. Martyr. R. 3. Id. Dec. Pet. de Natal. lib. 1. c. 24. Act. c. 13. Rom. c. 16.

fessus est, uti vetustus valde auctor Beda, præter multos alios scriptum reliquit. Itaque ejus rei dubium nullum esse potest. Sed quod Britannici scriptores eum in patriâ sine liberis decessisse affirmant, neque cum annalibus privatis nostris, neque cum tabulis ecclesiæ Curiensis, quæ nonnullis publici juris auctorib' juvantur, convenit. His quippe relatum, Lucium relicto regno, cujusmodi exempla prisca ætas plura tulit, magna terrarum spatia obivisse, ut pietatem, quâ ipse imbutus, alios doceret. Eâ occasione in Rhætiam & Augustam venisse, ubi cum de religione sermones serenti fidem multi adhiberent, inter quos Campestrii viri primarii nomen hodieq; celebratur, cives reliquos odio Christiani nominis adactos, hominem hospitem primo conviciis incessisse, lapidum dein jactu petiisse, in puteum demum male mulctatum deturbasse, unde piorum auxilio ægre semianimis extractus, in alpinam Rhætiam concesserit, ibique post diligentem operam, revocandis ab impietate populis impensam, demum occubuisse. Vtriusque narrationis disidium ut quidam tollerent, sibi asserendum existimarunt, Lucium qui Augustæ, & in reliquâ Rhætiâ egit, diversum à Britannico, ætate priorem, aut Cyrenensem fuisse, cujus Lucas in actis meminit, aut alterum illum, si tamen alter, cujus Paulus in epistolâ ad Romanos; neque ego non æquo animo assentirer, si opinioni, quam verbo ponunt, pondus ab auctoritate gravioris antiquiorisq; alicujus testis adderent, nunc cum ejus nihil sit, quid definiam incertus feror, & in rebus vetustis & obscuris adeo, interdum caligare fas esse arbitror. Eorum nugæ, qui Cyrenensem cum Britannico miscent, nec temporis quanta intercapedo sit vident, responsione indignæ sunt. Ædiculam, quam secundo ab hoc libro Augustæ antiquissimam haberi diximus, hoc tempore positam autumant: ea perexigua nunc quoque, minor aliquanto à principio constituta, multis post sæculis aucta, à Leone IX. Pontifice Max. Anno Christi MLI. D. Gallo Abbati dicata est, dedicationi Henricus III. Imp. affuit. Anno CLXXXII. M. Aur. Antonino mortuo, filius Commodus successit. Vtrum Lucius Christo sub eo demum, an sub patre nomen dederit, quidam in diversum auctores trahunt, de patre tamen plures tradunt: qui Veri nomen adjiciunt, in errore versari hinc apparet, cum Eleutherus, ad quem Lucium scripsisse omnes consentiunt, non nisi octavo anno post Veri mortem inierit, & Cōmodi postremum attigerit. Annus CXCV. tres Imperatores vidit, P. Helvium Pertinacem, M. Didium Julianum, cujus hic argenteus nummus Augustæ ad S. Crucis erutus, IMP. CAES. M. DIDIVS. IVLIAN. AVG. RECTOR. ORBIS. & L. Septimum Severum: Priores duo paucorum mensium, poste-

182

195

Plat. præter citatos.

posterior multorum annorum fuit. Ejus maxima beneficia extitere, tum generatim in universam Rhætiam, tum privatim in Augustam coloniam. Aventinus Vindelicorum legatum sub Commodo fuisse quod scribit, errat ut solet, largiter; Xiphilinus quippe & Herodianus, Pannoniis præfuisse prodidere, Spartianus Carnunti imperatorem appellatum, Capitolinus ab exercitu in Illyrico, quæ eodem pertinent. Aventinus si patria carmina opponit, hæc enim semper in tempore morigera ad manus sunt, nemo stomachum cohibeat. Ego ea non hic tantum contemno, sed omnino in Romanâ Rhætiæ historia (quod semel dicendum est) nullibi audienda existimo. Scio, esse qui contra sentiant, cum Tacitus carmina unum apud Germanos memoriæ & annalium genus appellet: At cisdanubianæ provinciæ nondum tunc temporis Germanicæ: sumpserint à Germanis vicinis morem, aliâ sunt usæ linguâ: condonemus id etiam, num porro credibile, tot sæculis vertentibus, tot barbarorum gentibus inundantibus, tot urbibus eversis, & quidem toties, carmina, quæ nullis litteris, solâ memoriâ æternitati mandabantur, hominibus curæ fuisse? Sed fuerint (quamquam non fuerunt, nam quæ habemus, ætatem Longobardicam vel Gothicam, ut antiquissima sint; loquuntur) iis tamen ab auctoribus inscitiæ involucris, veri falsique commixtione, rerum, nominum, temporum personarumque perturbatione convoluta sunt; ut qui nudam intro aspicere veritatem, mihi Lynceus, idem ex anilium fabularum narratiunculis, penitissima philosophiæ arcana eruere posse videatur. Rhætiam tamen Septimio in adipiscendo imperio faviisse, inde fit ut credam, quod id Herodianus non obscurè de exercitibus omnibus senserit, *qui pro ripis Danubii Rheniq, excubantes coërcendis barbaris, Romanum tuentur imperium.* Ex Spartiano discimus, illum magnificentię dignitatisq;, quæ ab ædificandi studio est, fuisse percupidum; *sunt*, inquit, *per plurimas civitates opera ejus insignia*, exempla dein subjungit. Et Augustæ supereſt fragmentum inscriptionis, positæ anno
197 CXCVII. ut ego conjicio, pro incolumitate Imperatoris, ob restitutos aut muros, aut pontes, aut fornices collapsos, aut denique quidquid aliud, nam rei restitutæ nomen abest. Anno
198 CXCVIII. Claudius Lateranus, quem Victor inter præcipuos Severi amicos numerat, XV. Vir Sacris faciundis, Consul designatus, Legatus Proprætore Legionis III. Italicæ, Mercurio votum apud nos solvit, cujus titulus adhuc visitur. Anno
203 CCIII. Severus & Antonini filii, insigni provinciæ commodo, vias & pontes per Rhætiam restituerunt, ab Augustâ quidem Italiam versus passuum millia minimum CX. nam hoc numero inscriptus cippus in alpibus extat, præter proximiores tres, qui

Xiphil. Sev. Herod. lib. 2. Spart. Sev.

Capitol. Albino.

Tac. de germ.

XXXXI. XXXXII. XXXXIII. præferunt: à Camboduno millia paſſuum XI. lapidis etiam auctoritate, qui à reliquis unâ in re differt, quod Septimii & Aur. Antonini nomina habet, Getæ non habet. Reſtituerunt autem, quoniam jam antea à prioribus Imperatoribus inſtitutæ munitis terreis aggeribus & injectâ glareâ. Aggerum credo per provinciam alibi multæ ſuperſunt reliquiæ, ſed inſignes, quod conſtat, ad Auguſtam urbem, ſtratæ vernaculâ quoque linguâ appellatæ, cum vias publicas, Conſulares, Prætorias & Militares, poſterius ſaltem ſæculum ſtratas dixerit. Cod. lib. 11. tit. 74. l. 4. Ibid. lib. 15. cap. 16. Anno CCXIII. Q. Epidius Ruſus Lollianus Gentianus, & Pomponius Baſſus Conſules fuere, ad quos jam olim ſuſpicatus ſum pertinuiſſe litteras pergrandes & pulcherrimas marmori inſculptas, & ſic integritati reddendas, *gentian*O. ET. BASSO. CO*s*. ex Zophoro ædificii alicujus publici, ſi rectè æſtimamus, Auguſtæ reliquas. 213 Iſto ipſo anno Severus (cujus nummos argenteos in agro Auguſtano, & urbe ollulâ fictili conditos, effoſſos vidimus, parte aversâ FORTV. REDVC. IVSTITIA. & typo BONI. EVENTVS. inſignes) in Britanniâ mortuus, filios ſucceſſores habuit; quorum major M. Aur. Antoninus Caracalla anno proximo CCXIV. fratre Getâ per ſummum ſcelus occiſo, 214 ſummam rerum ad ſe traxit. Ejus ſtatuæ baſim mancam habemus, Antoninorum, Hadriani, Trajani & Nervæ, quos ſibi pater majores adoptaverat, nominibus præſcriptam. Collocatam credo, quo tempore *circa Rhætiam non paucos barbaros interemit*, Spartianus auctor, *militesq; ſuos, quaſi Syllæ milites & cohortatus eſt & donavit*. Spart. Carac. Barbari, Alemanni fuiſſe videntur, nam & alibi Spartianus Caracallam Alemannicum dictum aſſerit, quod Alemannos vicerit. Ad Syllæ mentionem quod ſpectat, Herodianus, *Laudabat autem ex omnibus ducibus præcipuè Syllam Romanum & Afrum Hannibalem*, Spartianus, *Tiberium & Syllam in conventu plerumq; laudavit*, rurſus, *Syllam ſe etiam oſtendens futurum*. Herod. lib. 4. Anno CCXIX. Macrinus & Diadumenianus Imperatores facti. 219 Anno CCXX. Antoninus Elagabalus, quem fere Heliogabalum ſcriptores appellant; Aviæ memoria in nummo argenteo apud nos reperto extat, IVLIA. MAESA. AVG. parte alterâ femina ſedens, cum epigraphe PVDICITIA. 220 Anno CCXXIV. Severus Alexander, Juliæ quoque Mæſæ nepos: Qui primus ex Imperatorib⁹ Chriſtum coluit, impiè tamen cum Apollonio, Abraha, Orpheo, & quibusdam aliis in larario conjunxit, quod Lampridius tradidit, quin & Chriſto templum facere voluiſſe, quod Hadrianus jam antea cogitaverit. 224 Res eo principe in Mauritaniâ Tingitanâ à Furio Celſo geſtas, apud hunc quoque legimus. Lamp. Alex.

mus. Quo fieri poteſt, ut T. Varii Clementis Rhætiæ Procuratoris inſcriptiones reſpexerint, PRAEF. AVXILIARIORVM. TEMPORE. EXPEDITIONIS. IN. TINGITANIAM. MISSORVM. item PRAEF. AVXILIORVM. IN. MAVRET. TINGITAN. EX. HI-
237 SPANIA. MISSORVM. Anno CCXXXVII. Julius Maximinus Thrax à militibus lectus. Anno
240 CCXL. Gordianus Gordiani Africani nepos, à Senatu. Nam Gordianorum priorum duorum, uti & Balbini atque Pupieni, qui Maximino vivo Imperatores fuere, hic rationem non haben-
246 dam duximus. Anno CCXLVI. Philippus rerum potitus. Quem cum filio, Imperatore quoque Chriſtianum fuiſſe, antiquiſſimi auctores Euſebius, Oroſius, Vincentius Lirinenſis, & martyrologia conſentiunt. Quod ejus in Gordianum perfidiam fidem abrogare quidam exiſtimant, fruſtra opinor ſunt: quot enim perfidi ex Chriſtianis? Quamquam eſt etiam credibilius, eum poſt ſcelus demum patratum Chriſtianum effectum. Sub Philippis fortaſſis Varius Rhætiæ Procurator fuit, cujus proximè meminimus, nam in lapide AB. EPISTVLIS. AVGVSTORVM dicitur, nec id à tempore Tingitanæ expeditionis abhorret. Anno CCLIII. utroq;
253 Philippo interfecto, Decius cum filio imperavit. An-
254 no CCLIV. Gallus & Voluſianus ſucceſſere. Galli nummum his annis, una cum quibusdam aliis poſteriorum Imperatorum, Auguſtæ erutum vidimus, ſic utrimq; inſcriptum, IMP. C.C. VIB. TREB. GALLVS. AVG. LIBERTAS. PVBLICA. Video jejunam & ſterilem hanc ſcriptionem plerumque videri poſſe; multorum Imperatorum nudis propemodum aſcriptis nominibus, ſed ejus in nobis culpa nulla reſidet: cum de Auguſtanis Rhæticisq; rebus plura quæ proderemus non eſſent, neque profecto erat, cur de cætero copioſi haberi vellemus; cui enim bono Cæſarum hiſtoriam, quâ ad res noſtras nihil pertinet, inani oſtentatione exequeremur? Quod id vulgo etiam à privatæ urbium populorumque hiſtoriæ ſcriptoribus fieri animadvertebamus, ſequi von viſum.

Euſ. lib. 6. c. 27. Oroſ. lib. 7. c. 20. Vinc. adverſ. hær. cap. 23. Mart. 14. Maji in Pontiano.

MARCI

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Septimus.

RHÆTIA deinde anno Christi CCLV. Romano orbi Imperatorem Valerianum delit: Orosius, *Valerianus in Rhætiâ ab exercitu Augustus est appellatus*, totidem verbis Eusebius in Chronico. Eutropius, *Licinius Valerianus in Rhætiâ & Norico agens, ab exercitu Imperator, & mox Augustus est factus.* Quæ verba interpretatus Aventinus, *Bataviæ, in confinio Rhætiarum, Vindeliciæ & Noricorum* lectū existimavit. Absurdè admodum: nec enim *in Rhætiâ & Norico agens*, sibi aliud vult, quam eum Rhætiis & Norico simul præfuisse, cum uni plures interdum mandarentur provinciæ, uti jam antea observavimus, viris primariis præsertim, qualis Valerianus, S. C. auctoritate, quod apud Pollionem extat, *Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vitâ, doctrinâ clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Simile est, quod ab hoc Valeriano Ragonium Clarum Illyrici simul & Galliarum Præfectum constitutum Pollio scripsit. Nam ut quo tempore imperium adiit, in Rhætiâ & Norico una fuerit, intelligi non potest, ne si in Batavis quidem. Minus fortassis aberrat nostra suspicio, adiisse in urbe Rhætiæ principe, Augustâ coloniâ. Id à plerisque Imperatoribus factitatum scio, qui Romæ non possent, ut in splendidissimis urbibus, quarum claritudine sibi commendatio accederet, imperium auspicarentur. Nam exempli causâ, Vitellius in colonia Agrippinensi iniit, Severus Carnunti, Niger Antiochiæ, Saturninus Alexandriæ, Proculus Lugduni. Adde ex Victoris historiâ Augustâ locum, *milites, qui contracti undique apud Rhætias*

255

Or. lib. 7. c. 22.

Eut. lib. 9.

Treb. Pol. Valer.

Pol. Balista.

De Vitel. Tac. hist. lib. 1. Sev. Spart. Nigro. Herod. lib. 2. Saturn. & Procul. Vopisc.

tias ob instans bellum morabantur, Licinio Valeriano imperium deferunt: Quippe cum Æmilianus in Mœsiâ res novas molitus, Italiam infesto agmine peteret, Gallus, ut Zosimus refert, Valeriano negotium dederat Gallicas Germanicasque legiones trans alpes cogere, & auxilio adducere, unde Zonaras Valerianum transalpinarum legionum ducem appellavit: Jam in Rhætiâ colligendis copiis locus aptior nullus, quam qui prope Augustam ad Lycum campi sunt, ubi etiam Germani Cæsares posterioribus temporibus, in Italiam moturi fere exercitum contrahere soliti. Senatus interim Romæ Gallienum Valeriani F. Cæsarem primò, dein Augustum dixit. Cujus initia, quod inter auctores satis constat, laudatis Imperatoribus conferenda, reliquum vitæ ignaviſſimum fuit & fœdiſſimum. Patre enim anno CCLXII. à Persis capto, luxui se totum mancipavit, Rempublicam incredibili inertiâ & socordiâ prope pessundedit, ut eum Julianus in Cæsaribus aptè stolâ & incessu molliori mulierum ritu utentem introduxerit. Itaque triginta per omnem Romanum orbem tyrannis imperatorium nomen invadendi audaciam addidit, & occasionem rati barbari, provincias quique finitimas populati sunt. *Germani* (Orosius scriptum reliquit) *Alpibus, Rhætia totaq; Italiâ penetratâ, Ravennam usque pervenerunt*. Vrbes ubiq; plurimæ captæ, direptæ, dirutæ, paullatim postmodum à popularib⁹ instauratæ, in pristinum splendorem assurgere non potuere; hic ipse Orosius, qui annis circiter centū quinquaginta posterior vixit, *extant adhuc*, inquit, *per diversas provincias in magnarū urbium ruinis, parvæ & pauperes ædes, signa miseriarum & nomina servantes*. Rhætiæ tamen minora tantum oppida hostium injuriis patuisse, coloniam Augustā restitisse; inde fit ut credam, quod non adeò multos post annos gravi obsidione cincta, par esse, & suppetias ab Aureliano Imperatore expectare potuit, quod incolumis & florentis urbis indicium habeo. Defensam opinor præsidio Legionis III. Italicæ & reliquarum militarium copiarum quæ per provinciam dispositæ, sive à Fulvio Bojo, quem Rhætici limitis Ducem fuisse Memmio Fusco Consule, id est, anno Christi CCLXI. ex Vopisco scimus, sive ab Aureolo tyranno ex XXX. quem Victor in historiâ prodidit, imperium contra Gallienum sumpsisse, *cum per Rhætias legionibus præesset*, Trebellius Pollio, cum regeret *Illyricianos exercitus*, sed utrumq; simul verum esse nihil vetat, nam solius Rhætiæ viribus subnixum purpurā ausum attentare, supra fidem. De Aureoli fortasse Tyrannide sensit incert⁹ auctor in Maximiani panegyrico, cum Rhætiam sub Gallieno amissam scripsit, nisi verisimilius Germanicam irruptionē respexisse, & rem oratoriè verbo auxisse. Quod est in Victoris epitome, Aureolum Mediolani dominatū invasisse, cautè legendum, cum Imperii insignia ibi non sumpse-

Vict. edit. Schotti.

Zos. hist. lib. 1.

Zonar. Æmil.

262

Oros. lib. 7. c. 22.

Vop. Aurel.

Vict. edi. Schotti.

Treb. Pollyr.

rit, sed pugnâ victus sive Mediolani, sive ad pontem Aureolum prope Mediolanum occubuerit. Et longè credibilius, Mediolanum ex proximâ Rhætiâ, quam ex Illyrico venisse. Anno CCLXIX. Claudius imperium accepit. Anno 269
CCLXXI. Claudii frater Quintillus: eoque intra XVII. diem 271
interfecto, Aurelianus. Quem liberatorem est Augusta experta,
Vop. Aurel. siquidem Vopisco teste *Vindelicos obsidione barbaricâ liberavit*, neque hæc verba de gente generatim capi possunt, sed ad urbem principem pertinent, usitatâ bonis auctoribus scribendi ratione. Idem inter Aureliani elogia post mortem in Senatu jactatum, *Ille Vindelicis jugum barbaræ servitutis amovit*. Vt inde, quo admodum delectari soleo, simul coloniæ dignitatem, cujus periculum Imperatorem auxilio exciverit, liberatio illi ornamento fuerit, simul oppugnationis impetum, qui leviori operâ depelli nequiverit, liceat æstimare. Hostes Vopiscus non nominat, ex
Zos. lib. 1. Zosimo Alemanni credendi, *Imperator intellecto, Alemannos cum remotioribus & finitimis sibi nationibus Italiam incursionib' vexare decrevisse, non abs re de Româ vicinisq; urbi locis magis sollicitus, satis magno Pannoniæ relicto præsidio, versus Italiam perrexit* (Italiam Rhætias tunc complexam memoriâ repetendum) *& in extremis ad Istrum partib' conserto prœlio, multa barbarorũ millia delevit*. Convenit Alemannos, cum alpes transcendere & Romam versus instituissent pergere, Augustam, quæ prima obstaret, obsidione cinxisse, eâ Aureliani adventu solutâ, domum repetentes circa Danubii fontes esse cæsos. At hæc Zosimus ante Zenobiam victã, Vopiscus postea cõtigisse scripsit. Addit Zosim' Aurelianũ Rhæticis auxiliis adversus Zenobiã usum. Anno CCLXXVIII. Tacitus: Ducentesimo septuage- 278
simo nono Florianus: Eoque ipso paullo post, Pro- 279
bus Imperatores dicti. Hic Germanos Galliâ exegit ultra Albim & Nicrum fluvium, urbes & castra in hostico posuit: etiam barbaros qui Rhætias denuo lacessierent, repressit, quod Vo-
Vop. Probo. piscus, ejus ex Galliâ in Illyricum iter describens, innuit, *post hæc Illyricum petiit: & priusquam veniret, Rhætias sic pacatas reliquit, ut illic ne suspicionem quidem ullius terroris relinqueret*. Sa-
Vop. Bonoso. turninum, Proculum & Bonosum tyrannos extinxit. Quorum Bonosus aliquando *Dux limitis Rhætici fuit*: &, si id quoque scire interest, *bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat, non ut vivat natus est, sed ut bibat. Quem quidem diu in honore habuit caussâ militiæ, nam si quando legati barbarorum undecumq; gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atq; ab his per vinum cuncta cognosceret, ipse quantum libet bibisset, semper securus & sobrius, & ut Onesim' dicit scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem,*

bilem, ut quantum biberet, tantum mingeret, neque unquam aut ejus pectus, aut venter aut vesica gravaretur. Quod Auentinꝰ Bonosum sub Aureliano Rhætiarum fuisse Ducem asserit, à conjecturâ est: Quod hîc Ducem Legatumque confundit, passim alibi Duces, Legatos, Præsides & Procuratores, ab imperitiâ. Probi nummum Augustæ erutum vidimus SOLI. INVICTO. inscri-
283 ptum. Anno CCLXXXIII. Carus Augustus, filii Carinus & Numerianus Cæsares appellati. Sub iis Ejulasium Vindelicis & Noricis præsediſſe tradit Aventinus, quoniam scilicet in actis Maximiliani martyris nomen Ejulasii, qui Celejam (Norici aut Pannoniæ est oppidum) Præfectus à Numeriano missus; sed id ad Vindeliciam quid pertinet? nisi quod Aventino familiare, Rhæticis & Vindelicis Norica, interdum quoque Pan-
284 nonica miscere. Annus Christi CCLXXXIV. primus Diocletiani fuit, qui collegam Maximianum, Augustum, Cæsares plures ascivit: Sibi immani sævitiâ, qua religionis odio in omne Christianum nomen est grassatus, æternas infamiæ notas, cæteroqui non pessimus princeps, inussit. Maximiano occidens demandatus: ea occasio Alemannos perpetuos Rhætiæ hostes invadendi fuit, quos in propriis sedibus aggressus, capto Rege, vastatis agris vicit. Facinus memorabile panegyricorum scriptores variè celebrarunt, *captus scilicet Rex ferociſſimæ nationis, inter ipsas quas moliebatur insidias: & à ponte Rheni* (Magontiacensi) *usq; ad Danubii transitum Guntiensem* (lectionem istam Rhenano debemus, cum prior Continensem aut Continentem ineptè haberet) *devastata atq; exhausta penitus Alemannia:* Item, *Partho quippe ultra Tigrim redacto, Daciâ restitutâ, porrectis usq; Danubii caput Germaniæ Rhætiæq; limitibus.* Danubius à capite, hoc est à fontibus, ad Oeni usq; ostia vetus Germaniæ & Rhætiæ limes, quem Alemannos perrupisse appâret: Maximianus restituit, neque restituisse satis habens, ulterius promovit; hinc in alio panegyrico est, *Ingressus es nuper illam quæ Rhætis est objecta Germaniam, similique virtute Romanum limitem victoria protulit.* Mamertinus in Genethliaco, *Taceo trophæa Germanica, in mediâ defixa barbariâ: transeo limitem Rhætiæ repentinâ hostium clade promotum.* Eâdem ratione Rhæticæ laureæ expeditionisq; semel atq; iterum meminit, huc videlicet respiciens. Quæ Rhætis objecta Germania, nunc quoque, ob limitem tunc prolatum, Rhætiæ nomen circa Nerlingam imitatur, *Rieſs* vernaculo sermone appellata. Atque hoc genus incrementa provinciarum Tacitus attigit, de agris decumatibus scribens, *non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumq; consederint, eos qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopiâ audax, dubiæ possessionis*

Vide Cuspin. Auſtr. Bruſch. de Laur. veteri lib. 1. Hundii merrop. de epiſc. Patav.

Paneg. incerti Maxim. dicta. Rhen. rer. German. lib. 3.

Paneg. Maxim. dictus à Mamert. ut existim.

Tac. de germ.

nis solum occupavere. Mox limite acto, promotisq; præsidiis, sinus imperii, & pars provinciæ habentur. Tale est, quod de Probo paullo ante memoravimus: & hæc caussâ, cur multa trans Rhenum transque Danubium Romani nominis monumenta. Rhætiam verò Transdanubianam non multò post in Germanorum iterum potestatem concessisse, Alemannicæ quæ consecutæ sunt expeditiones reddunt credibile : sic tamen, ut & Romani non rarò, prout belli alternabat alea, ibi rursus pedem figerent. Imperatores porrò, quamquam Christianis nullo non tempore infensi, eos semper afflixerint, multisque modis miseros habuerint, omnem tamen humanitatis sensum non mox à principio exuere, neque statim in deterrimas belluas converti potuere, sed se ipsis paullatim truculentiores efferatioresque effecti, ultimam demum impietatis & crudelitatis lineam anno CCCII. attigêre, cum novis in piorum perniciem 302
excogitatis edictis, innumera extremæ diritatis exempla improbissimorum Præsidum ministerio, provinciatim & oppidatim, pæneque vicatim edidêre, nulloneque ætatis, neque sexus, neque dignitatis habito respectu : nisi quod Episcopos, quorum operâ rem Christianam potissimum contineri, & in dies augeri scirent, acrioribus quam cæterum vulgus odiis prosequuti, atrocioribus etiam cruciatibus exercuere. Ejus ergo
Matt. c. 10. ordinis multi, divini præcepti memores, *cum autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam*, quo tam tetram procellam declinarent, longè disitas regiones, patriis relictis sedibus adierunt. Quæ caussa Narcisso episcopo cum Felice diacono Augustam veniendi fuit. Is dum latebras profugus quærit, certâ Dei voluntate, quod postea apparuit, mulieris meretricis domo, omnium ignarus receptus est. Mulieri nomen Afra, mater Hilaria, Hilariæ majores Cyprii fuere. Hi Augustam quacumque occasione delati (nam bellum, quod quidam inter Cypri Atticæque Reges commenti, nec extitisse, nec istis temporibus extare potuisse, nemo ab omni historiæ cognitione tam alienus, quin perspectum habeat) Cypriæ simul Veneris mysteria attulere. Quibus initiata Afra matris consilio, patrium sequuta morem Deam vulgato corpore coluit. Narcissi verò, tum accommodatis ad pietatem sermonibus, tum ostentis quibusdam permota utraq;, Venere valere jussâ, Christo nomen dedit. Accessere Afræ ancillæ, Digna, Eunomia, Eutropia, & Hilariæ frater Dionysius, cum reliquâ omni familiâ. Narcissus Hilariæ domum in ecclesiam vertit, Philippo & Jacobo Apostolis, ut vetus fama habet, sacravit, eam quæ postea S. Martini dicta; nam templorum nomina mutari novum non est, & Martini præsertim memoriæ Franci multis post sæculis, quod eum enixè colerent,

ubi.

ubicumq; rerum potiti, cum nova exędificarunt, tum vetera persæpe addixerunt, quo exemplo Curiæ Hilarii episcopi ædes etiam Martini titulum accepit. Narcissus præterea Dionysium presbyterum constituit (in Augustanorum inde episcopum evasisse, nostræ ecclesiæ tabulis credimus) ac nono quam Augustam venerat, mense in Hispaniam profectus, Gerundæ supplicio affectus est. Vita S. Fridol. auct. Canis. & Scud. de Rhæt. Alp. c. 15.

303 Anno, quantum ego certis rationibus æstimare possum, CCCIII. Gajus Præses vel utriusque Rhætiæ, vel secundæ tantum, Augustæ jurisdictionem exercuit; & cum in Christianos acerbam quæstionem haberet, Afram, cujus sanctimonia inprimis eminebat, minis blanditiisque variè tentavit, neque tamen ut diis honorem deferre, aut Christianam religionem ullo vellet pacto lædere, quivit impellere, quocirca vivam exuri præcepit. Quem illa dirum sævissimæ mortis cruciatum, non solum forti constantique, sed & lubenti atque gratanti animo, futuri certa, sustinuit, eo loco, qui noxiorum pœnis destinatus, olim Lyci fluminis insula, nunc in continentem abiit, & conditâ ecclesiâ veteris facti memoriam tuetur. Matrem & ancillulas ad ejus sepulchrum excubantes, brevi postea igne quoq; extinctas proditum: nec non Dionysium episcopum eodem lethi genere interiisse creditum; Afrum Afræ patruum jam antea capite plexum, quod Præses eo potissimum spectaculo mulieres frangi posse speraret. Verum quæ nos hîc jejunè & tenuiter per capita consultò attingimus, distinctè & copiosè in vetustâ historiâ explicata, quam ad calcem horum librorum rejecimus, inde lectores priscam & simplicem, non calamistratam, non cerussatam pietatis speciem hauriant censeo. Neque persecutionis tempestas intra hunc numerum detonuit: sed quod per reliquas item provincias contigit, innumeros præterea, quorum memoria sive temporum sive adversariorum injuriâ funditus deperdita, abripuit. Id sibi verba initio passionis Afræ non dubiè volunt, *Apud provinciam Rhætiam, in civitate Augustâ, cum Christianorum esset sæva persecutio, & omnes pro Christi nomine variis supplicîis afflicti ad sacrificia traherentur.* Vigintiquinque eo, quo Hilaria, die exusta, capite obtruncatos ferunt, nomina duodecim, vel si plurima quindecim superant, variè edita, quæ in vetustis codicibus invenimus, hæc sunt, virorum quidem, Quiriacus, Largio, Crescentianus, Eutychianus, Charito, Philadelphus, Petrus. feminarum Nimmia, Juliana, Diomeda, Leonide, Agape, addidere quidam Emblasium, Eyriam, Faustam, Reliqua X. intercidêre. Nos olim, cum uberes commentarios in Afræ acta scriberemus, pleraque constituendæ & interpretandæ huic omni historię accuratè observavimus, quæ qui adire operæ pretium existimat,

quandoquidem rebus Augustanis illustrandis faciunt, in promptu habet, nam publici juris dudum sunt, cur huc denuo ascriberemus, & actum ageremus, non erat. Vnum quod tunc timidè attulimus, nunc visum firmare validius: spatium basilicæ Afræ & Vdalrici, in quâ tum horum martyrum, quod satis constat, corpora condita, tum plurimorum aliorum pro Christo necatorum (nisi levis censenda quæ de re tantâ semper obtinuit, & nobis à majoribus per manus tradita opinio) ex eo jam tempore Christianorum sepulchris fuisse dicatum. Incidi in librum manu scriptum, cujus auctor ante annos paullò supra centum vixit, at antiquissimis usus codicibus (majori vellem interdum judicio) id de quo quærimus sæpe & disertè affirmat: quibusdam etiam locis subobscurè & tamquam aliud agens, mihi tamen illis æquè fidem facit ac apertis aliis, nam A R E A E voce absolutè utitur, quam cœmeteriis convenire scio, Tertullianus ad Scapulam, *Cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent, areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt, messes enim suas non egerunt.* Sic est in actis Hippolyti & sociorum martyrum, *Finxit se Christianum esse, ac stipe egentem, & veniens in Cœlium montem ad aream Carbonianam, mansit ibi mendicus.* Item in gestis purgationis Cæciliani Felicis, *cives in areâ martyrum fuerunt inclusi*, & post aliquot pagellas, *tollat aliquis de vestris in area, ubi orationes facitis.* Deindè, hanc diu Episcopis nostris sedem vivis, sepulchrum mortuis fuisse reperio, quod à cœmeterii conditione nihilo plus abhorret, qui enim istud argumentum diligenter exequuti, annotarunt episcopos in cœmeteriis antiquitus synodos coëgisse, mysteria divisisse, de rebus divinis sermonem fecisse, omnia quæ ad pietatis cultum pertinerent egisse, multos in eis Romanos quoque Pontifices habitasse, & monumentis locum legisse. Demum, quod sacram ædiculam statim ab Afræ morte inædificatam liber quem sequimur refert, quis nescit cœmeteria ecclesias habuisse? Hæc pro temporum varietate sæpe disjecta, sæpe restituta, in basilicæ denique amplitudinem quam nunc oculis conspicimus excrevit, & urbe pomœrio prolato recepta est. Neque ego tamen idcirco Christianos ejus ævi in hoc omnes cœmeterio sepultos contenderim, quin contra suspicor plerosque etiam martyres intra urbem, legibus quantumvis vetantibus, in privatis piorum ædibus clam conditos, cum hoc genus exempla crebra passim alibi per sacras historias sint obvia. Atque quod certorum hominum fide ad me perlatum, ante non plurimos annos, cum fundamenta jacerentur domus, quæ templo D. Joannis adhæret, inventum fortè cadaver clavo trabali transfixum, cogitabam hominis videri posse illo supplicio Christianæ pietatis caussâ mactati. Nam nulla est tam immanis crudelita-

Liber ms. ex biblioth. S. Vdal.

Tert. ad Scap. c. 3.

Acta Hipp. apud Baron. an. 259 Gesta à Massou. edita.

Vide Panvin. de cœmet.

delitatis ſpecies quâ impietas in Chriſtianos graſſata non ſit, iſtâ quidem ut eſt in Romanis martyrum faſtis, & Dionyſii Alexandrini epiſcopi epiſtolâ apud Euſebium, Iſchyrion, *præacutâ ſude per media viſcera transverberatus*, interiit. Accedit quod Chriſtiani inſtrumenta ſuppliciorum (qui item Judæorum mos, uti ex Thalmudicis libris obſervatum, nec gentis opinor præterea alterius ullius) una cum martyrum corporibus condere ſoliti, nam ejus rei inprimis illuſtre documentum Domini noſtri Jeſu Chriſti crux cum clavis ab Helenâ reperta, ſic Ambroſius de Agricolâ, *nos legimus martyris clavos*, Maffejus lanceæ cuſpidem cum Thomæ Apoſtoli corpore inventam prodidit, & Coloniæ Agrip. aliquot Britannicarum virginum capitibus ſagittas adhuc inhærere audio. Quæ uti à me cogitata prolata ſunt, non inſcio nihil temerè ſtatuendum in cauſsâ, religionem ullâ ex parte attingente. Ne quid autem incuriâ præteriiſſe videamur, monendum, eos qui Victorem inter martyres Auguſtanos ſub Diocletiano numerãt, ſequutos eſſe codicẽ Reginonis perperam diſtinctum, *Alban⁹ apud Maſſiliam: Victor apud Auguſtam: Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhætiâ.* Meliores libri habent, *In Britanniâ Albanus: apud Maſſiliam Victor: apud Auguſtam Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhætiâ.* Maſſiliæ Victoris memoria hodieque celebris. 304 Anno CCCIV. Diocletiano & Maximiano abdicatis, imperium in Conſtantium & Galerium translatum, Conſtantio Italia, quâ utraque Rhætia comprehenſa Africa, Gallia, Hiſpania & Britannia ceſſit, Galerio Oriens, Aſia, Ægyptus & Illyricum. Atque Chriſtianorum vexatio in Conſtantii provinciis remiſſâ paullulum, nec omnino ſublata: licet Imperator piorum cauſſæ non obſcurè faveret, averſi adhuc erant populorum & Præſidum multorum animi. 306 Anno CCCVI. Conſtantinus Conſtantii filius patri ſucceſſit. 312 Is anno CCCXII. contra Maxentium, urbem Romam intolerandâ tyrannide prementem movit. Dum exercitum cogit & bellum inſtruit, Auguſtę interdum moratum, auctor libri manuſcripti quem laudavimus aſſerit, inque eam rem citat epigramma tunc temporis repertum, quod nunc nullum extat, ut exemplo doceamur, ſcriptoribus non vetuſtiſſimis fidem nec temere habendam, nec ſemper abrogandam, ſi quid cujus aliunde auctoritas neutiquam conſtet proferunt, nam multa omnis generis monumenta quorum illi veſtigia ſequuti, noſtrorum hominum negligentiâ perierunt. Zoſimus explicans Maxentii de bello conſilia hunc in modum ait, *viâ quâ itur ad Rhætos proficiſci cogitabat, velut hac natione tam Galliæ quam Illyricanis exercitibus proximâ.* Quod itidem Conſtantinus, cum Auguſtæ ageret, ſpectare potuit. Victo Maxentio, &

Mart. R. 22 Dec. Euſ. lib. 6. c. 34.

Amb. exhort. ad Virg. Maff. hiſt. Ind. lib. 3.

Reg. lib. 1.

Zoſ. lib. 2.

Licinio postmodum, leges Reipublicæ salutares in Christianorum commodum, jam Christianus ipse, multas condidit. De martyrum bonis æquissimam unam, quæ est apud Eusebium, *Sanctorum Dei martyrum fortunas, qui in fidei confessione supremum diem vitæ egissent, à cognatis possideri præcepit. Quod si nullus ipsis superesset sanguinis communione conjunctus, ut ecclesiæ eorum hæreditates adirent.* Eccl. de vita Constant. lib. 2. c. 21. Ecclesiæ itaque opibus valde auctæ. Afræ & Vdalrici ecclesia plerarumque circa domorum sola, quæ solarii pensionibus nunc obnoxia habet, hac tunc lege adjudicata accepisse sentiendum, cum Afram possessiones id loci habuisse famâ sit proditum. Ad hoc etiam ævum refero, quod libro quinto de Coloniæ basilicâ in primarium templum versa disputavimus, incredibile namque Imperatoris studium in istud pietatis genus extitit, *Civitates item*, ait Eusebius, *quæ apud cæteras gentes videbantur vel maximè propter splendorem excellere, templis egregiis magnificisq; exornandas curavit.* Euf. de vita Const. lib. 3. c. 49. In nostro indubia vetustatis vestigia apparent, cum sedes episcopi marmorea aliquot gradib⁹ sublimis, affixa absidi chori ut appellant veteris, quæ maximè occidentalis templi pars est, tum è regione non longè ara summa, ad quam sacerdos sacris operaturus orientem, uti & sedens episcopus respiciat, omnemque per ecclesiam populum prospiciat, populus autem eo obversus, sacerdotis & episcopi vultus adversos solemque occidentem intueatur. Quæ constitutio esse solet antiquissimarum ædium, aut earum quæ semel collapsæ, ad veterem quodammodo speciem reædificatæ sunt: testimoniū dicunt nobiles illæ tres Salvatori, Petro & Paullo à Constantino Romæ hac formâ positæ: atque de episcoporum sedibus sub tholis collocatis Augustini præterea verba, *In futuro Christi judicio, nec absides gradatæ, nec cathedræ velatæ*, quod nimirū stragulis honoris caussâ integerentur. Aug. ep. 203. Constantini nummos sive singulos, sive plures simul Augustæ erutos inspeximus, sic interdum notatos, D. N. CONSTANTINI. MAX. AVG. VOT. XX. item, GLORIA. EXERCITVS. multorum litteræ ærugine exesæ legi non poterant. Obiit anno CCCXXXVII. tribus filiis relictis hæredibus: Maximus natu Constantinus Galliæ, Hispaniæ & Britanniæ imperavit, medius Constantius Asiæ & Orienti, minimus Constans Italiæ, Africæ & Illyrico: In hujus ergo potestate Rhætia & Augusta fuit. Neque diuturna fratrum concordia, Constantinus divisionis fidem primus labefactans, provincias quæ Constanti obtigerant aggressus (Rhætiam, Vindeliciam & Noricum interpretatur Aventinus, neque ea interpretatio incredibilis, quoniam hæ ex Constantis provinciis Constantino proximæ) anno CCCXL. prope Aquilejam cæsus est. Constans inde Galliam cum Hispaniâ & Britanniâ sibi adjunxit. 337 340

350 xit. At decimo post anno Christi CCCL. imperio vitaque simul exutus Magnentii fraude periit. Magnentium Rhætici Vindelicique limitis ducem appellat Aventinus, sequutus hoc unum, quod homines nonnulli docti, errore nominis decepti, Augustæ purpuram sumpsisse prodidêre, cum Augustoduni sumpserit, id quippe magnis constat & certis testibus Hieronymo, Orosio, Zosimo, præter minorum gentium innumeros; Zonaras urbem Augustalem nominat, quod nescio an quosdam fefellerit. Magnentius porrò (Eutropius & Orosius consentiunt) Africam, Gallias & Italiam, quodque consequitur Augu-
353 stam obtinuit: quousque anno CCCLIII. à Constantino multis prœliis victus, tyrannidi, quam sceleratè invaserat, fœdâ morte finem imposuit. Ad Constantium igitur totius Reipublicæ cura devoluta, quæ Alemannorum incursionibus miserè afflictabatur. Hi latè per ea florentes tempora, à Mœno utpote flumine ad Guntiensem usque trajectum Rheni Danubiique ripas prætexentes, Romanis provinciis imminebant. Et quamquam Gundomadus & Vadomarius illorum Reges, qui
354 proximas vastaverant Gallias, anno CCCLIV. obviam profecto Imperatore pacem componere non detrectassent, paullo tamen post Lentienses pagi (partem Alemannorum eam esse ex Ammiano Marcellino, quem in hac historiâ sequimur, scimus, hodieq; gentis reliquiæ nomine non admodum mutato in Rhætiâ, in quam posterioribus sæculis cum reliquis plerisque Alemannis immigrarunt, superant) Romanis denuò perruptis limitibus Rhætias populati sunt. Qua injuriâ excitus Constantius, in campos sive Caninos sive Cavinos cum exercitu progressus, inde Arbetionem Magistrum Equitum, validissimâ exercitus parte attributâ, ad lacus Brigantini legendam oram præmisit. Qui non exploratis hostium consiliis profectus, mox in paratas insidias incidit, ut magno militum numero, & decem desideratis Tribunis, vix ipse opacæ noctis beneficio evaderet. Alemanni sublatis fausto principio animis, Romana castra indies licentius insultare, strictisque in conspectu gladiis, minas impunè jactare: cum moti rei infamiâ scutarii, omnium primi temerè palantes aggressi, aliquot supervenientium cohortium auxilio in manifestam fugam vertêre, reliquus inde exercitus castris effusus, victoriæ paucorum virtute partæ institit, & stragem eâ die ingentem dedit: Neque Alemanni fortunam ulterius tentare ausi. Constantius itaque lætus ovansque Mediolanum in hibernarediit. At pervicax quietisque impatiens hostis,
356 provinciam anno CCCLVI. infestus repetiit. Imperator Romæ agens, *assiduis nunciis terrebatur & certis, indicantibus Suevos Rhætias incursare.* Nempe Suevorum aliqui Alemanniâ com-

Hier. in chron. Oros. lib. 7. c. 29.
Zos. lib. 2.
Eutr. lib. 10.
Am. lib. 15
Am. lib. 16.

prehen-

prehenſi, plurimi ſejuncti, atque hinc eſt, quod illuſtres auctores Alemanniam Sueviamq; ſive miſcent, ſive diſtinguunt. Tum quoque à Conſtantio coërciti pacem impetraſſe videntur, quod Ammianus in hiſtoriâ proximè ſequentis anni oſtendit, nam comparans eum cum *anno nuper emenſo*, id eſt cum eo; de quo nobis hîc ſermo, ait hoc Alemannos tum aliis modis, tum *Imperatore urgente per Rhætias*, variè fuiſſe diſtentos, *poſtea vero pace datâ* Imperatorem diſceſſiſſe. Anno CCCLVIII. 358
Am. lib. 17. nova barbarorum manus erupit, *Iuthungi Alemannorum pars, Italicis conterminans tractibus* (Rhætiis ſcilicet, nam pleriq; Alemannorum Galliæ viciniores) *obliti pacis & fœderum quæ adepti ſunt obſecrando, Rhætias turbulentè vaſtabant, adeò, ut etiam oppidorum tentarent obſidia præter ſolitum.* (quod huc ſpectat, Rhætias excurſionibus permultis divexatas, Auguſtam ab Aureliani ævo ſpatio annorum circiter LXXX. obſidione nunquam tentatam invenio.) *Ad quos repellendos cum validâ manu miſſus Barbatio, in locum Silvani peditum promotus Magiſter: ignavus, ſed verbis effuſior, alacritate militum vehementer erectâ, proſtravit acerrimè multos, ita ut exigua portio, quæ periculi metu ſe dedit in fugam, ægrè dilapſa, res ſuas non ſine lacrymis reviſerit & lamentis. Huic pugnæ Nevita poſtea Conſul, equeſtri præpoſitus turmæ, & affuiſſe, & fortiter feciſſe memoratur.* Conſtantius poſt illa, *communitis aditibus Rhæticis*, quod in oratione, quæ apud Ammianum extat de ſe ipſo narrat, in Pannoniam abiit. An- 360
no CCCLX. Julianus Cæſar Galliæ præfectus, quem multæ & inſignes de Alemannis relatæ victoriæ clarum reddiderant, à militibus Pariſiis Auguſtus appellatus eſt. Sequen-
Am. lib. 21. ti CCCLXI. Alemanni à Vadomarii pago *vaſtare confines Rhætiis tractus* exorſi, re primum bene geſtâ Vadomario inde ſimulatione amicitiæ per fraudem à Romanis capto, repreſſi, pacẽ pepigêre, firmam ratamque habituros polliciti. Confines Rhætis
Am. lib. 22 item lib. 18 Rauraci, Marcellini teſtimonio, *amnis verò Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Rhæticis*; è Rauracorum regione, ut is quoq; ait, Vadomarii regnum, cum univerſæ genti octo minimum Reges præeſſent, tot enim Regum nomina uno ſimul loco edidit, Sumarii, Hortarii, Macriani, Herobaudi, Vadomarii, Vrii, Vrſicini, Verſalpi, præter quos Regales & Regulos appellat. Julianus tum deinde æſtate jam provectâ,
Am. lib. 21 Greg. in Jul. invect. 1. è Rauracis contra Conſtantium in oriente agentem movit, *Profecturus itaque per Martianas ſylvas* (quod Gregorius Nazianzenus voluit, *mirâ celeritate tum regionem ſuam, tum nonnullam barbaricæ oræ partem emenſus, tranſituq; fallendo potius quam vincendo pateſacto*, Alemannorum enim Martiana ſylva) *viasq; junctas Iſtri fluminis ripis, inter ſubita vehementer incertus,*

certus id verebatur, ne contemptus ut comitantibus paucis, multitudinem offenderet repugnantem: quod ne fieret, consilio solerti prævidit, & agminibus distributis, per itinera Italiæ nota, quosdam properaturos cum Jovino misit & Jovio, alios per mediterranea Rhætiarum, Magistro equitum Nevitæ commissos, quo diffusi per varia, opinionem numeri præberent immensi, formidineq; cuncta complerent. Ipse, cum *ad locum venisset, unde navigari posse didicit flumen* (ad transitum Guntiensem credo) *lembis ascensis, quos opportunè fors dederat plurimos, per alveū, quantum fieri potuit ferebatur occultè: ideò latens, quod toleranter & fortiter, nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & vilibus, oppida forinsecus transibat incautè.* Non multò aliter Zosimus, *Navigiis fluvialibus ædificatis, ipse cum tribus millibus Istro secundo devectus est, viginti millia Sirmium itinere terrestri petere jussit. Et quia remigatio continua, cum fluminis impetu conjungebatur, etiam ventis adjuvantibus, quos Etesias, velut anniversarios vocant, undecimo die Sirmium venit.* Sed longè elatius Mamertinus, ut videre sit, quid ab historici fide oratoris encomium differat, *Longissimo cursu placuit Istrum navigari: proh sancta divinitas, quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem* (Rhæticam, Noricam, Pannonicam) *inclyti fluminis ripam utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret: despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa barbaria: omnes urbes, quæ Danubium incolunt, auditæ, omnium audita decreta, levati status, instauratæq; fortunæ, innumerabilibus barbaris data venia, & munus pacis indultum.* In mediterraneum ite, rquod Nevita tenuit, Augustam incidere Anton. ostendit, ea ergo Juliano tunc adjuncta; in cujus potestate mox simul ac Constantinus mortuus, imperium universum fuit. Quamquam ad modi-

Zos. lib. 3.

Mam. paneg.

Anton. itiner.

363 cum temporis spatium, eo quod anno CCCLXIII. bello Persico impietatis in Christum & perfidiæ pœnas luerit. Jovianum successorem sortitus, quem nummus apud nos nuper erutus præferebat, D. N. JOVIANVS. P. F. AVG. parte alterâ in coronâ querceâ habebat, VOT. V. Sed caduca fuere

364 & irrita, nam VIII. imperii mense obiit. Proximo CCCLXIV. Valentinianus Imperator lectus, Valentem fratrem allegit, eique oriente attributo, sibi occidentem retinuit, Mamertinum Præfectum Prætorio Italiæ, Africæ & Illyrico præfecit. Variæ per ea tempora barbarorum gentes, veluti classico excitæ, ait Marcellinus, proximis perruptis quæque limitibus, se Romanis superfudere provinciis: Pannonias Sarmatæ & & Quadi, Britannias Picti, Saxones, Scoti & Attacotti, Africam Austriani cum reliquis Maurorum populis, Thracias Gothi, Per-

Am. lib. 26. 27.

sæ Ar-

sæ Armenias infestas habuere, neque defuere occasioni stati rerum nostrarum hostes, *Gallias Rhætiasq; simul Alemanni populabantur.* Quorum anno postero CCCLXV. acrius exarsere iræ, quod missis ad Imperatorem legatis, consueta & præstituta munera partius & illiberalius solito præbita, ea cum fordes aversati projecissent, Vrsacius officiorum Magister, homo asper, impotens, iracundus, verborum insuper contumelias addiderat, neque gens bello innutrita injuriam moderatè ferendam, sed armis quam primum vindicandam statuit, Gallico Rhæticoq; bello decreto. Quomodo expeditio in Rhætiam ceciderit, nullis, quæ ad nostram memoriam duraverint, litteris consignatum: Gallicæ is fuit exitus, ut barbaros prædâ & secundis aliquot prœliis exultantes, demum Jovinus equitum Magister, primò & secundò imparatos, tertiò paratos aggressus, plurimis occisis in fugam verteret, Regem captum milites ducis injussu patibulo suffigerent. 365 Anno CCCLXVII. Gratianus Valentiniani filius Cæsar, Augustus à patre appellatus. 367 Trecentesimo sexagesimo octavo Valentinianus bello Alemannico ingenti apparatu suscepto, Rhenum una cum filio trajecit, & regione latè vastatâ, ad Solicinum pugnâ difficili & diu ancipiti victoriam consecutus est: quâ, si Marcellino fides habenda, universam gentem delere potuit, nisi paucos aliquot noctis tenebræ per fugam abstulissent; Ausonius sub Danubii nomine eam pugnam celebrat, 368

Am. lib. 30.

Aus. epigr. 4.

Salvere Augustos jubeo, gnatumq; patremq;,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuntius Euxino jam nunc volo currere ponto,
Vt sciat hoc superûm cura secunda Valens:
Cæde, fugâ, flammis stratos periisse Suevos,
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.

Aus. edyl. 7. Ejus belli præda credo fuit Ausonii delicium, quam Suevam virgunculam appellat,

Bissula, trans gelidum stirpe & lare prosata Rhenum,
Conscia nascentis Bissula Danubii.
Capta manu, sed missa manu ——————

Imperator verò prudens & cautus, edoctus præteriti temporis experimentis, barbaris facultatem & vires deesse posse, voluntatem animosque invadendi Romanas provincias superfuturos, neque sperandum, ut iis cohibendis fœderum religio & jurisjurandi reverentia sufficiat, *magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad usque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat*: quod Ausonii quoque versus indicant, *nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis positis, subradens barbaros fines.* Atque eo tempore, qui fuit annus

Am. lib. 28.

CCCLXIX

369 CCCLXIX. immenſi operis munimentum ad Nicrum ſtatuit, flumine interim militari potiſſimum labore averſo. Id ultra Danubium inter Alemannos, haud ita procul Nicri fontibus ut conjecto, Rhætiæ ampliandæ & tuendæ poſitum. Nomen, niſi valdè aberro, apud Auſonium extat Lupodunum, nam verſum, qui ſequitur de victoria Alemannica, ita interpretor, ut ſimul memoriam operis, quo ſe Valentinianus mire extulit, conſervatam exiſtimem,

Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum. Auſ. Moſel.

Eis ergò, qui Lupodunum cis Danubium collocant, non accedo. Non item illis, qui plerosq; Alemannorum populos jam tum ſedes in Rhætia fixas habuiſſe ſcripſere, quorum ſententia neq; auctoritate nititur, nec rationibus, nec omninò vera eſt. Verum Alemannos Rhætiam perpetuis incurſionib' fatigaſſe, agros & indefenſa quæque vaſtaſſe, ſed vitatis fere munitis locis, in quibus præſidia quæ enumeravimus diſpoſita, & ut interdum oppidorum expugnationes tentaverint, id enim ſub Gallieno, Valeriano, Conſtantio contigiſſe obſervavimus, prædam tamen domum avexiſſe, de provincia incolenda non cogitaſſe. Quod fruſtra docerem pluribus, cum unus ex Auſonio verſus conficiat, Danubius Auguſtos alloquitur,

Totus ſub veſtrâ jam ditione fluo. Auſ. epig. 5

Intelligimus Romanam ripam Imperatoribus totam paruiſſe à fontibus ad oſtia, quod ſequentes verſiculi per partes explicant.

370 Anno CCCLXX. Valentinianus Burgundiones in Alemannos excivit, neque tamen illis, quod pollicitus, in tempore auxilio affuit. Interim *Alemannos gentis antedictæ metu diſperſos, aggreſſus per Rhætias Theodoſius, eâ tempeſtate Magiſter equitum, pluribus cæſis, quoscunque cepit, ad Italiam juſſu principis miſit, ubi ſertilib' agris acceptis jam tributarii* (ait Marcellinus) *circumcolunt Padum.* Amm. lib. 28 Clades haud dubiè ad Nicrum illata, quo Rhætiæ limites nuper promoti, non enim fieri potuit, ut Alemanni hoſtium terrore maximè perculſi, Danubium trajecerint, & ſe in veterem provinciam Romanos ultro laceſſituri intulerint. A Latino Pacato, oratione ad Theodoſii hujus filium Theodoſium Auguſtum dictâ, cenſetur inter bellicas patris laudes, *compulſus in ſolitudines avias omnis Alemannus*, in Martianæ videlicet ſylvæ latibula. Pac. paneg. Sed & ſequentibus annis res geſtæ in Alemannia inferiori illa ad Rhenum Galliæ objectâ, quarum narratione abſtinemus. An-

375 no CCCLXXV. Valentinianus ſupremum diem obiit. Ejus filii Gratianus jam olim, Valentinianus minor tunc primùm Auguſti dignitate aucti, Occidentis Imperium partiti ſunt, Gratiano Gallia, Hiſpania & Britannia, Valentiniano Italia, Illy-

Zos.lib.4. ricum & Africa cessit, quod Zosimus retulit; nam nobis hæ divisiones diligenter annotandæ, quo appareat, in cujus potestate res Augustanæ, & universim Rhæticæ usq; fuerint. An-

Am. lib.31. no CCCLXXVII. *Lentiensis Alemannicus populus, tractibus Rhætiarum confinis, per fallaces discursus, violato fœdere dudum concepto, collimitia* populatione turbavit, fiduciâ inflatus, quod Gratianum Valenti patruo auxilio in Orientem profecturum intellexisset. 377 Proximo CCCLXXVIII. occasioni instandum rati, non tam uni Lentienses, quam & pagi reliqui, Rheno per Februarium mensem glacie strato, in Galliam ingenti conflato exercitu trajecere, XL. millia hominum fuisse, qui minimum, LXX. qui plurimum, Imperatoris gloriæ faventes prodidêre. 378 Eos Gratianus coactis quas potuit, & revocatis quas Pannonias versus præmiserat copiis, ad Argentariam memorabili prœlio devicit, adeò, ut Rege Priario interfecto, ex reliquâ tantâ multitudine vix V. millia fugâ evaserint. Quod quidam existimant de hac pugnâ Ausonii versus paullò antè adductos accipiendos, parum vident, quod palam est, eos Valentiniano majore vivo editos. Gratianus postmodum institutam in Thracias profectionem prosequutus, per Rhætiam iter tenuit; Arborē felicem, ad Brigantini lacus oram oppidum est, attigisse Marcellinus scripsit, neq; præterea significavit, an inde Danubii littus legerit, an per mediam provinciam perrexerit; duplicem enim militarem viam, his regionib⁹ distinctam, inter Pannonias & Gallias Antoninus descripsit, quarum quoniam utraq; tum Arborem tum Augustam ducit, Gratianum Augustam tunc venisse necesse est. Valens eo non expectato cum Gothis congressus, miserè periit, & Reipublicæ vulnus prope lethale inflixit. Initio insequentis anni CCCLXXIX. cum Gratianus se unum ful- 379
ciendis ruinis collabentis Imperii imparem, nec fratris Valentiniani ætatem tantis curis idoneam cerneret, consilium non tam salutare, etsi salutare maximè, quam necessarium iniit, Theodosium, cujus inprimis togatæ armatæque eminebant virtutes, in Valentis locum substituit, illique Orientem tuendum commisit. Ipsemet incredibili celeritate iter per Illyricum, Venetiam,

Aus. grat. act. & *insuperabilia Rhætiæ*, ut est apud Ausonium, remensus, se in Galliam retulit, Alemannis pro more turbantibus obviam iturus. Aventinus Majorianum, avum ejus, qui postea imperavit, Vindelicię Præsidem sub Gratiano annotavit, quod Sidonius scilicet scripserit, illum

Sid. pan. Major. *Illyricum rexisse solum, cum tractibus Istri.*

At clarum est versum ad Orientis Imperium pertinere, cui pars I-

Limes Mysiacus & limes Scythicus Cod. stri & Illyrici attributa, limitis Mysiaci Scythiciq; titulo, Theodosio enim Majorianus utriusq; militiæ magister. An-

no

380 no CCCLXXX. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Hypatium P. P. de excusationibus munerum rescripsere V. Id. Decemb. Antonio & Syagrio Coss. *Sordidorum verò munerum talis exceptio sit, ut patrimoniis dignitatum superius digestarum, nec conficiendi pollinis cura mandetur, aut panis excoctio, aut obsequium pistrini: nec paraveredorum hujusmodi viris, aut parangariarum præbitio mandetur: exceptis his, quibus ex more Rhæticus limes includitur, vel expeditionis Illyricæ, pro necessitate vel tempore, utilitas adjuvatur.* Sensus est, eos qui privilegio à muneribus excusentur, non ideo excusari à præbendis equis & vehiculis transvehendis hominibus, armis, annonæ, Rhętici limitis & Illyrici usui, quod nimirum quotidianæ hostium incursiones hisce locis vacationem nullam admitterent. Quæ velim impensius cõsiderent queruli quidam, priorum temporum laudatores, cum nostram ætatem eò miseriarum recidisse existimant, ut præ illâ omnis antiquitas perpetuum Saturni sæ-
383 culum appellari mereatur. Anno CCCLXXXIII. ineunte Theodosius in Oriente Arcadium filium imperii consortem ascivit. Gratiano tunc bellum contra Alemannos gerente, quemadmodum Sozomenus prodidit, Maximus in Britanniâ tyrannidem arripuit. Merobaude & Saturnino Coss. qui in hunc annum incidêre, contigisse Marcellinus Comes in chronico, & Socrates in historiâ scripsêre, Cassiodorus & Prosper in proximè sequentem rejecerunt. At Gratianum prope Lugdunum in Galliâ dolo circumventum occisum fuisse, pleriq; omnes consentiunt, Hieronymus, Rufinus, Orosius, Socrates, Prosper, Marcellinus & Cassiodorus: Vnus Zosimus de militum proditione, Imperatorisq; fugâ eadem quæ reliqui, de mortis loco valde dissentit, ait enim, *versus alpes aufugiebat. Eas cum nullo præsidio munitas reperisset, versus Rhætias, & Noricum, & Pannonias, & Mysiam superiorem tendebat. Hac illius fugâ non neglectâ Maximus, Magistrum equitum Andragathium, oriundum è Ponto Euxino, qui esse per amico in ipsum animo videretur, cum equis laborum tolerantissimis, ad eum persequendum mittit. Is impetu continuo Gratianum persequens, cum Sigiduni pontem transiturum apprehendisset, occîdit.* Singidunum Ptolemæus appellat, & in Mysiâ superiori collocat. Sed ego ad plurium sententiam transeo. Gratiani nummi Augustæ inventi hanc inscriptionem præferunt, D. N. GRATIANVS. AVG. à tergo, GLORIA. NOVI. SÆCVLI. milite dextrâ litteras implexas, quæ Christi nomen denotant, sustollente. Ejus anni feracitas præteritorum aliquot sterilitatem compensavit, tum alibi, tum præsertim in Rhætia, sed eadem barbaros allexit, uti ex Ambrosio cognoscimus, *Fœcunda*

Th. lib. 7. tit. 17. l. unicâ Delusoriis Danuvii. Cod Theod. lib. 11. tit. 16 l. 15 Cod. Just. lib. 10. tit. 47. l. 12.

Soz. lib. 7. c. 13.

Socr. lib. 5. c. 11.

Hier. epit. Nepot. Ruf. hist. lib. 11. c. 14 Oros. lib. 7. c. 34. Socr. lib. 5. c. 11. Prosp. Marc. & Cassiod. in chron. Zos. lib. 4.

Amb. Resp. Symm. relat. & epist. 27.

Amb. Resp. Sym. relat. & epist. 27. Sol. c. 34.

Rhætia fertilitatis suæ novit invidiam : nam quæ solebat tutior esse jejunio (annis proximè præteritis nimirum, cum cæteroquin soli naturam Solini verba, *ager Rhæticus bonus frugibus, opimus & ferax*, ab hac infamiâ satis vindicent) *fœcunditate hostem in se excivit.* Et alio loco, *In medio Romani Imperii sinu Iuthungi populabantur Rhætias.* Quibus Valentinianus, prudenti & felici Bautonis consilio, Hunnos & Alanos oppositi. Victoriâ tamen quæ præ manibus erat uti non ausus, ne Maximo, quem minimè offensum vellet, suspicionum ansa præberetur; eleganter itaque Ambrosius ad Maximum, *Adversus Iuthungum Hunnus ascitus est: Idem tamen, quia de finitimo proterebat Alemanniam, etiam de viciniâ mali urgebat Gallias, coactus est triumphos suos deserere, ne tu timeres.* Et acrius insistens, *Tu fecisti incursari Rhætias*, sive re verâ Maximi fraus intervenerit, sive quod credo verius, barbari fiducia civilium armorum, quæ ille commorat, limitem perruperint. Victorem postea filium Cæsarem Augustumque designavit: & constitutis in Galliâ atque cæteris Gratiani provinciis rebus ex sententiâ, animum adjecit Valentinianum Italiâ exturbare, & Occidentem universum in potestatem redigere. Quod anno CCCLXXXVII. non admodum difficulter consecutus, Valentiniano famâ solâ perterrito, neque hostem exspectare ausо, sed una cum Justinâ matre fugâ in Illyricum elapso. 387

Quia verò Maximum Rhætiam & Augustam coloniam, cum reliquâ Italiâ subegisse necesse est, neque credibile illum hostili provinciâ à tergo relictâ, ad Siscian usque Pannoniæ urbem progressum (ubi cum Theodosio pugnam commisisse ex Pacato haurimus, eo forte loco, quo proximâ æstate Rudolphi Cæsaris copiæ, numero exiguæ, florentissimum Turcarum exercitum occidione occidêre) conjiciebam filii nummum argenteum, qui apud Peutingeros sic inscriptus, D. N. FL. VICTOR. P. F. AVG. VIRTVS. ROMANORVM. A. V. P. S. Augustæ esse percussum: nam si S. M. TR. signatam monetam Treviris, S. M. LVG. signatam Lugduni, aut TR. P. S. AQ. P. S. Treviris & Aquilejæ pecuniam signatam, ac pleraq; alia ad eum modum in numismatum inscriptionibus interpretamur, non video in quæ verba notæ A. V. P. S. aptius mitti queant, quam si item Augustæ Vindelicorum Pecuniam Signatam explicemus. Reliquas pariter urbes hosce tyrannos adulationibus demeruisse, indicio columna, quam primo à Bononiâ lapide hoc titulo superesse Sigonius scripsit, DD. NN. MAG. C. MAXIMO. ET. FL. VICTORI. PIIS. FELICIBVS. SEMPER. AVGVSTIS. BONO. R. P. NATIS.

Sig. de occid. Imp. lib. 9.

Anno CCCLXXXVIII. Maximus aliquot prœliis victus ad 388

tertium

tertium ab Aquilejâ lapidem, Victor in Galliâ cæsus, Valentiniano Occidentis Imperium à Theodosio restitutum est. Victoriâ miti & clementi admodum, si Pacato credimus, *nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius præterita dignitas imminuta, nemo ..... affectus nemo notâ, nemo convicio, aut denique castigatione perstrictus, culpam capitis aurium saltem molestiâ luit. Cuncti domibus suis, cuncti conjugibus ac liberis, cuncti denique innocentiæ (quod est dulcius) restituti sunt.* Neq; hæc præter institutum annotamus, cum Augusta adversarum partium
390 fuerit. An. CCCXC. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. III. Non. Jul. Mediolani ad Tatianum P. P. denuo rescripsêre, paraveredorum & parangariarum præbitiones, *quas Rhætiarum limes, expeditiones Illyricæ, quas pastus translatio militaris, vel pro necessitate vel pro solemnitate deposcunt*, nemini omnino remittendas. Cod. Theod. lib. 11. tit. 16. l. 18
392 An. CCCXCII. Valentinianus Arbogastis, ut tunc creditum, fraude interiit. Eugenius in Galliâ tyrannidem invasit. Huic totus Occidens, quâ in Valentiniani potestate fuit, paruisse videtur. Quod ad res Augustanas pertinet, Italiam favisse, multis argumentis manifestum est; Rufinus prodidit, Romæ homines paganos, Præfectum urbis inprimis Flavianum, pro ejus salute impia sacrificia instaurasse, qui S. Ambrosii vitam scripsit Paulinus, illius concessu Victoriæ aram in curiâ esse restitutam. Cum Alemannorum & Francorum Transrhenanis Regibus fœdera iniisse, Gregorius Turonensis ex Sulpitii Alexandri historiâ retulit. Ruf. lib. 11 c. 33. Greg. hist. lib. 2. c. 9.
393 Sequenti CCCXCIII. Theodosius alterum filiorum Honorium
394 Augustum dixit. Hinc CCCXCIV. Eugenium ad fluvium Frigidum, divinis potissimum, quod apertè constitit, usus auxiliis, imperio dejecit, & vitâ privavit. Itaque universus Romanus orbis in unius iterum jura concessit. Ipse
395 initio CCCXCV. non tam annis, etsi sexagesimum ætatis attigerat, quam rerum gestarum gloriâ onustus, rebus humanis exemptus, omnibus bonis magnum sui desiderium reliquit, quod eæ, quæ sub adolescentibus Imperatoribus calamitates consecutæ sunt, indies magis exacuerunt.

MARCI VELSERI RERVM AVGVSTANARVM VINDELICARVM

Liber Octavus.

HONORIVS patris voluntate occidentem, Arcadius orientem regendum accepit; nomine quidem tenus, ait Zosimus, uterq;, re autem verâ, occidens in Stiliconis, oriens Rufini fuit arbitrio, quousq; ambo numini superbiæ & perfidię vindici meritas pœnas dederunt. Anno CCCXCVIII. Imperatores Firmino Comiti sacrarum largitionum rescribentes, Valentiniani constitutiones de Rhæticis oneribus iterum ratas esse jusserunt: Rescriptum Mediolani VIIII. Kal. Jun. in hæc verba datum, *Qui prædia patrimonialia & emphyteutica, privatæ quoque rei, perpetuo jure retinent, & dominici actores, augmenti, & superindictícii, & onerum Rhæticorum dicuntur mediam nolle solvere pensionem. Igitur jubemus, ut moniti rationales, sciant ea, quæ à divæ memoriæ Valentiniano constituta sunt, quam primitus esse servanda.* Per ea tempora Stilico, fœdera cum Transrhenanis barbaris icturus, iter fecit per Rhætiam, uti Claudianus ad Honorium scripsit,

Zos. lib. 5.

Cod. Theod. lib. 11. tit. 19. l. ult. 398

Claud. de 4 Cons. Hon.

Hunc tamen inprimis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis
Vectus equis, nullaq; latus stipante catervâ.
Aspera nubiferas quâ Rhætia porrigit alpes
Pergit, & hostiles, tanta est fiducia, ripas
Incomitatus adit. Et paucis interjectis,
——————— *juratur Honorius absens,*
Implorat que tuum supplex Alemannia nomen.

Sicam-

Sicambros præterea, Francos, Basternas, Bructeros, Cimbros & Cheruscos, quibus pax data sit, recenset. Annus quadringentesimus Gothorum Alarico duce in Italiam irruptione memorabilis, Rhætiæ non minus bellorum motibus infestus fuit, quod & Claudianus ostendit,

——perfidiâ nacti penetrabile tempus, De bel. Get.
Irrupêre Getæ, nostras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio desudant Marte cohortes.

Consuetos hostes Alemannos provinciam vastasse credibile est: Verum ut ego sentio, accessêre insueti alii, Vandali, quod ex Claudiano itidem colligo, in enumeratione copiarum Stiliconis hæc scribente,

Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper
Vandalicis auctam spoliis defensa probavit.

Sequor enim vetustam lectionem, cum vulgo *Vindelicis* habeant, idque ferri vix possit, nam Rhætia quî defensa, si Vindelicis ablata spolia? Nominum affinitas credo imposuit uti assolet, sic alibi in legionum catalogo à nonnullis Rhæti, Claud. editio Vicetina Anni 1482.

Quæ sævis objecta Rhetis —— Epith. Pal. & Ser.

Pro Getis recepti, carminis lege imperitè neglectâ. Vandalos Gallias paucis exin annis, atque Hispanias postmodum invasisse compertum, & cum Jornandes sit auctor in Pannoniâ à Constantini (malim Constantii) ætate sedes tenuisse, neutiquam mirum, si intermediam Rhætiam impressionibus aliquando infestavere. Certè hic idem Jornandes ait, *finitimos deprædantes, non adeò fixas sedes habuere*, quin eos jam antea sub Gratiano in Galliam irrupisse ostendit, neque hoc genus irruptiones sine interjectarum provinciarum malo & damno. Addere poteram Celtis conjecturam, Vindam fluvium à Vandalis dictum, sed ea multis nominibus absurda est. Sin quis tamen *Vindelicis* tuetur, intelligendum spolia Vindelicorum à barbaris capta, à Romanis recepta esse, sic Sidonius quodam loco, Jorn. de reb. Getic. Celt. lib. 3. oda. 20.

Prædæ præda fuit —— Sid. pan. Major.

401 Video qui in litteras retulerit hoc anno, aut proximo CDI. (non exigendum, ut in tam dubiæ vetustatis tenebris temporum ratio inter omnes æquè consentiat) Rhætos Gothici belli fiduciâ ab Honorio desciviisse: sed ego nihil adhuc ex monumentorum antiquorum memoriâ eruere potui, quod ejus fidem faceret. Est apud Claudianum,

——jam fœdera gentes De bel Get.
Exuerant, Latiiq; auditâ clade feroces
Vindelicos saltus, & Norica rura tenebant.

At signantur fœdera, quæ ante triennium à Stilicone pacta, nunc Alemanni occasione abusi rupêre. *Gentes & Gentiles* illa ætas,

Cod. Th. lib. 1. tit. 14. l. unicâ lib. 7. tit. 15. l. 1. lib. 12. tit. 12. l. 5. De 4. Conl. Hon.

quod jam antea monuimus, absolutè barbaros dixit, uti videre est in Notitiâ passim, & in Theodosii Codice, neque aliter quædam in Claudiano capienda, cum

——misto turbine gentes
Jam desertas suas in nos transfunderet Arctos.

Item,

De bel. Get. *Discite vesanæ Romam non temnere gentes.*

Hinc nimirum fluxit, quod cum barbari postmodum in devictis provinciis meliori quam Romani jure uterentur (cujus vel una

Leg. Rip. tit. 38. hæc ex Ripuariis legibus fidem facit, *Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, CC. sol. culpabilis judicetur. Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, CLX. solidis multetur. Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, C. solidis multetur. Si quis Ripuarius advenam Alemannum, seu Frisionem, vel Bauvarium, vel Saxonem interfecerit, CLX. solid. culpabilis judicetur.*) gentilitatis nomen dignitatis existimationem induerit, paullatimque res eò prolapsa sit, ut gentiles homines absolutè pro nobilibus dicerentur, quæ in Italiâ & Galliâ consuetudo, item Hispaniâ & Britanniâ quodammodo, ad hoc ævi tenet, atque ut ineptias inanium opinionum rideas, si quem ibi gentilem compelles, honori deputet, si, quod idem est, barbarum, insignitam sibi illatam contumeliam opinetur. A-

Bud. in pand. lia scio originatio est à Budæo allata, quanto magis antiquaria & elegans, eo à barbarie sæculi, quo hoc vocabulum usurpari cœptum, alienior. Sed ad Claudianum redeo; etiam exemplum quo Stilico oratione ad hostes usus, Romanis & Carthaginiensibus de summâ rerum dimicantibus, Philippum, Regem temerè tumultuantem, pœnâ non dilatâ castigatum esse, rectè Alemannis, qui Romanis non parebant, uti nec Philippus paruit, Rhætis provincialibus minus convenit. Eadem ratio carminum, quæ sequuntur,

Hoc motu pariter nascentia bella repressit,
Et bello quæsivit opes, legitque precantes
Auxilio, mensus numerum, qui congruus esset,
Nec gravis Italiæ, formidandusq; regenti.

Siquidem de barbaris loqui, quorum magnus contra Alaricum usus fuit, admodum manifestum. Sed quoniam Stilico Alemannorum motus pacaturus, per Rhætiam rursus proficisci necesse habuit, non pigebit versus adscribere, quib' Claudianus occasionem nactus, regionis situm eleganter ob oculos posuit: Partem primò quæ Germaniæ magnæ obversa,

——sublimis in Arctos
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ,
Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem,

Vtra-

Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.
Alteram deinde alpinam, quæ veterem Italiam respicit,
Sed latus Hesperiæ quâ Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit astra jugis, panditq; tremendam
Vix æstate viam, multi ceu Gorgone visâ
Obriguere gelu, multos hausere profundæ
Vastâ mole nives, cumque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
Interdum subitam, glacie labente, ruinam
Mons dedit, & tepidis fundamina subruit astris,
Pendenti malefida solo ———

402 Anno CDII. Alaricus adversis prœliis fatigatus, belli reliquias ex Italiâ ultra Alpes in Rhætiam aut Galliam transferre cogitavit,

———*occulto tentabat tramite montis,* In 6. Hon. Cons.
Si quas per scopulos subitas exquirere posset,
In Rhætos Gallosq; vias ———

Verum Stiliconis consiliis excluſus, in Illyricum, unde venerat, pedem referre coactus, Rhætiam turbine & procellis tempestatis
407 jam jam impendentis, liberavit. Anno CDVII. aliquot in Britanniâ & Galliâ contra Honorium tyranni exorti, ex quibus Marcus & Gratianus statim occisi, Constantinus rempublicam diutius afflixit, filium Constantem quoque Imp. di-
408 xit. An. CDVIII. Arcadius cum supremum diem obiisset, Theodosium filium orientis hæredem reliquit. Anno CDIX. Maximum tyrannum Hispania dedit; Attalum senatus Romæ Alarici jussu in Augusto solio, ut Zosimus ait, collocavit. Mihi hæc, & quæ postea evenere intuenti, ad Gallieni quodammodo ætatem, innumeris propè tyrannis divexatam, videor revolutus: sed ut in morbo multum interest, à florente & valente, an à corpore sive constitutione languido, sive ætate attenuato excipiatur, ita rei Romanæ accidit, ut ægritudinem sub Gallieno contractam, Claudii & Aureliani virtute non difficulter depelleret, pristinumque colorem mox recuperaret, sub Honorio autem semel inclinata, & in pejus semper prolapsa, antequam ad extremum præcipitium delata est, non subsisteret. Rhætia interim, tot ebullientibus bellorum motibus, præter morem pacata, altâ & securâ quiete sub Generido, homine quantumvis barbaro, & vanâ Deorum superstitione imbuto, perfruebatur; hunc enim Honorius, ut Zosimus auctor, Soz. lib. 9. c. 10. Zos. lib. 6. Zos. lib. 1.
Dalmaticis militibus universis præfecit, eundemque cæteris etiam, quicumque apud Pannoniam superiorem, & Noricos, & Rhætos, & quidquid horum est usque ad alpes in præsidiis erant, ducem constituit. Is cum milites continuis laboribus exercitatos,

tos, beneficentiâ atque liberalitate benevolos haberet, *formidini barbaris finitimis erat, & omnem securitatem nationibus, quarum ei commissa fuerat defensio, præstabat.* An. CDXI. 411

Jovinus: Quadringentesimo duodecimo ejus frater 412
Sebastianus, tyrannidem invasere: nec non & Heraclianus Africæ Comes hostis appellatus. Attalus per hoc tempus purpurâ sæpius indutus exutusque, in quo *Alaricus Imperatore facto infecto, refecto ac defecto, citius his omnibus actis pæne quam dictis* (Orosii verba sunt) *mimum risit, & ludum spectavit Imperii,* anno demum CDXVII. ab Honorio in triumpho 417
ductus, & in exilium est actus. Anno CDXX. Ho- 420
norius Constantium, cujus virtute & prudentiâ tyrannos ferme omnes extinxerat, & plerasque barbarorum gentes devicerat, Imperii consortem dixit. Is postero CDXXI. non 421
exacto vitam cum morte commutavit. Eumque

Oros. lib. 7. c. 42.

Socr. lib. 7. c. 23.

Honorii exitus consecutus anno CDXXIII. Post 423
quem Joannes, princeps inter Imperatorios scribas, ut est apud Socratem, regnum sperare ausus, Occidentem invasit. Neque verò dubium, hunc Italiam cum Rhætiâ in potestate habuisse,

Prosp. in chron.

quandoquidem Prosper retulit, animum adjecisse longè dissitam Africam à Bonifacio, qui eâ potiebatur, bello reposcere. Ve-

Procop. de Vand. lib. 1.

rum anno CDXXV. trucidatus (Procopii, qui quinq; annis præ- 425
fuisse scripsit, contra scriptores reliquos omnes nulla esse potest auctoritas) Valentiniano, Constantii nuper Imperatoris, ex Placidiâ filio, locum cessit. Ad istud ævum Theonestum sociosq; martyres Sigebertus refert, cum aliam alios temporis rationem inire sciens sim: Ex quibus Vrsum, Mediolano Magontia-

Vide Pet. de Nat. lib. 5. c. 133. lib. 10. c. 97

cum proficiscentem, Augustæ ab Arianis occisum, ut ut quædam in reliquâ historiâ vacillent, satis convenit. Sed vereor, nostrorum aliquos nominis errore ductos de Vindelicorum urbe perperam interpretari, quæ ad Prætoriam Salassorum pertineant. Pro Prætoriâ enim argumenta non obscura sunt aliquot: Consultæ tabulæ ecclesiæ Buraniæ, quæ sub Torcellensi episcopo prope Venetias est, & hos sanctos, quod pleraq; eorum corpora ibi condita, solemni cultu veneratur, planè habent, *civitatem Augustam, quæ sita est ad radicem montis, qui dicitur Jovis:* deinde locuples auctor Antoninus, in itinerario iter Mediolano Magontiacum describens, Augustam Prætoriam quintæ mansionis loco posuit: tum antiquissimum ad eam monasterium titulo S. Vrsi supereſſe audio: nobis contra, neque itineris ratio suffragatur, neque ullam nostra ecclesia Vrsi memoriam retinet. Quocirca (quod huc usque cavere curæ fuit) ornamento peregrino abstinemus. Anno circiter CDXXXIII. ante victoriam sci- 433
licet, quam Aëtius de Burgundionibus reportavit, in Rhætiâ tumul-

tumultuatum esse, Sidonii versus indicant, nisi nos librarii fallunt, quod propter incredibilem ejus auctoris scabritiem, & obscuritatem persæpe accidit,, Sid. Avit. paneg.

Jam post Vithungos, & Norica bella, subacto
Victor Vindelico, Belgam, Burgundio quem trux
Præserat, absolvit ——————

Loquitur, uti existimo, de Aëtio, in cujus comitatu Avitus: Rhenanus credidit de Avito, qui Vithungos Norico & secundâ Rhætiâ, hoc est, Vindelicià expulerit, sensisse. Quod si obtinet, impropriè valde Vindelico subacto victorem appellavit eum, qui Vindelicos hostibus pulsis liberavit. Nescio an credibilius, Vindelicos tot calamitatibus coactos, cum Romani lenta & invalida auxilia submitterent, quarundam provinciarum exemplo suâ sibi sponte consuluisse, nec consulto Imperatore fœdera cum barbaris pepigisse, quæ Aëtius utrorumque clade irrita fecerit: nescio inquam, an hoc credibilius, mihi nihil admodum liquere, Rhen. germ. lib. 1.

450 id unum scio. Anno CDL. Theodosio vitâ functo,
451 Marcianus Orientis accepit imperium. Sequenti CDLI. Attila Hunorum Rex, maximum & apparatissimum in Galliam exercitum duxit: ex Pannoniâ movisse Gregorius Turonum episcopus scripsit; an per Germaniam Magnam, an per Romanas provincias Noricum & Rhætias iter tenuerit, inter auctores parum convenit; quando enim antiqui id minus disertè explicarunt, posteri temerè hac illac, qua suspicionum aura impelleret, conjecturis divagati sunt. Mihi inprimis probatur, numerosissimas copias utramque Danubii ripam oppleisse, nam de Romana Procopius fidem facit, cum ait, Attilam subvertisse propugnacula, ab Imperatoribus olim fluvio imposita. Aventinus Theodericum Veronensem Triarii filium, & Macrinum Anthemium, qui dein imperavit, Consulem, Valentiniani Imperatoris generum, Danubiani limitis Duces, harumque provinciarum Legatos, pacem cum Hunnis firmasse, & exercitui clausis oppidis itineris faciundi potestatem concessisse prodidit. At brevi verborum gyro tot in unum errorum nævos coëgit, ut per immensum opus sparsi, haud dubiè toti simul dehonestando corpori satis futuri fuisse videantur. Theodericus Italiæ postmodum Rex, Veronensis vulgo (de quo multæ & insulsæ apud Aimonium fabulæ) post Attilam demum mortuum, patre Theodemiro ex Amalâ gente, matre Erelievâ natus, uti apud Jornandem est: longè diversus Theodericus Triarii filius Strabo (Scytham Evagrius appellat, & bellum, quod Zenoni movit, mortisque genus, eodem fere, quo Jornandes & Marcellinus, modo narrat) eum ne gentis quidem cognatione attigit; nam quod Ado in chronicis Theodericum Italiæ victorem, quem Greg. hist. lib. 2. c. 7. Procop. de ædif. Justin. lib. 4. Aim. lib. 1. c. 10. Jorn. Get. & de Regn. succes. Evagr. lib. 3. c. 25.

Vala-

Valamerem uti & Marcellinus cognominat, Triarii filio in regno succeſſiſſe ſcribit, falſum. Sed neque Strabo, quamquam Marciani amicitiâ floruit, ab Orientis tamen Imperatore Occidentis provinciis præfectus credendus. Æquè commentitium, quod in Vngarorum annalibus reperio, Theodericum Veronenſem ſub Attilæ lignis militaſſe, quî enim potuit nec dum natus? Theodemirum patrem ex Jornande ſubſtitutum oportuit. In Anthemio multis itidem modis lapſus Aventinus, cui cur Macrini nomen addiderit, inquirere non vacat: alibi Perhennum dixit, Sidonium perridiculè interpretatus, *Interveni etenim nuptiis patricii Ricimeris, cui filia perennis Auguſti in ſpem publicæ ſecuritatis copulabatur*, codices nonnulli nihili vocem *perhennum* habent, cum Sidonius *perennem*, eo modo, quo perpetuum Auguſtum illa ætas, dixerit: ſanè conſulem non niſi quadrieñio poſt Gallicam Hunnorum expeditionem lectum, ex faſtis ſcire poterat, Vxorem habuiſſe non Valentiniani ſed Marciani Imp. filiam, ex Jornande, Evagrio, aliis: Indeque conſectarium, Sidonii verba,

Bonfin. Dec. 1. lib. 4. Ritius lib. 1. Olahus Attilæ c. 4.

Sid. lib. 1. ep. 5.

Jorn. Get. Evagr. lib. 2. c. 16. Sid. Pan. Anth.

——— *Comitis ſed jure recepto,*
Danubii ripas, & tractum limitis ampli
Circuit ———

Spectare Danubium quâ ad Orientis imperium pertinuit, neutiquam, quod Aventinus exiſtimavit, ad Rhæticum limitem. In quam ſententiam plures is panegyricus verſus apertè habet. Quid quod conditionem de clauſis oppidis, Attila, omnium poſt homines natos mortalium maximè ferox & ſuperbus, qui obvia quæque fulminis in morem protrivit, disjecit, nequaquam admiſiſſet. Quapropter nihil eſt quare excogitatas fabulas pluris faciamus, quam privatos Auguſtanorum annales, qui conſentiunt Vrbem ejus tempeſtatis vi concuſſam, fœdè vaſtatam, ædiculam, quam cœmeterio poſt Afræ mortem additam diximus, inflammatam, nec quidquam præterera de tantâ clade memorant. Inter anni propemodum initia contigiſſe, perſuadet, quod Gregorius narrat, Hunnos *in ipsâ ſanctæ Paſchæ vigiliâ ad Metenſem urbem, reliqua depopulando* perveniſſe, itineris enim curſum ob incredibilem gentium colluviem, & perpetuas Vrbium oppugnationes, expugnationesq; crebrò impeditum retardatumq; neceſſe eſt; eleganter Beda, *adeo intolerabilis Reipublicæ remanſit hoſtis* (Attila) *ut totam pæne Europam exciſis invaſisque civitatibus atque caſtellis corroderet*, quibus oſtendit, longè plures eam calamitatem civitates afflixiſſe, quin & oppreſſiſſe, quam quarum famam publica hiſtoriarum monumenta ad hanc ætatem prorogarunt. Eſt autem corrodendi verbum ad Rhæticas Vrbes perappoſitum, quandoquidem hæc provincia Italiæ in

Beda. eccleſ. hiſt. lib. 1. c. 13.

limbi

limbi modum prætexta. In Oriente per ea tempora Chalcedonenſe concilium celebratum, cui Gradum presbyterum vice Euſtachii Auguſtæ Vindelicorum epiſcopi interfuiſſe, nimis leviter à quodam creditum, litterisque conſignatum. Res ſe hoc modo habuit: Euſebius Mediolanenſis epiſcopus, coacto coëpiſcoporum conventu, aſſertionem fidei, quam Leo Romanus Pontifex ad Orientem transmiſerat, approbavit, & rei teſtandæ epiſtolam emiſit, cui cum primus ipſe, tum cæteri qui interfuere ordine ſubſcripſere; inter hos ergo, *Gratus* (ſive Gradus, ſive ut quidam legunt, Gerardus) *presbyter directus ab epiſcopo meo Euſtaſio eccleſiæ Auguſtanæ, vice ipſius in omnia ſupraſcripta conſenſi, & ſubſcripſi.* Sed cum Mediolanenſis epiſcopus conventui præſederit, Grati ſubſcriptionem Ticinenſis, Taurinatis, Eporedienſis nomina antecedant, Laudenſis, Comenſis, Curienſis ſubſequantur, quis niſi locorum vehementer imperitus, non videat, Auguſtam Prætoriam ſignificari? Proclive erat multos præterea ex conciliorum libris Auguſtanos Epiſcopos enotare, ſed qui, cum Auguſtæ prope iſiumeræ fuerint, id ad noſtram urbem nihilo magis pertineant. Extat apud Molanum Grati etiam confeſſoris nomen, neſcio an hujus, nam Au-

455 guſtenſem eum epiſcopum cognominat. Anno CDLV. Valentiniano occiſo, Maximus Maximi nepos imperium Occidentis invaſit. Eoque mox ſublato, Avitus ſucces-

457 ſit. In Oriente Marcianus anno CDLVII. diem obiit: Cui Leo ſuffectus eſt. Is Marcellino teſte Majorianum, à Marciano antea deſtinatum, ut ex Jornande licet colligere, Occidentis Imperatorem dixit, quoniam Avito à Ricimere abdicare coacto, in Italiâ interregnum erat. Quam ſuis cupiditatibus feneſtram Alemanni apertam rati, provinciam, cui animis ſemper inhiabant, tacitis dolis aggreſſi ſunt,

Arnold. Merman. theat. converſ. gent.

Extat inter epiſtolas Leonis, tomo Concil. 2.

Mol. Vſuard martyr. edit. ſec. 7. Sept.

Sidon. Major. paneg.

——Conſcenderat alpes
Rhætorumque jugo per longa ſilentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus,
Perque Cavi quondam dictos de nomine campos,
In prædam centum novies demiſerat hoſtes.

Sed à Burtone, quem Majorianus ante ſumptam purpuram, militum adhuc Magiſter illis obviam miſerat, repreſſi & in fugam acti, unde Sidonii ad Majorianum verſiculi,

Jamque Magiſter eras: Burtonem dirigis illo,
Exiguâ comitante manu, ſed ſufficit iſtud,
Quod pugnare jubes, certa eſt victoria noſtris
Te mandaſſe acies, peragit fortuna triumphum,
Non populo, ſed amore tuo. Nolo agmina campo,
Quo mittis paucos, felix te reſpicit ille

Eventus belli: certatum est jure Magistri,
Augusti fato ——————

Alemannos nihilominus ex illo jam tempore, Romanis quantumvis invitis, in Alpibus resedisse, Jornandes indicio. Cum enim Suevos & Alemannos Leone imperante à Theodemiro Gothorum Rege inopinatâ irruptione victos memoret, his eos quodammodo lineis circumscribit, *Regio illa Suevorum ab oriente Bajobaros habet, ab Occidente Francos, à meridie Burgundiones, à septentrione Thuringos. Quibus Suevis tunc juncti Alemanni etiam aderant, ipsique Alpes erectas omninò regentes, unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sono vergentia.* Neque ego nego fieri posse, ut Alemanni Alpium Rhæticarum partem aliquot ante annis, sub Attilæ fortasse transitum occupaverint, stabilemq; ibi sedem fixerint, sed vestigiũ isto vetustius nullũ reperio. *Regio illa Suevorum* est latè quaqua versus porrect⁹ tractus, quem Sueviam Alemanniamq; prisci auctores promiscuè dicunt, hodie & Suevia magnæ Germaniæ, & Franconia credo; unde Alemanni veluti colonias in Rhæticas Alpes atq; proximam eis Rhenum Galliam duxêre. Habuit tunc (nam ob Germanicarum gentium frequentes ex migrationibus mutationes, nihil fere perpetuum in limitum ratione potest constitui) ab Oriente Bojos, qui sive intra sylvam cognominem Bojohemi regionem colebant, sive extra Danubium, quâ ille infimam Rhætiæ partem & Noricum præfluit, prætexebant: ab Occidente Francos, maximæ Galliarum partis dominos: à meridie Rhætos Jornandi præteritos, & Burgundiones, quorum laxi fines, plurimam ejus, quæ jam Helvetia est, portionem complexi: à septentrione Thuringos, qui Thuringiam propemodum Hassiamq; simul, uti nunc loquitur, tenuisse videntur; siquidem Gregorius Turonensis *Duisburg* ad Rhenum infra Agrippinæ coloniam, *Dispargum castrum* appellat, *in termino Thuringorum*. Idem auctor est, Francos, priusquam in Galliam migrarent, Rheni primum littora, postmodum Thuringiam habitasse, *ibiq; juxta pagos vel civitates Reges crinitos super se creavisse*, quæ historica prolepsis est; nam Francia tunc dicta, à Thuringis successoribus demum Thuringæ nomen accepit. Procopius delineatâ priscâ Francorum regione ad Oceanum circa Rheni paludes & ostia, ait inde adverso flumine versus orientem solem Thuringos sedes habere, & ab iis haud procul Burgundiones ad Notum vergentes, Suevos deinceps & Alemannos gentem validam, liberos omnes, qui ea loca jamdiu incolant. Itaque haud difficulter intelligimus, cur aliquando Franci, aliâs Thuringi, secus Rhenum Alemannorum confines. At nobis via ex diverticulo repetenda. Crebræ posthac Imperatorum mutationes in-

Greg. hist. lib. 2. c. 9.

Proc. Goth. lib. 1.

genti

461 genti Reipublicæ malo conſequutæ. Anno CDLXI. Majorianus Ricimeris perfidiâ extinctus, Severus ſubſtitutus
465 eſt. Poſt Severi exceſſum, qui in annum CDLXV. incidit, interregnũ in Occidente priore diuturnius fuit. Do-
467 nec anno CDLXVII. Anthemius, Leonis potiſſimum nixus auctoritate, rerum habenas ſuſcepit. Hunc anno
472 CDLXXII. Anicius Olybrius: Olybrium CDLXXIII.
473 Glycerius ſequutus. Anno CDLXXIV. Leo Orien-
374 tis Imperator obiit, Leonemque juniorem, nepotem ex filiâ, ſucceſſorem habuit. Cui paullo poſt defuncto, Zeno pater, etſi à Baſiliſco interpellatus, heres fuit. Julius Nepos Occidentis Imperator à Leone majore dictus, Glycerium purpurâ ex-
475 uit. Et ipſe quoque abdicare coactus, anno CDLXXV. Momyllo Auguſtulo locum fecit. Quis interim Rhæticarum rerum ſtatus, definitè & diſtinctè deſignare in tantis priſcorum monumentorum anguſtiis nemo, generatim conjecturam capere perfacile omnes queant: Nihil ad ſummum calamitatis & miſeriæ cumulum defuiſſe, cum & Transdanubianis hoſtibus, & iis, qui in alpibus proximè nidulati, inde paullatim proſerpentes omnem cis Lycum provinciam ſunt poſtea adepti, animi inſolenti audaciâ quotidie augeſcerent, eorum contra, qui Romanis rebus præerant, vires, diſcordiâ ſocordiaque pariter jamdudum attenuatæ, ad nihilum propè recidiſſent. Hinc provinciæ populationes continuæ, provincialium, qui ſibi vel fugâ vel munitionibus minus conſulerent, captivitates & mortes, frequentes cum hoſtibus pactiones, iniquæ, fœdæ, calamitoſæ, ad eorum libidinẽ ratæ irritæ. Ab Eugippio profecto iſtorum temporum æquali, Norici & Rhætiæ quæ trans Lycum eſt, ærumnæ vix credibiles narrantur: At in dubium nemo vocet æquè deploratam cis Lycum conditionem fuiſſe. Nam cum Alemanni, quorum tunc in his oris reges Gibuldus & Chunimundus, Rhætiam ulteriorem ad usq; Quintana & Batava, quin & longè diſſitum Noricum perpetuis incurſionibus turbaverint, pleraque oppida ceperint, capta diripuerint, quod Eugippius in deſcribendâ vitâ S. Severini, qui illis tunc populis in tantâ rerum caligine tamquam propitium ſidus affulſit, commemorat, fieri non poteſt, ut citerior hæc provinciæ pars, Auguſtam coloniam circum, Alemannis hoſtibus proxima, quæque eos ſinu quodammodo contineret, non miſerrimè habita, innumera barbaræ crudelitatis exempla experta fuerit, prohibente quippe nemine. Eugip. c. 19. 22. 25. 27. 31.

476 Anno CDLXXVI. Odoacer Rugus (Jornandes auctor) Turcilingorum, Scyrorum, Herulorum inſtructus copiis, Momyllum poteſtate exuit, privatamque vitam adegit vivere, ipſe primus Italiæ Rex appellatus eſt. Quo nomine Rhætias quoque, quâ Roma-

nis adhuc paruerant, rexisse intelligimus, nam Theodericus ejus postmodum successor, harum etiam adiit possessionem. Alemanni sub eos dies Rhæticis Noricisq; populationibus minus obsaturati, cum Italiæ partem pervasissent, à Childerico Francorum Rege, & Odoacre sive Rugo, sive Saxonum quodam regulo, quod Greg. lib. 2. c. 19. Gregorius Turonensis sensit, victi sunt. Theodericus autem anno CDLXXXIX. Italiam Zenonis auspiciis aggressus Odoacrem ad Sontium primò, secundò prope Veronam vicit, quemadmodum à Cassiodoro proditum, qui huic bello per ætatem interesse potuit. Cass. chron 489

Post iteratam victoriam *Veronam illicò, pavore civibus consternatis invadit*, uti Paulus diaconus retulit: Et quam verisimile est, Veronensis cognomen tunc vulgi appellatione nactum, quod hanc primam Italicarum urbium, maximum ad reliqua momentum, occupasset: Ennodius eò credo in panegyrico illũ alloquutus, *Veronam tuam* dixit. Diaconi hæc laudat Cuspin. in Cons. Anno CDXC. Odoacer ad Abduam tertiò victus. Quartò, anno CDXCI. noctu Ravennâ erumpens, cum arctâ obsidione premeretur. Zenone interim mortuo, Anastasius in Oriente Imperator appellatus est. 490 491

Ravennate autem obsidione in annum CDXCIII. extractâ, Odoacer Italiæ imperium, icto fœdere cum Theoderico communicavit. Theodericus sive deprehensis collegæ insidiis, quod credi volebat, sive impatiens consortis falso calumniam intendit, Odoacrem paucis interjectis diebus sustulit, & Gothorum in Italiâ Regnum princeps constituit. 493

Sigeb. chronogr. Anno CDXIÇX. (Sigebertum sequimur) Clodoveus Francus, Alemannorum Rege cæso, gentem difficili & cruentâ pugnâ vicit, cum rebus suis jam inclinatis, aciem illustri edito voto restituisset; Christo enim, quem Crothildis uxor coleret, victor nomen dare pollicitus, Christi præsentem opem Greg. lib. 2. c. 30. expertus est. 499

Neque tamen, quod plerique Gregorium parum cautè interpretati existimant, victoriæ Alemanni omnes cessere, ex Procopio quippe vidimus, Alemannos Justiniani adhuc ætate liberos, & ut huic quantum quisque volet tribuat, illud certis testibus compertum, quod paullo post ex Agathia visuri, Theoderico quosdam fuisse subditos. Nam quamvis tam Procopius Procop. Goth. lib. 1 Agath. lib. 1. quam Agathias infinitè de omnibus scripserint (nisi interpretes fallunt) rerum tamen diversissimarũ natura cogit utrumq; finitè de aliquibus accipere. Theoderico paruêre, qui Rhætiam incolebant, & in viciniâ fortasse, qui Danubium prætexebant, nonnulli: Clodoveo, tum ii qui cis Rhenum in Galliâ Argentoratensem tractum occupaverant (cujus rei multa sunt indicia) tum, si quid conjecturæ in rebus dubiis licet, qui proximam Thuringis oram tenebant, quam Franconiæ eò nomen accepisse credimus, (non nescii, quas nugator Hunibaldus hujus vocabuli occasione fabulas

las obtrudat) cum antiquæ Sueviæ & Alemanniæ pars fuerit; inter utriusq; autem Regis ditionem prioris libertatis reliquiæ superesse potuere. Sed aliorum quidem nobis ratio præterea non habenda, de Theoderico Agathiæ verba dilucida sunt, *Hos nimirum* (Alemannos) *Theodericus olim Gothorum Rex, cum totius Italiæ potiretur imperio, tributarios fecerat, & gentem hanc subegerat universam*, quæ quomodo intelligenda sint diximus. At isti rursus in duplici differentiâ; partim ultrò se in Gothorum clientelã dedere, quo à Francis horũ patrocinio tuti agerent, quod ex Theoderici ad Clodoveum epistolâ perspicuum, *Jure gratiæ merentur evadere, quos adparentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris finibus celantur exterriti.* Mox, *Et meis petitionibus satis feciſſe videamini, nec sitis solliciti ex illâ parte, quam ad nos cognoscitis pertinere.* Partim cum hostilem impressionem fecissent, bello victi in Italiam translati, quod Cassiodorus & Ennodius ostendunt; hoc modo Cassiodorus, *Additur Alemannorum nuper fugata surreptio, quæ in primis conatibus suis sic probatur oppressa, ut simul adventum suum junxisset & exitum, quasi salutaris ferri execatione purgata: quatenus & male præsumentium vindicaretur excessus, & subjectorum non omnino grassaretur interitus.* Sic verò Ennodius, *Quid quod à te Alemanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est? cui evenit habere Regem, postquam meruit perdidisse. Facta est Latiaris custos Imperii semper nostrorum populatione grassata. Cui feliciter cessit fugisse patriam suam, nam sic adepta est soli nostri opulentiam, adquisita est iis, quæ noverit, ligonibus tellus adquiescere.* Atque hanc irruptionem & victoriam in annum DVI. quo numerabatur indictio XIV. incidisse, alius Cassiodori locus persuasit, *Illi vel illi, Suevorum incursione vastatis fiscum decimæ quintæ Indictionis serenitas Regalis indulsit*: Alemannos in Italiam translatos per Noricum iter tenuisse, Theoderici ad Noricos edictum, *Præsentibus decrevimus institutis, ut Alemannorũ boves, qui videntur pretiosiores propter corporis granditatem sed itineris longinquitate defecti sunt, cõmutari nobiscum liceat, minores quidem membris, sed idoneos ad labores: ut & illorum professio sanioribus animalibus adjuvetur, & vestri agri armentis grandioribus instruantur.* Quibus porrò limitibus Theodericus Alemanniam sive Sueviam à Rhætiis distinxerit, certò constituere nunquam potui: Credibile visum, Sueviam aut Suaviam, ut plerique codices habent, appellasse tum quicquid ejus regionis in Germania magna possidebat, tum portionem aliquam Rhæticæ provinciæ, quam circa Danubii fontes & in alpibus Alemanni dudum invaserant. Id planè constat, diversos

Agath. lib. 1.

Cass. Var. lib. 2. ep. 41

Cass. Var. lib. 12. ep. ult.

Ennod. paneg.

506

Cass. Var. lib. 12. ep. 7.

Var. lib. 3. ep. 50.

Var.lib.4. ep.49. lib.5.ep.14. 15. Rhætiæ & Sueviæ Rectores præfeciſſe, ſcribens *Univerſis provincialibus & capillatis, defenſoribus & curialibus Suaviâ conſiſtentibus*, Fridiladum eis quendam præfecit; *Univerſis* item *poſſeſſoribus in Suaviâ conſtitutis* Severinum aut Severianum; lib.7.ep.3. Comitis quoque Gothorum in Suevia & Vicedomini meminit, ſed ex formula Comitivæ intelligimus, hos Comites Gothos tantum ſpectaſſe, ut inter duos Gothos ſoli jus dicerent, inter Gothum & Romanum collegâ Romano adjuncto, cæteroqui in provinciales imperium non haberent. In priori autem epiſtolæ præſcriptione, provinciales, defenſores & curiales qui ſint, in promptu, Capillati fortaſſe non adeo: etſi promiſsâ cæſarie Plin. lib.3. c.5. & 20. Jorn. de reb.Get. Germani olim prope omnes, & in his Suevi, Capillatos tamen abſolutè dictos non reperio, neque huc quidquam pertinent populi circa Liguriam, quos Plinius Capillatos non tam nominat quam cognominat; ex Jornande ergo interpretatio petenda, qui oſtendit, eo vocabulo Gothorum vulgus ſignificari, ait Diceneum ſacerdotes apud Gothos inſtituiſſe, Pileatosque appellaſſe, *reliquam verò gentem capillatos dicere juſſit, quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes, adhuc hodie ſuis cantionibus reminiſcuntur.* Rhætiis proprius Dux datus, quē cum procuratione rei militaris jurisdictionem quoque exercuiſſe, ex *Formulâ Ducatus* Caſſ. var. lib.7.ep.4. *Rhætiarum*, quæ apud Caſſiodorum legitur, [& quam totā aſcribere operæ duximus, poteſt intelligi, *Quamvis Spectabilitatis honor unus eſſe videatur, neque in his aliquid aliud niſi tempus ſoleat anteferri, tamen qualitate perpensâ, multum his creditum videtur, quibus confinales populi deputantur. Quia non eſt tale pacatis regionibus jus dicere, quale ſuſpectis gentibus aſſidere: Vbi non tantum vitia quantum bella ſuſpecta ſunt, nec ſolum vox præconis inſonat, ſed tubarum crepitus frequenter inſultat. Rhætiæ namque munimina ſunt Italiæ, & clauſtra provinciæ. Quæ non immerito ſic appellatas eſſe judicamus, quando contra feras & ageſtisſimas gentes, velut quædam plagarum obſtacula, diſponuntur. Ibi enim gentilis impetus excipitur, & transmiſſis jaculis ſauciatur furibunda præſumptio. Sic gentilis impetus veſtra venatio eſt. Et ludo geritis, quod vos aſſiduè feliciter egiſſe ſentitis. Ideoq; validum te ingenio ac viribus audientes, per illam Indictionem Ducatum tibi credimus Rhætiarum: ut milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolenni alacritate circumeas. Quia non parvam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tuâ creditur ſollicitudine cuſtodiri. Ita tamen, ut milites tibi commiſſi vivant cum provincialibus jure civili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum, quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis. Quos ideo conſtat appoſitos, ut intus vita felicior ſecurâ libertate carpatur.*

Qua-

Quapropter noſtro reſponde judicio, fide nobis & induſtriâ placiturus: ut nec gentiles ſine diſcuſſione ſuſcipias, nec noſtros ad gentes ſub incurioſitate transmittas. Ad neceſſitatẽ ſiquidem rarius venitur armorum, ubi ſuſcepta ſurreptio cuſtodiri poſſe ſentitur. Privilegia vero dignitatis tuæ noſtris tibi juſſionibus vindicabis. Sed Var. lib. 1. ep. 21.
& hæc Theoderici ad Servatum Rhætiarum Ducem extat epiſtola, *Decet te honorem quem geris nomine, moribus exhibere: ut per provinciam cui præſides, nullam fieri violentiam patiaris: ſed totum cogatur ad juſtum unde, noſtrum floret imperium. Quapropter Maniarii ſupplicatione commoti, præſentibus te affamur oraculis, ut ſi reverâ mancipia ejus Breones irrationabiliter cognoveris abſtuliſſe, qui militaribus officiis aſſueti, civilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc juſtitiæ parère deſpiciunt, quoniam ad bella Martia ſemper intendunt, dum neſcio quo pacto aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram: quapropter omni proteruiâ remotâ, quæ de præſumptione virtutis poteſt aſſumi poſtulata facies ſine intermiſſione reſtitui. Ne per dilationis incommoda, eorum videatur ſupplex odiſſe victoriam.*
Breones aut Briones qui fuerint, ex iis quæ ſequuntur auctorum verbis quadantenus capimus: Fortunatus cum Auguſtam nominaſſet, hæc addit: *Quâ vicina ſedent Breonum loca.* Fort. de vita S. Mart. lib. 4.
Paulus Diaconus, *In regione quoque Brionum ſanguis de nubibus fluxit, & intra Oeni* (ſic legendum) *fluvii aquas rivulus cruoris emanavit.* Diac. edit. Aug. lib. 4. c. 4.
Itaque conſectarium, eos inter Lycum & Oenum ſitos. Gregorius Turonenſis, *Brionas Italiæ caſtrum* appellavit, credo quòd Italiæ Rhætiæ accenſæ. Greg. de glor. martyr. lib. 1. c. 42.
A Freculpho *Ripariolibriones* inter gentes Aëtio contra Attilam auxiliares numerantur, ubi *Ripariolí Briones*, non dubiè reſtituendi, & ad eundem modum apud Jornandem *Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc verò jam in numero auxiliatorum exquiſiti*, lego *Riparioli, Briones*. Frec. tom. 2. lib. 5. c. 14. Jorn. de reb. Get.
508 Anno DVIII. Bojos Theodone Duce irruptionem in Vindeliciam, quæ inter Lycum & Oenum, feciſſe, atque ejus multò maximam partem ejectis Romanis occupaſſe, Aventinus annotavit: Sed expeditionis conſilia, aggreſſionem, progreſſionem, & denique exitum ſatius ex illius annalibus hauriri, quam ad ipſius præſcriptum hîc pertexere; nam mihi quidem Q. Scævulæ apud Valerium perplacet ſententia, *Ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem aſſeveraſſent: quoniam unius teſtimonio aliquem credere peſſimi eſſet exempli.* Val. lib. 4. c. 1.
Ad quam rationem cum me expendi non nolim, tum ego viciſſim non unum Aventinum, ſed omnes hiſtoriarum ſcriptores, qui res ſuâ memoriâ multis temporum ſpatiis anteriores ſine vade, ſine teſte proferunt, ſoleo expendere: Vt enim ipſis fides conſtiterit fieri fortaſſe poteſt, ut ipſi nobis conſtare faciant, neuti-

quam potest. Nec is tunc rerum temporumque cursus fuit, ut Gothos, quorum res agebatur, inultos à Bojis lacessitos facile credendum, quin si quis hujus quidquam persuadere voluerit, locupletum & gravium testium auctoritate evincat oportet. Anno DXVIII. Anastasius Imperator Constantinopoli fulmine ictus periit, atque Justinum successorem habuit. 518

Anno DXX. Aventinus Boici belli eventa narrare pergit, Legiones Romanas internecione in campis Perilachis cæsas, Augustam Vindelicorum eversam & solo æquatam esse: Neque verò nostram hanc, sed commentitiam illam alteram ad Isaræ & Loisæ confluentes, quam quâ facilitate inaniter architectari, eâdem, cum libitum, è rerum naturâ evellere potuit: Voluisse, est, cur patriæ quodammodo nomine gratias habeam. 520

Rex Theodericus anno DXXVI. rebus humanis exemptus, Athalarico ex filiâ Amalasuentâ nepote, admodum puero herede destinato. Multæ & magnæ Theoderici virtutes enituere, sed liventibus interdum vitiorum maculis fuscatæ. Animus in homine Gothico priscæ Romanæ magnitudinis capax, ac gloriæ oppido avidus: ergo & veteris splendoris ædificia cum curâ servavit, restituit, & ad eorum imitationem nova, quâ per sæculi barbariem licuit, instituit, verè opinatus, quod quodam loco scripsit, laudem esse temporum, reparationem urbium vetustarum. Totius præterea regni constitutionem ad eam, quæ sub Imperatoribus fuit, formam proximè attemperavit, quippe qui se Imperatorum in Italiâ vices tamquam beneficiario jure agere videri vellet. In præcipuis urbibus Curiales, atq; antiqua magistratuum nomina Duumviros & Quinquennales, item Defensores sive Syndicos retinuit, quod ex duobus capitibus edicti ab illo propositi cognitum, observatione dignum existimavimus. 526

Cass. Var. lib. 1. ep. 28.

Edict. Theod. c. 52. 53.

Athalaricus sub regni initia Osum an Osvinum Comitem Dalmatiæ simul & Suaviæ præfecit: nonnulli Cassiodori codices Sueniciam habent, quidam Saviam, quæ Pannoniæ pars, probabiliter corrigunt; sed est apud Jornandem locus, qui priorem lectionem juvet, *Dalmatiis Suevia vicina erat, nec à Pannonius multum distabat, præsertim ubi Gothi residebant*, quo incredibilis Sueviæ amplitudo datur intelligi.

Cass. Var. lib. 9. ep. 8. 9. Jorn. de reb. Get.

Anno postero DXXVII. Justinianus Imperator, ille Juris quo hodie utimur conditor, Justino avunculo successit. 527

Athalaricum Theodahatus, Amalasuentæ dignatus conjugio, in Italiæ regno anno DXXXIV. subsequutus. Extant nummi argentei, in quibus D. N. IVSTINIANVS. AVG. hinc scriptus, inde D. N. ATHALARICVS. REX. atq; etiam D. N. THEODAHATVS. REX. ii, quod innuimus, Gothos Imperatorum majestatem comiter 534

conser-

conſervaſſe,teſtimonio ſunt. Ad hæc quidem tempora usq;,quod enim poſtea Gothis à Juſtiniano bellum illatum, quodque hunc Theodahatum inprimis, dein quinque qui ordine ſucceſſere Reges exercuit, neque niſi regno exciſo,gente ſubactâ conſtitit , omnia obſequii & reverentiæ juxta atque amicitiæ vincula dsirupit. Vitiges, Theodahato, interfecto regnum anno
536 DXXXVI. auſpicatus. Ildobaldus DXL. Araricus, & mox
540 Totilas DXLI. Omnium ultimus Teias DLII. cujus prope-
541 modum morte bellum per annos circiter XVIII. variâ fortunâ
552 continenter geſtum,finitum eſt. Romani Beliſario potiſſimum & Narſe ducib' uſi,quorum priorem Germanum fuiſſe , Hubertus Giphanius juris ſcientiâ,omnique politioris litteraturæ laude clarus, nam hoc teſtimonium veritati, non amicitiæ damus, edito proximè de Juſtiniano cõmentario docuit,tum nominis notationẽ,tum multò magis Procopii auctoritatẽ ſequut⁹. Teritur quorundam manibus epiſtola Juſtiniani Imp. nomine inſcripta,quæ centũ viginti Titiones ſub hæc tempora ,Gothicam Vandalicamque crudelitatem peroſos , ſponte ſibi ipſis indicto exilio,Româ relictâ Vindelicos Rhætiosque petiiſſe narrat : Ejus nos exemplum poſt hos libros dedimus. Sed nemo quisquam tam obeſæ naris, ſi attentius paullò inſpiciat , quin ſuppoſititium fœtum multis actutum indiciis deprehendat. Ego ex diplomate Philippi Mediolanenſium principis,anno Chriſtiano MCCCCXVIII. ad faciendam fabulæ fidem,uti fit perſcripto , cognitum habeo, Titionum illuſtrem apud Inſubres familiam eſſe , quæ antiquæ nobilitatis famam his originibus tueatur , ut jam inde neutiquam obſcurum,in cujus gratiam mimus non ſatis concinnus ſit excogitatus. Quem primi nominis Jurisconſulto cuidam imponere potuiſſe , impensè miror. Gothi interim Italici belli curâ præpediti,transalpinis provinciis animum adjicere non potuere : excuſſo itaque jugo, & diſpulſo qui prius coërcuerat timore , Alemannorum in Rhætiâ res valde invaluiſſe veriſimile, neque mihi dubium tunc primum facultatem nactos,quod crebris prius excurſionibus ſæpe tentaverant,omnem fere, quæ cis Lycum provincia eſt, Germaniæ magnæ quodammodo prolato pomœrio , tamquam vacuam poſſeſſionem occupaſſe , ratumque ad poſteros Alemanniæ ſive Sueviæ nomen transmiſiſſe , Rhætico in eas iterum circa Curiam alpium angustias coacto , ex quibus olim prodiiſſe proditum. Idem de Bojis ultra Lycum , probabilius aliquantò quam quod Aventinus ſcripſit,opinari non pigeat,uſq; adeo,donec certorum auctorum fide de opinione deducar. Rem equidem in controverſiam nemo vocet, de temporis ratione leviter fortaſſe poſſit ambigi. Huc ſpectat,quod Paulus Diaconus habet , *Inter hanc* (Liguriam) *& Sueviam*, Aug. Paul. lib. 2. c. 15. edit.

Digitized by Google

Sueviam, hoc eſt, Alemannorum patriam, quæ verſus Septentrionem eſt poſita, duæ provinciæ: id eſt, Rhætia prima & Rhætia ſecunda intra alpes conſiſtũt, in quib' propriè Rhæti habitare noſcuntur. lib.3.c.29. Item, *Noricorum ſiquidem provincia* (Rhætiæ partem, quæ ultra Lycum eſt, Norici etiam nomine complectitur) *quam Bajoariorum popul' inhabitat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sueviam, à meridie Italiam, ab Aquilonis verò parte Danubii fluenta.* Eginhartus in Caroli vitâ, *Ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Is fluvius Bajoarios ab Alemannis dividit.* Cum jam antea ex Jornande cognoverimus, Suevos iſtos & Bojos in Germania magnâ ſic confines coluiſſe, ut Suevi occidentem ſolem verſus, Boji ad Orientem vergerent, hinc intelligimus ſuperato Danubio Romanas provincias eodem ſervato plagarum diſcrimine diviſiſſe; quod & deinceps ad hoc ævi, per annos amplius mille, tenuit. Quantumvis autem Auguſtam coloniam Alemannis, à quibus undecumque cingeretur, obnoxiam fuiſſe vix negandum, mores tamen dediſſe quam accepiſſe magis credam, nam profectò hos manſuefactos, illam non efferatam videmus: Idcirco quæ de gentis barbarie Agathias, quæ alii retulere, ut aliena prætereo. Agath. lib. 1. Franci porrò ad omnem prolatandi imperii occaſionem parati, Alemannorum ſpem diutius luxuriare non paſſi, Gothorum auxiliis deſtitutos opportunè aggreſſi, armis brevi univerſos ſubegere. Agathias hunc in modum de Theodeberto Theoderici F. Francorum Rege verba facit, *Paterno ſuſcepto jam regno, & Alemannos bello proſtravit, & gentes alias viciniores pervicit, nam & audaciſſimus erat, & turbulentiſſimus, ac præter modum cupidus diſcrimen omne adibat.* Diſtinctius poſtea, cum rationem, quâ Alemanni in Theoderici Gothorum Regis poteſtatem veniſſent, indicaſſet, hæc ſubjungit, uti ſcilicet à rudi interprete incultè admodum & horridè reddita, *Ubi verò is humanis exceſſit, & Juſtinian' Romanorum Imperator & Gothi bella inter ſe vel acerrima gererent, Gothi ipſi, cum Francis interea adulando gererent morem, & enixè quavis arte machinarentur, ut amicos hos ſibi & benevolos conciliarent, quam maximè vel ex aliis pluribus ſuis ejecti ſunt locis: Jamq; Alemannorum gentem reliquerant, nam undequaque cogendas ſibi tunc vires eſſe exiſtimabant, & ſubditos omnes, quos ſupervacaneos ducerent & nil opportunos, mox omittendos, perinde haud quaquam de imperio & gloriâ decertaturi, proque ipsâ Italiâ, ne ad internecionem deperderentur, propulſaturi diſcrimen: Unde cum futuri temporis periculum animo percepiſſent, voluntariam fecerant neceſſitatem. Sic itaque Alemannorum gentem per Gothos dimiſſam, Theodebertus in deditionem accepit. Quo mortuo (ut ſupra jam diximus) ad Theodebaldum*

baldum filium cum cæteris & hi ſimul in poteſtatem ceſſere. Nec ulterius in hoc ſenticeto progredi fert animus. Eâdem operâ Auguſta ,quæ per annos à colonicâ deducta circiter quingentos quinquaginta Romanis & Gothis paruiſſet, ſub Francorum imperium ditionemque recidit. Quam ab initio usque iſtius ſcriptionis propoſitam metam quoniam ſemel attigimus, curſum ſiſtimus. Non ignari,pleraque popularius tradi potuiſſe, ſi quæ veriſimilia & probabilia nos arbitrari, ſuſpicari, conjecturis aſſequi,ſæpenumerò teſtati, pro compertis afferre, plauſibiles quorundam exemplo fabulas recipere, & ſcriptorum verbis,quæ orationem identidem interſecant,abſtinere, perpetuoq; ſermone uti maluiſſemus. Sed neque vulgi auram captare didicimus, neque ingenii & doctrinæ lumina oſtentare noſtrum eſt; ſi in argumento difficili &, verè dicam,aliis ſive incuriâ, ſive contemptu, ſive quod vero maximè ſimile honeſtiſſimumque videtur,ſucceſſus deſperatione intentato, paucis meliorum probamur, ſi omnes fidei & pudoris , quibus locupletum teſtium verbis identidem allatis, relictisque in medio ſuſpicionum cauſſis abundè conſultum,aliquæ diligentiæ & laboris rationes conſtabunt,ſatis ſuperque habituri ſumus. Si quis verò plura, certiora,meliora denique , aut cultiora ſaltem & elaborata magis afferet, adeò non ægrè laturi,ut hoc quidem unum omnis in hos libros collatæ operæ præmium flagitemus.

VETVSTORVM ALIQVOT
SCRIPTORVM

TESTIMONIA,

QVÆ

IN HIS LIBRIS SIVE SEQVVTI SVMVS, SIVE REIECIMVS;

VISVM SVBIVNGERE, VT EO LECTORI FIDES CONSTARET CERTIOR.

TESTIMONIA

IN HIS LIBRIS SIVE

SEQVVNTVR SIVE

PRAECEDVNT

LIBRO tertio usi auctoritate Itinerarii Antonini Augusti, itinerum nonnullorum particulas attulimus, quæ nunc damus integra, cum alias rationes sequuti, tum unam inprimis, ut quod tunc diximus appareret, in inscriptionibus itinerum, quæ Augustam attingunt, ejus nominatim rationem habitam. Lectionem in magnâ codicum varietate illam reddidimus, quam probissimam credidimus.

DE PANNONIIS IN GALLIAS PER MEDITERRANEA LOCA, ID EST, A SIRMIO PER SOPIANAS TREVIROS VSQVE.

A SIRMIO LAVRIACO M. P. * CCCCXXXVII. * CCCCXXXII.
AVGVSTA VINDELIC. M. P. * CCXVI. * CCIX.
AD FINES M. P. * CXXXVI. * CXXXVII.
AD TREVIROS M. P. * CCXXXI. * CXCI.

Vimos M. P. XXVI.	Pannonia inferior.
Cibalis M. P. XXIIII.	
Mursa M. P. XXII.	
Antianis M. P. XXIIII.	
Sopianis M. P. XXX.	
Limusa M. P. XXII.	
Cilicenis M. P. XVI.	
Valco M. P. XXVIII.	
Mogetiana M. P. XXX.	
Sabaria M. P. XXXVI.	Pannonia superior.
Scarabantia M. P. XXXIIII.	
Moteno M. P. XII.	
Vindobona M. P. XXII. Al, *XXV.*	
Comagenis M. P. XXIIII.	
Cetio M. P. XXIIII.	Noricum.
Arlape M. P. XXII.	
Laco Felice M. P. XXVI.	
LAVRIACO M. P. XX.	
Ovilabis M. P. XXVI.	
Laviaco M. P. XXXII.	
Iuvavia M. P. XXVIII.	
Bedajo M. P. XXXVI.	
Ponte Oeni M. P. XVIII.	Vindelicia.
Isinisca M. P. XX.	

Ambra M. P. XXII.
AVGVSTA VINDELIC. M. P. XXVII.
Roſtro Nemaviæ M. P. XV. Al. *XXV.*
Camboduno M. P. XXXII.
Rhætiæ. *Vemania M. P. XVI.*
Brigantia M. P. XXIIII.
Arbore Felice M. P. XX.
AD FINES M. P. XX.
Gallia Maxima Sequanorum. *Vindones Leg. M. P. XXX.*
Arialbino M. P. XXIII. Al. *XXVI.*
Monte Briſiaco M. P. XXX.
Argentorato M. P. XXXVIII.
Tabernis M. P. XIIII.
Decempagis M. P. XX.
Belgica prima. *Divodoro M. P. XX.*
TREVIROS M. P. XVI. Al. *XIII.*

ITEM PER RIPAM PANNONIÆ A TAVRVNO IN GALLIAS AD LEG. XXX.
*DCXXVIII. *A TAVRVNO LAVRIACO M. P.* DLXXXVII.*
*CCXXIII *INDE AVGVSTA VINDELICVM M. P.* CCXXI.*
*CCCXXXIII. *ARGENTORATO M. P.* CCCXXII.*
*CXLI. *AD LEG. M. P.* CXL. *SIC. A TAVRVNO,*

Pannonia. *Ritti. M. P. XXXIII.*
In medio Aciminci M. P. XXV.
Cuſi M. P. XXX. Al. *XXXIII.*
Bononia M. P. XVI.
Cucci M. P. XVI.
Cornaco M. P. XVI.
Teutiburgo M. P. XVI.
Murſa M. P. XVI.
Ad Novas & Aureo Monte.
Antianis M. P. XXIIII.
Valeria. *Altino, in medio Leg. M. P. XXV.*
Ad ſtatuas, in medio Aliſca, ad latus Ripa alta M. P. XXVIII. Al. *XXXVIII.*
Luſſunio M. P. XVIII.
Anamantia, in medio Interciſa. M. P. XXVIIII.
Vetus Salina, in medio Matrica M. P. XXI.
Campona, in medio Aquinquo Leg. II. Adjut. M. P. XXIIII.
Lacu Felicis, in medio ..... M. P. XXXIII.
Crumero Aſao, in medio Bregetione Leg. I. Adjut. M. P. XVIII.
Pannonia inferior. *Ad muros & ad ſtatuas, in medio Arrabona M. P. XXX.*
Quadratis, in medio Flexo M. P. XXII.
Cerulata, in medio Carnunto M. P. XXX.
Leg. XIIII. Gem.
Æquinoctio & Ala nova, in medio Vindobona M. P. XXVIII.
Leg. X. Gem.

Comma-

Commagenis M. P. XXX.
Cetio M. P. XXX. — Noricum.
Arlape M. P. XX.
Lacu Felice M. P. XXV. Al. XXII.
LAVRIACO M. P. XXV. LEG. III.
Ovilabis M. P. XVI.
Ioviaco M. P. XXVII.
Stanaco M. P. XVIII.
Bojoduro M. P. XX.
Quintanis M. P. XXIIII. — Rhætia secunda.
Auguſtis M. P. XX.
Regio M. P. XXIIII.
Abuſina M. P. XX.
Vallato M. P. XVIII.
Sumuntorio M. P. XVI.
AVGVSTA VINDELICVM M. P. XX.
Guntia M. P. XXII.
Cœliomonte M. P. XVI.
Camboduno M. P. XIIII. — Rhætia prima.
Vemania M. P. XV.
Brigantia M. P. XXIIII.
Arbore Felice M. P. XX.
Finibus M. P. XX. — Gallia Sequanic. Provinc.
Vitoduro M. P. XXII.
Vindoniſſa M. P. XXIII.
Rauracis M. P. XXVII.
Artalbino M. P. XVII.
Vruncis M. P. XXII.
Monte Briſiaco M. P. XXIII.
Helveto M. P. XXVIII. — Germania prima.
ARGENTORATO M. P. XXIX.
Brocomago M. P. XX.
Concordia M. P. XVIII. Al. XX.
Noviomago M. P. XX.
Bingio M. P. XXV.
Antonaco M. P. XVII. — Germania ſecunda.
Bodobrica M. P. XIX.
Bonna M. P. XXII.
COLONIA AGRIPPINA LEG.
Durnomago Leg. VII. Ala.
Burungo Leg. V. Ala.
Noveſio Leg. V. Ala.
Gelduba Leg. IX. Ala.
Calone Leg. IX. Ala.
Veterib. Leg. XXI.
Caſtra Vlpia Leg. XXX.
Burcinatio Leg. VI. Ala.
Aranatio Leg. X. Ala.

*ITEM A LAVRIACO PER MEDIVM AVGVSTA VINDELICVM BRIGANTIAM M. P. * CCCXI. SIC,* — *CCCXII.

Digitized by Google

Noricum.

Ovilabis M. P. XXVI.
Laviaco M. P. XXXII.
Iuvavia M. P. XXVIII.
Bedajo M. P. XXXII.
Ponte Oeni M. P. XVIII.

Vindelicia.

Isiniſca. M. P. XX.
Ambra M. P. XXXII.
AVGVSTA VINDELICVM. M. P. XXXVII.
Roſtro Nemaviæ M. P. XXV.
Camboduno M. P. XXXIII.
Vemania M. P. XV.
BRIGANTIA M. P. XIIII. Al. *XXIIII.*

ITEM AB AVGVSTA VINDELICVM VERONAM M. P. CCLXXII. SIC,

Abuzaco M. P. XXXVI.
Parthano M. P. XXX.
Veldidena M. P. XXX.
Vipiteno M. P. XXXVI.

Rhætia.

Sublavione M. P. XXXII.
Endidejo M. P. XXIIII.
Tridento M. P. XXIIII.
Ad Palatium M. P. XXIIII.
VERONA M. P. XXXVI.

Libro itidem tertio, de fragmento historico, quod Martiam Legionem cæsam narrat, variè in utramque partem disputavimus. Ejus disputationis cum J. Lipsium judicem legissemus, hoc nos responso vir magnus per litteras honestavit: *Pseudo-Vellejana illa vidi. An ego dissentiam? primo oculo deprehendi falsum illud & vile metallum, quod mirramur (imo non miramur ut homo fuit) Lazium venditasse pro auro. Sed tu ad Lydium lapidem judicii affricuisti, sine blanditiâ dico, accuratè & doctè. Nihil addo, nihil muto.* Quos præterea nostræ sententiæ subscriptores habeo, homines quantumvis doctos post Lipsium nominare abstineo. Lazius historiæ auctorem sive Cæsarem, sive Vellejum credidit; à se repertam jactat in pervetusto codice membraneo, litteris antiquissimis scriptam, hoc titulo.

Laz. Reip. Rom. lib. 1. c. 8 l. 2. c. 5. lib. 5. cap. 5. de migr. gentium lib. 8.

VELLEII EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA

Flor. lib. 3. c. 11. Dum Gallos per Cæsarem in Septemtrione debellat, interim ad Orientem grave vulnus à Parthis Pop. Rom. accipit.

Dum hæc circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus grave vulnus Romanus Populus accepit. Quippe Germanorum gentes,* quod Rhætias occupaverant, non longe ab alpibus, tractu pari, patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se confluunt, in ipsis* Noricis finibus, civitatem non quidem murosed vallo fossaq; cinxerunt, quam appellabant Cisara, ex nomine Deæ* Cisæ, quam religiosissimè colebant. Cujus templum quoque ex li-

* accipit. Nam.
* quæ, qui.
* Norici.
* Cizæ.

ex lignis barbarico ritu constructum, posiquam eo colonia* Romanorum deducta est, inviolatum permansit, ac vetustate conlapsum, nomen colli servavit. Hanc* urbem Titus Annius Prætor, ad arcendas barbarorum excursiones, Cal. Sextil. exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partẽ, quæ sola à continenti erat, Prætor ipse cum Legione Martiâ* operosissimè communivit. Ad Occidentem verò, qua barbarorum adventus erat, Avar Bogudis Regis filius, cum equitatu omni & auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen & vallum, loco castris parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit. Pulchra indoles, non minus Romanis quam Græcis litteris instructa. Igitur quinquagesimo nono die quam eo ventum est, quum is dies Deæ* Cisæ celeberrimus, ludum & lasciviam magis quam formidinem ostentaret, immanis barbarorum multitudo, ex proximis sylvis repente erumpens, ex improviso castra irrupit. Equitatum omnem, & quod miserius erat, auxilia sociorum delevit. Avar cum in hostium potestatem Regio habitu vivus venisset, pecudis more mactatur. Oppidani verò non minori fortunâ, sed majori virtute Prætorem in auxilium sociis properantem adoriuntur. Romani haud segniter resistunt. Duo principes oppidanorum,* Habino & Caccus in primis pugnantes cadunt. Et *jam inclinata res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in altera ripa jam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt. Prætorem, qui paullo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem obtruncant. Legionem divinam, ut ne* nuncius supereresset, funditus* delerunt. Verres solus Tribunus militum amne transmisso, in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit. Nec multo post Siciliæ Proconsul immani avaritia turpem mortem promeruit.

* Romana.
* urbem Annius.
* castra o. perioſiſſimè
* Cita apud barbaros celeberr.
* Habbyno.
* inclinata jam.
* nuncius. cladis.
* delent.

Sallust. Iug. Vallo fossaque mœnia circumvenit.
Sall. Iug. Ea parte qua Regis adventus erat.
Sal. Iug. litteris Græcis juxta ac Latinis doctissimè eruditus.
Sall. Iug. Post dies quadraginta, quam eo ventum erat. Ib. quod is dies festus celebratusq; per omnem Africam ludũ & lasciviam magis quam formidinem ostentabat.
Sal. Catil. Mallius & Fœsulanus inprimis pugnantes cadunt.
Liv. lib. 10. Deletam quoque ibi legionem, ita ut nuncius non supereſſet, quidam auctores sunt.

Notitiæ provinciarum utriusque imperii tum aliàs, tum libro sexto crebrò meminimus: Fa quoniam in illâ parte quæ de Occidentis Imperio est, res Rhæticas perſæpe attingit, placuit singula loca ordine subscribere, lectione hîc etiam quam maximè probavimus expressâ.

Præfectus Prætorio Italiæ. Et infra, *Duces Duodecim.*

Limitis Mauritaniæ Cæsariensis. Limitis Tripolitani. Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis. Pannoniæ secundæ. Valeriæ ripensis. Rhatiæ primæ & secundæ. Sequanicæ. Tractus Armoricani & Nervicani. Belgicæ secundæ. Germaniæ primæ. Britanniæ. Magontiacensis. Et infra,

Præsides triginta unus.

Per Illyricum quatuor, Dalmatiarum. Paňoniæ Primæ. Norici mediterranei. Norici Ripensis. Per Italiam septem, alpium Cottiarum. Rhatiæ primæ. Rhatiæ secundæ. Samnii. Valeriæ. Sardiniæ. Corsicæ. Per Africam duo, Mauritaniæ Sitifensis. Tripolitanæ. Per Hispanias quatuor, Tarraconensis. Carthaginensis. Tingitaniæ. Insularum Balearium. Per Gallias undecim, Alpium Maritimarum. Alpium Pœninarum & Grajarum. Maximæ Sequanorum. Aquitanicæ primæ. Aquitanicæ secundæ. Novempopulanæ. Narbonensis primæ. Narbonensis secundæ. Lugdunensis secundæ. Lugdunen-

sis tertiæ. Lugdunensis Senonicæ. Per Britannias tres. Britanniæ primæ. Britanniæ secundæ. Flaviæ Cæsariensis. Et infra,

Sub dispositione Viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ, Diœceses infrascriptæ.

Italiæ, Illyricum, Africæ.

Provinciæ Italiæ decem & septem.

Venetiæ. Æmiliæ. Liguriæ. Flaminiæ & Piceni Annonarii. Tusciæ & Vmbriæ. Piceni Suburbicarii. Campaniæ. Siciliæ. Apuliæ & Calabriæ. Lucaniæ & Brutiorum. Alpium Cottiarum. Rhætiæ primæ. Rhætiæ secundæ. Samnii. Valeriæ. Sardiniæ. Corsicæ. Et infra,

Sub dispositione Viri Illustris Magistri peditum præsentalis, Comites militum infrascriptorum.

Italiæ. Africæ. Tingitaniæ. Tractus Argentoratensis. Britanniarum. Littoris Saxonici per Britannias.

Duces limitum infrascriptorum decem.

Mauritaniæ Cæsariensis. Tripolitani. Pannoniæ secundæ. Valeriæ ripensis. Pannoniæ primæ & Noriciripensis. Rhætiæ primæ & secundæ. Belgicæ secundæ. Germaniæ primæ. Britanniarum. Magontiacensis. Et infra.

Auxilia Palatina sexaginta quinque.

Cornuti Seniores. &c.* *Augustæi.* &c. *Rhæti.* &c.

Augustæos & Augustanos scio alio quam ad res nostras trahi posse, ac fortasse plerumque deberi, sed ascripsi, quia & ad nostras poterant.

Legiones Comitatenses triginta duæ.

Menapii seniores, &c. *Tertiani, sive tertiæ Italicæ.* &c. *Tertio Augustani.* &c. Et infra,

Intra Illyricum cum viro Spectabili Comite Illyrici.

Sagittarii Tungri &c, *Rhætii.* &c. Et infra,

Intra Africam cum Viro Spectabili Comite Africæ.

Celtæ Iuniores. &c. *Tertio Augustani.* &c. Et infra.

Sub dispositione Viri Illustris Comitis sacrarum largitionum. Et infra,

Rationales.

Rationalis Summarum Pannoniæ secundæ, Dalmatiæ & Saviæ. Rationalis Summarum Pannoniæ primæ, Valeriæ, Norici mediterranei & ripensis. Rationalis Summarum Italiæ. Rationalis Summarum urbis Romæ. Rationalis Summarum trium provinciarum, id est, Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ. Rationalis Summarum Africæ. Rationalis Summarum Numidiæ. Rationalis Summarum Hispaniæ. Rationalis Summarum quinque

provin-

provinciarum. Rationalis Summarum Galliarum. Rationalis Summarum Britanniarum. Præpositus Thesaurorum Salonitarum Dalmatiæ. Præpositus Thesaurorum Siscianorum Saviæ. Præpositus Thesaurorum Sabariensium Pannoniæ primæ. Præpositus Thesaurorum per Italiam Aquileiæ. Præpositus Thesaurorum Mediolanensium Liguriæ. Præpositus Thesaurorum urbis Romæ. Præpositus Thesaurorum Augustæ Vindelicensis Rhætiæ secundæ. Præpositus Thesaurorum per Gallias Lugdunenses. Præpositus Thesaurorum Arelatensium. Præpositus Thesaurorum Nemausensium. Præpositus Thesaurorum Trevirorum. Præpositus Thesaurorum Augustensium in Britanniis. Et infra,

Sub dispositone Viri Spectabilis Ducis Pannoniæ secundæ Ripariensis sive Saviæ.

Cuneus equitum Scutariorum. &c. *Auxilia Augustensia contra Bononiam in barbarico in castello Onagrino.* &c. Et infra,

Sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Provinciæ Rhætiæ primæ & secundæ.

Equites Stablesiani seniores, Augustanis. Equites Stablesiani juniores, Ponte Oeni, nunc Febianis. Equites Stablesiani juniores, Sumuntorio. Præfectus Legionis Tertiæ Italicæ partis superioris, Castra Regina, nunc Vallato. Præfectus Legionis Tertiæ Italicæ partis superioris deputatæ ripæ primæ, Sumuntorio. Præfectus Legionis Tertiæ Italicæ pro parte mediâ, pretendentis à Vemaniâ Cusiliacum usque, Camboduno. Præfectus militum Vrsariensium, Guntiæ. Præfectus Legionis Tertiæ Italicæ, transvectioni specierum deputatæ, Fœtibus. Præfectus Legionis Tertiæ Italicæ, transvectioni specierum deputatæ, Teriolis. Præfectus Alæ primæ Flaviæ Rhætorum, Quintanis. Tribunus Cohortis novæ Batavorum, Batavis. Tribunus Cohortis Tertiæ Brittonum, Abusina. Præfectus Alæ secundæ Valeriæ Singularis, Vallato. Tribunus Cohortis sextæ Valeriæ Rhætorum, Venaxamadoro. Tribunus Cohortis primæ Herculeæ Rhætorum, Parroduno. Tribunus Cohortis quintæ Valeriæ Phrygum, Pinianis. Tribunus Cohortis Tertiæ Herculeæ Pannoniorum, Calio. Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ, Teriolis. Præfectus numeri Barcariorum, Confluentibas sive Briganticia. Præfectus Alæ secundæ Valeriæ Sequanorum, Vemania. Tribunus Cohortis Herculeæ Pannoniorum, Arbore.*

* Al. Baricariorum.

Officium autem habet item Vir Spectabilis Dux, hoc modo.

Principem ex officiis Magistrorum militum præsentalium alternis annis. Numerarios duos, ex utrisque officiis præsentalibus singulos. Commentariensem ex utrisque officiis alternis annis. Adjutorem. Subadjuvam. Regerendarium. Singulares. Et reliquos officiales. Et infra.

Sub jurisdictione Viri Perfectissimi Præsidis Dalmatiæ. Provincia Dalmatia.

Officium autem habet hoc modo.

Principem ex eodem officio. Cornicularium. Tabularios duos. Commentariensem. Adjutorem. Abactis. Subadjuvam. Exceptores, & reliquos cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam, sine annotatione clementiæ principalis. Cæteri Præsides ad similitudinem Præsidis Dalmatiæ officium habent.

Hæc asciripsimus, ut appareret, quis modus Præsidialis cohortis Præsidum Rhætiæ primæ &

Ex No-

Rhætiæ secundæ fuerit, quâdoquidem omnium Præsidum una eadem extitit ratio.

Ex Notitiâ Provinciarum Orientalis Imperii.

Sub dispositione Viri Illustris Magistri militum per Thracias. Et infra, *Legiones Comitatenses.*

Solenses seniores &c. *Augustenses.* &c. Et infra,

Sub dispositione Viri Illustris Magistri militum per Illyricum. Et infra, *Legiones Comitatenses VIII.*

Martii Constantes. &c. *Lancearii Augustenses.* &c. Et infra,

Sub dispositione Viri Spectabilis Comitis rei militaris per Ægyptum.

Legio quinta Macedonica, Memphi. &c. *Ala quinta Rhætorum, Scenis Veteranorum.* &c. Et infra,

Sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Armeniæ.

Equites Sagittarii, Subu, &c. *Ala prima Augusta Colonorum, Chiacæ,* &c. *Cohors quarta Rhætorum, Analibæ.* &c.

Vulgo numerantur, *Sub dispositione Viri Illustris magistri militum Præsentalis,* inter *Auxilia Palatina, Vindices,* at And. Alciatus & Ant. Sonhovius, *Vindelici,* legerunt.

Libro præterea sexto laudavimus provinciarum libellum, Cujus hic repræsentamus inscriptionem, & quâ nobis usui est, initium.

LIBELLVS PROVINCIARVM ROMANARVM, IN QVO SVNT REGIONES VNDECIM, C. ET XIII. PROVINCIAS INTRA SE CONTINENTES.

Italia.
Gallia.
Africa.
Hispania.
Illyricum.
Thracia.
Asia.
Oriens.
Pontus.
Ægyptus.
Britannia.

Italiæ provinciæ XVII.

Campania, in quâ est Capua.

Tuscia

Tuſcia cum Vmbriâ.
Aemilia.
Flaminia, in quâ eſt Ravenna.
Picenum.
Liguria, in quâ eſt Mediolanum.
Venetia cum Iſtris, in qua eſt Aquileja.
Alpes Cottiæ.
Samnium.
Apulia cum Calabriâ, in qua eſt Tarentum.
Bruttia cum Lucaniâ.
Rhætia prima.
Rhætia ſecunda.
Sicilia.
Sardinia.
Corſica.
Alpes Grajæ. &c.

Diximus libro ſeptimo, extare hiſtoriam veteſtam D. Afræ & ſociarum martyrum, quam *ſub finem Rerum Auguſt. Vind.* daturi ſumus; planè illuſtre eccleſiaſticæ Auguſtanæ antiquitatis monumentum. Etſi eam, ut tempora & mores ſunt, non omnes eodem interpretaturos modo ſatis prævideo; nobis tamen rerum fides præ vanis opinionum ſequenda.

Significavimus quoque *in commentario ad Afræ acta*, alterius auctoris & ætatis videri, quæ mox de Narciſſo ſequuntur: At vera tamen eſſe, firmat Eccleſiæ Gerundinenſis hodieq; auctoritas. Ibidemq; monuimus ea, quæ de Afro & Dionyſio ſubjecta, ſatis apparere inferioris ævi eſſe: Reliqua de XXV. martyribus ferro obtruncatis, antiquitatis opinionem melius tueri.

Libro octavo diſſertum de epiſtolâ, ſive privilegio ab Imp. Juſtiniano Titionum familiæ conceſſo: Cujus exemplum apud Jacobum Cujacium I. C. extat obſervationum libro 10. cap. 12. hunc in modum.

FLAVIVS IVSTINIANVS CAES. IMP. * *ALANICVS, GOTHICVS, ALANICVS, WANDALICVS, AFRICANVS, SEMPER AVG. NARSETI PATRICIO IN ITALIA S.*

* fort Anticus.

Mira ægritudine percepimus urbem noſtram Romam ſuperioribus temporibus exinanitam, deſertam ac fere deſolatam diutius perſtitiſſe, ex eaque ad diverſa orbis climata infinitas pene illuſtres familias migraſſe, Gothorum Wandalorumq; diram crudelitatem ac feram rabiem fugientes. Inter * *quos honeſtiſſima ac pernobilis Titionum familia, relicta urbe, in quâ permulta ante ſæcula, in glorioſo equeſtri ordine feliciter floruerat, ad exteras nationes fugere compulſa eſt. Ex eâ enim familia ſuper centum & XX. capita ad Vindelicos Rhætiosq; migrarunt, malentes dura pati fortiter exilia, quam in patriâ cum hoſtibus Rom. Imp. propriis fruendo bonis, turpem & in*

* quas.

*& inhoneſtam ſervire ſervitutem. Volentes nos igitur tot calamitatibus & miſeriis occurrere, glorioſiſſimum Beliſarium patricium contra Gothos in Italiam expedivimus, ut per eum à tantâ ſervitute, captivitate & ſtrage ipſam urbem ipſamq; Italiam liberaremus. In eo autem conſ ctu quem apud Ravennam Beliſarius cum Victige Gothorum Rege, * & in quo capto eodem Rege vivo victor extitit, ſtrenuus fortis ac nobilis L. Galbinus Titio tribunum militum agens, fortiter dimicando glorioſè occubuit, tribus poſt ſe relictis filiis ſuperſtitibus, Aulo Anduatio, C. Tuberone, & L. Reiciardo, qui omnes ſub ducatu tuo in Italiâ pro nobis ac Romano Imperio contra hoſtes noſtros honeſtis ſtipendiis ſummâ fide militant. Quapropter cum nil clementius, nil decentius, nil glorioſius in principe exoptari poſſit, quam eorum habere rationē, ac juſtis eos & gratis proſequi favoribus, quorum parentes viriliter dimicando, pro imperio ac patriâ ſanctiſsimè ceciderunt, cumq; hi fratres ac eorum progenitores ab impiis Rom. Imp. hoſtibus ſpoliati ſunt omni amplo eorum cenſu, quem in urbe & in Cenomanis, maximè Inſubribus, Vercellen. Taurinis ac Liguribus per longa temporum ſpatia poſſidere ſoliti erant, volumus, mandamus ac jubemus, in quantum gratiam noſtram cari pendis, ac noſtrum zelas honorem, ut diligenti inquiſitione factâ, eos in cenſu ſuo ac gentilitiis bonis inſtaures, nulla eorum habita ratione per quosvis occupentur, eosdemq; fratres urbi, honoribus, dignitatibus, & equeſtri potiſſimum, in qua ab atavis proavisque ſumma cum laude claruerunt, reſtituas, in ædibusq; ſuis, quovis remoto detentore, per te integrentur. Omnes enim, qui ab initio per vim poſſidendo iniqua faciunt fundamenta, per uſum temporis non æquam adquirunt poſſeſſionem, nec & hi, qui ab eis actionem habent, nolumusq; eosdem occupatores ullæ præſcriptione juvari, quamvis longiſſimi temporis, cui omnino derogamus, ac plenitudine poteſtatis noſtræ derogatum eſſe volumus, ut iidem fratres ea fide & virtute quam à felicitſſimo parente traxerunt, nobis ac Rom. Imp. deſerviant. Hanc igitur noſtram voluntatem, ac potius juſtam ac meritam inſtaurationem, inviolabiliter obſervari volumus, ſub pœna librarum C. auri, imperialiq; ſigillo noſtro muniri juſſimus. Ex urbe noſtra Conſtantinopolitana Id. Feb. Imperii noſtri anno XXXVI. à natali Chriſtiano DLXV.*

* Videtur deeſſe commiſit, aut aliquid ſimile.

Juſtinianus.

Procopius.

ANTI-

ANTIQVA
QVÆ AVGVSTÆ VINDELICORVM EXTANT
MONVMENTA,
ET AD EA
MARCI VELSERI
MATTHÆI F. NOTÆ.

Digitized by Google

ANTIQVA
QVÆ AVGVSTÆ
VINDELICORVM
EXTANT
MONVMENTA,
ET AD EA
MARCI VELSERI
MATTHEII NOTÆ.

VIRO PERILLVSTRI
ET GENEROSO
MARCO FVGGERO
ANT. F.
KIRCHBERGÆ & VEISSENHORNI
DOMINO,

CÆSARI à Conſiliis, Aug. Vind. II. VIRALI.

PATRIAM, Marce Fuggere, quam conſilio & auctoritate ſæpe juviſti, nominis tui ſplendore in hac ſuſcepti operis parte ornari permittes. Eſt, cum ſcriptores magnorum virorum nomina tutelæ prætendunt: Ego ſi me mihi legendis patronis, quos in primo limine affatus ſum, quin & rerum ſcriptarum ſcribendarumque argumento iſto, parum caviſſe ſuſpicer, injurius videar adverſus maximè cives meos, in quorum gratiam labor omnis, ut ut ceciderit, deſudatus. Eſt, cum invidiæ placandæ: At hîc nunquam quidquam, quod invidiam aut ſperet aut metuat. Eſt, cum ſe gratos, uti ajunt, beneficium rependere profitentur: Me quid publicè, quid tibi privatim debeamus, non fugit, ſed rerum cauſſarumq; longè ſim

gè ſim rudis & imperitus, ſi tantillam opellam referendæ ullâ ex parte gratiæ valere confidam. Eſt denique illud poſtremum quorundam genus, cum in eorum laudes, quibus libros inſcribunt, effuſi, æternandæ famæ ſpecie quodammodo obrepunt: Mihi nec fiducia ſulcare virtutum tuarum pelagus, quod enavigare quî queam? & ut ſit, perennitatem hinc promittere nullam equidem auſim, eam facta ipſa tua, atque litterarum ſimul claritas conciliabunt multo meritiſſimo, quando hanc primus in veſtram gentem laudem invexiſti, ut ſcribenda faceres, & verò ſcriberes facienda. Ad unam itaque, quam principe loco commemoravi, rationem revolutus, niſi falſum colorem fuco mentiri, & favoris aurulam per confictas ambages captare velim, fateri neceſſe habeo, me præterquam ut radios ex nominis tui ſplendore rebus noſtris immitterem, conſilium aliud non ſequutum eſſe, idq; cæteris ſcio faventibus omnibus, ut te etiam uno volente, humanitatis tuæ erit, quam obteſtor. Vale.

AVE

AVE LECTOR,

RELIQVIAS Augustanarum antiquitatum antehac, nec civibus nostris invitis, dedimus: Jam vulgamus iterum, illis item spero probantibus. Quo bono iidem eadem? Magno, ne dubita. *Versus ordo justis de causis.* *Correcta ad fidem lapidum non pauca, quæ alienâ prius fide non fidè exscripta, quibusq; explicandis plurimum aliquando operæ frustra posuimus. Addita litterata nonnulla, vel incognita, vel irreperta antea, dies enim diem, si uspiam, hîc docet; neq; nos terminum figimus, adjiciant posteri, quorum diligentiæ sors favebit, quidquid præterea eruent: Additum totum mutorum monumentorum genus. Siquidem ea tempus æquè ac litterata deterit & ambedit quotidie, nostræ in patriam pietatis erat, librorum saltem ope, qualia ipsi inspicimus, ad posteros transmittere.* *In notis detracta multa, adjecta, mutata.* *Detractæ primò variantes lectiones, si cubi de verâ, quæ non nisi una est, constaret: singularium dein litterarum, & reliquorum scribendi compendiorum interpretationes, quas in unum caput sub finem cogere visum aptius: observationes ad hoc vulgares & protritæ aliquot, nam quod tunc professi, nos mediâ die lucem illaturos, nunc minus placuit: denique perne cessariæ etiam aliæ, quoniam in libros rerum Augustanarum semel relatæ, iterandæ non erant.* *Adjectæ contra, tum lapidum, quos nunc primum damus explicationes integræ, tum cæterarum interdum auctaria.* *Mutata, & in melius restituta, quæ minus*

mus commode exierant, nam neq; hoc dissimulo. Habes strictim caussas, editionis novæ quam innovatæ verius, multas, probas, tibi credo probatas. Supereſt, nos hoc quoque loco sanctè veneremur memoriam optimi principis Maximiliani I. Imp. Aug. cujus jussu bonam partem inscriptionum nostrarum Conradus Peutingerus, ante annos circiter XC. primum collegit, & ab interitu vindicavit: Ego, cum crebra Maximiliani in hanc urbem beneficia extiterint, istud profecto inter eximia numero, majus scilicet, quam ut humiles quædam mentes possint capere. Tu vale.

Ad D. Vdalrici.

Rerum Auguſtanarum libro IV. diximus copioſè tum de cono, tum de columnæ capitulo, cui conus inſiſtit.

I. In hortis, qui è regione collegii ſocietatis JESV.

i. O. M
aet E R N O
con S E R V A T O R I
cæterisque
dis. D E A B V S Q V E
huj V S. L O C I
. . . . . .
. . . . . P. P. R E T I E
uot O. C V M. S V I S
om N I B V S
susc. I I I. N O N A S
. . . . . *d d.*

Quidquid in his monumentis annorum præroſit injuria, nos quâ licet, ingenii repoſituros beneficio, jam hinc à limine præmonemus: ſic tamen, ut litterarũ ſpecies primo oſtendat oculo, quid inter veterem purpuram, & novitium aſutum pannum interſit, ne quis fucum vereatur. Diximus libro V. iſtud videri in Capitolio ſtetiſſe. Quod Deos Deasq; loci præter ſummum Jovem nominat, eſt à Romano exemplo, ſic Manlius apud Livium, *Jupiter Opt. Max. Junoq; Regina, ac Minerva, cæteri Dii Deæq; qui Capitolium arcemq; incolitis.* Præſidis provinciæ Rhætiæ nomen abeſt, menſis itidem, & fortaſſis Conſulum nomina, quæ divinando reſtitui non potuere. Quod verò RETIE ſimplex E pro diphthongo Æ bis habet, fabrile procul dubio erratum, & ſequioris ſæculi indicium eſt.

Liv. lib. 6.

Ad portam D. Jacobi.

Hanc etiam tabulam ex Capitolio reliquam ſuſpicamur, quod in eâ videatur expreſſus Jupiter ſedens, & quidam ante illum ſupplicantium habitu. Sed id neminem fugiat, nos hujus generis ſuſpiciones uti cogitantibus, in mentem venêre, veriſimilitudinis cauſsâ, haudquaquam ad neceſſitatem perſuadendi afferre.

II. In

II. In Peutingerorum ædibus.

IN. H. D. D. DEO SILVANO
TEMPL. CVM. SIGNO. VE
TVSTATE. CONLABSVM
SEXT. ATTONIVS. PRIVATVS
CIVES TREVER. IIIII. VIR
AVGVSTALIS PECVNIA
SVA ꝛ RESTITVIT.

Cives pro Civis antiquè. Trevirensis etiam quam Treverensis usitatius. Neque verò Attonius Treviris civis, Augustæ itidem civis esse, & honoribus fungi non potuit : retulimus inter inscriptiones peregrinas C. Valerii Mariani titulum, qui cum Tridenti & Brixiæ Decurio, Reip. Mantuanæ Curator fuerit, harum omnium urbium civem fuisse clarum est. De Silvani templo & Augustalibus, diximus libro V. rer. Augustan.

III. In Peutingerorum ædibus.

PLVTONI. ET
PROSERPIN
AE. FLAVIA
VENERIA.
BESSA. EX
VISV. AEDEM
D. S. P. V. IS. L. M

Ex visu, est per visum monita. Meminimus hujus ædis libro V. Ara sine litteris, proximis annis in collegio societatis JESV eruta. Eam in Plutonis & Proserpinæ æde stetisse, libro V. suspicati sumus.

IIII. In

IIII. In Peutingerorum ædibus.

MERCVRIO
CVIVS. SEDES. A. ƎRGO
SVNT
APIVS CL. LATERAIVS
XV. VIR. SACR. FAC
COS. DESIGN
LEG. AVG. PR. PR
LEG. III. ITAL
V. S. L. M.

Vide, quæ ad hanc inscript. obſervavimus libro V. & VI. In Appii nomine inſolens character pro duplici P. eſt.

In

In ædibus Peutingerorum.

Hoc

Hoc signum quidam in templo, cujus proxima inscriptio meminit, stetisse non absurdè conjiciunt Mercurium se eodem quo, ille apud Apulejum, habitu, exceptis tantum pinnulis, prodit ; *Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum : flavis crinibus usquequaque conspicuus : & inter comas ejus aurea pinnula, cognatione simili sociata prominebant, quem caduceum & virgula Mercurium indicabant.* Virgulâ sinistrâ, nummarius sacculus dextrâ, id nimirum significant, quod apud Plautum est,

Apul. metam. lib. 10

Plaut. Amphit.

Nam vos quidem id jam scitis, concessum & datum
Mihi ab Dis aliis, nuntiis præsim & lucro.

Gallus vigilantiam, quæ inprimis amica lucrum sectantibus. Hircus, sive quod Penelope Pana ex Mercurio in Hircum mutato conceperit, sive quod mercium involucra & crumenæ ex pellibus, sive genitalem vim, hircinæ salacitatis argumento, nam & Hermæ naturâ obscœnius excitatâ fingebantur, idque ad orationis vim & potestatem referebant. Vsus est hujus lapidis testimonio Ant. Augustinus, in dialogis, quos de nummis antiquis patriâ, hoc est, Hispanâ linguâ scripsit.

Ant. Aug. dial. 5.

V. Prope forum & curiam.

MERCVRIO
AVG. SACRVM
M. BASSINIVS
VITALIS
V. S. L. M.

Audio inventam haud procul eo loco, ubi nunc visitur ante annos LX. Id quamquam antiquitus forum magnum coloniæ fuisse neutiquam opinemur, potuit esse forum aut piscarium, aut pistorium, aut holitorium, aut quodvis aliud ; nam in foris fere cultus Mercurius, unde & nonnulla apud Græcos cognomina accepit. Augustus hîc dicitur, quomodo in aliis lapidibus Juppiter, Neptunus, Mars & Apollo etiam Augusti, adulatione nimirum in Imperatores reflexâ.

VI. Ad clivum, cui à foro nomen.

MERCVRIO
.....
.....

Neque ullæ præterea agnosci possunt litteræ. Id quidem cum ex his, tum ex iis quæ in agro Augustano extant, inscriptionibus appâret, Mercurium eximiè in hac vicinià cultum : duabus præcipuè de caussis, quod mercaturæ, quodque viarum præses, cum ei & negotiatores, quorum magnus in provinciâ numerus, & qui quâcumque aliâ occasione hac iter haberent, sacra facerent. Indicio etiam epigramma Reginoburgi nuper effossum, quod quamvis extra Augustanos, intra Vindelicos tamen fines, eo libentius ascribam, quoniam ignotum antea Mercurii cognomen affert.

IN

IN. H. DD. DEO. *Mercurio*
CENSVAL. PRO. *Salute dd*
N̄N̄ AVGG. IMPP. *Sept. seu. et*
ANTONINI. PARTH. *max. et nobi*
LISSIMI. CAES. N. *sept. getae*
RESTITVERVNT. *templum*
CVM. SIGNIS. *consump*
TIS. VETVS *tate.....et*
IVL. VERAX.....
NEG. DD. C *Ilone. et libone*
COS. V. ID. *Septembr*

Vnus & idem videtur lapis esse, quem *Ratisbonæ* effossum, & muro insertum Collegii S. J. *prope portam B. Petri*, nobilitate pariter ac eruditione Nobilissimus ibidem Juvenis nobiscum benignissimè communicavit:



Hunc ipsum verò lapidem (cujus etiam *Gruterus fol. LIV. inscriptione IV.* meminit) *P. Alexander à Wiltheim, S.J.* Vir rerum literarumque veterum diligentissimus, (quid enim cessemus fateri nomen Illius, per quem profecimus?) ut conjectura præsagiri potest, sic legit:

IN. *Honorem* Domus. *Divinæ*. DEO. *Mercurio*
CENSVALI. PRO. *Salute*
N̄N̄*ostrorum*. AVGG*ustorum. duarum*. IMPP*eratorum*
ANTONINI. PAR*thici. et. nobi*
LISSIMI. CÆS*aris*. N*ostri*
RESTITVERVNT
CVM. SIGNIS. *et. ornamen*
TIS. VETVST*ate collapsis*
IVL*ius*. VERAX
NEG*otiatores* DD*edicarunt*. C
COS. V. IDV*s*.

Nec piget, Senis doctissimè eruditi, & in intelligēdis pensitandisq; antiquitati-

bus benè callidi, notas, ad familiares olim perſcriptas, (venia gratiaq; poſtulata) integras dare; ut bona agamus fide, & ſuum cuiq; tribuamus:

DOMVS DIVINA eſt familia Auguſta, quæ per adulationem omnibus ferè operibus dedicatis cuicunq; Deo inſerebatur; uti & Salus Impp.

MERCVRIO hoc opus dedicatum oportet, quia id fecere negotiatores, quorum ipſe præſes.

MERCVRIVS CENSVALIS dicitur, quia & cenſibus regendis & pendendis, & mercimoniis præerat. Cæterum hoc epitheton CENSVALIS nunquam Mercurio attributum reperitur, niſi in hoc lapide, quod rarum.

DVO AVGVSTI ſunt Antoninus Pius & Lucius Ælius, ejus frater; NOBILISSIMVS verò CÆSAR. M. Aurelius Antoninus, Pii filius.

Opus, quod RESTITVTVM eſt, debuit fuiſſe aliquod fanum Mercurii; idq; non inelegans, ſed SIGNIS ſeu ſtatuis & aliter ORNATVM.

Ex reſtituentibus unus eſt JVLIVS VERAX, alter latet: Fuere autem uterq; NEGOTIATORES ad Danubium alicubi, & probabiliter exactores cenſuum & vectigalium.

Eorum, qui opus reſtitutum dedicarunt, nomina deſunt: uti & CONSVLIS, ſub quo dedicatio facta; nec non etiam MENSIS.

IMAGINEM cum CLAVA non intelligo; non videtur HERCVLES. (Fortè Deus Titanus, *aut Dea* Ciſa.*)*

Hactenus, in his ſtudiis, multi atq; celebrati nominis Wilthemius: Contulit autem, & compoſuit utramq; inſcriptionem Amicorum doctiſſimus (cui jam, præter ætatem, ſenile judicium eſt) ac ſingulas voces conſideratè atq; aptè junctis & alternis literis commiſit. In altera ſtatim linea S. nimirum PRO *Salute* non apparet in monumento amplius, neq; extitiſſe unquam ex eo tempore, ex quo fuit erutum, perſuaderi poteſt; cum litera O. in voce PRO directò reſpondeat M. in ſuperiore linea: In qua quia neque tum (ut vidit) aliquid amplius lectum fuit, quod ad integritatem MERCVRII vocis pertineret; quoniam lapis recta linea diſcisſus eſt. Sic in tertia rurſus literæ S. quod habetur in Velſerianis, nullum animadvertitur veſtigium; quod induxit Virum Nobiliſimum, ut, cum fortè fidem haberet deſcriptoris diligentiæ, verba de Sept. Severo, & Antonino Caracalla & Geta filiis ejus, interpretatus fuerit. Pronum autem præterea id fuit credere, quoniam Severum PARTHICI cognomen, propter debellatos Parthos, meruiſſe ſcribit Spartianus; cui expeditioni intererat Antoninus, & poſtea loco patris triumphavit. Getam quoque milites CÆSAREM dixiſſe, idem auctor eſt. Sed appellatio DVORVM AVGG. rem ſuſpectam poterat facere, ſolus enim Severus Auguſti nomen geſſerat: Et quanquam Baſſianus nomen Auguſti acceperit aliquando à militibus, patre ægro pedibus; id intra paucos tamen dies depoſuiſſe rurſus intelligitur, cum ægerrimè tuliſſet pater, omnibus, qui filio actores ejus rei extiterant, graviter punitis. Idem ex cap. 20. Spartiani patet, ſolum Severum tenuiſſe Rempubl. cum Auguſti titulo. Quare nobis certum eſt & indubitatum, *L. Ælium Verum & M. Antoninum* hîc intelligendos eſſe; malumus enim cum Goltzio & pleriſque aliis, à quibus ſeceſſionem quidem ſe facere profitetur Jul. Capitolinus, *Verum Marco* præponere. Nec ſuſentii ſiparium involvendum μνημοσυνὸν ἁμάρτημα, ſcribere Wilthemius pro-

procul dubio *M. Antoninum* voluit; hic enim primus est, qui consortem imperii *L. Ælium* fratrem habuit, simulq; Augustum appellavit. Sic Jul. Capitolinus, in vita Marci, cap. 7: *Post excessum divi Pii* (Marcus) *à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit, quem* Lucium Aurelium Verum Commodum *appellavit, Cæsarem atq; Augustum dixit; atq; ex eo pariter cœperunt Rempub. regere. Tuncq; primum Romanum imperium* DVOS AVGG. *habere cœpit.* Deinde Marcus cognomen PARTHICI sortitus est. Julius cap. 8: *Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus, paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit.* Idem cap. 9: *Profligato autem bello uterq;* PARTHICVS *appellatus est.* Filius Marci fuit Commodus Antoninus, cap. 18. qui precibus Lucii CÆSAR appellatus est, cap. 12. Petiit præterea Lucius, ut filii Marci CÆSARES appellarentur. Pertinere autem ad *Marcum*, præter hæc reddunt insuper probabil, equod is legionem à se conditam ibi locorum habeat; quod multa alia, ad *Marcum* attinentia, monumenta his in terris inveniantur. Sic Aventino teste, prope *Weilheim* ingens, in saltu, jacet lapis, cum inscriptione: M. ANTONINVS. IMPERATOR. AVGVSTVS. In penultima denique CI*lone*, exiguum & fallax litteræ I. vestigium est, & satis longè à C. remotum. Nec dubitamus, NEGOTIATORES fanum istud Mercurii (qui Græcis Κερδῶος à lucro nimirum dicitur) ibi locorum restituisse; illorum enim lapides Augustani aliquoties meminere, & Augustæ multa hujuscemodi collegia esse potuisse, haud obscurè *Velserus* noster *lib. V. Rer. Aug. Vind. fol. 277.* indicat. Restat denique *caput*, quod ad latus expressum est cum *clava*; sed esto, sit illius Dei (inquit Amicus noster) quid *Mercurio* cum *clava?* Ego quidem nemini Deorum clavam appositam esse memini, præterquam *Herculi:* Jam verò cum Hercules lucri quoque præses fuerit, quid obstat, quin credam, placuisse mercatoribus Deum adjungere, qui idem cum Mercurio munus obibat? Sed responsum (nî fallor) in proclivi est, quod *Natalis Comes lib VII. Mythol. cap. 1.* reddidit: *Fama est*, ait. *post è Gigantibus victoriam* HERCVLEM *suam clavam* MERCVRIO, *cognomento Polygio consecrasse; quam dicunt fuisse ex oleastro, & repullulasse, actisque radicibus insignem arborem factam fuisse.* Verum ex hoc diverticulo in viam nunc revertimur.

VII. In domo quâdam.

MARTI
CRISPVS. RAE
CI. FIL. V. S. L. M.

Incidit mentio inscriptionis istius, & ejus, quæ proximè sequitur lib. V.

VIII. In Peutingerorum ædibus.

IN. H. D D.
DEO. MARTI
ET. VICTORIÆ
CONTVBERNI
VM. MARTICV
LTORVM POSVE
RVNT. V. S.
LL. M.

Contubernium dicitur contubernalium habitatio, ait Festus, *Contubernales* Fest. v.

Contubernium & Contubernales, Veg. lib. 2. c. 10.

autem, *dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis.* Vegetius videtur contubernium decem militum numero definire. At hîc paullo aliter accipio, pro corpore aut collegio, quod Martis colendi causâ coiret, pecuniam conferret.

IX. In hortis, qui è regione sunt collegii societatis JESV, ibidem anno Christi MDL. effossa.

CETERIS ☿ DIIS
DEABVSQVE
OMNIBVS ☿
ADIVTORIVS
ROMANVS. D. M
V. S. L. L. M

Cic. act. 5. in Ver.

Dei Deæve alicujus pluriumve nomina præcessere: sic Cicero in Verrem, post Jovem, Junonem & aliquos prætereà nominatim invocatos, *Cæteros item Deos Deasque omnes imploro atque obtestor.* Diximus lib. V. Adjutorium Romanum Decurionem municipii videri fuisse, nam sic interpretor singulares litteras quæ ante verium ultimum.

X. In ædibus Peutingerorum.



Tac. hist. lib. 2.

Planum fecimus libro V. colonias (colonia enim certè Augusta) plerumque municipia dictas, & in eam sententiam optimorum auctorum testimonia multa adduximus, quibus etiam nunc Tacitum licet adjungere, qui uno orationis filo Placentiam coloniam, cives *municipale vulgus* appellat, quocirca lapidum auctoritate in re satis superque testatâ abstinemus. Eodem libro de sacris ædibus, de Decurionibus, de Equitibus loquuti, hanc ipsam inscriptionem laudavimus. Libro autem VI. de Aelio prænomine, quod Augustam ab Hadriano traxisse existimamus, disputavimus. Fragmentum ex æde esse, cujus nomen vetustatis injuriâ extritum, dubitationem non habet; si rectè conjecturam à columnis utrimque striatis capio, ipsius hyperthyri pars.

Ad D. Vdalrici.

Vulgus Cisæ ἱδρυλεω interpretatur. Noscum de Cisâ libro III. multa dixerimus, an ejus tamen nominis Dea aliquando Augustæ culta fuerit, in medio reliquimus, neque item libro IV. de templo quidquam definire ausi. Hæc equinem imago Medusæ est, cujus se jam olim admonitum à Christophoro Velsero, qui Reginoburgi summæ ædis Præpositus graviora studia politioribus litteris condire solitus, Peutingerus in convivalibus retulit, & memini pæne geminam videre in Carpensibus hortis Romæ. Num ex Palladis æde aliqua, núnve ex Capitolio nostro sit reliqua, quis certò statuat? Scio Gorgones multasq; præterea manarum & larvarum species sepulchris etiam insculptas.

XI. In ædibus Canonici cujusdam.

pARCIs
SACRum
C.....
COSSITIVS
PRIMVS
V. S. P
L. L. M

Veronæ lapis, LOCO. PVBLIC. DAT. DD. PARCIS. AVG. SACRVM. nec omnino primæ hujus fragmenti litteræ quatuor aliorsum trahi possunt.

XII. In ædibus Peutingerorum.

.....VRI..SC...
.....RIVI.....
V. S. L. L. M

Etsi præter ultimum versum, qui voti solutionem continet, nihil intelligo, vel eo tamen nomine, hoc & sequens fragmentum, inter sacra retuli.

XIII. In horto è regione collegii societatis Jesu.

.....
....VS. OPTIO.....
....RAETERI.....
V. S. L. M

Veg. lib. 2. c. 7.

Optiones antiquitus Tribunorum, Centurionum & Decurionum quodammodo vicarii, *tamquàm adoptati eorum*, inquit Vegetius, *ab optando appellati*.

XIIII. In episcopii atrio.



Libro

Libro V. rationes adduximus, quæ nobis persuadent, columnæ fragmentum ex basilicâ supereſſe.

XIV. In domo quadam privata.

.....

.....

DEC. MV*nicipi*
FRATRIS. EI*us*
FILIVS
HERES
L. D. D. D.

Nomen demortui periit, uti & ejus, qui titulum posuit: appâret autem priorem Decurionem municipii, deque patriâ rectè meritum, quippe cui locus sepulchri publicè datus, alterum ejus ex fratre nepotem & heredem fuisse. Quod Decreti à Decurionum ordine facti hîc mentio, visum collocare statim post ædium sacrarum & basilicæ monumenta.

XV. In ædibus Peutingerorum, illuc translata ex æde D. Nicolai, quæ ante urbis muros stetit.

PERPETVÆ. SECVRITATI
C. IVLIANIVS. IVLIVS. DEC. MVN
IIII. VIRALIS. SIBI. ET
SECVNDINAE. PERVINCAE
CONIVGI. CARISSIMAE
ERGA. SE. DILIGENTISSIMAE
FEMINAE. RARISSIMAE
SINGVLARIS. EXEMPLI
PVDICITIAE
QVAE. VIXIT. ANNOS. XXXXV.
MENSES. VII. DIES. XXI. ET
IVLIANI|S. IVLIO. IVNIORI. ET
IVCVNDO. ET IVSTO FILI|S
VIVIS. VIVOS. FECIT

C. Julianius Julius Quinquennalitius, hoc est, Censorius fuisse, aut Ædilitius, hoc est IIII. Vir Ædilitiâ potestate functus videtur, uti dictum rerum Augustanarũ libro V. Diximus etiam in Comentario ad acta S. Afræ martyris, suspi-

cionem esse, pertinuisse ad Julianiorum gentem Julianam, quæ sub Diocletiano Christianitatis rea capitis Augustæ damnata; quod si sedet, Julianiam legemus rectius. Vivis vivos fecit, antiquum, sed non infrequens, est pro Vivus.

In ædibus Canonici custodis summi templi.

Dixi libro V. Duumvirorum videri imagines. Tametsi nomina intercidêre, conjecturæ caussas aliquas afferre possumus, quod duo sunt, & alter quidem manu jubentis gestu, quod togati, quod nescio quid chartaceum prætendunt, ordinis fortean decreta, quod pinea nux publicum coloniæ symbolum inter utrumque addita. quis enim id sibi sumeret privatus, aut in minori magistratu constitutus? Et quamquam hæc interdum eodem quo cupressus modo mortis indicium, quippe quæ semel excisa nunquam repullulet, in priorem tamẽ conjecturam nescio quomodo videor pronior. Eam loc' juvaret etiam, si lapidem ibi aut in vicinia inventum constaret, coloniæ enim illic forum, & in foris illustrium virorum imagines, senatorum præsertim & oratorum, unde Licinius mathematicus apud Vitruvium Alabandeos insipientes esse judicatos ait, *quod in gymnasio eorum quæ sunt statuæ, omnes sunt caussas agentes, in foro autem discos tenentes, aut currentes seu pilâ ludentes.*

XVI. Anno Christi MDLXVII. Ad D. Vdalrici, sub turre inventa.

PERPETVÆ. ME. SECVRIT. TIB
CLEVPHAS. IIIIII. VIR. AVG. NEGOTIATOR
ARTIS. PVRPVRARIÆ. QVI VIXIT
ANNOS. LXXVI. SENILIÆ. LASCIVAE
CONIVGI. ET. CLAVDIAE. FORTVNENSI
ET. EPIGONO. APRO. FILIIS. VIVOS. VIVIS
FECIT. ℳ

Hanc inscriptionem, cum paucis quibusdam aliis, non vidi: interim in hac ausus facinus, quod in nullâ aliâ, cum exemplum, quod descripsi, haberet IIIIII. VIR. AVG. NEGOTIATORVM. ARTIS. PVRPVRARIÆ. inane additamentum audacter rescidi, & NEGOTIATOR. restitui, nam ut Cleuphas Sexvir Augustalis negotiatorum illius artis fuerit, nugæ. Adi, quæ libro VI. de Cleupha observavimus. Nec te conjugis & liberorum nomina, quæ nihil Judaicum sonant, sententiâ dimoveant, Agrippas, Berenices. Drusillas Regia ejus gentis familia habuit. Constantius negotiatores purpurarios qui Imp. deservirent, immunes esse jussit. Const. C. lib. 10. tit. 47. l. 7.

XVII. Ante ædes Peutingerorum.

.....
....*t*RIBV*no*.....
.....E.....
CONSVLARES. HO*nor. adept. et*
ATINIAE GEMINAE.....
PEREGRINIVS. BELLICO*sus. f. c*
HOMINIBVS. BONIS

Præterquod libro V. diximus, nihil eruo: nam quod olim de procuratore Rhætiæ aliquo conjiciebam, nunc damno, & litteras RIBV, de tribuno opinor rectius accipio.

XVIII. In D. Vdalrici templo frustillatim effossa, anno MDXCI.

D. M. ET.
PERPETVAE. SE
*cu*RITATI. VICTO
*ri*O. VICTORIANO
*ne*GOTIATORI. *Aug*
...SCRETARIA....
..TVRARIAE. SI....
..CA. MAT*er*.....
..VIXIT. AN*n*.....
..C.....

Quæ

Quæ assequi potui, restitui, reliqua mihi æquè cum ignotissimis ignota.

XIX. In turre S. Crucis, quâ hortum spectat.

IVL. VICTOR
NEGOTIATORI
QVONDAM. VESTIARIO
TESTAMENTO. EIVS
IVLIVS. CLEMENS
AQVILIFER. LEG. III. ITAL
FRATER. EIVS.
F C
D D

Multa olim in hunc locum non necessaria scripsimus, ejus errore decepti, qui SPOLIATORI. pro NEGOTIATORI legerat, nunc liquent omnia. Aquilas præcipua inter Romana signa, singulas legionibus singulis fuisse, non monendum.

XX. In

XX. In Peutingerorum ædibus.



Pusinti.

Pusinti, Victorinæ & Pusiniæ imagines fastigium ostendit. OB. MEMORIÆ. & CONIVGI. sculptoris videtur error, pro MEMORIAM. & CONIVGIS.

XXI. Ad D. Vdalrici, sub Michaëlis archangeli ædiculâ.



Boni hæc ominis nomina, uti & quæ præteriere Victoris, Victoriani, Clementis, Victorinæ, atque ex sequentibus Constantini, Clementis, Fortunati. Exiti

Ad pontem vicæ novæ mediæ.

Ineptas plebejasque quorundam fabulas nihil moramur : Hæc ex ſepulchro tabula eſt, Infantis fortaſſis, nam eam cogitationem puerorum ludentium ſpecies injecit; nec tamen quidquam nimis affirmo, cum & aliæ explicationes locum habere queant. Secundus trochum credo manu jacit, trochum quippe Martialis pueris tribuit, eumque anulum orbi inſertum habuiſſe oſtendit, ut ſpectatores ſono oblectaret, & obvios viâ decederent, admoneret,

Mart. lib. 14. ep. 148. 149.

Iſte trochus pueris, at mihi cantus erit.
Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Vt eos admodum falli neceſſe ſit, quibus trochus idem viſus, quod

Virg. Aen. lib. 7.

_____ torto volitans ſub verbere turbo.

XXIII. In horto quodam.

.....
MATRI. PIENTISSIMAE
LVCRETIVS. CLEMENS
ET. FL. FORTVNATVS. FILI
FACIENDVM. CVRAVERVNT

Matris nomen abeſt, nec ei filiorum pietas ad memoriam profuit.

XXIIII. In Peutingerorum ædibus.



Juliæ matris, quæ titulum posuit, & Aelii Crisni, cui positus, hæ effigies.

XXV. Vbi extet, nescio.

D. M
PERPETVAE
SECVRITATI. AVL
SILVANO. VETERANO
MIL. ITAL. MVL. V. P
IVL. PACON. V. CL. CAT
N. STA. CL. CA. CLEMENS
POSVIT

Vereor parum peritè descriptam, eò minus conjecturis licere volo.

XXVI. In Peutingerorum ædibus.

d. m.
ET. PERPETVÆ. SE
CVRITATI. TIB. AC
VTIANO. VRSACIO
VETERANo.....
QVI. VIXIT. ANNOS....
VII. MENS. SEX. DIES
VIII. HOC. FACIENDV
M. CVRAVIT.....
LICIA. PIENTIA
....CONIVGI. BE
NE MERENTI
FECIT

Ex postremis notis, nihil cui acquiescam exsculpo, cætera, quâ legi possunt, clara sunt.

XXVII. In Peutingerorum ædibus.

D. M
....ARINI. MONTAN
EX. 7. VET. POMPEIVS
SALTVINVS. HERES
FACIENDVM. CVRA
EX. ƧƧ....Ⅿ

Notum centurias à centurionum nomine dictas, Montanus ergo ex centuriâ Veturii alicujus miles. Vltimus versus sepulchri sumptum indicabat, sed numerorum notæ corruptæ.

XXVIII. In hortis V. Ill. Marci Fuggeri, reperta anno MDLXXXII. in Vindonis alveo.

D. M.
SEROTINI
ET. PISTAVCI
ISAVRICAE
IVL. STATV
TIANVS. ET
IVL. CONCESI
F. C.

An Iſauricæ, ſive legionis ſive cohortis milites Serotinus & Piſtaucus? Legionis primæ Iſauricæ Sagittariæ nomen in lapide ſupereſſe ferunt.

XXIX Ad D. Joannis, in muro cœmeterii.

SVCCESSVS
ILVINI. F. EQ. AL
AVG.....
.....STIP. XIIII.
VIXIT. ANN. XL

Succeſſus Ilvini filius eques alaris (Alares enim à legionariis diſtinguit Vegetius) Auguſtâ. Notum patriam ablativo caſu oſtendi in lapidibus, eodem modo, quo Aſconius de tribu ſcripſit: niſi cui eques alæ alicujus Auguſtæ aut Auguſtalis rectius. Veg. lib. 2. c. 1. Aſcon. in 2. Ver.

In S. Otmari vico.

Aut Succeſſi, aut equitis alicujus alterius hæc effigies. Flores ſepulchris additi creberrimè, humanæ imbecillitatis argumento.

XXX. In ædibus privatis.

C L A V D I ...
L A V I A N ..
... H E R E D

Lapidis hoc fruſtum, uti & quæ ſequuntur duo, nihil valde memorabile continent.

XXXI. In domo privatâ.

.....
..... A I .....
..... I L N I V S .....
... S. HER. E X. HS. XI...

Heres etiam monumenti impenſam aſcripſit.

XXXII. In baſilicâ D. Virginis ad portam æream.

.....
.. V E R E N. HE R E .....
.....

XXXIII.

XXXIII. Item in basilicâ D. Virginis.

C L. I V C A N AE
E X. T E S T. P. C L
M A T E R N I. P A
T R I S. F. I. S I L V I
N A. V X O R. E T
H E R E S. F. C
N. I. F. L

Silvina, uxor & heres P. Cl. Materni, ex mariti testamento fieri jussit, fierique curavit Cl. Jucanæ ejus filiæ; ut nos tamen exscribentis incuria non fefellerit. Postremæ notæ mihi non notæ.

XXXIIII. Ad D. Vdalrici.



Litterarum informis species, quam proximè ad lapidis fidem exprimendam curavimus, à non optimo sæculo est. Implexæ secundi versus, Macrianũ missum honestâ missione significant, uti nos amicus noster Jo. Vivianus, à Lipsio doct., monuit: Congruit, quod Exbeneficiarius Consulis, quia eo munere jam de-

Tertul. de fuga in perſec. Cujac. in nov. 13.

functus. De Beneficiariis quæ Vegetius, quæ alii, in promptu ſunt. Sed & diverſus à vulgato ejus verbi uſus interdum fuiſſe videtur, nam Tertullianus matrices Beneficiariorum & Curioſorum nominat, in quibus deſcripti tabernarii, lanii, fures balnearum, aleones & lenones: Itaque Cujacius Beneficiarios & Curioſos pro delatoribus accipit.

E regione prioris inſcriptionis.

Hæc ipſa Macriani opinor imago; manu fortaſſis indicem convolutum tenet, quem matricem Tertullianus dixit. Lapidi ad dextrum latus, à pictore non expreſſum, roſæ inſculptæ, conditioni humanæ vitæ teſtandæ.

XXXV. In privatâ domo.

MATIDiae
DIVAE. MATIdiae
aVG. FIL. DIuae
MARCIANAe. aug
nePTI. DIVI. tra
iaNI. ABNEpti
DIVAE. SABinae
hadr. aug. SOrori

Metidia,

Matidia, soror Sabinæ Hadriani uxoris, ex hoc & aliis lapidibus. Sabinam Trajani neptem per sororem vocat Spartianus, ἀδελφιδῆν Dio & Zonaras. Hinc creditum, Matidiam & Sabinam ex Trajani sorore natas. Quod, cum Matidiæ duæ fuerint, de majori verum est, de minori & Sabinâ sorore, minimè. Quin Sabinam & alteram Matidiam, cui basis posita, doceo prioris Matidiæ filias, Marcianæ Trajani sororis neptes fuisse, hoc modo,



Si ista Spartiani quoque mens, novi enim, qui nepotes ex fratre aut sorore, non pro fratris sororisve filiis, quod vulgo fit, sed pro horum nepotibus accipiant, neque se omnino aliter in probatis auctoribus observare potuisse scribant; si hæc ergo Spartiani & Græcorum mens, bene est, sin diversa, dicam clarè, erravere. Certè ex ipso Spartiano facilè colligo, Hadriani socrum Marcianam non fuisse. Cum multa civiliter ab Hadriano erga amicos acta enumerasset, subjungit, *Omnia denique ad privati hominis modum fecit. Socrui sue honores præcipuos impendit ludis gladiatoriis, cæterisque officiis.* Ea sive de socru vivâ capimus, quam honoribus in gladiatoriis spectaculis à genero affectam, argumento æquabilitatis *ad privati hominis modum* est consentiens, ut cætera officia, officia sint quæ in quotidianam vitam cadunt: sive quod viris magnis placere video, funebre munus, & officia mortuorum memoriæ debita interpretamur rectius, utrum vis non nisi Hadriano imperante contigit. At Marciana jam antea defuncta & in Divas relata, quod arcus Anconæ Trajano Trib. Pot. XVIII. positus ostendit, DIVAE. MARCIANAE. AVG. SORORI. Aug. Hadriani ergo nequaquam socrus, & quod consequitur, Sabina Sabinæque soror, ejus neutiquam filiæ. Ista per ambages. Rectâ idem conficit lapis Suessanus, MATIDIAE. AVG. FIL. DIVAE. MARCIANAE. AVG. NEPTI. DIVAE. SABINAE. AVG. SORORI. An obscurè Matidia Augustæ filia, Marcianæ non filia, sed neptis? Illud obscurius, cujus Augustæ filia, nisi hunc scrupulum marmor nostrum eximeret, in quo litterarum reliquiæ satis ostendunt Matidiam Matidiâ natam; & extant nummi, MATIDIA. AVG. DIVAE. MARCIANAE. F. qui ad majorem Matidiam pertinent. Illa enim Augusta, & post mortem Diva dicta. An minor iisdem honoribus aucta, ambigo, neque puto. De majori etiam accipio Spartiani locum, *Post hoc Antiochiâ digressus est, ad inspiciendas reliquias Trajani, quas Tatianus, Plotina & Matidia deferebant.* Minorem Sabinæ superfuisse dicamus oportet, si hic titulus vivæ statutus, quod mihi verisimile. Trajani abneptem timidè ascripsi, coactus spatio lapidis, DIVI prænomine, & NI terminatione. Ut semel omnia dicam, suspicor Marcianæ aut Matidiæ majoris maritos (quorum neque nomina neque nobis stemmata nota) aliquo modo ad Trajanum pertinuisse, inde abneptem dictam Matidiam minorem. Quamquam sæpe à naturæ vinculis ad ambitionem discessum, ideoque variatum. Exemplum in Severo, cui visum in Marci familiam transire: Is in lapidibus nunc L. Veri Aug. nunc M. Antonini filius, Commodi frater, Antonini Pii Nep. Hadriani Pronep. Trajani Abnep. Nervæ Adnepos: Cum interim filius ejus M. Aur. Antoninus Trajani & Nervæ Adnepos appelletur. Quæ cuncta simul, si ad calculum revoces, vera esse non possunt. Vicentiæ visitur inscriptio, quæ Matidiarum quoque meminit; dubito an harummet, cum inter Hadrianum & Gordianum anni plusquam centum interfint, etsi nihil prohibet ex usuris sortis à Matidiis legatæ aut donatæ, statuam Gordiano tanto post positam. Inscriptio hæc est,

Hotom. de verbor. signif.

IMP.

IMP. CAES
MARCO. ANTONIO
GORDIANO. PIO
FEL. AVG. P.P. COS. II
PROCOS. TRIB
POTEST. V. PONT
MAXIMO
RESPVBLICA
EXLIBERALITATE
MATIDIARVM
D. D

XXXVI. Ad D. Stephani.

C. MANAGNIO
IVSTO. T. LEG. III.
ITALIC. & MANA
GNIA. FABIANA
FILIA. ET. HERES
FACIENDVM. CV
RAVIT. INSTANTE
MANAGNIO. NI
CITATE. LIBERTO
EX. Hs. N. XVI.

M. Antoninus Imp. legionem tertiam Italicam in Rhætia instituit, uti libro VI ostendimus. Laterani legati nomen extat inscriptione IV. ædium sacrarum, Julii Clementis Aquilifери XVIII. inter negotiatores. Hic ordine Tribunus, Decurio, & milites, quorum alter Librarius etiam. Instante liberto, id est, quod cæteroquin CVRANTE, aut AGENTE, aut CVRAM AGENTE. Quot sestertiis nummis monumentum constiterit, numerorum notæ ostendunt.

XXXVII. Ad D. Vdalrici.

.....
*de*CVRIONI. AL. III. L. ET
*bf.*COS. ET. FL. DECORATo
mil. LEG. III. ITAL.....
VS. V.....

Vegetius

Vegetius *Equitum alæ dicuntur, ab eo quod ad similitudinem alarum ab utráque parte protegant acies.* Alarum partes turmæ, quasi termæ aut terimæ, quod ex terdenis constarent equitibus, ut est apud Varronem & Festum. Hinc Decuriones singulis turmis tres. Atque id quidem antiquitus. Vegetii ævo turma equites XXXII. sub uno Decurione habuit. Veg. lib. 2. c. 1. Var. de Ling. lib. 4. Festus Turma. Veg. lib. 2. c. 14.

XXXVIII. Ad D. Dominici.

D. M.
IVL. AMANDO MIL
LEG. III. ITAL. LIBRARIo. COS.
VIXIT. ANNIS. XXX.
IVLIA. PATERNA. MATER
FECIT. SIBI. ET FILIO
PIENTISSIMO. VIVA. EX.
PECVNIA. SVA. FECIT

Librarii, qui libros & instrumenta scribunt. In castris, ait Vegetius, qui in libros referebant rationes ad milites pertinentes. Veg. lib. 2. c. 7.

XXXIX. Sub portâ D. Virginis.

.....
pro. INCOLV*m. imp. caes. l. sept. seu*
aug. tr. p. III. IMP. V. COS. *ii. procos. p. p. feliciſſimi*
princ. TOTIVSQVE. *domus. diuinae. quod...*
colla BSOS. RESTITV*it*.....
.....VS. SVRVS.....

Sept. Severum sive muros, sive pontes, sive fornices restituisse videri, diximus libro VI. In ultimo & penultimo versu ejus, qui inscriptionem, posuit maxima nominis portio deest, nullis conjecturis reponenda. Porro cum duos tantum Imperatores Trib. Pot. III. Imp. V. dictos repererim, Domitianum Cos. X. & Severum Cos. II. hanc posteriori tribuere ideo visum, quod Severi in Col. Augustanam multa, Domitiani quod sciam beneficia nulla extent. Initium abesse judicavimus, quia quæ pro alicujus salute aut incolumitate statutæ, fere certis numinibus dicatæ, habes ejus generis apud Smetium: LVNAE. AETER. SACR. PRO. SALVTE. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEV. Item, VIR. DIANAE. SACR. PRO. SALVTE. IMP. CAESARIS. L. SEPTIMI. SEVERI. Item, I. O. M. SARAPIDI. PRO. SALVTE. IMP. L. SEPT. SEVERI. & alias aliorum.

XL. Ad D. Vdalrici.

*gentian*O. ET. BASSO. CO*s.*

Litteræ grandes & elegantes, ut liceat existimare inscriptas fuisse operi alicui publico egregio. Præferunt nomen Bassi Cos. & appâret alterius Cos. nomen præcessisse. Cum ergo VI. vel VII. Bassos posteriori loco consules renunciatos inveniam, scilicet anno urbis DCCXI. cum C. Albio Carrinate (mortuo in magistratu Q. Pedio) P. Ventidium Bassum: anno DCCCXVII. cum Crasso Bassum, uti habet Cassiodorus: anno CMLXIV. cum Q. Epidio Rufo Lolliano Gentiano, Pomponium Bassum: anno MXI. cum M. Aurelio Memmio Fusco, Pomponium Bassum: anno MXII. cum Fulvio Æmiliano, Pomponium Bassum II. Anno MXXIV. cum Aureliano Pomponium Bassum: & anno MLXIX. cum Ovinio Gallicano, Septimum Bassum: difficulter statuo, ad quem inscriptio pertineat. Est tamen tenuis conjectura, pertinere ad Pomponium Bassum anni CMLXIV. quo Consule Severus in Britanniâ obiit, quem Victor inter præcipuos Severi amicos numerat, & cui Domitium Dextrum in urbana præfecturâ successisse Spartianus narrat. Nam Ventidius ante coloniam nostram deductam iniit. Bassum anni DCCCXVII. (fuit is C. Lecanius Bassus) reliqui fastorum scriptores M. Licinio Crasso Frugi præposuere, solus postposuit Cassiodorus, at præponendus Taciti præjudicio. Cæteros post annum CMLXIV. excludit litterarum elegantia, nam ex hâc lapidum ætates periti dijudicant.

Victor Sev.
Spart. Sev.
Tac. An. 15

XLI. In turre S. Crucis, quâ ecclesiam spectat.

imperatori. caesari
l. SEPT. *imi. seueri. aug*
*a*RAB. AD*iab. filio. diui.*
MARCI. ANTO*nini. germ. sar*
*ma*TICI. NE*p. diui. antonini. pro*
*n*EPOTI. *diui. hadriani. ab ne*
*p*OTI. DIV*i. traiani. par*
T*hici.* ET. *diui. neruae*
*a*D NEPOT*i. m. aurelio. anto*
*n*INO. PIO. *felici. aug. trib*
pot.....PROCO*s. p. p. imp*.....

Diximus libro. VI. quo tempore, & quâ de causâ, statuam cujus, hæc basis collocatam credibile.

XLII. Lapis Augustæ inventus, inde Smiham translatus: demum Ill. Comiti Vdalrico à Montfort à Hieronymo Fuggero dono concessum audio.

D. M.

D. M. ET
PERPETVÆ. SECVRTATI
CL. CONSTANTINO. QVI
VIX. ANN. XXX. ET IPSAN
ILLE. CONIVGI. EIVS
QVE. VIX. ANN. XXVI
ET. RETICIO. FILIO. EORVM
QVI. VIX. ANN. IIII
CLAVDIA CONSTANTI
NA. SOROR. ET. HERENS
FRATRI. DVLCISSIMO
AC. PIENTISSIMO
F. C

Pleraque barbarè & contra latinitatis leges ſcripta, ut tulit uſus rei Romanæ collabentis.

XLIII. In monaſterio D. Vdalrici.

P O M P

Saxum eſt grande, in quo quatuor hæ tantum pulcherrimæ litteræ, quæ quid ſibi velint, ego me neſcire fateor; reliquum ſpatium purum eſt.

In domo privatâ.

D. M. S
CAECILIO
EVPHROSINo
AN. ℞ LV
S. T. T. L

Lapis peregrinus, non originarius, ex ultimâ Luſitaniâ Auguſtam allatus, ideo hîc extra numerum poſuimus.

In Peutingerorum ædibus.

Pro tecto sepulchri alicujus fuit.

Ad portam

Ad portam, quâ Geggingam itur.



Lapis quadratus, cujus quartum latus muro affixum. Videtur pertinuisse ad sepulchrum hominum non armatæ, sed palatinæ & curialis militiæ, uti sub posterioribus Imperatoribus appellabant. Nam ejus rei est conjecturam capere ex libellis, convolutis quos prætendunt.

Ad portam item Geggingenſem.

Hſc, quod explicationis nomine afferam, nihil eſt.

En poſtre-

En postremo loco pavimentum, de quo libro V. scripsimus. Huic cum brevem denuo lucis usuram ab horti domino impetrassemus, imbrium niviumque glacie valde corruptum invenimus, plerasque tesserulas loco motas, reliquarum etiam coagmentationem solutam, ut jam spes nulla superet, incolume posterorum oculis cujusquam accuratione servari posse. Narrabant repertas aliquando id loci non unius generis marmoris crustas, ostiorum antas, & egregii operis hyperthyron, lapidis item gypsei aut cretacei massam bene grandem, ad hæc fragmentum euripi saxeum, præterea gemmam boream an aërizusam, anulo insertam aureo, lychnum atque ampullam vitream, liquore plenam spisso nescio quo rubro: quorum nos tamen præter massam illam & canalem nihil vidimus, liquore, quem servatum unicè exoptaremus, temerè effuso, reliquis alicujus pretii rebus dudum divenditis. Balneorum interim vestigia, quæ prius subodorati, nunc palam agnoscimus. De marmorum incrustatione Seneca, *pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes* (balnei) *magnis & pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.* Statii & Martialis in hunc sensum versus de Etrusci & Tuccæ thermis alcribere nihil necesse. Neque vestibulorum & thyromaton (uti Vitruvius nominat) magnificentiam inde æstimare difficile. Quin si verum volumus, nullius uspiam externi testis auctoritas, ad cognoscendum, qui totus antiquitus ædificii splendor fuerit, nobis hîc conquirenda: Æstimatori non stolido istud ipsum quod præ manibus pavimenti vestigium, nimium quantum de inædificati olim operis specie promittit. Ego equidem, qui priscæ Romanorum majestatis reliquias, quæ in Italiâ sunt, non otiosè spectavi, de iis quæ habentur alibi diligenter quæsivi, prorsus profiteor me non oculis, non auribus quidquam debere, quod in hoc quidem genere cum isto uno contendi mereatur, & ex quo æquè uberes antiquæ scientiæ fructus hauriri possint. Quod satis scio alios quicumque inspexerint, itidem mecum sensuros. Antonini adeò & Diocletiani Romæ thermæ, quarum vel parietinæ & rudera post tantâ ævi vetustatem, etsi hominum perpetuo propemodum damnatæ neglectu, crebris ignium tentatæ injuriis, & barbararum gentium sæpe repetitis furoribus oppugnatæ, molis adhuc suæ miraculo spectantium oculos tenent, & animos quodam horrore perfundunt, hujusmodi tamen deliciarum nihil hactenus detectum dedêre. Nam quæ in illis pavimenta vidimus, cum argumenti profectò specie, tum artificum isti peritiâ valde concedunt. Majores nimirum nostri enitendum putaverunt, ut quibus structuræ & impensæ magnitudine pares esse non poterant, ab iis saltem elegantiæ laude ne vincerentur. Et cum in hanc partem eâ quâ cernimus curâ incubuerint, nemo de cætero dubitet, reliqua quoq; ornamenta, quæ in thermis varia plerumque & eximia, ad parilem splendorem fuisse conformata. Sed & universi ædificii eum extitisse modum, qui quamquam magno intervallo infra Romanorum exemplariũ fastigia consisteret, opulentæ tamen florentisque apprimè coloniæ decus tueretur. Atq; hinc fidem proniorem spero inveniant quæ nos Capitolio, templis, basilicâ, amphitheatro, quorum nunc nihil superat, attulimus, sequuti, ut nonnullis fortasse videbatur, exiles admodum & dubias suspiciones, quæ vel voculis aliquot hinc inde ex priscorum scriptorum libris corrogatis, vel nescio quibus vetustorum lapidum litterulis innixæ. At hæc apud homines qui aut eruditi sunt, aut erudiri seriò volunt, satis omninò suâ sponte habent ponderis: Bonum tamen factum istiusmodi præterea comprobari monumentis, quorum species ante oculos posita, ab usu hujus ævi mirè remota, tacitam quodammodo vim habet, ut imperitos etiam quasi manu ducat, illi sibi de veteri rerum statu nunquam visâ, nunquam videnda facilè persuaderi patiantur; quibus aliâs eam propemodum erant habituri fidem, quam homini sermones de Platonis alicubi Republicâ & Atlantis insulâ instituenti accommodarent. Verum enimverò intra cancellos nobis redeundum, atque ea porro thermarum indicia, quæ supra diximus, hoc loci reperta esse, prosequenda.

Sen. ep. 87.

Stat. sylv. lib. 1. Mart. lib. 6. epig. 42. lib. 9. ep. 77 Vitr. lib. 4. c. 6.

Terræ candicantis plures species cuti curandæ adhibitas ex Plinio scimus, inprimis sanè cretam ex Martiale,

Plin. lib. 35 c. 16.

Pedis Augustani modulus.

Nomina quæ punctis indicata tantum, nos legere non potuimus, quidam se iam olim hoc modo legisse affirmabat SIBI PVS. SPICIVS. ALPVS. LYTBA.



Mart. lib. 6 ep. 93. *Depositâ quoties balnea veste petit,*
Pfilothro nitet, aut acida latet oblita cretâ.

Aquas in thermas ductas, non mor endum; sed & anulos loturos posuisse, & lychnorum ibi usum fuisse, Martialis,

Mart. lib. 3. ep. 92. ——— *lucernâ balneator extinctâ.*

Ampullâ quid suspicer, nisi unguentum conditum? mira in thermis unguentorum copia, Plinius, *aliquem ex privatis audivimus jussisse spargi parietes balnearum unguento, atque Cajum principem solia temperari: ac ne principale videatur hoc bonum, & postea quendam ex servis Neronis*, siquidem, ut Alexis verba Athneæi interpres reddidit, *maxima bonæ valetudinis pars, odores cerebro bonos objicere.* Hæc in ampullis servata, Martialis,

Plin. lib. 13. c. 3. Ath. lib. 15 Mart. lib. 3. ep. 82. ——— *Cosmianis ipse fusus ampullis,*

Quarum optimæ ex alabastrite Plinio, auctore; vitreis attamen fidem abrogare non debemus, cum Antiochum Epiphanem pretiosissima unguenta fictilibus in balneum intulisse Athenæus prodiderit; planè Martialis,

Plin. lib. 13 c. 2. lib. 36. c. 10. Ath. lib. 5. Mart. lib. 3. ep. 54. ——— *quacunque venis, Cosmum migrare putamus,*
Et fluere excusso cinnama fusa vitro.

Conjecturam ipsius quoque liquaminis color commendat, *hujus causâ adduntur cinnabari & anchusâ* ait Plinius, mox, *similis ratio & in crocino, additis cinnabari, anchusâ, vino:* atque spissitas, *quosdam crassitudo maximè delectat; id ipsum approbantes, liniquejam, non solum perfundi unguentis gaudent.* Nam quod *unguenta vetustate meliora* evadere scripsit, ejus experimenti capiendi nobis potestatem præreptam, id verò seriò doleo. Jam ad pavimentum quod spectat, Vitruvius & Plinius totius generis originem, differentias, componendique rationes explicavere, nos privatim de isto hoc uno dicturi sumus. Quatuor coloribus variegatum, lapillis candidis, luteis, rubellis & siliceis nigricantibus constat, specie de cætero, quam pictor expressit. Ævum optimum artificii elegantia affirmat, neque centesimum credo à coloniâ deductâ annum excedit. An ad lavationem aliâmve thermarum partem pertinuerit, nemo asseveret. Emblematum argumenta à gladiatoribus petita, à circi metis & quadrigis, abque avibus aliquot, singula congruè loco voluptati parato. *Pingi autem gladiatoria munera, atque in publico exponi cœpta à C. Terentio Lucano*, Plinio annotante, *isq; avo suo, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit.* Exemplum postalii sequuti, Davus Horatii,

Vitruv. lib. 7. c. 1. Plin. lib. 36. c. 25. Plin. lib. 35 c. 7. Horat. lib. 2. sat. 7. ——— *Fulvi Rutubæque,*
Aut Placidejani contento poplite miror
Pralia, rubricâ pictâ aut carbone; velut si
Re verâ pugnent, feriant, vitentque, moventes
Arma viri ———

Et Neronis libertus apud Plinium, *cum daturus esset Antii munus gladiatorium, publicas porticus investivit picturâ, ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis.* In pavimenta inde migrasse neutiquam mirum, quando horum admiratione æquè ac signorum & tabularum insaniere Romani, adeò ut quod Suetonii verbis de summo duce affero, monstri videatur simile, Julium Cæsarem *in expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse.* Antiquus scriptor Christianus, quem D. Cyprianum plerique existimant, ad significandum interiorem hominis ornatum hac figurâ usus est, *sterne pavimenta pigmentis.* Ex nostro discimus, gladiotores repræsentandi ratio quæ fuerit. Per paria scilicet, per paria enim illi, quoad fieri poterat, parilia componebantur, ut jure indignetur Lucillius satyrâ IV.

Plin. lib. 35 c. 7. Suet. Jul. c. 46. De cardin. op. chr. de spir. san. Lucil. ap. Non. c. 4. bis. *Aeserninus fuit Flaccorum munere quidam*
Samnis, spurcus homo, vitâ illa dignus locoque,
Cum Placidejano componitur, optimus multò
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Et Seneca, *ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi:* Super scriptis nominibus, quod ex Horatio poterat colligi: Toto corporis habitu *velut si re verâ pugnent.* Quin insignitis ferè pugnarum eventis expressis, cum

Seneca de provid. quidem

quidem edito jam munere pingebantur. Quod in ſtatuis itidem obſervatum notat Æmilius Probus, Chabria, factum eſt ut poſtea athletæ, cæterique artifices, his ſtatibus in ſtatuis ponendis uterentur, in quibus victoriam eſſent adepti. At quod hîc in unâ quadam areolarum eſt adoleſcens inermis unus, nomine nec aſcripto, truncum feriens, tiro is eſt, ad palum ſe exercens, & ſeriæ pugnæ parans; Vegetius, *Palorum enim uſus non ſolum militibus, ſed etiam gladiatoribus plurimùm prodeſt, nec unquam aut arena aut campus invictum armis virum probavit, niſi qui diligenter exercebatur ad palum.* Et eleganti tralatione Seneca, *Exerceamur ad palum, & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris.* Quamquam verò Vegetius ſcuta viminea & ligneas clavas magni ponderis huic exercitio præſcribit, Juvenalis galeam & reliqua arma addit,

Veg. lib. 1. c. 11.
Sen. ep. 18.
Juven. ſat. 6.

——— quis non vidit vulnera pali,
Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit
Atque omnes implet numeros digniſſima prorſus
Floralt matrona tubâ; niſi ſi quid in illo
Pectore plus agitat, veraque paratur arena.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?
Quæ fugit à ſexu, vires amat, hæc tamen ipſa
Vir nollet fieri, nam quantula noſtra voluptas?
Quale decus rerum, ſi conjugis auctio fiat,
Balteus, & manica, & criſtæ, crurisque ſiniſtri
Dimidium tegmen, vel ſi diverſa movebit
Prælia tu felix ocreas vendente puellâ.

Paucis interjectis verſibus,

——— ——— ——— quæ ludia ſumpſerit unquam
Hos habitus quando ad palum gemat uxor Aſylli:

Credibile tamen, prima artis rudimenta leviori rude à tirunculis cætera inermibus poſita, eosque graviori paullatim dein armaturæ aſſuefactos: ſcholiaſtes vetus ſecundum verſum, unà immutatâ litterâ, legit,

Quem cavat aſſiduis rudibus interpretatus, *obtundendo illum ferulis, in meditatione pugnandi.* Sed & qui in thermas ventitabant, aliquando ante lotionem ad palum exercitos Martialis indicat,

Mart. lib. 7. ep. 31.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi ſtipitis ictus hebet.

Eò hoc ſchema referri poterat, niſi aliud ſuaderet adnixus palo tridens, qui inter gladiatoria retiariorum arma, Juvenalis de Gracco retiario,

Juven. ſat. 2. & 8.

——— tunicati fuſcina Gracci,

Item, *——— ——— movet, ecce tridentem,*

Operæ autem pretium, pali hinc primùm formam hermæ ſpecie agnoſcere. Et ſi acutè ex Dione & Lampridio pervidit Lipſius, Palum principem gladiatorem dictum, quia in pali modum oppugnantibus immobilis & invictus, quid ni ab hermâ Martialis Hermes originatione ſimili?

Lipſ. ſat. lib. 2. c. 7. Mart. lib. 5. ep. 15.

Hermes inquam *& gladiator & magiſter,*

Nam totum epigramma exſcribere longum, in reliquis areolis nullum magnopere armorum diſcrimen, niſi quod pugnantium plerique ſcutum habent, latum qua pectus atque humeri teguntur faſtigio æquali, ad imum cuneatius mobilitatis cauſsâ, quod Samnitibus Livius tribuit, pauci aliquod duo tresve, illam quam Varro parmam dictam ait, *quod è medio in omneis parteis par* ſit. Hanc inter Threcidica alii obſervavere, ſed additâ ſicâ, cum hic gladios rectos videam. De eventis quod dixi, binitrium areolarum gladiatores in gradu conſtant, manusque maximè conſerunt; eos miſſione impetratâ pares abiiſſe rectè puto ſuſpicamur, ita quidem pares, ut tamen alter altero vulnerum numero fortaſſis inferior, Seneca, *ſolet enim fieri, ut etiam cum alter multis vulneribus confoſſus eſt, alter leviter quidem ſaucius, pares exiſſe dicantur, quamvis alter videatur inferior.* Quæ inter duos media viri ſpecies obſcura, nec confuſis lineis ſat diſtinctè incluſa, laniſtæ opinor (Martialis proximo verſu magiſtrum appellavit) aut maſtigophori alicujus eſt, qui, ut Tertullianus ait, *gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat*

Liv. lib. 9. Var. de ling. lib. 4.
Sen. de benef. lib. 5. c. 3.
Tertul. de ſpectac.

Sen. in ludo. *compellat invitum*, Seneca *proximo munere inter novos autoratos ferulis vapulare placet.* Est præterea areola, in quâ fugiens gladiator in tergum supinus cadit, adversario insequente. Alia, in quâ prostratus suberectusque ferrum vitabundus expectat; Seneca, *eo magis convulneraberis, & confodieris, quia nescis præbere jugulum. Vives diutius, & morieris expeditius, qui ferrum non subductâ cervice, nec manibus oppositis, sed animose recipis.* Alia denique, in quâ victus submissis, quin projectis armis latus præbet, quæ Senecæ quoque verbis quando semel cœpimus illustremus *licet arma submittere, misericordiam populi tentare*, turpior aliquantò projectio, *dummodo arma non projicias.* Nomina, quæ liquidò legi potuere, hæc sunt, CRISPVS. LEONIDES. APRIVS. AIAX. ANTONIVS. MANLIVS. PALVMBVS. ASTIR, hæc dubia, SIRIPVS. SPICIVS. ALPVS. LYTRA. Gladiatorum profectò nobilium ut Cicero appellat, celebrium ut Firmicus, ut verissimè Tertullianus atrocium, quos in coloniâ depugnasse nihil dubito. Atque ii quantumvis laudati, infames tamen ab his ipsis, quibus laudati habiti, vir fortis gladiator in declamatione apud Calphurnium Flaccum, *Virum igitur gladiatorem negat, negat aliquis infamem?* Et sex septem interjectis verbis, *Neque enim conditione gladiatoriâ quidquam est humilius in vulgo, nec meo nomine quidquam nobilius in ludo.* Singulorum causas exquirere ineptientis sit; at in Suetonii Claudio Palumbum observo, in Nerone Specillum, quorum imitatione tum Palumbum hunc nostrum, tum Spicium an Specium dictum sentio; nam Specius & Specillus unum idem est nomen, quemadmodum Sergius apud Juvenalem per blandiloquentiam idem Sergiolus. Neque hæc ab ævo, quod pavimento tribuimus, abhorrent.

Sen. de tranq vitæ. c. 11.

Sen. ep. 37.

De benef. lib. 5. c. 2.

Cic. Phil. 3. Firm. lib. 7 c. 13. Tert. de spectac. Calp. decl. 50. Suet. Claud. c. 21 Ner. c. 30. Juven. sat. 6.

Ad metas & quadrigas venimus. Videmus agitatorem non unum,

Stare levi curru, moderantem quatuor ora,
Spumigeris frænata lupis, & flectere equorum
Prævalidas vires, ac torto stringere gyro,

Man. lib. 5. Et quod in Manilio interjecto versu sequitur, non tam calamo scriptum, quam penicillo pictum,

Exagitare feros pronumque anteire volantes,
Vixque rotis levibus summum contingere campum.

Hier. vita Hilar. Quâ specie si persuasi coloniæ circum tribuamus, non nemo assentiatur, eo pronius, quod universè D. Hieronymus scripsit, *In Romanis urbibus jam inde servatur à Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, Conso, quasi consiliorum Deo quadrigæ septeno currant circumitu, & equos partus adversæ fregisse victoria sit*; Nos Augustanæ gloriæ non inviti favemus, sed quoniam veri studium præponderare sæpe testati, rem ita capimus, ut in provinciis metas statutas, quadrijugosque currus agitatos non negemus. Nec quidquam est, quare equestre cursus certamen, quod natali Augustæ die celebrari solitum, nostrâ demum memoriâ desitum libro V. scripsimus, ad hoc principium non vocemus, paucas attamen fuisse urbes opinemur, quæ stadium porticibus & gradibus Romano exemplo cinxerint, nec omninò quod mihi constet, hujus generis ædificiorum ruinæ præter Romam & Constantini urbem visuntur alibi. Quod si Mediolanensis circi Ausonius meminit, *populique voluptas Circus*, quem à Friderico demum Ahenobarbo dirutum Bernardinus Corius prodidit, argumentum à civitate tot Imperatorum sede ad reliquas vulgo colonias non rectè ducitur, multo ineptius ab Antiochiâ aut Alexandriâ aliquâ. Sidonius Narbonem luculento carmine dilaudans, atque à muris, tabernis, portis, porticibus, foris, theatro, delubris, Capitoliis, monetis, thermis, arcubus, horreis, macellis, fontibus commendans, circum tacuit. Tertullianus disertè de circensium apparatibus, *minore curâ per provincias, pro minoribus viribus administrantur.* Itaque valde labor credere, plerosque circos provinciales fuisse temporarios, plerosque etiam extra urbes, quo curriculi intervallum nimirum commodius laxaretur. Virgilius,

Aus. urb. natal. Cor. hist. Med. par. 1.

Tertul. de spect.

Virg. AEn. 7.

Ante urbem ——— ———
——— ——— *domitantque in pulvere currus.*

At quan-

At quandoquidem in hoc sumus, demus formam hippodromi ex heliotropio, quæ affabrè sculpta apud nos est, qua cœli acumen argumentum multiplex in tantillo spatio quivit assequi,

Notæ agitatorum factiones alba, russata, veneta & prasina, eas quatuor currus in gemmâ exprimunt: ad reliqua explicanda non divagabimur. Volucres demum pascentes artificis lusum interpretor, sed qui temerè neutiquam lusus, principi argumento alludat; nam id præcipuum peritæ elegantiæ documentum, ingenio manus attemperare. Avium galli pugnæ maximè avidi, *nec finis*, ait Plinius, *sæpe commorientibus*, ideò aptè gladiaturæ hinc symbolū: quin prope est ut gladiatores ipsi, *Pergami omnibus annis spectaculū gallorum publicè editur, ceu gladiatorum.* Adde quod lectam à Gallis antiqui dixere Myrmillonum, ut est Festus auctor, quo tamē etsi gallinaceos non spectarint, sed armaturæ genus Gallicum, nihilo seciùs gallinaceus appellationis saltem sonum significare potuit: Gallina etiam apud Horatium gladiator,

Plin. lib. 10 c. 21.
Festus P.v. Retiario.

Thrax est Gallina Syropar.

Hor. 2. lib. sat. 6.

Corvi aut cornices qui scimus an ad aurigarum aliquem pertineant, quibus nomina cæteroquin nulla ascripta? Est apud Ammianum Marcellinum Corax auriga, quem Gallus Cæsar coronavit, Corvini quoque & corniculæ pari forte notatione dicti.

Marcel. lib. 14.

Corollarii vicem sermoni qui à thermis cœpit non negabo, versus aliquot concinnos, festivos scitos totos, inscriptos marmori, ante annum unum aut alterum Romæ ad D. Petri effosso, qui inprimis lucem inferent balneari exercitationi, à paucis scriptorum memoratæ, à nullo lectorum ante hac intellectæ. Indicium Ab. Ortelio debeo,

VRSVS

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM ME]S LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAX]MIS CLAMORIBVS
THERM]S TRAIANI THERM]S AGRIPPAE ET TITI
MVLTVM ET NERONIS S] TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVAMQVE AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIOQVE MVLTO ADQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CÆCVBVM
V]VO AC VOLENTI DE APOTHECA DOMINICA
VRSVMQVE CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PILICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ADQVE ARTE SVPTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS NVNC LIBENTER DICOR EXODIARIVS

Sen. ep. 57. Jam nihil planius Senecæ verbis, quæ hactenus varias mangonum artes frustra experta. *Sive ò pilicrepus supervenerit, & numerare cæperit pilas*, quotquot excidissent crepitassentque scilicet, item Statii,

Stat. Sylv. lib. 3.

Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas ———

Sequitur hypocausti descriptio, exercitationis locus, quod scio quam lævè accipere soliti interpretes, neque miror aut indignor, sine enim lapide Romano fuisset, cui in mentem pila vitrea venisset unquam?

ANTIQVA

ANTIQVA
AGRI
AVGVSTANI
MONVMENTA.

I. Laugingæ. Augustanæ diœceseos oppidum ultra Danubium, ad Germaniam magnam pertinet, uti & alia nonnulla quæ sequuntur loca. Rhætico nomini is tractus accessit, quo tempore Maximianus limitem protulit, uti ex panegyricis libro VII. observavimus. Quædam porro ex his inscriptionibus ad avorum usque memoriam superstites, barbaro dein antiquitatis contemptu periere: quædam etiamnum salvæ.

APOLLINI. GRANNO
M. VPLIVS. SECVNDVS
T. LEG. III. ITAL. ARAM
CVM. SINGNO
ARGENTEO
V. S. L. M

Vnde Apollini Granni cognomen, adhuc quæro. Sed liquet hoc titulo præcipuè apud Rhætos cultum. Quamquam & Romæ lapis extat sic inscriptus, APOLLINI. GRANNO. ET. SANCTAE. SIRONAE. SACRVM. & Brettæ Dacorum, uti observavit Zamosius, APOLLINI. GRANNO. ET. DIS. SIRONAE. PRAESENTIBVS. Viderint eruditi, an urbs illustris Aquisgranum huic nomen debeat. Profecto Conrad. Celtes, in cujus carminibus est interdum auri grumos invenire, eo respexit, *Vrbs ubi fumat aquis Craneo ab Apolline dictis*, etsi litteris nonnihil mutatis. Accedit Panegyricus Constantino Constantii F. dictus, in quo sub finem rhetor Belga (Belgam ex ductu orationis Rhenanus, aliis non improbantibus, solus Sigonius Æduum putavit) patriam suam antiquè nobilem, ferventes aquas, quibus perjuria puniantur, Apollinis lucos & sacras sedes habere jactitat. Quæ si ad Aquisgranum referas (referes, nisi aliam Belgicæ urbem vetustá, in qua hujus generis aquæ proferas) eo probabilior Celtis opinio evadet. Bibracte Sigonii nullo modo accipi posse puto. Mediæ ætatis scriptores dixerunt palatium Grani, thermas Grani, etiam Aquas nudè, & fabulam non ferendam de Grano Neronis fratre produxerunt. Peutingerus noster in convivalibus me docuit, haustam ex diplomate Imp. Friderici I. Anni Christiani MCLXIV. in quo Caroli Magni verba laudantur, *Inveni thermas calidorum fontium, palatiaque reperi, quæ quondam Granus, unus de Romanis principibus, frater Neronis & Agrippæ à principio construxerat.* Absolutè vana & frivola. Quamquam non nego, tam fieri potuisse, ut nomen à duce Romano, quam ut ab Apolline acceperit, plures enim Granii. Sed hæc præter institutum: Arbitrium est in medio. SINGNO contra Grammaticorum leges sculptum, si sic tamen in lapide est.

Zamos. analect. antiq. Daciæ cap. 8.

Celt. 3. Amor.

Sig. de occid. imp. lib. 2.

II. Laugingæ.

DEI. APOLLINIS. GRANNI
REL*igioni.* *sacrum*
.....PP.....
DIONYSIVS. LEG. AVG. PR. PR
raetiae....KAL. IVNIAS. *dd*

Religioni Apollinis, quomodo alibi, SANCTITATI. IOVIS. ET. AVGVSTI. SACRVM. & PRAESENTIAE. MATRIS. DEVM. Quo tempore Dionysius Legatus in Rhætia fuerit, nondum conjiciendo assequor.

III. Lau-

III. Laugingæ, lapis ex ruderibus arcis Faingenſis.

APOLLINI
GRANNO
SIGNVM. CVM
BASE. MIRPA

IV. Feningæ ſive Finingæ.

APOLLINI
GRANNO
SABINVS
PROVINCIALIS
L. D. S

V. Faingæ.

IN. D. H. H
APOLLINI. GRANNO
.....et
BAIENIBVS. VICTOR. ET
BAIENIBVS. VICTORINVS
FILII. EIVS. EX. IVSSV
SIGNVM. CVM. BASE

Patris nomen abeſt. Bajenibus pro Bajenius, ut altera B. abundet. Faingæ à Bajeniis nomen eſſe aſſentior, qui norim B. ſæpe in F. abiiſſe, unde bruges pro frugibus Ennio.

VI. Laugingæ.

DEO. MERCVRIO. SIGN
EX. VOTO. IVL. GALLICVS
ET. AVR. SIBVLLA. P. L. L

In ſummâ baſe imi Mercurii pedes ſuperſunt, eo magis injurius Heroldus, qui libello de Romanorum in Rhætiâ littorali ſtationibus, multis nominibus ineptiſſimo, ad hanc inſcriptionem temere retulit, Mercurii ſignum, quod in ædibus Peutingerorum Auguſtæ viſitur, Laugingâ ſcilicet illuc translatũ ſomnians. Quomodo & Julianorum & Amandi & Victoris & Macriani monumenta Feningâ Auguſtam advectaleviſſimè auſus aſſerere. Alieni profectò majores noſtri ab hujus criminis invidiâ: ut alienis inhiarint, quorũ incuriâ tot patriæ inſcriptiones periere vel in calcem ſolutæ, vel in ædificiorum fundamenta cõjectæ? Non fit veriſimile. Quid? quod earum quæ publicis locis ſuperant, pleræque muris tam contẽptim inſertæ, litteris ſæpe non rectis, ſed in latus inclinatis, ut

tis, ut satis appareat, operas præter structuræ usum nihil spectasse. Privatas omnino quinque peregrinas habemus, fateor, urbicam unam Cæcilii Euphrosini, agrarias quatuor, si sic tamen appellare lubet, Prisci, Chrisidis, Spediæ & Maximæ Felicis; sed hæ unde, & à quibus, & quo tempore advectæ, annotatum est: neque ulla ante Peutingeri ætatem, cujus primum monitu istius generis reliquiæ aliquam obtinere dignitatem cœperunt.

VII. Laugingæ.

I N D D. *deo*
M E R C *urio*
V R O C I . . . .
V I C T o R . . . .
E X. V o T. P o S
L. L. M

VIII. Vitaslingæ.

M E R C V R I O
Q. V I T A L I S
Q V I N T I O N I S. F I L
V. S. L. M

A Vitale Vitaslingam non ineptè deducunt. Audio similem inscriptionem Angleriæ prope Mediolanum extare. Nec absurdum, Vitalem Mercurio votum pro itu in provinciam unum, alterum pro reditu solvisse.

IX. Faingæ, ad ripam Danubii, ut non nisi flumine decrescente legi possit.

. . . . . D E I
M T I T. A V.
. . . . . *s* V O. S V M
P T V. I N D V I
fe C E R V N T

Multæ mihi hîc tenebræ. Audio Faingæ etiam lapidem esse satis magnum, in medio fractum, in quo sol pileo flammeo tectus leoni insistit.

X. Vrsinii,

X. Vrſinii, columnæ milliares tres, altitudine octonum circiter pedum, quarum prima ſic inſcripta,

IMP. CÆSAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XII. COS. II. P.P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES REST
AB. AVG. M. P. XXXXI.

Quadraginta columnas hanc præceſſiſſe, ex poſtremis numeris colligimus, et omnes perierunt. Pertinent ad hujus generis cipporum inſcriptiones Arcadii & Honorii Impp. verba, *Abſit ut nos inſtructionem viæ publicæ, & pontium ſtratarumque operam, titulis magnorum principum dedicatam, inter ſordida munera numeremus.* Cod. Theod. lib. 15. tit. 3. l. 6.

XI. Vrſinii, columna ſecunda.

IMP. CÆSAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS.
PONTIF. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET IMP. CÆSAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXII.

XII. Vrſinii, columna tertia, quæ fracta eſt.

IMP. CÆSAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XII. COS. II. P.P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES REST
AB. AVG. M. P. XXXXIII.

Meminimus horum lapidum libro III. & VI. In numeris IMP. XII. fabrile peccatum hæret, tum hîc, tum lapidibus Iſnenſi & Vilthaimenſi, eodem modo inſcriptis, quos omnes ab unius ſculptoris manu exiſtimo. Ratio temporum TRIB. POT. VIIII. IMP. XI. COS. II. reſcribendum docet. Nam anno urbis CMLIV. L. Annio Fabiano M. Nonio Muciano Coſſ. dictus eſt L. Sept. Severus Trib. Pot. IX. Imp. XI. Coſ. II. Eo pertinet inſcriptio. Sequenti Coſſ. fuere L. Sept. Severus IIII. & Imp. M. Aur. Antoninus. Cum ergo permulta ſuperſint monumenta, quæ Septimium III. Conſulem Trib. Pot. X. XI. XII. XIII. XIV. adhuc Imp. XI. dicant, apertè conficitur, id Trib. Pot. IX. Coſ. II. multo magis convenire, neque ullâ ratione Imp. XII. ante tertium Conſulatum poſſe conſiſtere. Congruit etiam cum anno urbis CMLIV. Antonini Trib. Pot. IIII. ut ex faſtis in promptu eſt. Cippus Iſnenſis, qui vias & pontes à Camboduno eousque reſtitutos monet, ſic habet, Vilthaimenſem in peregrinis retulimus, IMP. CAESAR L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIAB PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P. PROCOS. ET. IMP. CAESAR. MARCVS AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB. POT. IIII. PROCOS. VIAS. ET. PONTES. RESTI. A. CAMB. M. P. XI.

XIII. Ber-

XIII. Bergæ prope Augustam, in altari, quod est introeunti templum ad lævam, pessimo charactere.

MEMORIÆ. ET. PERP
ETVÆ. SECVRITATI. FLa
BIA. CVNANIO. SERENO
NEGOT. QVI. VIXIT. ANNI
S. XXXXV. ET. M. VIII. D. VI. HOC
FACIENDV. CVRA. CVNAN
IVS. VRSACIVS. PIENTISS
IMO. PATRI. ⅁. BENEMERNTi
FECIT

FLaBIA CVNANIO. est pro Flaviano Cunanio. Et FACIENDV. CVRA. pro faciendum curavit, uti in nummis antiquissimis PREIVERNVM. CAPTV. pro captum.

Bergæ in cœmeterii muro.

Simulachrum haud dubiè conjugalis concordiæ eorum, quorum olim ſepulchro impoſitum. Extat Romæ monumentum bene antiquum, M. Æmilio quippe & Munatio Planco Coſs. Q. Furfanio Nigrino & Furfaniæ Floræ conjugibus factum figurâ prope geminâ, niſi quod conjuges dextras conſerunt, & medius puerulus duplici face utrumque videtur urere. In noſtro puer unum neſcio quid præfert, vetuſtate ita detritum, ut facemne, an ſpicarum manipulum, an denique carduum interpreter, dubius maneam, pictor pro carduo accepit: Et cardui florem ſcolymon rerum humanarum infirmitatem, vitæ inprimis, referre ajunt, quo nomine ſepulchris rectè convenit, nam eo etiam roſæ in alio lapidis latere pertinent. Spicæ cum pacis, tum fœcunditatis indicio matrimonio junctos decent. Sed mihi tamen facies ſimplicior, aptior, veriorque viſæ explicatio, ſiquidem puer Amor eſt. Non valdè differt FIDEI. SIMVLACRVM. quod Romæ quoque viſitur, HONOR, & VERITAS (nomina aſcripta ſic habent) dextras jungunt, AMOR conſiſtit medius.

Bergæ

Bergæ quoque in cœmeterii muro; Apian⁹ & Amantius Smihæ falsò tribuerunt.

Sepul-

Sepulchralis cœnæ ſpecies. Cubat quidam cœnatoriâ veſte indutus, effultus ſuberectusque in cubitum, in ſcimpodio pluteis utrimque munito, torali pulvinisque ſtrato, ad pedes catellus ludens, cujusmodi delicias cœnis adhibebant; paraſitus in Plauto,

Plaut. Sticho.

Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi ſat eſt loci.

Hor. lib. 1. ſat. 3.

Ante lectulum menſa eſcaria, cibilla Varroni, qualem Tigellius apud Horatium optat, *modo ſit mihi menſa tripes.* Vtrimque famulæ miniſtrantes, quod & in aliis lapidibus obſervo, earum altera manibus ferculum prætuliſſe videtur. Paullò remotior poculorum menſa, ſic enim appellat Servius, cylibantum Varro, Græca origine ἀπὸ τοῦ κύλικος, cæteroquin vulgus abacum. Juvenalis:

Serv. 1. Aen. menſæque remotæ. Varro de ling. lib. 4. Iuven. ſat. 3.

——urceoli ſex
Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra
Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.

Mart. lib. 12. ep. 67.

In quem locum vetus ſcholiaſtes, abacum interpretatur, *quod nos Delphicam dicimus.* Martialis,

Argentum atque aurum non ſimplex Delphica portat.

Iuven. ſat. 11.

Chiron menſam ſuſtinuit, quomodo gryphus hanc noſtram, & aliam apud Juvenalem,

——magno ſublimis pardus hiatu.

Virg. ecl. 3.

Virgilio,

Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.

Miſtarius credo Lucilio apud Nonium,

——longâ geminus miſtarius ansâ.

Iſid. lib. 20. c. 5. Mart. lib. 14. ep. 105. Mart. lib. 14. ep. 110.

In ipſo abaco, ſortaſſis crater primo loco, ſi verè Iſidorus, *cratera calix eſt duas habens anſas*, deinde urceolus, quem miniſtratorium vocat Martialis: calicis demum quoddam genus aliud, ſive ampullam potoriam, cujus Martialis quoque meminit, & quam Iſidorus ſimilem ait *rotunditate bullis, quæ ex ſpumis aquarum fiunt*, ſive orcam, ſive cymbium, ſive quodcumque tandem divinare malumus. E regione autem abaci, vas grande, uno tantum pede fultum, eſt loco opinor tertiæ Varronis menſæ, quam ille urnarium vocatam tradit, quod urnas cum aquâ poſitas haberet; nam hujus vice ſinus iſte aquarius rectè fungi potuit. Aviculas ei inſidentes bibentesque aut turtures, aut cornices, conjugum ſymbolum accipio, & monumentum marito ab uxore poſitum autumo.

XIV. Camboduni.

LVCIANO. EVGILI
ANO. FILIO. CARIS
SIMO. VIXIT. ANNOS
XIX. LVCIANVS. ING
PATER. FECIT. S. S

Pater filio monumentum inſcripſit, quod ſibi ſuiſque commune.

XV. Laugingæ.

D. M.
PRENCIVS. A. VE. III. LEG
CIVES. BRIVINES
VIXIT. ANNIS. LXX
MONIMENTVM. FECIT

Cives

Cives Brivines pro civis Brivinensis, tale est, DOMVNARBES, pro Narbonensis. Brivinensium memoria cæterum funditus periit.

XVI. Liezheimi in latere.

LEG. ITALICÆ. III. M

Liezheimi nomen à Legione Heroldus deducit. Quod per omnes prope provincias lateres, in quibus legionum nomina descripta, inveniantur, Crediderim illos terminorum usum præbuisse agris militibus assignatis.

XVII. Liezheimi in alio latere.

LEG. ITALICIANÆ. III. M

Italicianam legionem sub postremis Imperatoribus dictam verisimile.

XVIII. Ad Lyci in Danubium fluentis ostia.

D. I. M
IVL. IVSTV
S. V. A. XXVI
AMABILI
S. MATER
F. C

Manes, ait Festus, *deos superos atque inferos dicebant*, ideo non frustra est, si quando in sepulchris Manibus inferorum nomen additur.

XIX. Novoburgi ad Danubium.

P. AEL. T. SATVRNINVS
ATILI. CV. ET. CIVIS. VET
VIXIT. A. LXXV.
SATVRNINVS. CRESCENS
IIII. KLENDS. IAN

Primæ quinque litteræ, vereor nè parum fidè descriptæ. Cæterum Saturninus Atiliæ Curator, & civis Veteranus fuit. *De officio curatoris Reipublicæ* Vlpianus singulare librum scripsit, qui periit. Atiliam adhuc Azelburg tueor, etsi longiusculè à monumento dissitam; nec enim necessariũ, civem in patriâ mori, tumulari. Scimus, quam affines litteræ T. & D. rursus D. & Z. ut sæpe alternent, *Sed Set*, *Idcirco Itcirco*, *Dietha Zetha*, apud Christianos scriptores veteres,

teres, *Diabolus Zabolus.* Quæ Aventinus de Atilienſi coloniâ, quam eandem opino, ralibi Coloniam Auguſtam Aciliam dixit; gerræ, niſi quid ſolidi, quod nos in aſſenſum trahat, proferatur; nam hactenus nihil video.

XX. Novoburgi.

D. M
TIB. CASSIO. CONSTAN
TINO. IVNIORI. MISER
RIMO. QVI. VIXIT. ANNOS
III. MEN. IIII. D. XXII. FECIT
TIB. CL. CONSTANTINVS
PATER. FILIO. DVLCISSI
MO. A. QVO. SIBI. FACIEN
DVM. OPTAVERAT. ET
CASSIAE. VERAE. MATRI
EIVS. ET. CLAVDIIS. IANV
ARIO. VICTORI. ET
MARCELLINO. LIBERTIS
FIDELISSIMIS. VIVIS. FECIT
ITEM. FIDELI. QVONDAM
ET. CARO. ET. MODESTO
SVIS. KARISSIMIS

Monet Aventinus, plures alios Novoburgi ſupereſſe litteratos lapides, ſed quos legere nemo poſſit, partim fractos, partim obſtructos litteris introrſum verſis. Matthæus Langius, Auguſtæ patricio genere natus, à Julio II. Pontifice in Cardinalium collegium cooptatus, Epiſcopus primum Gurcenſis, dein Salisburgenſis Archiepiſcopus lectus, inſcriptiones quæ ſequuntur, quatuor ſupernumerariæ, ex agro Patavino, dum Patavium Maximiliani Imp. auſpiciis obſideretur, Velenburgum ad Vindonem prope Auguſtam tranſtulit.

D. M
AEMILIAE
CHRISIDI. LIB
ET. CONIVG
V. A. XXXII
C. AEMILIVS.
CALPVRNIAN
VET. N. SVR
ET. SIBI. V. P

Niſi

Nisi se Æmilius Veteranum natione Surum id est Syrum proderet, Videri poterat familiâ Calpurniâ ortus, in Æmiliam adoptione transiisse.

C. IVL. PRISCI
V. A. VI. M. X. D. VIII.
IVL. GERMANVS
ARMORVM. CVST
ET
VAL. MARCIANE
PARENTES

Hier. Rubeus hist. lib. 1. prope geminam inscriptionem Ravennæ ad sacrarium D. Apollinaris, Mazochius Romæ ad S. Stephanum in Ægypto extare scripserunt.

D. M
SPEDIAE
PANNYC Ⅎ
P. CASSIVS
VERVS
CONIVGI
PIENTISSI M

Ignotus character tertii versus, libertam credo significat.

D. M
PORTITORI PLVTO
NI. ET PROSERPIN
HAVE. IVLIA. C. FIL
MAXIMA. FELIX. DOM
TROMENT. SALON
ANIMVLA. DVLCIS
ANIMVLA. SVAVIS
ANIMVLA. IN DEoRVM
NVMERVM. RECEPTA
VNDE. TALE. QVANDO
TALE. ET. CVI. TALEM
V. A. LIX. MEN. VI. D. XII.
HOR. NOC. IX. T. SCRI.
BONIVS. BARBVLA
CONIVGI. IN CON
PARABILI. B. M. C
ET. INFRASCRIPTIS
VV. C. ARRIO. MARIN

Inſcriptio tota nectarea, ſed molliſſimæ deliciæ ridiculè in animulam ſexagenariam impenſæ. *Vnde tale, quando tale* quidquam unquam ortum, *& cui talem* conjugem habere contigit? Horatium de Auguſto in memoriam revocat,

Horat. lib. 2. ep. 1

Nil orturum alias, nil ortum tale——

Scribonia gens, Romæ plebeja imaginibus illuſtris, ex quâ Auguſto aliquando uxor. *Infraſcriptis* quoque, tunc temporis vivis, de ſepulturæ jure cautum: eorum plura fuiſſe aſcripta nomina credibile, in alio fortaſſis lapide, nam in iſto nihil ſpatii reliquum. Quæ muta præterea tum Velenburgi, tum alibi viſuntur monumenta, ex Italiâ item allata, exprimere curæ non fuit.

ANTI-

ANTIQVA
MONVMENTA
PEREGRINA

Quæ meminerunt
Augustæ,
Vindelicorum,
Rhætorum,
Legionis III. Italicæ.

I. Prope Vilthaimum.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTINAX
AVG. ARABIC. ADIABEN. PAR
THIC. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII.
IMP. XII. COS. II. P. P. PROCOS. ET. IMP
CÆS. M. AVRELIVS. ANTONINVS
PIVS. AVG. TRIB. POT. IIII. PROCOS
ET. IMP. P. SEPTIMIVS. GETA
ANTONINVS. VIAS. ET. PONTES
REST. AB. AVG. M. P. CX

Quæ ad inſcriptiones X. XI. XII. agri Auguſtani monuimus, huc etiam pertinent. Milliares lapides inter quadrageſimum tertium, & hunc centeſimum decimum, periere quinquaginta ſex; nam unius tantum, quem ego loco ſexageſimo ſexto ſtetiſſe conjicio, Parthani ſuperſunt fragmenta, ſic integritati reddenda,

IMP. *caes*
L. SEPTIM*ius. ſeuerus. pius*
PERTINAX. *aug. arabicus*
ADIAB. *parthicus. maximus*
PONTIF. *max. trib. pot. uiiii*
IMP. XII. *cos. ii. p. p. procos. et*
IMP. CA*eſar. m. aurelius. an*
TO*ninus. pius. aug. trib. pot*
iiii. procos. et. imp. p. ſeptim
geta. anton. uias. et. pontes
reſt. ab. aug. m. p. lxui

II. Dinzelavi, prope Ingolſtadium.

MERCVRIO
TEMPLVM
EX. VOTO. SVS
CEPTo. CL. AV
GVSTANVS
L. L. M

Cl. Auguſtani nomen ab urbe Auguſtâ videtur tractum.

III. Romæ

III. Romæ in ecclesia S. Ioannis ante portam Latinam extitisse, Jac. Mazochius ante annos amplius LXX. scripsit, neque tamen ibi nunc visitur. Lazius similem in ruinis Laureacensibus legi auctor est.

D. M
C. IVLIO. VETTIO
AVG. VINDELICVM. MIL
ER. LEG. VIII. AVG
VIXIT. ANN. XXIII
MILITAVIT. ANN. VI
H. F. C

C. Julius Vettius (quidam Vectium, nonnulli etiam Vehilium malunt) Augustæ Vindelicorum natus, Miles aut Frumentarius (sunt enim qui FR. legant, siquidem F. & E. litteræ valde affines) aut Eranista Legionis octavæ Augustæ fuit. Frumentarii, ait Victor in hist. Aug. Dioclet. *ad explorandum annunciandumque, qui forte in provinciis motus existerent, instituti.* Quorum postea agentes rerum simillimi fuere, eodem auctore: Jurisconsultis Agentes in rebus, Græcis Magisteriani. Eranistæ sunt lex cis symbolorum collatores, qui pecuniam conferunt ad convivia paranda, ἔρανος cœna collatitia. Præterea ἔρανος quæcumque contributio: Vnde Alciatus pecuniam Eraniam pro Herosa in Scævolâ restituit. Et mihi fit verisimile, Eranistas esse in legionibus, qui curam gerunt pecuniæ à militibus quavis de caussâ collatæ, fortasse præfectos ei, quæ sepulturæ caussâ: ait Vegetius, milites dimidium donativi apud signa sequestrare consueviſſe, & ei rei decem folles sive sacculos per singulas cohortes positos, additum dein saccum undecimum, *in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet caussâ, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa.* Etsi hæc apud signiferum deposita, nihil vetat, illi administrandæ quempiam à signifero præpositum, qui accepti & expensi rationes putaret. Occasionem sequuti, gratificabimur lectoribus parergi loco formam abaci numerarii ænei antiqui, cujus nobis amicè copiam fecit clarissimus Medicus Adolphus Occo civis noster, Hygiæ & severiorum Musarum ita cultor, ut nec elegantioris hujus litteraturæ honestæque Volupiæ contemptor. Neque enim inanis eorum, quæ ad numerorum rationes pertinent, consideratio, quando Plato in gravissimo opere scripsit, *si numerum ex humanâ naturâ eximeremus, nunquam sapientes evaderemus.*

Alcia. disputct. lib. 1. c. 25.

Veg. lib. 2. c. 20.

Plato Epinom.

Adversa ista abaci pars, XIX. foraminibus oblongis distincta, nos alveolos dicemus. Horum octo superiores, singuli singulos claviculos ductiles habent, utrimque capitatos ne excidant: Septem inferiores, claviculos quaternos habent, octavus quinque. Notæ interjectæ Θ. I. X. C. ∞. ccIↃↃ cccIↃↃↃ. IxI. Præter duplicem ordinem istum, ad dextrum latus tres etiam alveoli, quorum qui S. & ↃↃ signati, singulos, 2. duos claviculos habet: Claviculi itaque XLV. omninò, omnes mobiles. Partis aversæ eadem species, & quod pro foraminum ratione necesse, totidem alveoli, claviculi item hinc quoque capitati seu umbellati, cæterum notæ nullæ nec numeri, sed ad abaci angulos pro pediculis lunulæ quatuor, paullò magis quam claviculi extantes, quo hi scilicet liberè duci & reduci queant. Vsus, quantum datur intelligi, ut in XIV. alveolis, quibus numeri interjecti, claviculi singuli inferiorum alveolorum, tot sive asses, sive quid aliud, cujus calculus ponitur, significent, quot inter scriptus numerus; superioris alveoli claviculus unicus, uno plus quam inferiores omnes simul accepti. Exempli causâ, claviculi sub I. singuli singulos, nam I. unum est, omnes simul quatuor, superior autem quinque significat, ergo junctim novem colligunt: sit addendus decimus, reducentur isti claviculi, & primus sub X. movebitur, inde secundus, tertius, quartus, ad XL. usque, superior addet L. ut colligantur XC. In centenariis, millenariis & reliquis par ratio, cum abaci numeri per classes dispositi ad novies centena dena millia excurrant. Alveolus sub Θ quinque claviculos habet, totidem unciarum indices, superior unâ amplius, hoc est, sex uncias exprimit, ut unciæ XI. conficiantur, quibus si duodecima adjicienda explendo assi, reducentur isti, & ducetur sub I. unus. In tribus alveolis ad dextrum latus, singularis claviculus S. semunciam notat; singularis item ↃↃ. sicilicum, hoc est quartam unciæ partem, nam Demetrius Alabaldus ↃↃ. sicilici notam esse scripsit: duo demum 2. singuli duellas singulas, id est

Demet. de minutiis.

id est, tertias junciæ partes. Admonuit Cæs. Baronius, cujus summâ eruditione humanitas nihilo inferior est, ad æreas hujus generis tabulas, æreosq; sive claviculos sive calculos pertinere Nonii verba, *Aera numeri nota. Lucil. lib. XXIX. Hæc est ratio, perversa æra summa, & subducta improbè.* Videri posse, æra summa quæ in superioribus alveolis. Illustriorem etiam alium Nonii locum esse, *Aera neutri. Marc. Tull. Hortensio: Quid tu, inquam, soles, cum rationem à dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam quæ ex his confecta sit, non probare?* Hinc æram à Fausto Regiensi supputationem appellatam: quamquam tum Faustus, tum Fulgentius, Eulogius & Hispani reliqui, eo quidem à nominis analogiâ recesserint, quod æram singulari numero dixerint. Non. c. 1. Non. c. 3. Faust. de spiritu sancto.

IV. Reginoburgi.

D. M
Ꟈ. MEMORIE
MISERRIMORꟈM
VINDELICIS
ꟈARMOGENIANo
Ꟈ..... VICTORI
Ꟈ..... RE. FIL
VINDEL. SVRINVS
INFELIX. PATER. F. C

Multis hæc modis barbariem spirant. Sed nos amici, qui descripsit, fidem sequimur.

V. Romæ.

MARCO
GERMANICIANO
TI. CÆSARIS
GERMANO
NATIONE. VEIN

An hæc ad Vindeliciam pertineant non statuo, etsi antiquis frequens. EI. pro simplici I. sic *eidus. leibertas* Scrupulum injicit, quod Macer NATIONE. VEIN. TI. Cæsaris Germanus, ex Germanorum scilicet satellitio, neque enim Strabone & Ptolemæo auctoribus in Germanis Vindelici. Verum hæc principum geographorum sententia, quantumvis vera, non apud omnes obtinuit. Plinius Rhætiam, quo nomine Vindeliciam complectitur, cum Germaniâ quodammodo ex Agrippæ sententiâ conjunxit. Præterea non facilè occurrit ex Germaniâ magnâ natio alia, cujus nomen antiquum à *Vein.* sive *Vin.* sumat initium. Xiphilinus Severo, inter principis stipatores Noricos nominat, quo minus absurdum, vicinos etiam Vindelicos quandoque adhibitos.

Plin. lib. 3. c. 20.

VI. In Alpium trophæo, uti Plinius auctor est.

IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. XVII
S. P. Q. R
QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIISQVE
GENTES. ALPINÆ. OMNES
QVÆ. A. MARI. SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT
SVB. IMPERIVM. P. R. REDACTÆ. SVNT
GENTES. ALPINÆ. DEVICTÆ
TRIVMPILINI. CAMVNI. VENNONES. VENNONETES
HISARCI. BREVNI. NAVNES. FOCVNATES
VINDELICORVM. GENTES. IIII
CONSVANETES. VIRVCINATES. LICATES. CATTENATES
ABISONTES. RVGVSCI. SVANETES. COLLVCONES
BRIXENTES. LEPONTII. VIBERI. NANTVATES
SEDVNI. VERAGRI. SALASSI. ACITAVONES
MEDVLLI. VCENNI. CATVRIGES. BRIGIANI
SONTIONTII. EBRODVNTII. NEMALONI
EDENNATES. ESVBIANI. VEAMINI
GALLICÆ
TRIVLATTI. ECTINI. VERGVNNI
EGVITVRI. NEMENTVRI. ORATELLI
VERVSI. VELNANI. SVETRI

Trophæum anno verbis conditæ DCCXLVII. sive DCCXLVIII. positum, nam id ex numeris Tribunitiæ Potest. liquet, cum Rhæti & Vindelici nono decimove ante anno victi essent. Sunt qui elogium verbis, *sub imperium. p. r. redacta sunt.* comprehendi finirique existiment, at Plinii profecto mentem non assequuntur. Pleraque de Alpibus scripserat, cum sibi junxit, *non alienum videtur hoc loco subjicere inscriptionem e trophæo Alpium.* Cui fini, nisi ut Alpinarum gentium indicem daret? cum trophæis devictarum gentium nomina insculpi, rei etiam natura satis persuadeat. Quæ verò postremo loco omisimus, *Non sunt adjecta Cottianæ civitates XII. quæ non fuerant hostiles, sed item attributæ municipiis lege Pompejâ*, Planè Plinii narrantis verba censenda, neque ad elogium pertinent. Quin & ternas compellationes, quas tamen loco non demovimus, *Gentes. alpinæ. devictæ.* &, *Vindelicorum. gentes. IIII.* & *Gallicæ.* glossemata suspicor, quæ ex orâ irrepserint. Qui enim ferat candor Augustæi ævi, inanem iterationem, *Gentes. alpinæ. devictæ.* cum præcesserit, *Gentes. alpinæ. omnes quæ à. mari. supero. ad. inferum. pertinebant. sub. imperium. p. r. redactæ.* Dein, si gentes Vindelicæ & Gallicæ distinguendæ, cur Rhæticæ præteritæ? Tum quid est, quod Vindelicæ sequuntur, Gallicæ præcedunt suam compellationē, & nisi Vindelicarum numerum largiter augemus, quædam inter utrasque superant, neutro nomine comprehendendæ? Ego etiam atque etiam cogitan-

cogitandum existimo, an prorsus eliminandæ, an saltem in alium locum hæ voculæ revocandæ sint. Gentium descriptionem aggredi, non est hujus brevitatis, Scudius, Simlerus, Stumsius & Ortelius quæ præstitere, in omnium manibus & oculis,

Nec quemquam incuso, potuit quæ plurima virtus
Esse. fuit ———

Hoc dico, exactam ne speres, non si quidquid hodie geographorum & antiquariorum est, conspiret.

VII. Floriani, in agro Veronensi.

Q. CAICILIO. CISIACO
SEPTICIO. PICAI
CAICILIANO
PROCVR. AVGVSTOR. ET PROLEG
PROVINCIAE. RAITIAE. ET. VINDELIC
ET. VALLIS. POENIN
AVGVRI FLAMINI. DIVI AVG
ET. ROMAE
C. LIGVRIVS. L. F
VOL. ASPER
7. COH. I. CR. INGENVOR

Illis, quæ libro VI. disputavi, addo, Romæ nomen aliis Augusto præponi, sic infra est de Valerio Mariano, FLAMINI. ROM. ET. AVG.

VIII. In promontorio Cajetano.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. CENS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVL. TRIVMP. EX. RÆTIS. ÆDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANIBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

Mausoleum, cui elogium inscriptum, copiosè descripsit Pighius in Hercule Prodicio. Munatii consulatus & Censura multorum auctorum scriptis illustres; triumphus etiam, quamquam hunc ex Galliâ actum consentiunt, cujus rei causas libro II. aperuimus, & ne quis hæreat scrupulus, locuples auctor est ipse Plancus, Gallos sui Proconsulatus tempore quietos egisse, quippe qui ad S. P. Q. R. scribat, se habere *provinciam omnium civitatum consensu paratissimam, & summâ contentione ad officia certantem;* Rhætos captatâ occasione civilium bellorum, excursionibus Galliam infestasse, eo verisimile est, quod hunc in omnes vicinos morem genti fuisse Strabo significat, & mihi idem Plancus innuere videtur, ad Ciceronem scribens, *Interim maximâ hîc solicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia, hæ gentes nostra mala suam*

suam putent occasionem. Ob Rhætos ergo in Galliâ cæsos Imperator dictus, triumphavit. Imperator secundùm quo tempore quave de causâ, non repe-
Ap. Civ. lib. 5. rio. Nam quod Appianus Plancum bello Perusino legionem Cæsarianam, quæ Romam peteret, in itinere concidisse prodit, nequaquam existimo ex tam invidiosâ victoriâ titulos quæsitos, aut si qui quæsiti, confecto bello, Cæsare
Dio lib. 48 victore retentos. Absterrêre poterat ab ambitione plenâ periculi exemplum in Nursinos editum, à Dione memoriæ consignatum, *cum eos, qui in prælio (conflixerát enim cum Cæsare) ceciderant, sepelientes, eorum monumentis inscriberent pugnantes eos pro libertate occubuisse, tanta ab eis mulctæ nomine exacta est pecunia, ut urbe agroque omni cesserint.* Epulones antiquitus Epolonos dictos Festus auctor, datumque *his nomen, quod epulas indicendi Iovi Iunoniique Diis potestatem haberent.* Ædem Saturni à Planco factam,
Suet. Octav. c. 29. Vel. de orthogr. apud Suetonium est. In MANIBVS. producta I. se æquiparat duabus divisim scribendis, quod Lipsius annotavit. Velius Longus, C. Cæsarem Manibias per I. scripsisse, Augustum per V. Manubias, & utriusque inscriptiones testes citat; hæc etsi Augusti non est, sub Augusto tamen posita, Manibias habet. Lugudunum pro Lugduno antiqua scriptio, quam in M. Antonii nummis vi-
Dio lib. 46 demus, cujusque Dio meminit, qui causam deducendæ coloniæ explicat. Raurica multis post annis Augusto nomine aucta, nam quo tempore Plancus Galliæ præfuit, Anno DCCXI. id necdum Octavio accesserat. Cæterum hoc genus exemplis persuadeor, privatis nostris Annalibus non invitus assentire, Augustam, quæ nimirum Vindelicorum princeps urbs esset, primitus Vindelicam purè appellatam.

IX. Magontiaci.

ATTIO. LANI. F
MONTANVS
MIL. COH. RAITORVM
ANNORVM. XLV
STIP. XIX.
H. S. E

Astat in lapide Attio militari habitu, dextrâ scuto oblongo impositâ, sinistrâ bina tenens hastilia. Rhætorum simplicia nomina fuisse sentio, MONTANVS ad patriam pertinere cognominis loco post patris nomen positum, eâ formulâ, quam ex basi antiquâ in Mediceis hortis Romæ exscripsi,

SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F.
PARTHVS
RHODASPES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F.
PARTHVS

Strab. lib. 16. Lipsi. in 2. An. Tac. Strabo Phraatis filios Augusto obsides datos Saraspadem, Ceropasdem, Phraanam & Boonem nominat, quorum postremos Lipsius in Phraatem & Vononem reformat, rectè, nos jam hinc priores in Seraspadanem & Rhodaspem. Atque hæc præter rem monuisse fraudi non erit.

X. Messa-

X. Messanæ.

L. BAEBIVS. L. F
GAL. IVNCINVS
PRÆF. FABR. PRÆF
COH. IIII. RÆTORVM
TRIB. MILIT. LEG. XXII.
DEIOTARIANÆ
PRÆF. ALÆ. ASTYRVM
PRÆF. VEHICVLORVM
IVRIDICVS. ÆGYPTI

Cohors quarta Rhætorum describitur in Notitia, sub Duce Armeniæ Analibæ. Legionis Dejotarianæ nescio an alibi nomen extet: Certum autem habeo, alteram esse ex duabus, quas Dejotarus disciplinâ atque armaturâ Romanâ constitutas habebat, ut est in Commentario belli Alexandrini. Vna videtur cæsa prœlio, quo Pharnaces Domitium vicit, & quo *Pontică legione pene totâ amissâ, magnâ parte Dejotari militum interfectâ, tricesima sexta legio in loca se superiora contulit.* Hinc est, quod cum Cæsar Dejotarum in gratiam reciperet, non nisi unius legionis facta mentio, *Legionem autem, quam ex genere civium suorum Dejotarus naturâ disciplinaque nostra constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit.* Præfectus vehiculorum, qui cursui vehiculari præpositus, cujus Jurisconsultorum libri meminere: Vti & Juridici Ægypti, quem Alexandriæ Juridicum appellant.

Dig. lib. 50 tit. 4. lib. 18 Dig. lib. 1. tit. 20. l. 2. Cod. lib. 1. tit. 53. l. unic.

XI. Romæ in S. Blasio de pagnottâ.

DIS. MANIBVS
FOSSIÆ. GNOMÊ
L. VICIDIVS. L. F. CAM
PRÆSENS. RAVEN
E. COH. VI. R
MATRI. PIENTISSIMÆ

An hîc Cohors sexta Rhætorum significetur, dubitare possumus.

XII. Pæto.

XII. Pœtovione.

T. VARIO. CLEMENTI
PROC. PROVINCIARVM
BELGICÆ. GERMANIÆ. SVPERIORIS
GERMANIÆ. INFERIORIS. RÆTIÆ
MAVRETANIÆ. CAESARIENS. LVSITANIÆ
CILICIAE. PRAEF. EQ. ALAE. BRITAN
NIC. MILIAR. PRAEF. AVXILIORVM
IN. MAVRETANIAM. TINGITANAM
EX. HISPANIA. MISSORVM. PRAEF. EQ
AL. II. PANNONIOR. TRIB. MIL. LEG. XXX. V.
PRAEF. COH. II. GALLORVM. MACEDONICAE
CIVES. ROMANI
EX. ITALIA. ET. ALIIS. PROVINCIIS
IN. RÆTIA. CONSISTENTES

Quo tempore Varius Rhætiæ Procuratorem egiſſe, & quæ Tingitana hæc expeditio fuiſſe videatur, diximus libro VI.
Nam Vetus conjectura de Antonini, & Veri ævo non placet, quod iis Imperatoribus res contra Mauros in Hiſpaniâ, non in Tingitaniâ geſtæ. Ala miliaria à numero equi tum circiter mille, ſic apud Vegetium cohors miliaria, *habet pedites mille centum quinque.* Cives Romani ex Italiâ & aliis provinciis in Rhætiâ conſiſtentes negotiorum cauſsâ, diverſi à Colonis.

Veg. lib. 2. c. 6.

XIII. In Valeriæ agro.

T. VARIO. CLEMENTI
PROC. PROVINC. BELGICAE
ET. VTRIVSQ. GERMANIAE
RÆTIAE. MAVRETANIAE. CAESAR
LVSITANIAE. CILICIAE
PRAEF. EQ. ALAE. BRITAN. MILIAR. ET
II. PANNONIORVM. TRIBVNO. MIL
LEG. XXX. VLPIAE
CIVES. ROMANI
EX. ITALIA. ET ALIIS. PROVINCIIS
IN. PANNONIA. CONSISTENTES.

Aut ego cæcus, aut parum ii perſpicaces, qui Varium Pannoniæ Præſidem hinc auſi aſſerere.

XIV. Cele-

XIV. Celejæ.

T. VARIO. T. FIL
CLEMENTI. CL. CEL
PROC. AVG. PROVINCIAR
RÆTIÆ. MAVRITAN
CAESARIENSIS. LVSITANIAE
CILICIAE
PRAEF. AL. BRITANNICÆ. MILIAR
PRAEF. AVXILIARIORVM. TEMPORE
EXPEDITIONIS. IN. TINGITANIAM. MISSORVM
PRÆF. ALÆ. II. PANNONIORVM
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRÆF. COH. II
GALLORVM. MACEDON
VALERIVS. VRBANVS
LICIN. SECVNDINVS
DECVRIONES
ALAR. PROVINC
MAVRETAN. CAESARIENSIS

Claudia Celeja Vario patria. Meminit Celejæ in Noricis Plinius, quæ tamen Pannoniæ Verius. Pleraque marmora municipium appellant, unum quoddam coloniam, si Panvinio fides. Claudium prænomen, à Divo Claudio opinor accrevit, eo modo, quo Aelium Augustæ ab Hadriano, & fortassis Julium ab Octaviano. Plures visuntur lapides, in quibus CL. CEL. id qui Claudiam tribum, Celejam patriam interpretantur, non vident tribum ante cognomen poni consuevisse, Q. SVLPITIVS. Q. F. LEMONIA. RVFVS. Est etiam in lapide DEC. CL. CEL. Decurio Claudiæ Celeiæ.

XV. Græcii, quod fortasse Graicum.

T. VARIO. CLEMENTI
AB. EPISTVLIS. AVGVSTOR
PROC. PROVINCIAR. BELGICAE
ET. VTRIVSQ. GERM. RAETIAE. MAVRET
CAESARIENS. LVSITANIAE. CILICIAE
PRAEF. EQVIT. ALAE. BRITANNICAE
MILIAR. PRAEF. AVXILIORVM. IN. MAVRET
TINGITAN. EX. HISPANIA. MISSORVM
PRAEF. EQVIT. AL. II. PANNONIOR
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRAEF. COH. II
GALLORVM. MACEDONICAE
CIVITAS. TREVERORVM
PRAESIDI. OPTIMO

Cur hi tituli Celejæ, vicinisq; circum Pannoniæ locis positi, potius quam ubi Varius honores gessit, & ii qui posuere degebant, causa una est, quod in patriâ & apud suos inclarescere omnes magni æstimant.

XVI. Fuziazi Styriæ ſive Valeriæ.

L. COMINIVS. L. M. L. NATIRA
L. PHILOSTRATVS. L. L. V. F
SIBI. ET. SVIS. L. L. L. CILO
L. L. L. RAETVS. L. L. L. PRIN
CEPS. COMINIA. L. L. L. VRBANA
L. L. L. GALATA. *l. l. l*

Rhæti nomen hîc liberti proprium, à gente tractum eſt. Totius autem inſcriptionis hæc complexio: L. Cominius Natira Lucii & Marci libertus, & L. Philoſtratus Lucii libertus, Vivi fecerunt ſibi & ſuis libertis libertabus, quorum nomina ſubſcripta, L. Cilo duorum Luciorum, Cominii ſcilicet & Philoſtrati libertus, L. item Rhætus duorum Luciorum libertus, Princeps Cominia, Vrbana, & Galata, ſingulæ duorum Luciorum libertæ.

XVII. Romæ in Capitolio, columella rotunda.
NOMINA. LEG

II. AVG*uſta*	I. ADIVT*rix*	IIII. SCYTH*ica*
VI. VICT*rix*	IIII. FLAV*ia*	XVI. FLAV*ia*
XX. VICT*rix*	VII. CLAVD*ia*	VI. FERRA*ta*
VIII. AVG*uſta*	I. ITALIC*a*	X. FRETE*nſis*
XXII. PRIM*igenia*	V. MACED*onica*	III. CYREN*eica*
I. MINER*via*	XI. CLAVD*ia*	II. TRAI*ana*
XXX. VLP*ia*	XIIII. GEM*ina*	III. AVG*uſta*
I. ADIVT*rix*	XII. FVLM*inatrix*	VII. GEM*ina*
XIII. GEM*ina*	III. GALLIC*a*	III. ITALIC*a*
I. PARTH*ica*	II. PARTH*ica*	III. PARTH*ica*

Qui ſequitur legionum catalogus, trium numero auctior eſt.

XVIII. Romæ apud Maffeos, columella itidem.
NOMINA. LEG.

II. AVG*uſta*	II. ADIVT*rix*	IIII. SCYTH*ica*
VI. VICTR*ix*	IIII. FLAV*ia*	XVI. FLAV*ia*
XX. VICTR*ix*	VII. CLAVD*ia*	VI. FERRA*ta*
VIII. AVG*uſta*	I. ITALIC*a*	X. FRETE*nſis*
XXII. PRIM*igenia*	V. MACED*onica*	III. CYREN*eica*
I. MINER*via*	XI. CLAVD*ia*	II. TRAIAN*a*
XXX. VLP*ia*	XIII. GEM*ina*	III. AVG*uſta*
I. ADIVT*rix*	XII. FVLM*inatrix*	VII. GEM*ina*
X. GEM*ina*	XV. APOL*linaris*	II. ITALIC*a*
XIIII. GEM*ina*	III. GALLIC*a*	III. ITALIC*a*
I. PARTHIC*a*	II. PARTHIC*a*	III. PARTHIC*a*

Panv. Reip. Rom. lib. 3

Panvinius haſce ſub Alexandro Imp. per limites fuiſſe diſpoſitas, opinatur. Ego reliquas prætereo, Italicam tertiam à M. Antonino in Rhætiâ conſtitutam dixi libro VI.

XIX. Bri-

XIX. Brigantii repertum.

IN. H. DD
DEO. MERCVRIO
ARCECIO. EX. VO
TO. ÆRAM. POSVIT
SEVERIVS. SEVE
RIANVS. SVB. COS
LEG. III. ITAL. F
GORDIAN
BE. CO
S. L

An Arcecius à malis arcendis, quomodo Dii depulsores? Hoc ut aliis placeat, mihi valde displicet. Sed & plura in postremâ inscriptione sunt, quæ non nisi per nebulam dispicio.

XX. Romæ.

D. M
GN. POMPEIO. POMPEIANO
EQVO. PVBLICO. TRIBVNO. LEGIONIS
III. ITALICAE. PRAEFECTO. COHORTIS
AFRORVM. IN. DACIAM
POMPEIA. CLEOBVLA. ET. CLEOPATRA
FRATRI. KARISSIMO

Meminit equitum equo publico Cicero in Philippicis; illis equum à Censoribus assignatum appâret ex Livio. In Daciam (ut lapis sit habeat) antiquè, pro In Dacia, si in lege Agrariâ, ager IN. TERRAM. ITALIAM. Cic. Phil. 6.

XXI. Inter Bauzanum & Tridentum.

C. VALERIO. C. F
PAP. MARIANO
HONORES. OMNES
ADEPTO. TRIDENT
FLAMINI. ROM. ET. AVG
PRÆF. QVINQ. AVGVR
ADLECTO. ANNON. LEG. III
ITALIC. SODALI. SACROR
TVSCVLANOR. IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID
DECVRIONI. BRIXIÆ
CVRATORI. REIP. MANT
EQVO. PVBL. PRÆF. FABR
PATRONO. COLON
PVBLICE

Romæ & Augusti templum VI. urbis regione habet Rufus. Quinquennales, Censores fuisse diximus libro V. & opinionem minus vulgatam rationibus firmavimus. Annonarius ex vi verbi, qui legionis annonam procurat. Est apud Jurisconsultos Annonaria causa, Annonarius titulus, Annonaria collatio, Annonaria ratio & præfectura.

XXII. Romæ opinor.

C N. L A V D I V S. C N. F
F A L. T H A L L V S
M I L. C O H. X. P R
Ƨ. L I M I. I T E M. T E S S E
R A R I V S. I N. L E G. III
I T A L I C A. A N. VI. T R A
I E C T V S. I N. C O H. XI. P R
Ƨ. P. S A T R I. Q V I. M I L
A N N. XXIIII. V I X. A N N
XLII. H. F. C.

Miles cohortis X. Prætoriæ, Centuriâ Limi. Et Tesserarius legionis tertiæ Ital. (tesserarii qui tesseram, hoc est, ducis præceptum per contubernia nunciant, Vegetio & Plutarcho) demum trajectus in Coh. XI. Præt. Centuriâ P. Satri.

XXIII. Abudiaci ad Danubium.

I. O. M. S T A T O R I
.....
L E G. III. I T A. ΛQ E V E R
S V S. A B. E X P E D I T. B V R I C A
E X. V O T O
P O S V I T

Tac. de mor. germ. Miles reversus ab expeditione Buricâ. Tacitus, *Nec minus valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii: terga Marcomannorum Quadorumque claudunt. è quibus Marsigni & Burii sermone cultuque Suevos referunt.* Buros Ptolemæus nominat, uti Capitolinus, nam numerat inter gentes, qui bello Marcomannico contra M. Antoninum conspiravere, ut jam obscurum esse non possit, quo hæc inscriptio referenda. Buri aut Burri inter socios Trajani bello Dacico apud Dionem, & in Theodosii ex Dione Excerptis, quæ Leunclavius vulgavit, proditum, Buris pacem à Commodo concessam, cum antea sæpius rogatus negasset, *tum quod vires eis adhuc essent, tum quod non pacem, sed laxamentum ad faciundos apparatus consequi volebant.* Porro secundum versum omittere satius duximus, quam imperiti exscriptoris ineptias reddere.

XXIV. Celejæ.

SECCIVS. SECVNDIN. VET
LEG. III. ITAL. PETEIVLA. SEVERIO
CONI. EIVS. SIBI. ET. SECCIÆ
SECVNDINAE. FIL. ET. MARIIS
MAXIMO. ET. SECVNDO. NEPOTIBVS
SVIS. VIVI. FECERVNT. ET
IVL. APRICIO. FIL.
MIL. LEG. SS. B F. PRAEF
STIPEN. VI. Θ. AN. XXV

Reliquis, quorum ascripta nomina vivis, solus Apricius, stipendiorum sex, obierat anno ætatis vigesimo quinto. Sunt verò qui LEG. II. ITAL. hîc legant.

Has etiam rerum Vindelicarum Rhæticarum, quæ à Panvinio & Golzio collectas assulas, visum asservare, & posterorum memoriæ transmittere. Sed prænoneo, ut neutrius fidem accuso; ita cum quid ex istis frustulis producitur, cujus aliunde auctoritas non constat, assensum consuevi sustinere, quippe qui perspectum habeam, cum Panvinium tum Golzium, litteras, non semper ad marmoris exemplar reddidisse, sed supplesse interdū, & explicasse ex ingenio verba contractius per compendium scripta. Cui instituto si tantillum audaciæ accedat, magno antiquæ puritatis periculo fiat necesse est.

COLONIA. AVGVSTA. VINDELICORVM I.

Habet Panvinius Comment. Reip Rom. lib. III. ex lapide veteri. Suspitor designare monimentum C. Julii Vettii, in quo AVG. VINDELICVM. Colonia non ascriptâ.

COL. AVGVSTA. VINDELICOR II.

Golzius in thesauro rei antiquariæ cap. XVIII. ex Tiberii nummo. Subdubito, an eum notet, quem nos libro V. expressimus, Tiberii nomen, & Augustæ symbolum, pini conum, currui triumphali impositum præferentem. At epigraphe neq; coloniæ neq; Augustæ meminit.

LEG. X. VINDELICOR. VICTRIX III.

Golzius cap. VII. ex vetustâ inscriptione. Ptolemæus in Pannoniâ Legionem X. Germanicam posuit. Ant. in itinerario Geminam dixit, atque inter Vindebonam & Commagenas statuit. Indico, si cui credibile, videatur primas Vindebonæ litteras in Vindelicos abiisse.

AVXILIA. VINDELICORVM IV.

Golzius cap. VI. ex vet. inscript. Notitia habet sub dispositione Magistri militum præsentalis orientis, inter Auxilia Palatina VINDICES. qui Alciato & Sconhovio VINDELICI.

COH. XXIIII. VINDELICORVM. IN. PHRYGIA V.

Golzius cap. VIII. ex vet inscript. Cohortes Vindelicorum Tacitus semel nominat, loco quem nos libro V. adduximus. Tac. An. 2.

COLONIA. AVGVSTA. RHETORVM VI.

Panvinius libro III. ex vetusto lapide. Vereor, ne alienâ fide scripserit; nam V. per Rhætiam Colonias statuit, Augustam Quintanorum, Augustam Tiberii, Augustam Rhetorum (Rhætorum rectius) Constantiam & Curiam, unam in Vindelicià Augustam Vindelicorum, & singulas lapidum auctoritate confirmat, cum mihi, mirum, haud indiligenter hæc vestiganti, nullum unquam marmor, nummus nullus, aut marmoris omnino nummive descriptio occurrerit, cujus fide vel unam ex tot coloniis turò liceret asserere. Nam de Augustâ

Vindelicorum, quæ Rhætorum eadem, aliunde constitit, uti libro III. multis exequuti sumus; simul Taciti testimonio tunc planum fecimus, ad ejus usque ætatem, aliam præterea coloniam in provinciâ non fuisse, ne quis quatuor aut quinque Augustas (Aventinus Augustam Aciliam addidit) somniet.

VII. COL. AVGVSTA. RHAETORVM

Golzius cap. XVIII. ex Tiberii nummo. Aperio quid. nescio quam verè, verisimiliter sentio. Hic ipse Golzius auctor, extare Tiberii nummos à tergo COL. AVGVSTA. PRAETOR. inscriptos, horum aliquis rubigine exesus, conjectorem audacem impellere potuit, ut parum mutatis primis litteris vetustate fugientibus, RHÆTOR. substitueret; suspicioni viam munit R. litteræ asperatio, quod scilicet extritis duabus in PRAET. simplex R. spatium non explere videretur.

VIII. LEG. VI. GEM. RHAETICOR.

Golzius cap. VII. ex vet. inscript. Nullum hujus legionis vestigium invenio. Arin Mœsiâ superiori est Anton. Ratiaria, Ptolemæo Rætiaria aut Rhætiaria: Ibi Ant. Leg. Gem. constituit, sed numeros XIIII. ascribit. Cogitandum tamen, an ad hujuscemodi scopulum impegerit Golzius. Extat in Justiniani codice rescriptum Diocletiani & Maximiani Impp. Retiariæ datum, cujus me commodum admonuit clarissimus Jurisconsultus, Pancirolus, commentario in Notitiam nuper edito, quod mihi sub ipsum lucubrationum finem videre, & nominis mei memoriam in eo aliquoties amicè cohonestatam, observare contigit.

Cod. lib. 6. tit. 5 8. l. 3.

IX. COH. VI. RAITORVM

Golzius cap. VIII. ex vet. inscript. Meminit Tacitus Rhæticarum cohortium bis. Et in Notitia est sub dispositione Rhætiarum Ducis, Cohors VI. Valeria Rhætorum, item in Vicidii lapide COH. VI. R

Tac. Annal. 2. hist. 1.

X. ANNONA. LEG. III. ITALICAE

Golzius cap. VI. ex vet. inscript. Puto ex elogio C. Valerii Mariani, in quo est, ANNON. LEG. III. ITALIC. nos Annonarium sententiâ ita volente interpretabamur.

LITTERÆ SINGVLARES, ET DICTIONES CONCISE SCRIPTÆ, EXPLICATÆ.

A *Aulus. anni.*
ADIAB. *Adiabenicus.*
AEL. *Aelius.*
AEL. AVG. *Aelia Augusta.*
AL. *Ala.*
AN. *Anni.*
ANN. *Anni.*
ANNON. *Annonarius.*
ANTON. *Antoninus.*
ATILI. *Atilia.*
AVG. *Augusta. Augustus. Augustalis.*
ARAB. *Arabicus.*
AVL. *Aulus.*
AVR. *Aurelia. Aurelius.*
AVREL. *Aurelius.*
BE. CO. fort. *Beneficiarius Consulis.*
BF. COS. *Beneficiarius Consulis.*
B. M. *Benemerenti.*
BF. PRAEF. *Beneficiarius Præfecti.*
C. *Cajus.*
7. *Centuria.*
CAES. *Cæsar.*
CAM. *Camilia* sive *Camillina* tribu.
CAMB. *Camboduno.*
CAT. N. fort. *Catalus natione.*
CENS. *Censor.*
CL. *Claudius. Claudia.*
CL. CA. Ignoro.
COH. *Cohors. Cohortis.*
COLON. *Colonia.*
CONI. *Conjux.*
COS. *Consul. Consulibus.*
COS. DESIGN. *Consul designatus.*
CR. fort. *Cretensium.*
CV. *Curator.*
CVST *Custos.*
D. *Dies.*
DD. NN. AVGG. IMPP. *Dominorum*

norum noſtrorum Auguſtorum Imperatorum.

DD. *Dedicatum. Dedicavit. Dedicarunt.* Item *Decurionum Decreto.*

DEC. MVN. *Decurio Municipii.*

D.I.M. *Dis inferis manibus.*

D.M. *Dis manibus.* fort. etiam, *Decurio municipii.*

D.M.S. *Dis manibus ſacrum.*

DOM. TROMENT. SALON. fort. *Domo Troment. Saloniana.* Saloniana Dalmatiæ urbs Ptol. De Troment. quid dicam non habeo, ne tribum interpreter, impedior quod hanc Romani ſemper ante cognomen ſcripsêre, neque opinor feminarum nominibus addidêre.

D.S.P.V.I.S.L.M. *De ſua pecunia votam jam ſoluit lubens merito.* Aut, *illis ſolvit lubens merito.*

EQ. *Eques. Equites.*

EQ. AL. *Eques alæ*, aut, *alaris.*

ER. *Eraniſta*, opinor.

EX. BF. COS. *Exbeneficiariis Conſulis.*

F. *Filius, filia.*

FAL. *Falerina* tribu.

F.C. *Fieri curavit.*

FEL. *Felix.*

F.I. *Fieri juſſit.*

FIL. *Filius.*

FL. *Flavius.*

GAL. *Galeria* tribu.

GERM. *Germanicus.*

HADR. *Hadriani.*

HER. *Heres, heredes.*

HERED. *Heredes.*

H.F.C. *Heres fieri curavit.*

HOR. NOC. *Horas noctis.*

H.S.E. *Hic ſitus eſt.*

I. *Prima*, cohors.

II. *Secunda. Secundum.*

III. *Tertium.*

IIII. *Quartum.*

IIII. VIRALIS. *Quatuorviralis.*

IIIII. VIR. AVG. *Sexvir Auguſtalis.*

HS. Seſtertii nota.

INCOLVM. *Incolumitate.*

IN.D.H.H. *In Dei hujus honorem.*

ING. fort. *Ingenuus*, aut, *Ingilianus.*

IN.H.DD. *In honorem dedicatum.*

INHDD. Idem.

IMP.CAES. *Imperator Cæſar.*

I.O.M. *Jovi optimo maximo.*

ITAL. *Italica*, legio, *Italico*, militi.

IVL. *Iulius, Iulia.*

KAL. *Kalendæ.*

KLENDS.IAN. *Kalendas Ianuarii.*

L. *Lucius, Legio, Latus, Lubens*, in numeris *quinquaginta.*

LEG. *Legio, Legatus.*

LEG. AVG. PR. PR. *Legatus Auguſti Pro Pratore.*

L.D.D.D. *Locus datus Decurionum decreto.*

L.D.S. *Locum de ſuo. Lubens de ſuo.*

LEG. III. ITAL. *Legio tertia Italica.*

LIB. *Liberta.*

L.M.L. *Lucii & Marci libertus.*

L.L.L. *Luciorum duorum libertus*, aut, *liberta.*

L.L.M. *Lubentes merito.* aut, *Latus lubens merito.*

M. *Marcus, Menſis, Miles.*

M E. *Memoriæ.*

MEN. *Menſes.*

M.H.M. *Miſſo honeſta miſſione.*

MIL. *Miles. Militavit.*

MIL. ITAL. *Militi Italico.*

MILIAR. *Miliaria* ala.

MIRPA. Ignotum, niſi nomen proprium ſit.

M.P. *Millia paſſuum.*

MVL. VP. *Multis victoriis potito.* Neque placet, neq; melius ad manus quidquam eſt.

MVNIC. *Municipium. Municeps.*

N. *Noſter. Noſtri. Nepos. Natione. Nummi.*

NEG. *Negotiator.*

NEGOT. Idem.

NEP. *Nepos.*

N.I.F.L. Non liquet.

N.SVR. *Natione Surus.*

Θ. *Obiit.*

P. *Publicus.*

PACON. *Paconius.*

PAP. *Papia* tribu.

PARTH. MAX. *Parthicus maximus.*

P.C. *Poni curavit.*

P.L.L. *Poſuerunt lubentes. Poſuit latus lubens.*

POM. *Pomptinâ* tribu.

POMP. fort. *Pompejus, Pompilius*, aut, *Pomponius.*

PONT. *Pontifex.*

PONTIF. MAX. *Pontifex maximus.*

P.P. *Pater Patriæ. Procurator Provinciæ.*

PRAEF. FABR. *Præfectus fabrûm.*

PRAEF. QVINQ. *Præfectus Quinquennalis.*

PROCOS. *Proconſul.*

PROC. *Procurator.*

PROCVR. Idem.

PRINC. *Princeps.*

PROLEG. *Prolegato*, aut *Prolegatus.*
PRON. *Pronepos.*
Q. *Quintus.*
QVIN. *Quinquennalis.*
R. fort. *Ratorum* cohors.
RAVEN. *Ravenna.*
REIP. *Reipublicæ.*
REST. *Restituerunt.*
ROM. ET. AVG. *Romæ & Augusti.*
S. *Solvit.*
SECVRIT. *Securitati.*
SEPT. SEV. *Septimius Severus.*
SEPTIM. *Septimius.*
SEXT. *Sextus.*
SIGN. *Signum.*
S. P. Q. R *Senatus populusq; Romanus.*
SS. *Supraſcriptæ* legionis. *ſibi ſuis.*
SS. Seſtertii nota.
STA. ignotum.
STIP. *Stipendiorum.*
S. T. T. L. *Sit tibi terra levis.*
SVB. CŌS. obſcurum.
T. *Titus, Tribunus.*
TEMP. *Templum.*
TEST. *Teſtamentum.*
TIB. *Tiberius.*
TREVER. *Treverenſis.*
TR. P. *Tribunitiâ poteſtate.*
TRIB. POT. Idem.
TRID. *Tridenti.*
TRIVMP. *Triumphavit.*
T. VX. S. M. P. F. *Titulum uxor ſuo marito poni fecit.* Etſi animo meō non ſatisfacit.
V. In numeris, *quinque, quintum.*
V. *Vlpia* legio.
V. A. *Vixit annis.*
VAL. *Valeria.*
V. CL. *Vir clariſſimus.*
VE. *Veteranus.*
VEIN. fort. *Veindelico.*
VET. *Veteranus.*
V. F. *Vivus fecit. Vivi fecerunt.*
V. ID. *Quinto Idus.*
VII. VIR. EPVL. *Septemvir Epulonum.*
VINDEL. *Vindelicus.*
VIX. *Vixit.*
VLP. *Vlpia* legio.
VOL. *Voltinâ tribu.*
V. P. *Vivus poſuit.*
V. S. L. M. *Votum ſolvit lubens merito.*
V. S. L. L. M. *Votum ſolverunt lubentes merito*, aut, *Votum ſolvit latus lubens merito.* Plautus Stycho, *Salſipotenti* &c. *Latus lubens laudes ago & grates gratiasq; habeo.*
V. S. P. L. L. M. *Votum ſolvit publicè latus lubens merito.*
VV. *Vivis.*
X. In numeris *Decem.*
XV. VIR. SACR. FAC. *Quindecimvir ſacrisfaciundis.*

CON-

CONVERSIO
ET
PASSIO
SS. Martyrum
AFRÆ, HILARIÆ, DIGNÆ,
EUNOMIÆ, EUTROPIÆ,
QUÆ
AUGUSTÆ VINDELICORUM
PASSÆ SUNT.
CUM
MARCI VELSERI
COMMENTARIO.

Clemens Rom. Apoſt. Conſtit. lib. 5. c. 7.

De martyribus verò prȩcipimus vobis, ut in omni honore ſint apud vos.

LECTORI. S.

QUIS cultus ſanctis tutelaribus debeatur, optimè expreſsit D. Maximus Taurinenſis Epiſcopus : qui non multo poſt D. Ambroſium vixit, cujusque plurimæ lucubrationes aliquando Ambroſii nomine cenſæ ſunt. Et ſi autem ſententiam verbis non breviſſimis comprehenderit, operæ pretium tamen erit locum integrum, quatenus huc facit, exſcribere. Ait itque, Cum omnium ſanctorum martyrum, fratres, devotiſſimè natalem celebrare debemus, tum præcipuè eorum ſolennitas tota nobis veneratione curanda eſt, qui in noſtris domiciliis proprium ſanguinem profuderunt. Nam licet univerſi ſancti ubique ſint, ſpecialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non ſibi tantum patitur, ſed & civibus. Sibi patitur ad requiem, civibus ad ſalutem. Exemplo enim eorum didicimus Chriſto credere : didicimus contumeliis vitam æternam quærere : didicimus mortem non timere. Videte ergo, quid martyribus debeamus ; in quo alter tortus eſt, ut alter ſalvaretur. Alter carnificem pertulit, ut alter Chriſtum agnoſceret. Alter morti addictus eſt, ut alius vita potiretur æterna. Et ad poſtremum, ſanctus occiſus eſt, ut peccator evaderet : Beati igitur martyres nec ſibi vixerunt, nec ſibi mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene vivendo, converſationis ; tolerando fortiter, paſſionis. Nam ideo Dominus, per totum mundum, diverſis in locis, pati martyres voluit, ut tanquàm idonei teſtes, nos præſenti quodam fidei exemplo ſuæ confeſſionis, urgerent : ut humana fragilitas, quæ prædicationi dominicæ, aditu longiore vix credit, vel præſenti oculorum teſtimonio, martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres devotiſſimè percolendi ſunt : ſed ſpecialiter ij venerandi ſunt à nobis, quorum reliquias poſſidemus. Illi enim nos oratione adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt. Semper enim nobiſcum ſunt : nobiſcum morantur : hoc eſt, & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic, ne peccatorum

Serm. de nat. ſſ. Octavii Advent. & Solut.

nos labes abſumat : ibi, ne inferni horror invadat. *Huic ſententiæ, quiſquis probè erga pietatem affectus, libens ſubſcribet. Majores certè noſtri, homines antiquè boni, qui rectè facere, quam contentiosè de rebus ſacris diſputare prius ducerent, eam præclaro exemplo confirmarunt. Relatum eſt enim in annales, Henricum Imp. quem* IV. *dicunt, ab Hermanno Auguſtano epiſcopo partem corporis ſanctæ Afræ expetiiſſe, eccleſiæ, quam Spiræ Nemetum condiderat, inferendam. Nemo dubitabat, quin precibus ejus, qui cogere poſſet, & vero etiam ſoleret, parendum eſſet ; quam parciſſimè tamen faciendum exiſtimabant omnes. Accedit igitur ad ſepulchrum martyris epiſcopus ; reſerat loculum ; illa, qua par fuit, religione, unum ex pollice pedis aufert articulum. Hunc publicè prius oſtenſum, magni muneris loco Imperatori transmittit. Cives interea, qui chariſſimo pignori timerent, baſilicam inſedere frequentes, fores etiam armati obſervavere, ne plus quam conſtitutum erat, aſportaretur. Eo tunc ardore in Deum, & in ſanctos, quos Dei amicos eſſe ſcirent, ferebantur. Ut res ſuas privatim tanta diligentia nullus, quanta ſacras reliquias publicè aſſervarent univerſi. Quod etiam privatim, & publicè bene vertit. Rideant hæc, qui omnia rident. Mihi certum eſt laudatiſſimis veſtigiis inſiſtere. Et quando optimis martyribus aliud obſequij genus nunc præſtare non licet, veterem hiſtoriam, qua potui ratione illuſtrandam ſumpſi. Exemplum, quod fidiſſimum videbatur, ſequutus. Nam à diverſis deſcriptoribus aliud atque aliud habemus : Ut tamen verba, & hæc modicè, non res diſſentiant. Auguſtæ Vind.*



[1]INCIPIT [2]CONVERSIO [3]SANCTÆ [4]AFRÆ, [5]& puellarum ejus.

[6]APUD provinciam Rætiam, [7]in civitatem Augustam [8] Narcissus [9] episcopus veniens, [10] tempore, quo persecutio Diocletiani fervebat, nesciens quo intraret [11] profugus, ad mulierem quandam ingressus est, nomine Afram, [12] cum diacono suo [13] Felice. Illa autem, videns honestos viros, existimans adventores impudicos, parat cœnam, & omnia, quæ solito more, cum tribus puellis, [14] parare amatoribus consueverat. Episcopus autem, veniens ut cibum caperet, [15] orare cœpit, & psallere. Afra autem, quia nunquam hæc audierat, stupefacta cœpit inquirere, quis esset. Et [16] ediscens hunc esse Christianorum episcopum, [17] procidit ante pedes ejus, dicens: [18] Domine, indigna sum valde, & in ista civitate nulla me turpior potest inveniri. Cui ait Narcissus episcopus: Salvator noster [19] à turpissimo tactu inquinari non potuit, illius enim tactus omnes sordes diluit, atque mundavit, & sordes non poterant inquinare Domini claritatem. Nam & [20] lux de cœlo veniens, & splendor solis, dum circa cloacas, & lutulentas plateas funditur, mundus funditur de cœlo, & mundus levatur in cœlum. Unde & tu, [21] filiola, [22] suscipe in te lumen fidei: [23] ut purificata ab omni peccato, possis de meo introitu perpetua [24] claritate gaudere. Dicit ei Afra; [25] ego quidem, quæ plura capillis meis peccata commisi, quomodo possum à tantis sordibus ablui? Respondit Narcissus episcopus: [26] Tantum crede, & baptizare, & salva eris,

Post hæc Afra convocans puellas suas, dixit: Iste homo, qui ad nos intravit, episcopus est Christianorum: & dixit mihi, Si credideris Christo, & baptizata fueris, ab omni poteris emundari peccato. [27] Quid vobis videtur? Respondentes autem [28] Digna, Eunomia, & Eutropia dixerunt: Tu nostra domina es, & si sequutæ sumus te ad inquinamenta facinorum, quomodo te non sequemur ad indulgentiam peccatorum? Tu caput nostrum es, quocunq; ierit caput, membra necesse est ut sequantur.

Interea dum hæc loquerentur, nox initium sumpsit. [29] Incipiens autem hymnos Deo canere cum diacono suo episcopus, totam noctem orando, & psallendo pertransit, [30] simul habens Afram cum suis puellis consortem. Mane autem facto, episcopus Narcissus cœpit inquiri. Dictumq; est Afræ: Ubi sunt, qui ad te introierunt? Illa autem dixit eis: Hospites amatores mei [31] manserunt hic, & abierunt ad sacrificium. Illi autem audientes illos isse ad sacrificium, putabant eos ad [32] Capitolium [33] vel ad templum abiisse. Aliis ergo discedentibus, remansit unus ex eis, qui diceret: Ego cognovi eos sero ad te venisse, & scio, quia Christiani erant, nam [34] omni hora signabant frontes suas signo crucis, in qua Christus eorum passus est. Dicit ei Afra: [35] Ad me meretricem haberent intrare, si Christiani essent? Ad me non veniunt, nisi qui mei similes sunt. Abiit ille, & nunciavit omnia, quæ dixerat, quæque audierat, his qui quærebant eos.

His ita gestis, [36] abiit Afra ad matrem suam [37] Hilariam, & dixit: Episcopus Christianorum venit ad me, nesciens quo intraret, & per totam noctem, [38] expandens manus suas ad Deum suum, cantans quod novit, nos fecit simul orare: [39] Circa verò pullorum cantum extinctum est lumen candelæ: & cœpi festinare, ut eam accenderem, & non potui. Tunc dixit mihi diaconus ejus: Noli quærere lumen extinguibile, modo tibi [40] ostendetur lux, quæ extingui non potest. Et cum dixisset episcopus: [41] Veni lux mea de cœlo, ostende faciem tuam, & salvi erimus, [42] Venit fulgor de cœlo sicut sol, & sicut coruscatio, ante tonitruum, & non recessit ante, quam aurora inciperet. Et [43] dum orationem finisset, jussit nos sibi respondere, & dicere, Amen. Et lux fulgoris illius paulatim recessit. Post hæc misi me ad pedes ejus, & dixi illi: [44] Domine, injuriam tibi grandem fecisti, quod ad me introisti, sum enim mulier peccatrix. Et ille dixit: quo me Deus meus jussit ingredi, introivi. Circa diei verò horam tertiam, ostenderunt se mihi, qui eis ante lucem insidiati fuerant, ut exeuntes tenerent eos, & occiderent. Sed cum non exissent, convenerunt me. Ego verò [45] fasces lini habeo, sub quibus abscondi eos, & timeo, ne scrutentur locum illum. Sed si jubes, domina mater, huc eos transire faciam. Quia promisit mihi episcopus dicens: Faci-

am

am te Christianam,& omnia peccata tua diluentur. Audiens hæc [46] mater ejus, gaudio repleta dixit: Præstet Deus, ut & mihi hoc contingat. Cui dixit Afra: Ergo nocte veniente ducam eum huc. Respondit mater ejus: Etiamsi noluerit,roga eum.

Vespere autem facto, rogavit sanctum Narcissum episcopum Afra, ut iret ad matrem ejus. Ingresso autem eo domum, factum est gaudium magnum, ita ut Hilaria [47] per tres horas teneret plantas ejus,& diceret: Obsecro te domine,ut & me facias mundari à peccatis meis. Tunc sanctus Narcissus episcopus dixit ei: Beata est fides tua, quæ [48] antequam disceres verbum veritatis, ipsam veritatem, quam per verbum vix possunt homines agnoscere, in tua mente fundasti. Veruntamen quia video vos capaces esse verborum Dei, [49] hodierna die simul incipite jejunare,& per septem dies jejunantes audite sermonem veritatis:Octava autem die purificabimini ab omni peccato, & eritis ab omni pollutione immunes. Dixit ei Hilaria: Si jubes domine, [50] dicimus quid colimus, & ita demum doce nos, quid colere debeamus. Dixit ei Narcissus episcopus: In hoc apparet,quia bene poteris suscipere,quid colere debeas, si quid huc usque colueris,evidenter exponas. Dic ergo culturam tuam. Hilaria respondit: [51] Parentes mei genere Cypriі fuerunt, & [52] inde venerunt cum sacris Veneris. Et [53] Venus coli non potest,nisi ab his fœminis,quæ fuerint fornicatæ. Ideo ego deniq; filiam meam sacris Veneris consecravi, quasi Deæ Veneri servituram, & de opere meretricio placituram,in prostibulo manere permisi.Credens,quod mihi esset propitia Venus, si filiam meam divinis ejus imitationibus occupassem. Nam [54] quanto plures amatores habere potuerit mulier,quæ Veneri servit, tanto plus Veneri placere posse à sacerdotibus affirmatur. Audiens hæc vir Dei Narcissus episcopus, [55] ingemuit, & lacrymas fudit, dixitq; ad Diaconum suum: Surge frater, & demus lamentum super culturam talem. Et rogemus Dominum,ut [56] ubi abundavit iniquitas, superabundet & gratia.

Factum est autem,cum orassent, [57] apparuit Ægyptius quidam nigrior corvo,nudus, & [58] vulneribus elephantiæ corpore toto plenus,& dare cœpit mugitum,dicens: [59] O Sancte Narcisse episcope, quid tibi cum causa mea? [60] Quid tibi cum ancillis meis, quas ego semper in mea familia habui? Deus tuus mundas animas,& munda corpora diligit. Istæ jam [61] meæ sunt,alius esse non possunt. [62] Nunquid ego intro, ubi castitas regnat? Nunquid locum invenio, ubi est spiritus castitatis? Hic tu quid intrasti,ubi inquinata sunt corpora, & pollutæ sunt animæ? Tunc sanctus Narcissus episcopus dixit ei: [63] Jubeo tibi immunde spiritus, ut des mihi responsum de eo, quod te interrogavero. Dic mihi damnate, [64] Scis Christum Jesum Dominum nostrum Na-

zarenum tentum, flagellatum, ſputis in facie illitum, ſpinis coronatum, irriſum, ligatum, felle & aceto potatum, affixum cruci, mortuum, & ſepultum, die tertio reſurrexiſſe? Scis hoc factum eſſe? Reſpondit dæmon, & dixit: Utinam mihi hoc neſcire licuiſſet. Nam ex ea hora, qua crucifixus eſt, [65] princeps noſter [66] fugit à facie ejus, quia virtutem perſequentis ferre non potuit. Tunc ſaxa illa ſolida ſcindebantur, & monumenta aperta ſunt, & ſurrexerunt ſancti viri, qui viderunt hoc factum, quando princeps noſter, ab eo qui crucifixus eſt, [67] tentus eſt, & catenis religatus. Reſpondit ſanctus Narciſſus, & dixit: Quod nomen eſt principis veſtri? Dicit ei dæmon: [68] Sathan nomen eſt ei: Quod interpretatur initium mortis. Dicit ei Narciſſus epiſcopus: Dic mihi, quid peccavit Dominus Jeſus Chriſtus, ut tanta pateretur? Dicit ei dæmon: Nunquam peccavit. Dicit ei Narciſſus Epiſcopus: Et qui nunquam peccavit, quare tanta perpeſſus eſt? Reſpondit dæmon: Non pro ſuis peccatis paſſus eſt, ſed pro alienis. Dicit ei Narciſſus Epiſcopus: [69] Ex ore tuo condemnaris immunde ſpiritus. Cum ergò ſcias Dominum meum, Jeſum Chriſtum, non pro ſuis, ſed pro alienis peccatis occiſum, diſcede ab his mulieribus, quia etiam pro iſtis paſſus eſt, quæ ad ejus fidem, & gratiam confugerunt. Dicit ei dæmon; [70] Quia docet lex, & jubet, ut res alienas non tollat aliquis, tu qui ſanctus es, res meas quare tollis? Quid mihi tollis animas, quas lucratus ſum? Dicit ei Narciſſus epiſcopus; [71] Effractor, & fur, [72] ab initio damnate, & in malitia [73] inveterate, quia iſtas animas à Deo ſuo tu ſeparaſti, ego te modo furem teneo, & creatori creaturam ſuam reſtituo. Reſpondit ei dæmon: Et ego creatura ejus ſum, [74] & me ergò creatori meo reſtitue. Dicit ei Narciſſus: [75] Tu ipſe ex ore tuo hoc confeſſus es, Chriſtum pro peccatis hominum paſſum eſſe: ſi, quomodo pro hominum peccatis paſſus eſt, etiam pro dæmonum [76] impietatibus paſſus eſſet, reſtituerem te creatori tuo: Nunc autem, quia ſic paſſus eſt pro peccatis hominum, ut veſtrum principem religaret, vade tu ad principem tuum. Dicit ei dæmon: [77] Fac pietatem ſuper me, & [78] da mihi vel unam animam in poteſtatem. Dicit ei Narciſſus Epiſcopus: Si dedero tibi animam in poteſtatem, quid de ea facies? Dicit ei dæmon: [79] Interficiam eam, & lucrabor animam ipſius. Dicit ei Narciſſus epiſcopus: Cras prima luce, dabo tibi poteſtatem hanc ut facias. Dicit ei dæmon: [80] Dic mihi ante Deum tuum, quia das mihi animam intra corpus incluſam, quam ego lucrer. Dicit ei Narciſſus: Ante Deum meum, dabo tibi [81] animam intra corpus incluſam, manducantis, & bibentis, & dormientis, & iterum vigilantis. Dicit ei dæmon: Modo jube me hic manere iſta nocte. Dicit ei Narciſſus: [82] Si potes nobiſcum manere, mane. Dicit ei dæmon: [83] Si non

expan-

expandis manus tuas ad cœlos,& non pſallisDeo tuo, poſſum hic manere. Dicit ei Narciſſus: Nunquam ſit tibi bene,immunde ſpiritus! Non ſolum autem ego,ſed & iſtæ omnes mecum, per totam noctem Deo noſtro flectent genua, & laudes ei nobiſcum canent. Tunc dæmon ululatum teterrimum diræ vocis emiſit, & nuſquam comparuit.

Sanctus autem epiſcopus fecit poſt jejunium refici Afram cum matre ſua, & cum puellis ſuis. Quæ trementes pro eo,quod audierant, & viderant, ejus monitis confortabantur. [84] Ipſe autem cum Felice diacono ſuo non refecit ſe, ſciens ſe iterum mane cum dæmone luctamen habiturum. Tranſiit itaque nox tota orationibus, & pſalmorum canoribus plena. Die autem orto affuit dæmon dicens: Memor eſto ſancte epiſcope juramenti tui, quod dixiſti ante Deum tuum. [85] Da mihi animam, cujus corpus occidam, & animam ejus mecum habeam. Reſpondit ſanctus Narciſſus epiſcopus, & dixit: [86] Et tu jura mihi in nomine Dei mei, quia ſtatim interficias,quem tibi dedero in poteſtatem, & ſi eum non interficias [87] jubeat te Deus ire in abyſſum. Dixitque ei dæmon: Per ipſum, qui nos cum principe noſtro vicit, juro: [88] ſi non, me jubeat ire in abyſſum, quia ſtatim interficiam eum,quem mihi dederis in poteſtatem. Dixitq; ei Narciſſus epiſcopus: [89] Vade juxta flumen fontis alpium Juliarum, unde nemo poteſt aquam bibere, non homo, non pecus, non fera aliqua, quia [90] Draco ibi habitat, & [91] de flatu ejus, omnes qui ad fontem acceſſerint, moriuntur: hunc interfice,& [92] in tuam poteſtatem redige animam ejus. Tunc exclamavit dæmon, dicens: [93] O epiſcopum mendacem! Inſuper me ligavit juramento, ut [94] amicum meum occidam: quem ſi non occidero, compellet me ire in abyſſum. Tunc dæmon aſſenſit; & [95] occidit draconem: & liberatus eſt fons,ad uſum omnium, [96] uſq; in hodiernum diem.

[97] Per dies autem plurimos docuit eas verbum Dei, ſanctus Narciſſus epiſcopus. Et baptizata eſt Hilaria,cum filia ſua Afra, & cum puellis ſuis, & [98] cum generatione ſua, & cum omnibus amicis ſuis. [99] Fecitq; domum Hilariæ eccleſiam. Et [100] ordinavit eis presbyterum Dionyſium, avunculum Afræ.

[101] Ipſe autem epiſcopus Narciſſus, perfectis ordine rebus, poſt menſes novem, ad Hiſpaniam profectus eſt, ad civitatem [102] Gerundam. In qua multum populum Deo acquiſivit [103] per tres annos. Et ita demum [104] martyrij palmam cum diacono ſuo Felice attigit.

AD

AD CONVERSIONEM SANCTÆ AFRÆ, & puellarum ejus, COMMENTARIUS.

AUCTOREM hujus historiæ (quæ prima solet esse commentatorum disquisitio) ignoramus quidem; verisimiliter tamen suspicamur, fuisse aliquem ex clero Augustano, cui publico ecclesiæ decreto id muneris injunctum. Nam constat, inter præcipuas curas ecclesiis olim incubuisse, res à sanctissimis martyribus præclarè gestas, fortiterq; passas, litteris consignare. Id est discere ex Fabiani Pontificis epistola, quam Dilectissimis ubique catholicæ ecclesiæ comministris *scripsit. Cum enim Romanæ ecclesiæ diligentiam, in colligendis martyrum gestis per subdiaconos, & notarios, exposuisset, adjungit,* Quod etiam vos omnes agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat, quæstioque oriatur, quoniam omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et quæ nostris temporibus veraciter scribuntur, ad futurorum doctrinam diriguntur. Et ideo fidelissimis hæc negotia committi præcipimus, ne aliqua in eis illusio inveniatur, ex qua fidelibus scandalum (quod absit) oriatur. *Quæ fidem & auctoritatem hujuscemodi historiarum mirè confirmant. Hoc tamen non à Fabiano primum institutum,* *Euſ. hiſt. eccl. lib. 4. c. 14.* *sed ab Apostolorum temporibus observatum, ostendit, quæ adhuc extat,* Passio sancti Andreæ Apostoli, per presbyteros & diaconos ecclesiarum Achaiæ scripta. *Et apud Eusebium de morte Polycarpi elegans epistola, quam scribit* Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, ecclesiæ, quæ est Philomilii: *Item epistola* *Lib. 5. c. 1.* *de martyribus Galliæ sub Vero, inscripta,* Servi JEsu Christi, qui Viennam, & Lugdunum Galliæ incolunt, fratribus in Asia & Phrygia: *Atque nonullæ aliæ hujus generis scriptiones. Quarum multo plures & integriores haberemus, absque Diocletiano fuisset. Hic nihilo minus in Christianorum libros, quam in corpora desæviit. Uti, præter alia testimonia, argumento est hactenus celebrari solita* IV. *Non. Jan.* *Ex mart. Ro.* Romæ commemoratio plurimorum sanctorum martyrum, qui spreto Diocletiani Imp. edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt. *Prudent. de Hæmit. & Cheled. Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit, &c.* *Innumeras ista calamitas sanctorum historias affixit. At si qui sub ipso Diocletiano passi, illorum historiæ, pace ecclesiis per Constantinum reddita, recenti adhuc memoria facile restitui potuere. Idq; huic, quam pro manibus habemus, contigisse credendum. Cum semel atque iterum persecutionis jam præteritæ meminerit. Ne inferiorem Constantino Magno existimem, stylus neque purè latinus, neque ex posteriorum temporum face planè barbarus, me movet. Præterea, simplex & nuda rerum gestarum narratio: quæ absque dubio primum autographum, nullis dum colorum pigmentis illitum, & priscæ pietatis ingenuos spiritus redolet. Surius miror cur mutaverit. Mihi aliqua verba minus pura, & phrases paullo rudiores, tanti non videntur.*

1. INCIPIT] *Quæ in nonnullis exemplaribus prologi nomine præcedunt, pio studio à viro bono collecta esse non vero inficias. At cum dubiæ famæ innitan-*

innitantur, imperitis conjecturu pleniſſima, à candore reliquæ hiſtoriæ alienæ, non ejuſdem auctoris, non ætatis ſint, omittere placuit. Nullo lectorum damno

2. CONVERSIO.] *Hujus vocabuli abſolute poſiti Chriſtianus uſus eſt, de illis, qui peccatis valere juſſis, ad meliorem frugem ſe conferunt. Ita paſſim ab eccleſiaſticis ſcriptoribus uſurpatur. Cauſſam reddit D. Auguſtinus,* Illi converturtur, qui rectè vivere incipiunt: hoc eſt enim ad Deum redire. Qui autem concupiſcentias ſuas perſeveranter ſequuntur, dorſum quodammodo habent ad Deum. *Evang. qu. ſec Matth. quæſt. 11.*

3. SANCTÆ] *Multo latius olim Sancti nomen, quam hodie, patuit. Epiſcopi vulgo Sancti, Sanctiſſimi, Beatiſſimi dicebantur; quæ jam ſolius ſummi pontificis eſt appellatio. Reliqui etiam Chriſtiani, certe probatæ vitæ, Sancti: quamquam adhuc mortales. Conſtantinus orationem, quam ad Chriſtianam eccleſiam ſcripſit,* Ad Sanctorum cœtum *inſcripſit. Is nunc honor mortuis tantum, in apotheoſim relatis habetur. Hoc loco* Sanctæ *nomen utraque notione recte acceperis.*

4. AFRÆ] *Homines antiquitus crebro ſibi nomina ab urbibus, & populis mutuati ſunt. Quod primum videre eſt in ſervis Getis, Syris, Syriſcis; dein in familiis Romanis Tarquiniis, Cominiis, Gabinis, Norbanis, Volſciis, Numicis, Vatiniis. Ut interim cognomina hujus generis præteream. Et in martyrologiis noſtris ſæpius occurrunt Germanus, Germana, Gallus, Galla, Sabinus, Sabina, Syrus, aliaque ad hunc modum. Quibus perſuaſus, non vereor Afram ab Africa deducere. Varia enim illi hujus nominis cauſſa eſſe potuerunt, ſicuti & Afropatruo. Julius Firmicus me monet, Venerem ab Aſſyriis, & Afris eodem ritu cultam. Aſſyrius autem cultus idem cum Paphio Cyprio, Pauſania teſte. Atqui hac ratione Afra, non Affra, neque Aphra ſcribendum. Africam enim faſti Capitolini, lapides alij, nummi antiqui, & libri manuſcripti præferunt. Ita etiam Afranios gentem Romanam.* *De myſt. propb rel. c. 4 Paul. in Atticu.*

Porro alteram S. Afram martyrem reperio in martyr. Rom. IX. Cal. Junij, Brixiæ ſub Hadriano Imp. paſſam. Quæ cum noſtra nihil commune habet, præter nomen.

5. ET PUELLARUM EJUS] *Præter quod inſcriptio promittit, hiſtoria Hilariæ matris converſionem complectitur.*

6. APUD PROVINCIAM RÆTIAM] *P. de Natalibus inſigniter lapſus, per omnem hiſtoriam Cretam pro Ratia habet. Etiamſi Adonem Trevir ſequi profiteatur, Ado autem Ratiam diſtincte præferat. Idem audio in M. Marulo peccatum eſſe, quem mihi videre non contigit. Vicelius non minus abſurde,* Provinciam Regenas. *Antoninus in Chronico Ratiam & Cretam confundit, utrumque enim nomen habet: niſi error ſit à librariis, quod exiſtimo.* *In catal lib. 7. c. 28. 54. & 55. Ado in martyr. Marulum ſequitur Zvinger. in theatro vol. 7 lib. 3.*

Cæterum Ratia (quæ ſub Auguſto in provinciam redacta) variè à diverſæ ætatis auctoribus deſcribitur. Sed conſtat ex Ptolemæo, qui Diocletianum multo anteivit, jam tunc à fontibus Rheni, & Danubij ad Aeni oſtia uſque pertigiſſe. Hinc Tacitus, & Arrianus prodidere, Aenum inter Ratos, & Noricos fluere. Quibus terminis etiam Vindelicia, cujus memoria ante Dioletianum obſoleverat, quæq; in Raticum nomen conceſſerat, comprehenditur. Hodie obtinent præter Ratos, Suevi, & Boij, qui cis Danubium colunt. *Lib. 2. c. 12. Lib. 3. hiſt.*

7. IN CIVITATEM AUGUSTAM] *Plurimæ civitates Auguſtæ per orbem Romanum: Non pauca etiam per Ratiam extitere, ſi fides habenda noſtræ ætatis ſcriptoribus. Sed Fortunatus, poëta Chriſtianus, qui ante mille annos vixit, aſcriptis fluviis, qui eam, de qua hic ſermo eſt, alluunt, nomine ambiguo nos falli non patitur,* *Aventino, & qui Avent. ſequuti.*

Pergis ad Auguſtam, quam Virdo, Lycusq; fluentant,
Illic oſſa ſacræ venerabere virginis Afræ. *Fort in Vita S. Mart. lib. 4.*

An illi Vindelicum cognomen debeatur, ante Aventinum nemo dubitavit. Is primus de alia Auguſta Vindelicorum ſuſpicionem commovit. Non ſatis firmis ad eam evincendam uſus argumentis. Quod commodiore loco pluribus docebimus. Neque in hoc commentario quæſtionem non neceſſariam edifſerendam putamus. *Baronius legit, Vindo Licusq.*

8. NARCISSUS] *Quidam Hieroſolymorum epiſcopum arbitrantur. Qui à Nicephoro Conſtantinop. in Chron trigeſimus primus, & trigeſimus quintus, ab Epiphanio trigeſimus & trigeſimus quartus, unus idem, ejus urbis* *Epiph. in Panario hæreſi 66.*

Euſ lib 6 c. 8. 9. Nic. lib. 5. c. 9 10. Mart 19. Oct. Euſ. lib. 6. c. 32. Lib 7. c 13 26.

urbis epiſcopus cenſetur. Nam auctoribus Euſebio, & Niceph. Calliſto, ſemel in eremum ſeceſſit; dein ſedem iterum cum Alexandro collega tenuit: Denique, quod habetur in martyr. Rom. Sanctitate, patientia, ac fide laudabilis, centum & ſexdecim annorum migravit ad Dominum. *Martyr, ut ait Nicephorus in Chron. Verum cum neque ipſe, neque collega Alexander, quin nec ſucceſſores. Mazabanes, Hymenæus Zambdas, Hermon qui ſinguli pluribus annis præfuerunt) Diocletiani perſecutionem attigerint. ita enim refert Euſebius: Fit ut à S. Afra temporibus magnis ſpatiis excludatur. Solidior Auguſtanæ eccleſiæ auctoritas, quæ ſemper diverſum hunc noſtrum Narciſſum interpretata eſt, Gerundæ Tarraconenſis Hiſpaniæ urbe paſſum. Quod hæc ipſa hiſtoria inferius ad finem converſionis comprobat, & eccleſiæ Gerundenſis epiſtola, quam eo loco dabo, Martyr item Rom.* XV. *Cal. Aprilis & ex Hiſpanis Vil-*

Beut. lib 1 cap 25. Vaſæus poſt An. 260.

legaſius in Flore ſanctorum, Beuterus atque Vaſæus in Chronicis. Liber Chronicus Regum Arragoniæ abſque auctoris nomine Hiſpanice editus, meminit reliquiarum Sancti Arſiſi, quæ Gerundæ in eccleſia S. Philippi condita, miraculis illuſtres ſint. Ubi vernaculam Hiſpanorum enuntiationem agnoſcas, pro S. Narciſo, San Arcilo *deperdita N quæ in principio repetenda erat, redaentem. Sunt enim reliquiæ Narciſſi, de quo agimus*

Ancyrano concilio circa hæc tempora Narciſſus Neroniadis Ciliciæ epiſcopus ſubſcripſit. Sed diverſus ab hoc noſtro.

Vide martyr. 31. Oct 17 Sept. & 2 Jan.

Tres alij Narciſſi in ſanctos relati. Primi meminit D. Paulus in epiſtola ad Rom. Alterius fit mentio in actis S. Laurentij. Tertium Licinius Imp. martyrij corona donavit. At de nullo Afræ converſæ ſuſpicio oriri poteſt.

9. EPISCOPUS] *Notius eſt apud Chriſtianos epiſcopi nomen, quam ut hic interpretemur. Multa de illo paſſim obvia. Quædam non protrita reperies in Pammelij annotationibus ad D. Cyprianum.*

10. TEMPORE, QUO DIOCLETIANI PERSECUTIO FERVEBAT] *Aliqui nonam, alij (quorum maximus eſt numerus) decimam, quidam duodecimam perſecutionem numerant. Quæ enim retro, non ab omnibus uno eodem modo diſtinguuntur. Illud convenit, hanc præ reliquis diuturnitate temporis, numero martyrum, immanitate ſuppliciorum, longè inſigniſſimam fuiſſe. Quod Euſebius, Oroſius, Sulpitius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, Manaſſes, hiſtorici alij, denique omnia martyrologia, & innumeræ ſanctorum vitæ copioſe docent. Superſunt in Hiſpania inſcriptiones Diocletiano poſitæ,* NOMINE CHRISTIANORUM DELETO QUI REMP. EVERTEBANT. *Item,* SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA ET CULTU DEORUM PROPAGATO. *Hæquamvis uti impiæ, ita vanæ & mendaces, tamen ex illis videre eſt, qua animi contentione tyrannus adverſus Chriſtianum nomen graſſatus fuerit, qui imperatorios inde quæſierit titulos Sed de perſecutione, re ſatis ſuperq; teſtata calamum contineo.*

Vide Occonus numismata in Diocleſ.

De tempore perſecutionis, quando cæperit, quando deſierit, auctores valde diverſa ſentiunt. Sive ad annos Chriſti, ſive ad Diocletiani imperium reſpicimus. Quamquam de annis à Chriſto nato Panvinio & Sigonio, qui noſtra ætate diligentiſſimè, & aptiſſimè ad conſtituendam ſeriem temporum ſcripſerunt, ſtabimus. Illi conſentiunt, Diocletianum imperium iniiſſe Ann. Chriſti CCLXXXIV. *Poſt Romam conditam* MXXXVI. *Paribus, id eſt* XI. *Cal. Maji. Perſecutionem aliqui mox cæptam putant: Alij poſt Maximinum collegam aſſumptum: Alij ab annis Diocletiani ſive* IX *ſive* XI. *ſive* XIII *ſive* XIV. *ſive* XVI. *ſive* XIX. *Et facile credam, inveniri auctores, qui ab his omnibus diverſa ſcripſerint. Quorum diſſenſio commoda explicatione conciliandæ eſt. Neque enim plerosq; falli, aut temere de re tanta, & tam clara, ſcripſiſſe exiſtimandum. Refert igitur intelligere, perſecutionis nomen varie acceptum differentiæ cauſſam eſſe. Tempore D. Auguſtini vulgata erat opinio, decem plagis Ægyptiacis, ſignificatas fuiſſe decem perſecutiones, quæ à Nerone ad Diocletianum. Eam ille ita convellit, ut oſtendat eccleſiam ante Neronem tum in capite Chriſto, tum in Stephano, Jacobo, Petro, fratribus reliquis perſecutiones paſſam. Nec aſſertores denarij iſtius numeri negare poterant, hæc vera eſſe. Sed apparet, explicatione verbi vim argumenti evitaſſe. Ut ſcilicet inter perſecutiones, quæ plagis Ægyptiacis prædictæ, nullam ante Neronem cenſendam contenderent: Forte quod Neroniana prima imperatoris juſſu indicta, aut exceptione aliqua alia, nam de hoc non conſtat.*

Panvinius in faſtis Sigon. de occid. Imp. Quos ſequuntur Scaliger de emend tëp. & Baron. in Annalibus.

Aug. de civit Dei lib 18. cap. 52.

constat. Secundam numerabant Domitiani: Tertiam Trajani: Quartam Antonini Philosophi: Quintam Severi: Sextam Maximini: Septimam Decii: Octavam Valeriani: Nonam Aureliani: Decimam Diocletiani & Maximiani. Inter has quadam à nonnullis praterita, ut Maximini & Aureliani à Sulpitio, quamvis inquit Maximinus nonnullarum ecclesiarum clericos vexavit: *Valeriani à permultis, quod eandem cum Deciana ducerent. Alia contra inserta: Cum Impp. Hadrianus, Antoninus Pius, Alexander, Aur. Claudius manus sanguine Christiano nequaquam abstinuerint. Et si omnis, quæ Christianis propter religionem vexatio accidit, persecutio dicenda, indubium est, multo adhuc plures sub Impp. extitisse. Sed non æquè ab omnibus in numerum redactæ, vel quod leviores visæ, vel quod novis edictis non usæ, vel quod à decessoribus cœptæ, non intermisso cursu continuatæ, vel denique alia quavis de caussa. Et prorsus iniquus est, qui diversos auctores propterea reprehendendos putat. Cum enim de rebus convenit, cur in verbis non suo quisque judicio utatur? Similis est in constituendis persecutionum principiis ratio.*

Sac. histor. lib. 2. Ant Sulpit. loco citato. Mart. t. 5. 18 & 30. Jan. Et ibi Baron.

Nam ut sermonem ad Diocletianum referamus, fuit is in Christianos animo semper infensissimo. Cujus rei caussa multæ esse potuerunt, principi supra humanum morem superbo. Et quamvis initio tectius, & quasi per cuniculos egerit, neque Christianum nomen (quod constet) cuiquam criminis loco objecerit, tamen multos ejus nominis, falsis afflictis calumniis subvertit. Ideò nihil aberrabit, qui totum Diocletiani imperium perpetuam persecutionem dixerit. Postmodum, cum suam temeritatem aliena vellet invidia explere *(ait Eutropius) allegit Imp. Maximianum, propalam ferum natura, ardentem libidine, consilii stolidum, ortu agrestem, asperitatem suam etiam vultus horrore significantem (his elogiis hominem exornant Eutropius & Victor) qui prima expeditione, quam in Galliam movit, exercitum juramento adegit, Christianos Deorum inimicos, iisdem animis, quibus Bacaudas imperii hostes ulturum: Quod cum legio Thabæa detrectaret, primo decimata, post internecione deleta est. Si quis à tam immani facinore persecutionem auspicatam putavit, profecto neque molliter sensisse, neque leviter scripsisse videtur. Ann.* IX. *Eusebio teste,* Diocletianus adorari se ut Deum jussit. *Cassiodorus duobus annis differt. Quandocunq; contigerit, certissimum est, Christianis per religionem non licuisse nefario edicto obedire. Hinc multos male habitos, & lege majestatis damnatos suspicandum. Eò fortassis referendum, quod apud Cedrenum legimus,* IX. *anno Impp. edixisse,* omnibus Christianis interfectis, Romanum imperium rebus prosperis affluxurum. *Anno* XI. *Cedrenus prodit horribilem persecutionem excitatam, multaq; millia martyrum facta. Postero, qui fuit Diocletiano* VI. *Constantio* II. *Coss. Cajus Pontifex, gentilis Diocletiani, martyrii coronam consecutus est, tradente Damaso.* XIII. *aut* XIV. *(utrumque habet Cedrenus, & Eusebius) Christiani milites exauctorati, per Veturium militiæ magistrum. Eusebius in chronicis annotavit, inceptam* paulatim ex illo jam tempore persecutionem adversum nos. *Ubi non pœnæ atrocitatem, quâ infamia irrogabatur, nullus corpori cruciatus inferebatur, respexit: sed quod illa omnes fines Romani imperii pervagata, nullam provinciam, quæ militari custodia contineretur, immunem habuit, cujusmodi nihil dum hactenus contigerat. De anno* XVI. *nescio quem ignotum auctorem Cuspinianus citat. At* XIX. *demum omne virus simul in ecclesiam effusum est, ut nullo præterea incremento locus relinqueretur. Tunc impia decreta, quorum Nicephorus, Eusebius, Zonaras meminere, audita primum: Ecclesias solo æquari, libros comburi, episcopos interfici, Christianos reliquos, dignitatibus præditos in ordinem redigi, privatos in servitutem dari placere. Quæ postea pœna morte ut plurimum commutatæ sunt. Excitati eo classico omnium provinciarum præsides, ut Christianos quisque diligentissimè conquisivit, inventos immanissime excruciavit, ita operam Impp. maximè approbavit. Et si qua est malorum comparatio, prætorita quæcumque levia atque ferenda, hæc denique seria persecutionis origo videri poterat. Ad quem modum statuere auctores plerique. Eusebius in historia ecclesiastica, & Chronicis diserte, iterum obliquè in vita Constantini, cum ait Diocletianum imperio se abdicasse post annum persecutionis primum, quod est utique secundo anno. Ita etiam Orosius, & multi recentiorum. Nam etsi Victor in epitome Diocletiano annos*

V de ista Thabæorum mart. & Sigon. de occid. Imp. lib. 1.

Cuspin. in Coss.

Euseb. in hist. lib 8. c. 3 de vita Constat. lib. 1. c 12. Oros. lib. 7. cap. 25.

Nic. lib. 7. c. 17. XXV. *Nicephorus, & Michaël Glycas* XXII. *tribuant, tamen optimi scriptores de* XX. *annis tam frequentes consentiunt, ut ejus rei nulla possit esse dubitatio. Et quæ duobus ante abdicationem annis contigere, incidunt in principium anni* XIX. *Epiphanius privatam sententiam tuetur, enumerans enim Imperatorum seriem, inquit,* Diocletianus cum Maximiano, & Constantio annos tredecim. Quorum tempore magna persecutio fuit, quæ duodecim annis duravit. Cum autem cessasset persecutio, regnavit Diocletianus unum annum, & deposuit imperium. *Hæc multis modis à fide historiæ illorum temporum recedunt. Et nisi culpam in interpretem, aut librarium rejicimus, fateamur oportet Epiphanium memoria lapsum, ipsemet in Ancorato, Diocletiano* XX. *annos tribuit.*

Ep. de mens. & pond.

Porro nihil ad priores Diocletiani annos Afræ conversionem pertinere, ex verbis, Diocletiani persecutio fervebat, *elicio. Quanquam Eusebius neque his duobus annis integris Italiam, Siciliam, Galliam, & reliquas occidentem solem versus provincias (qua descriptione Ratia comprehenditur) persecutionem sustinuisse dicat. Ego interpretor: Cum Impp. mense Martio sanguinarium in Christianos edictum Nicomediæ proposuissent, ad reliquas inde provincias missum, ut quæque maximè dissita, ita uno vel altero mense tardius perveniisse.*

Etsi verò Diocletianus post motum ecclesiæ publicum hoc bellum, altero anno imperio cesserit, tamen persecutio per decem continuos annos plebem Dei depopulata est. *Quæ Sev. Sulpitii verba sunt. Quibus Eusebius, Orosius, Nicephorus, historia miscella, Freculphus, alii consentiunt. Et evenit, ut cum varii Impp succederent, à primis auctoribus Diocletiano, & Maximiano, etiam posteriore octennio persecutioni nomen hæserit. Tulere nomen imperatorium per ea tempora,*

Fl. Val. Constantius Chlorus Aug.
C. Gal. Val. Maximianus Aug.
C. Aur. Valerius Licinianus Licinius Aug.
C. Gal. Val. Maximinus Aug.
Fl. Val. Severus Aug.
M. Aur. Val. Maxentius Aug.
Fl. Val. Aur. Constantinus Magnus Aug.

An horum quis nomini Christiano penitus parserit, nescio: Constantio & Constantino aliqui eam palmam tribuunt, sed Constantius tertio persecutionis anno obiit: Et dum vixit, credibile est satis habuisse proprias manus continere, collegarum Diocletiani, & Maximiani injurias à Christianorum corporibus repulisse. non est credibile: De Constantino Magno, quem maximè alienum ab hac culpa existimare par erat, contrarium docet Baronius. Cæteros plerosq; teterrimos hostes extitisse, qui subdolis induciis non minus quam aperto bello (hæc tunc alternis per provincias vicissitudo) damnum intulerint, certum est. Id interim fatebimur, in oriente multo fœdius quam in occidente sævitum esse. Quod etiam Eusebius alicubi innuit.

In not ad mart. 22. Aug.

Atque ita colligimus, Diocletianum imperium iniisse Anno Christi CCLXXXV. *Persecutionem multo sævissimam cœpisse anno* CCCII. *desiisse* CCCXII. *Quæ ad mentem eorum Chronographorum, quos me sequi profiteor, calculata sunt. Cum satis cognitum habeam, de annorum numeris alios aliter sentire. Conversionem S. Afræ intermedio tempore contigisse, asseverare licet. Annum proprium assignare non licet. Sed si quis conjecturæ locus, ego eam lubens anno* CCCII *adscripserim. Cum existimem, Narcissum mox à principio sævissimæ persecutionis Augustam profugisse. Abdicato Diocletiano, persecutio in occidente non quidem penitus cessavit, multum tamen remisit, probe erga Christianos affectis Constantio Chloro, & filio Constantino: Inde fit ut existimem hac periphrasi,* Tempore quo persecutio Diocletiani fervebat, *& alterâ illâ initio passionis,* cum Christianorum esset sæva persecutio, & omnes pro Christi nomine variis suppliciis afflicti ad sacrificia traherentur, *non nisi ultimum Diocletiani biennium significari, quod est à mense Martio anni* CCCII. *ad Palilia usque anni* CCCIV. *Et cum Afra mense Augusto passa sit, uti ex ecclesiasticis tabulis liquet, ejus passio ad annum* CCCIV *referri non potest. Refero ad annum* CCCIII. *Jam si à conversione ad passionem interceſſere menses fere decem,*

quæ

qua est Augustana ecclesia traditio, plane sequitur, Conversionem ad annum CCCII. pertinere, Coss. Fl. Valerio Constantio Nobiliss. Cæs. IV. C. Galerio Valerio Maximiano Nob Cæs. IV.

11. PROFUGUS] *Etsi Tertullianus peculiari libello docuerit, in persecutione non fugiendum, ejus tamen nulla est in hac sententia auctoritas. Elegantèr ait D. Cyprianus*, cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi: quisquis in Christo manens, interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat. *Alibi, si quis in fuga occiderit, cum inter martyres censendum ostendit*, si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, ac sitis, aut frigus afflixerit: vel per maria præcipiti navigatione properantem, tempestas ac procella submerserit: spectat militem suum Christus ubique pugnantem; & persecutionis causa, pro nominis sui honore morienti, præmium reddit, quod daturum se in surrectione promisit. Nec minor est martyrii gloria, non publicè nec inter multos periisse, cum pereundi causa sit, propter Christum perire. Sufficit ad testimonium martyrii sui testis ille, qui probat martyrem & coronat. *Qua tamen ad gregem, non ad pastorem referenda. Quando episcopis (ex quorum classe Narcissus) fugere licuit, accurate disputat Augustinus, epistolâ ad Honoratum episcopum, & in hac se verba colligit*, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi. *Idque S. Pauli, Athanasii, & Hispanorum episcoporum exemplis confirmat. Cur Narcissus fugerit, expeditum non habeo. Nullam nisi probatissimam causam subfuisse, viri sanctitas persuadet. Et rectè subjunxero S. Pontii diaconi verba, quibus similem Cypriani fugam excusat*, vultis fortè, recessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud exquiem, ipse post modum passus est: quam passionem utique ex more vitaret, si ante vitasset. *Narcissus enim similem vitæ finem imposuit.*

De lapsis.

Ep. 56. ad. Pam.

Ep. 180.

In vita S. Cyp.

12. CUM DIACONO SUO.] *Diaconos episcoporum & presbyterorum ministros esse, habetur in concilio Carthaginensi IV. Tamen crebrius episcopis quam presbyteris inservisse, hinc apparet, quod B. Hieronymi ætate aliqui Diaconos presbyteris æquabant. Quanquam male, nam & Hieronymus refellit. Clemens Rom. diaconos vocat episcopi aurem, oculum, os, cor, & animam. D. Ignatius profert exempla S. Stephani, qui beatissimo Jacobo, Timothei & Lini, qui Paulo, Anacleti & Clementis, qui Petro, diaconi episcopis ministraverint. Idcirco exclamavere Felicissimus & Agapitus diaconi, cum Pontifex Sixtus Imperatori sisti juberetur*, & nos sine patre nostro quo ibimus? *Atque Archidiaconus Laurentius Ad eundem*, quo progrederis sine filio pater, quo sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sacrificasti, nec offerre consueveras sine ministro. *Quod Clemens exemplo confirmat*, ut enim Christus sine patre nihil agit, sic neque diaconus sine episcopo.

Cap. 37.

Hieron. ep. ad Euagr. Clem. Constitut. Ap. lib. 2. c. 44. Ignat. ep. ad Tral. Ex aliis S. Laur. Anton. Constit. lib. 2. cap. 30.

13. FELICE] *Illustre Gerundæ Felicis martyris nomen semper fuit. Numerat Prudentius inter sanctos, quos varia urbes in novissimo judicio Christo oblaturæ sunt*,

Hym. 18. mart. Casarang.

Parva Felicis decus exhibebit,
Artubus sacris locuples Gerunda.

Hunc mart. R. Usuardus, & Ado, atque Vincentius confirmant passum Gerundæ, persecutione Diocletiani, Præside Daciano. Cum igitur nomen, locus, tempus martyrii conveniant, permulti eundem cum nostro Felice crediderunt. Sed obstat in primis ecclesiæ Gerundensis auctoritas, pro qua Berengarii episcopi epistola jam semel à nobis laudata, testimonium dicit. Narrat enim perspicuè, Felicem, quem suæ ecclesiæ doctorem, Apostolum, & prophetam appellat, diversum esse à S. Felice Narcissi diacono, qui dudum à Francorum Rege Carolo translatus, Parisiis quiescat. Et quamquam hæc plana aperta, accedunt tamen alia argumenta. Ado & Vincentius, qui prioris Felicis vitam copiosè scripserunt, Ratica peregrinationis non meminere: Immò neque Narcissi episcopi, cum quo nostrum passum esse, ex hac historia & martyrol. liquet,

Mart. 1. Aug. Vinc. in spec. Hist lib. 12. c. 131. 132.

Mart. 18. Mart.

liquet; quin Cucufatem illi socium Vincentius tribuit: Demum Diaconatus honor à nullo ascribitur: Quorum profecto nihil omittendum erat. Ipsa etiam S. Cucufatis vita, attentius perpensa, nos facile ab errore vendicat. Statuamus ergò, quod res est, duos Felices martyres Gerundenses distinctos, quorum uterq; sub Diocletiano occiderit. Ac ne ejus rei nos admiratio capiat, scire refert, id nomen Christianis admodum familiare fuisse. Quippe supra LX. Felices martyrologia exhibent, quorum non pauci in Diocletiani tempora incidere. Et constat interim, infinito plura sanctorum nomina excidisse quam in martyrologia relata sint. Ita ut Genebrardus, explicans illud Psalmi, effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem: & non erat qui sepeliret, observarit, aliquos in singulos anni dies XXX. Millia martyrum numerare. Deo enim martyres (inquit S. Gregorius) numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: qui quanti sint, à nobis comprehendi non possunt. Apto exemplo utitur Augustinus contra Donatistas, in re simili, mirum non esse inquiens, si in turba Romanorum clericorum, duo vel plures Stratones aut Cassiani reperirentur, cum in XII Apostolis non solum duo Judæ, sed etiam duo Jacobi legerentur. Id verò sæpius contigit, quod facilu admodum facile, ut bini, aut plures ejusdem nominis martyres confunderentur, & eo ipso alterius memoria premeretur. Sic Baronius admonuit, Prudentium, hominem minimè ex vulgo, tres Hippolytos, militem presbyterum & episcopum, conflasse in unum, ut quæ singuli gesserint, uni adscriberet. Sic duobus quoque Cyprianis, & aliis permultis accidit Ambr. Moralis Chronic. Hispaniæ lib. 12 c 42. narrat, Recaredum Regem, qui vixit ante annum Christi DC. obtulisse sepulchro S. Felicis martyris Gerundæ auream coronam: quam multis exinde annis Paulus quidam, tyrannidem adversus Bambam Regem moliens sustulit, & cum sese illâ coronandum curasset, mox impietatis pœnas luit. Sed hac ad nostrum Felicem non refero.

Vasæum post An. 306. ait Cucufatem à quibusdam Felicis fratrem existimari. Multi etiã in martyrologiis Felicissimi, Feliciani, Fortunati, Fausti, Faustini, exiitimo Christianos veteres bona omina horum nominum sequutos. Ps. 78. Hom. 27. Brevic. coll. die 3. In mart. 30. Jan.

14. PARARE AMATORIBUS CONSUEVERAT] *Afram ante conversionem mulierem peccatricem fuisse (ut modestè de se ipsa paulò post, & de Maria Magdalena sacra scriptura loquitur) compertum est. Ne quis autem Fortunatum erravisse existimet, in eo quem adduximus versu,*

Illic ossa sacræ venerabere virginis Afræ,

Animadvertere oportet, Virginem aliquando ætatis, non integritatis nomen esse. Tradidere enim Grammatici, Virginem à viridiori ætate dictam. Præivere optimi latinitatis auctores. Horatius, --- miseræque nuper Virgines nuptæ --- *Virgilius de Hero,* & moritura super crudeli funere virgo. *Clarius de Pasiphae, trium liberorum matre,* Ah virgo infelix --- *Etsi Junius Philargyrius diversam regulam prodidit,* apud Terentium virgo dicitur, quæ peperit, ut in Adelph. Puer natus, nihil habet virgo. Sic Virgo quæ parit Ideo ad secundum partum virgo dicitur, postmodum mulier. *His se Fortunatus satis tueri potest, maximè in carmine; ubi credibile est eum venerationem Afræ hoc nomine conciliare voluisse. Molanus asserit, viduas sanctimoniales, aliquando virgines dictas, quòd in virginum collegium cooptatæ essent. Talis est in martyrologio ab illo postremo edito, Idib. Febr. Ermenilda virgo in Britannia, & VI. Non. Julij Monegundes virgo Turonis. Prorsus alia ratio Ambrosii, Chrysostomi, Origenis, qui ecclesiam gentium ex meretrice virginem factam esse, figuratè dixerunt. At Phil. Bergomatem, qui in historia Hilariam Afræ sanctissimæ virginis matrem, Dignam, Eumeniam, & Euprepiam sacras virgines nominavit, nihil reconditi sensisse, sed simpliciter errasse, memoriæ lapsu, existimo. Nam de claris mulieribus, ipsemet aliter scripsit.*

Serv. in 4. Virg. ecl. Isid. orig. lib. 11. c. 2. Hor. Car. lib. 2. ode 8. Virg. Georg. 3 & ecl. 6. Phil in 3. ecl. Virg.

Ambros. de Salom. cap. 5. Chrys. Ser. 26. de Pen. Orig. sup. Joseph. Hom. 6. Phil. in 15. suppl lib 8. de clar. mul. cap. 112.

15. ORARE COEPIT, ET PSALLERE] *Agnosce antiquissimum institutum. De quo Tertullianus, Christianorum cœnas describens,* non prius discumbitur, quam oratio ad DEum prægustetur. *Et paucis interjectis,* post aquam manualem, & lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit: Æquè oratio convivium dirimit.

Apol. c. 39. Vide in hanc sententiam Cl. Alex. Pedag. lib. 2. cap. 4.

16. EDISCENS HUNC ESSE CHRISTIANORUM EPISCOPUM PROCIDIT, &c.] *Ut Afra Narcissum & Felicem, homines*

nes peregrinos, ignotos domo acciperet, facile factu fuit; Amatores enim, Venere propitia missos credidit. At quod episcopi nomine audito statim resipuerit, errorem, in quo nata, alta tot annos vixerat, agnoverit, id vero mirabile. Ejusq; rei absolutè caussam aliam nullam, quam sancti Spiritus divinam gratiam proferre possumus. Hac ubi vult spirat. Hujus afflatu Matthæum, Zachæum, Latronem puncto temporis immutatos scimus. Quoniam autem sapientia disponit omnia suaviter, cogitare licet, Christianorum non nomen tunc primum, inauditum antea, Afræauribus accidisse. Multo ante sacra doctrina Romanum orbem pervaserat, & ad pleraſque barbaras nationes excucurrerat. Ac Christianismo tam multi omnium ordinum viri, fœmina, nomen dederant, ut Tertullianus sub Sept. Severo ad Scapulam præsidem scripserit, Carthaginem decimandam esse, si Christianos ejus urbis delere velit. Prolixius in apologetico, si hostes exortes, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quæcumque, unius tamen loci, & suorum finium gentes, quam totus orbis? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. *Et paulo post*, potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortij invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum, in aliquem remoti orbis sinum abrupissemus à vobis, lustüdisset utique damnationem vestram, tot qualiumcunque amissio civium, immo & ipsa destitutione punisset. Proculdubio expavisſetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam quasi mortui, urbes quæsisſetis, quibus imperaretis. Plures hostes quàm cives vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum, pæne omnium civium. *Ista sub Severo. Postea numerus etiam auctus. Adeo, ut ante Diocletiani persecutionem, Christianorum conventus, infinita hominum turba frequentatos, multitudines in singulis civitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus, nulla fere oratione explicari posse, existimarit Eusebius.* Unde cum in antiquis illis ædificiis non satis loci haberent, ampliores ecclesias in universis urbibus, fundamentis eorum ad majorem laxitatem dilatatis, erexerunt. *Christianum igitur nomen, quaquaversus illustre, in Ratiâ, provinciâ vel Italiâ accensâ, vel certè proximâ, & quasi suburbanâ, obscurum esse non potuit. Præsertim Augusta, urbe metropoli.* *Lib 8. c. 1.*

Annal Sigis. Meiste. part. 4. c. 1. & alii plerique.

Sed hæc conjectura sunt. Accedit historiæ fides. Antiquis monumentis proditum est, Lucium quendam jam olim Ratos evangelium docuisse, ejusq; professionis caussa apud nos puteo demersum, semivivum inde extractum, in interiori Ratia martyrium consummasse, iisipsis locis, quibus Curia urbs post hæc condita est. Illorum, quos Augusta sacræ fidei adjunxit, solius Campestrii, viri primarii nomen superat. Et quamquam ambigitur an Lucius Cyrenensis fuerit, cujus extat memoria in actis Apostolorum & epistola Pauli ad Romanos, quemque Dorotheus Laodiceæ Syriæ episcopum nominat: An (quod pluribus placuit) Britanniæ Rex, ab Eleutherio summo Pontifice, per legatos Fugatium, & Damianum Christiano nomini ascriptus, Cujus meminere martyrologia, Damasus, Beda, & Ado Viennensis: quem Polydorus Virgilius Arviragi (Juvenalis carmine nobilitati) pronepotem scripsit, ex filio Mario, nepote Coyllo: Tamen utrumvis accipimus, S. Afræ tempora multo antecessit; & ex eo Christianos Augustæ fuisse, non est cur dubitemus. *Act. cap 13. ep. ad Rom. c. 16 Dor. in Syn. Mart. 3. Dec Dam. de Pont. Beda de sex atat. in M. Ant. Vero. Et hist. eccl. lib. 1. cap. 4. item in epit. Ado. Chron. Vero Polyd. hist. lib. 2. Jusin. sat. 4*

Obscurior fama est de Philippo episcopo, quem sub Antonino, aut sub Vero Augustæ Vindelicorum passum tradidere. Primus Cabilonensis in topographia, & Irenicus in exegesi Germaniæ. Nescio quam idonei testes. Me dubium habet, quod auctores, quos sequuntur, non laudant; & quod nulla hujuscemodi memoria extat apud ecclesiam Augustanam, cujus maximè intererat. Vixit sub M. Antonino, Vero, & Commodo Philippus, vita & doctrina illustris; verum is Gortynæ in Creta fuit episcopus, uti Eusebius, Hieronymus, & martyrologia III. Id. Aprilis produnt, atque scribendis libris claruit, neque eum martyrio affectum constat. Nihil itaque de Philippo Augustano episcopo asseveraverim.

Satis jam habeo docuisse, ante Afræ conversionem Christianos Augusta fuisse, eosq; ad rationem caterarum provinciarum, non paucos. Quo etiam illa in principio verba pertinent, persecutio Diocletiani fervebat, *neque enim de nullis, aut perpaucis numero possunt accipi. Christianis verò etsi gentiles fœdissima quæque affingerent, fieri nihilominus non poterat, quin se veritas exereret, & innocentia vitæ in vulgus celebraretur. Nam apologiarum scriptores frequentes erant in eo argumento. Et appositè ad hunc locum* Apol. c. 3. *Tertullianus de osoribus Christiani nominis inquit:* Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium Christiani nominis impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Cajus Sejus, sed malus tantùm, quod Christianus. Item alius. Ego Lucium sapientem virum repente factum Christianum defero. Nemo retractat, non ideò bonus Cajus, & prudens Lucius, quia Christianus: aut ideò Christianus, quia prudens, & bonus. *Et deinde*, alii quos retrò, ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso denotant quo laudant, excitate odii in suffragium impingunt. Quæ mulier, quàm lasciva, quàm festiva? Qui juvenis, qui Lucius, quàm amabilis, facti sunt Christiani? Ita nomen emendationi imputatur. *Ubi multis ostendit nihil Christianis vere obiici præter nomen, & religionem. Quod antea S. Justinus, & Athenagoras dixerant. Porro nominis nullum crimen esse; in religione neglectum inanium deorum etiam laudem mereri. Quæ cum ita sint (ut eò redeamus, unde digressi sumus, utq; ostendamus, quàm suaviter hanc conversionem sapientia disposuerit) nihil profectò magis rationi consentaneum erat, quàm ut dimoto Dei benignitate Idololatriæ velo, & perspecta fœditate illecebrosi cultus, Afra se illorum fidei crederet, quos reliquis mortalibus integritate ac pietate præstare crebro audivisset.*

17. PROCIDIT ANTE PEDES EJUS] *Summæ venerationis, & extremæ demissionis actus. Ita in evangelio, mulier sanguinis profluvium patiens, cum se non latere animadverteret, ad Christum* tremens venit, & procidit ante pedes ejus. *Item Syrophœnissa gentilis*, procidit ad pedes ejus. *Et mulier peccatrix, quam Afræ comparavimus*, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. *Id explicans S. Ambrosius ait*, Peccator ad pedes, justus ad caput. *Paulo post*, ubicumque audieris Christi nomen, occurre. In cujuscumque interiorem domum JEsum intrasse cognoveris, & tu ipse festina. Cum repereris sapientiam, cum repereris justitiam in alicujus penetralibus recumbentem, accurre ad pedes, hoc est, vel extremam partem quære sapientiæ. *Atque iterum*, si ad caput Christi accedere non potes, tangat pedibus suis caput tuum Christus. Et fimbria ejus curat, & pedes curant. *Quæ non aliena hoc loco existimanda, cum Narcissum Christo, servum Domino, quâ ejus vices agit, conferre nihil prohibeat. Et certum est hanc humilitatis speciem spectasse Christianos antiquitus, cum sacerdotum, & episcoporum pedibus acciderent, etiam vestigia lamberent: ne mirentur quidam id hactenus in summo pontifice obtinere.*

Luc. 8. Marc. 5. Marc. 7. Luc. 8. Ambr. in Luc. lib. 6. c. 7.

18. DOMINE INDIGNA SUM VALDE, &c.] *Augustinus ait*, Qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, jam cum Deo facit. *Et mox*, Initium operum bonorum est confessio operum malorum. *Chrysostomus*, Pœnitentem irasci non oportet, neque sævire, sed conteri tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam judicatum reum, tanquam ex sola salvari misericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum, tanquam injucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum suppliciis. *Confer Afræ verba, & omnes hos affectus invenies.*

In Joan. tract. 12.

19. A TURPISSIMO TACTU INQUINARI NON POTUIT] *Hæc ad peccatores omnes quibuscum Christus, calumniantibus Pharisæis, conversatus est, recte referimus, nihil enim peccatore inquinatius; tamen de Maria Magdalena, in effusione unguenti Domini corpus tangente, potissimum intelligenda. Similitudine perquam accommodata.*

20. LUX DE COELO VENIENS ET SPLENDOR SOLIS, &c.] *Elegans similitudo, qua Athanasius de incarnatione Verbi usus*, nam si sol ab eo creatus, & nostris oculis subjectus, circumambulans in cœlo, non sordescit attactu terrenorum corporum, neque à tenebris obscuratur, sed potius eas illu-

illustrat, & purificat : multo magis sacrosanctum illud Dei Verbum (quod solis est conditor, & dominus) cum in corpore innotesceret ; non maculas in se corrivabat, sed incorruptibile erat, corpusque mortale, quod assumpserat, vivificabat, & à sordibus desæcabat. Qui peccatum (inquit) non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus. *Peccata autem sordium & luti nomine denotare frequens est. Unde Ambrosius Joannis illud, de cæco curato per Christum*, tulit lutum, & linivit super oculos ejus, *lutum illitum, datam cognitionem peccatorum explicat; & Gregorius inter varias luti significationes inquit*, per lutum quoque desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut psalmista deprecans ait, eripe me de luto, ut non inhæream. Luto quippe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.

De sacram. lib. 3. cap 2.

In Job lib. 34. cap. 8.

21. FILIOLA] *Blandientis verbum. Ita Joannes Evangelista discipulos filiolos appellare solitus, multò intensiorem animi affectum, quam filiorum nomine exprimens, ut annotavit P. Damianus.*

Dam. Serm. 1. de Joan. Evang.

22. SUSCIPE IN TE LUMEN FIDEI] Fides principium Christiani, *ait Ambrosius. Hinc prima ad gentilem convertendum vox*, CREDE. *Quod irridet apud Gregorium Nazianzenum Julianus Imp. Unum* CREDE *summam Christiana sapientia dictitans. Nomina etiam Christianis hinc hæsere*, CREDENTES & FIDELES. *Fides verò cur lumen dicatur, ostendit Ambrosius*, Lucerna fides est, juxta quod scriptum est, Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, Verbum enim Dei fides nostra est : verbum Dei lux est, lucerna fides. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna enim lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit.

Amb. in 22. Ps. 18. Serm. 21. Greg. orat. 1. in Jul.

In Luc. lib. 11. cap. 52.

23. UT PURIFICATA AB OMNI PECCATO] *An per solam fidem, excluso etiam baptismo, cujus hactenus non meminit? Nequaquam. Ait enim paulo post*, Crede & baptizare. *Sed sensus est, Purificandam susceptâ fide, per ea, quæ à fide præscribentur.*

24. CLARITATE] *Observandum, similitudini lucis cælestis, & splendoris solaris, metaphoram luminis, & claritatis optimè convenire.*

25. EGO QUIDEM QUÆ, &c. QUOMODO POSSUM, &c.] *Vide ut verè pœnitens timori spem conjungat. Multum peccavit, ideò timet multum. Sed mox ac remissionis spes ostensa, oculos in eam conjicit, & purificationis modum inquirit, verbis quæ cupiditatem simul, & admirationem exprimant*, quomodo possum à tantis sordibus ablui. *Gregorius Magnus quatuor alas homini datas esse ait, quibus ad cælum feratur Binæ præteritis conveniunt, scilicet timor, & pœnitentia: binæ ad futura respiciunt, Spes, & amor.*

Sup. Ezec. lib. 1. hom. 4

26. TANTUM CREDE, ET BAPTIZARE, ET SALVA ERIS] *Quid fides, quid baptismus in homine operentur, figurata loquutione D. Pacianus pulchrè ostendit*, Christi semen, id est, Dei spiritus, novum hominem alvo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus videtur in ecclesiam, qui non credidit, aut genitus à Christo, qui spiritum ipsius non recepit. *At ne quis* tantum crede, *perperam accipiat, sciendum est, hic fidem non operibus, sed infidelitati opponi. Ac si explicatius dixisset, adjunge te tantum Christiana fidei. Præterquam quod jam monui, fidei nomine quandoque comprehendi, quidquid per fidem jubetur.*

Pac. de bapt. Vide Vegam de justif. lib. 11. c. 23. Quo sensu doctores ecclesiastici aliquando dixerint, fides nos sola justificari, & salvari.

27. QUID VOBIS VIDETUR] *Non consilium Afra, sed assensum quærit. Constitutum enim habebat, quid factura esset, quod ex puellarum responso apparet, cum illam ad amplectendam indulgentiam non hortentur, sed se in ea amplectenda comites futuras spondeant*, si sequutæ sumus te &c. *Atque hoc loco iterum agnosce digitum Dei. Quid mirabilius, quàm puellas peccatorum sordibus hactenus demersas, ad primum salutis nuntium animos tam alacriter erigere.*

28. DIGNA EVNOMIA ET EUTROPIA] *Martyrol. R. habet*, Digna & Eutropia & Eunomia. *Beda*, Digna & Eumenia & Euprepia, *ita quoque Usuardus, Ado, Maurolycus, Antoninus in Chron. & Phil. Bergomas. P. de Natalibus*, Digna, Eumenia, & Eutropia. *Ecclesia Augustana Dignam, Eunomiam, Eutropiam agnoscit. Consentiente Vincentio in Spec. hist. & quicumque Vincentium sequuti. Quod propria & privata res cuiq. notissima, ideò Augustana ecclesia libens fidem adhibeo. Et fieri potuit, ut inventis olim sanctarum*

Mart. 12. Aug.

Usuar. Ado Maur. in mart. Berg. hist. lib. 8. Pet. lib 7. cap. 28. 54.

Vinc. lib. 12. c. 147. 150. *clarum martyrum corporibus, inscriptiones, quæ scrupulum eximerent, fuerint adjunctæ.*

De Digna constat, Embricone episcopo repertam in loculo laminam plumbeam, sic inscriptam, CORPUS SANCTÆ DIGNÆ MARTYRIS.

Martyr. 11. Aug. 22. Sept. 14. Jan. Mart. 15. Jun. 30. Oct. 15 Sept 14. Dec. Mart. 30. Nov. Pius ep. ad Just. *Diversæ sunt ab his nostris, Digna virgo, quæ Tuderti colitur. Digna virgo passa Romæ sub Valeriano. Et Digna virgo passa Corduba Anno Christi* DCCCLIII.

Item Eutropia puella martyr Palmiræ. Eutropia martyr Alexandriæ. Eutropia vidua in Gallia. Ac Eutropia virgo martyr, soror S. Nicasii episcopi Rhemis.

Denique Euprepis passa Romæ cum Castulo. Atque Euprepia cujus S. Pius Pontif. meminit, quod domum suam Romæ in titulum pauperibus assignaverit.

29. INCIPIENS AUTEM HYMNOS DEO CANERE. &c.] *S. Augustinus*, Hymni laudes sunt Dei cum cantico, Hymni cantus sunt continentes laudes Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non sunt Hymni. Si sit & laus, & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergò ut si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum. *Nocturnarum orationum, & cantionum antiquæ ecclesiæ, meminere multoties cum sancti patres, tum auctores profani, si qui res Christianas attigere. Harum in commune duplex erat ratio. Singulis noctibus, horis certis, surgebant homines pii, præsertim ecclesiastici semel, aut eo amplius, ad orandum, & canendum: Statis præterea temporibus, excubabat in ecclesia solidas noctes plebs universa, his ipsis studiis intenta. Idq; vigiliarum nomine significabatur. Privatim deinde, ut quisque Deum præcipua contentione, vel ob patrata crimina placandum, vel in posterum exorandum sumpserat, ita perviligio præ cæteris studebat.* Illustris locus est apud Hieronymum, memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. *Et in patrum, reliquorumq; sanctorum vitis, nihil frequentius occurrit. Cum igitur inter primaria Dei opera hominis peccatoris conversio numeretur, eam Narcissus merito tanto conatu expetendam putavit.*

In Psal. 72. Ammian. Marcel. lib. 28. sub finem Festo dic. Christiani ritus in Ecclesia pernoctabant. Ad Eustoch. de cust. virg.

30. SIMUL HABENS AFRAM CUM SUIS PUELLIS CONSORTEM] *Quid Narcissus, & Felix, quid rursus Afra, & puellæ oraverint, docebunt Chrysostomi verba, episcopum scilicet, & diaconum orasse pro catechumenis*, ut misericordissimus, & miserationum Deus, ipse exaudiat preces illorum. *Et deinde*, ut Deus aperiat aures cordium illorum. *Quibus precibus hodie quoque ecclesia utitur.* Verum Catechumenorum deprecatio quænam potest esse, nisi ne maneant catechumeni. *Ita Chrysostomus.*

In ep. ad Cor. 2. c. 1. hom. 2.

31. MANSERUNT HIC, ET ABIERUNT AD SACRIFICIUM] *Manserunt hic per noctem, deinde abierunt. Num Afra hospites falsa excusatione celandos putavit? An potius episcopus cum diacono vere secesserat in aliquam domus partem, ad faciendum sacrificium Christiano ritu? Ut quæsitores non mendacio, sed ambiguitate sermonis decepti sint. Etsi fortasse prius illud probabilius, nam postea matri narrat*, ego verò fasces lini habeo, sub quibus abscondi eos.

32. CAPITOLIUM] *Unus ex septem montibus Romæ, primò Saturnius, deinde Tarpejus, postremò Capitolium appellatus est*: Quod hoc cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur, *inquit Varro. Accidit Tarquinio Superbo rege, uti Livius, & copiosius Dionys. Halicarnassæus narrat. Caput Toli Vulcentini fuisse, Arnobius ex Sammonico, Granio Valeriano, & Fabio docet. In hoc monte præcipuè arx, & templum Jovis. In templo tria delubra, Jovis, Junonis, Minervæ. Postea etiam simulachra omnium deorum, auctore P. Victore. Cui astipulatur Tertullianus*, Capitolium omnium dæmonum templum est. *Et rhetor ille, qui orationem Ciceronis nomine, ad equites antequam iret in exilium scripsit, primum Jovem, Junonem, & Palladem, deinde reliquos Deos, Deasq; qui Capitolium colunt, invocat. Comprehendebatur regione urbis* VIII *quæ Forum Romanum. Aliud erat Capitolium vetus in regione* VI. *alta semita. Cujus item meminit Victor & Varro*, Capitolium vetus, quod ibi sacellum Jovis, Junonis, Minervæ: & id antiquius quam ædis, quæ in Capitolio facta. *Sed nudo Capitolii nomine primum*

Var. de ling. lib. 4. cap. 7. Liv. lib. 1. 6. Dion. lib 4. Arnob lib 6 Vitr. de reg. urb. Tert. de spect. Lib. 4. c. 32.

primum illud intelligitur. Ut verò occulta naturæ vis impellit homines, liberis parentum nomina imponere, ita etiam cogere solet colonias, relictarum urbium memoriam reddere, effictis ad harum speciem locis, & nominibus, quam proximè fieri potest. Quod scite expressit Virgilius in Heleno, & Aceste. Hac ratione crebraper Romanas colonias Capitolia instituta. Quibus nullum inventum caput, sed præjudicium dominæ urbis nomen fecit. Observavi in Italia Capitolium habuisse Capuam, & Beneventum ex Suetonio, Florentiam, & Mediolanum ex Vinc. Borgino, Ravennam ex Hieron Rubeo, Nolam ex Adone; In Africa Carthaginem ex Cypriano: In Thracia Constantinopolim ex illius urbis descriptione: In Gallia Narbonem ex Sidonio, Tolosam ex martyrologio R. Treveros ex vita S. Tyrsi, Xanctones ex P. Pithœo, Augustodunenses ex Eumenio; Agrippina Ubiorum Capitolii cognomen templo cuidam hodie quoque adhæret. Atque diligens investigator fortassis plura inveniet. Multo enim frequentissimum Capitoliorum usum, ostendunt testimonia, quæ statim sequuntur. Tertullianus. Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitoliis. *Quamquam Fulv. Ursinus*, in Capitolio *corrigit, sed ego caussam necessariam hujus correctionis nullam video. Arnobius:* Nonne vides, in Capitoliis omnibus virginales esse species Minervarum? *Concilium Elibertinum*, prohibendum, ne quis Christianus aut gentilis ad Idolum Capitolii sacrificandi caussa ascendat. *Hoc in Hispania decretum, ne quis ad Romanum Capitolium pertinere existimet. S. Zeno sermone de spirit. ædif. domus Dei, de Judæis, & gentibus verba faciens*, si liceat, vel si velint, fortassis cultius synagogas ædificent; cultius erigant Capitolia. *Annotavit præterea Baronius, S. Hieronymum de locis Hebraicis, & Comment. in Isaiam, Arcem Babyloniæ tanquam per synonymiam, Capitolium explicare. Quæ eò à me collecta sunt, ne ad Capitolii nomen, in splendidissima Rætia provinciæ colonia, Augustâ Vindelicorum, hæsitemus. Qua parte urbis steterit, ægrè quisquam definiet. Mihi quidem nihil hujus liquet. Cæterum ad Romanum exemplum, ubiq; Jovem Junonem, Minervam in Capitoliis consuevisse coli, opinari licet. De Minerva planum fecit Arnobius. De reliquis par persuadet ratio.*

Æn. lib. 3. 5. Suet. Tib. c 40. Cajo cap. 57. de gram Orbilio. Borg. orig. F.or. Rub. hist Rub. l. 1 Ado. mart. 14. Jan. Cyp. ep. 55. & de lapsis. Descript. Const. reg. 8. & Gyllius Topog lib. 3. cap 7. Sidon. de Laud. Narb. Mart. R. 29. Not. & ibi Baron. Vita S. Tyrsi apud Sur. t 7. Hieb. Adverf lib. 2. cap. 18. Tert de corona. Ursf. in notis ad 7. frag. inscrip fratr. arval Arnob. l 4. Conc. Elib. Can. 59.

§3. VEL AD TEMPLUM ABISSE] *In Capitolio sanè templum: Sed templum: Sed templa etiam extra Capitolium. Mercurii, Silvani, aliorum, inscriptiones hactenus Augustæ extant. Sensus est itaq;, vel ad Capitolium, vel ad aliquod aliud templum abiisse.*

34. OMNI HORA SIGNABANT FRONTES SUAS SIGNO CRUCIS] *De signo crucis multa ex Christiana antiquitate in unum collegere, cum alii, tum Alanus Copus, quæ hic repetere supersedeo. Sed addo D. Martialis locum, quo doceam ejus usum ab Apostolicis temporibus originem ducere,* Crucem Domini, in quem credidistis, Deum verum, & Dei filium, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini armatura vestra invicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & angelicas insidias perversæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. *Crucem in primis Julianus Imp. Christianis objecit*, Crucis signum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingentes. *A quibus nobis hæc ipsa nunc objiciantur, nemini obscurum est. B. Hippolytus episcopus, & martyr, cum se Antichristi peculiaria facinora prædicturum promisisset, verba illa Apocalypsis*, faciet omnes pusillos, & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: *Hac interpretatione imitatus est*, dabit characterem in dextra manu & fronte, ne quis dextra, sua pretiosam illam crucem pingat in fronte.

Alan. dial. 4. cap. 6. Mart. ad Burdig. c. 8. Apud Cyril. lib 6. contra Jul. Hippol. de consum. mundi. Apoc. cap. 13.

35. AD ME MERETRICEM HABERENT INTRARE, SI CHRISTIANI ESSENT.] *Antea dixi, vitæ Christinæ innocentiam, apud gentiles inimicos illustrem fuisse. Proinde hospitium meretricis, satis ab opinione Christianitatis vindicare videbatur: Cum Christiani obtutum quoque ab hujusmodi domibus revocarent. Tertullianus, quem toties laudo, inter commoda carceris numerat*, non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt. *Et alibi, cum jussisset lectorem (ut argumento, quod præ manibus erat serviret) meretricium cultum inspicere, mox se castigans ait*, etsi præstat oculos abducere ab ejusmodi propudiis occisæ in publico castitatis,

Ad martyr. De Pallio.

36. ABIIT.

36. ABIIT AFRA AD MATREM SUAM] *Majores nostri credidere, Aſram haud procul à templo, quod nunc illi & D. Udalrico ſacrum eſt, habitaſſe: Matris domum in eccleſiam S. Martini poſtmodum abiiſſe.*

De Afra ſi verum, eam in ſuburbio habitaſſe dicamus neceſſe eſt: neque enim illud ſpatium pomœrio antiquitus comprehendebatur. Idem, de S. Martini æde quibusdam videtur. Mihi non admodum liquet.

Adi martyrol. 37. HILARIAM] *Diverſa ab hac eſt Hilaria, quæ cum Claudio marito* III. *Non. Decembr. colitur. Diverſa quoque, quæ Prid Cal. Jan. utraq. Romæ paſſa. An noſtra veneri hoc nomine gratificari voluerit, aliquando dubito. Certè quæ* VIII. *Cal. April. Hilaria feſta Deûm matri agebantur, ad Venerem etiam reſpiciebant. Macrobius enim ubi de Atti & Adoni, qui annuè Veneris nomine plangebantur, ſic ait,* ſimulatione luctus peracta, celebratur lætitiæ exordium ad octavum Calend. Aprilis, quem diem Hilaria appellant. *Satur. lib. 1. cap. 21.*

38. EXPANDENS MANUS SUAS AD DEUM SUUM] *Ut manus orando levemus atque expandamus, naturæ inſtinctu facere videmur. Ita David,* expandi manus meas ad te. *Atque innumera ſunt hujus moris exempla. In Chriſtianis accedit crucis myſterium. Quod innuit Tertullianus,* nos vero non attollimus tantum, ſed etiam expandimus, & dominica paſſione, modulantes & orantes, confitemur Chriſtum. *Pſ. 142. De Orat.*

39. CIRCA VERO PULLORUM CANTUM] *Omnibus animalibus pullorum nomen convenit, ſed avium generi præcipuè. Gallicinium itaq. denotat. Antiquitus, inquit Cenſorinus, tum noctem in quatuor vigilias dividebant, tum etiam plura noctis tempora propriis diſcernebant nominibus. Puta poſt crepuſculum, ſequitur tempus, quod dicebant luminibus accenſis, ſive ante quius prima face: Deinde concubium, cum itum eſt cubitum: Exinde intempeſta, id eſt multa nox: Tum ad mediam noctem; media nox: De media nocte: ſequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt: Deinde conticinium, cum conticuere. Tunc ante lucem: Et ſic diluculum. Paulo igitur poſt mediam noctem lumen candelæ extinctum. Atque hæc omnis narratio, conſulto in hunc locum à ſcriptore hiſtoriæ dilata eſt. Nam ſi eam antea, illis verbis ſubjeciſſet,* epiſcopus totam noctem orando, & pſallendo pertranſiit, ſimul habens Aſram cum ſuis puellis conſortem, *ubi rei geſtæ ſeries illam videtur requirere, hic omninò repetenda fuiſſet.* *De die nat. cap. 10.*

40. OSTENDETUR LUX, QUÆ EXTINGUI NON POTEST] *Lux quæ ad preces epiſcopi mox de cœlo venit, ad auroram tantum, nec ultra luxit. Verum diaconus aliam præterea veram lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quæ hac oculis perſpicua luce ſignificatur, intelligebat. Eadem fere ratione Chriſtus de aquæ diſputans, mulierem Samaritanam ad veri cognitionem pertraxit.* *Joan. 4.*

41. VENI LUX MEA DE COELO, OSTENDE FACIEM TUAM, ET SALVI ERIMUS] *Reſpexit ad ea, quæ in pſalmis leguntur,* Emitte lucem tuam & veritatem tuam, *Item,* Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. *Vel quid aliud ſimile, etiamſi totidem verbis non rediderit.* *Pſ. 42. Pſ. 79. ter.*

42. VENIT FULGOR DE COELO] *Cum ea, quæ fides Chriſtiana proponit, omnem humanæ rationis captum excedant, & tamen adipiſcendæ æternæ felicitati omninò credenda ſint: Ideò noluit Deus homines ad credendum cogere, niſi per miracula prius credibilia reddidiſſet. Chriſti verba ſunt,* ſi opera non feciſſem in eis, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent. *Quæ cauſſa eſt, cur primitiva eccleſia miraculorum dono tam largiter fuerit dotata. Hinc ait Joan. Chryſoſtomus, tunc utile fuiſſe, ut ſignafierent, nunc verò minimè: Quin Auguſtinus,* neceſſaria fuiſſe priuſquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. *Cæterum cogita, quam apte opera Dei cohæreant. Conſolatus eſt Narciſſus Aſram ſimilitudine ſplendoris ſolaris: Deinpromiſit, ſi lumen fidei ſuſciperet, eam perpetua claritate gaviſuram: Jam nunc oſtendit lucem in mediis tenebris, præter naturæ vires emicantem: Poſtremo internam illuminationem perficit, cui exterior iſta arrhæ loco fuit. Et in plurimis ſanctorum vitis licet hoc miraculi genus obſervare, quamquam non ſemper eodem modo contigerit. In S. Sebaſtiano ſimile quid Zoe matrona viderat, & turpe putavit tam evidenti aſſertioni fidem non adjungere.* *Joan. 15. Chryſ. ep. 1. ad Cor. c. 2 hom. 6. Aug. de civ. Dei lib. 22. cap. 8. Ex ejus actis.*

43. DUM

43. DUM ORATIONEM FINISSET, &c. DICERE, AMEN] *D. Paulus ad Corinthios:* Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet AMEN supra tuam benedictionem ? quoniam quid dicas nescit. *Chrysostomus idiotam promiscuam plebem, vel laicum explicat. Ut significat post secula seculorum, qui finis precum sit, Amen subijci solere. Justinus*, Præpositus quantum potest preces offert, & gratiarum actiones, plebs verò Amen accinit. *Quæ tamen hæreticis nihil patrocinari ad assertionem, vulgaris linguæ, in divinis officiis, & publicis precibus, discere potes ex Ledesma, Hosio, & Bellarmino, qui hoc argumentum explicant. Verbum ipsum* AMEN *Hebraicum est, de quo Hieronymus ad Marcellam*, Amen vero Aquila πιστωμένως exprimit, quod nos Fideliter possumus dicere, ductum adverbium ex nomine fidei. Amen Septuaginta γένοιτο, id est, Fiat. *Ep 1. c. 14.* *Chrys homil 35.* *Apol. 2.*

44. DOMINE, &c. SUM ENIM MULIER PECCATRIX] *Ita Petrus*, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum. *Ut verò Jesus respondit*, Noli timere, *Sic Narcissus*, Quo me Deus meus jussit ingredi, introibo. *Nam hæc verba penitius considerata, omnem timorem abstergere apta sunt ; cum utique Deus temere ingredi non jusserit. Porrò ad illud Petri Ambrosius*, Dic & tu, Exi à me Domine, quia homo peccator sum : Ut respondeat tibi Dominus, noli timere. Indulgenti Domino peccatum fatere &c. *Est etiam animadvertendum, quod hic Afra narrat, se ad pedes Narcissi projectam, hæc verba protulisse, nihil pertinere ad prius illud*, procidit ante pedes ejus, dicens : Domine indigna sum valde, &c. *Id enim vesperi, ut primum intellexit Narcissum Christianorum episcopum esse, hoc vero mane contigit, cum novo miraculo iterum consternata esset.* *Luc. 5.* *In Luc. lib. 4 c. 5.*

45. FASCES LINI HABEO, SUB QUIBUS ABSCONDI EOS] *Uti Afra legatos veri Jesu, ita Rahab meretrix Hierichuntis, olim exploratores Josue sub lino abscondit. Facile utrinque plura conferes.* *Jos. c. 2.*

46. MATER EJUS GAUDIO REPLETA DIXIT, &c.] *Cum Deus Afræ domum semel benignis oculis aspexisset, matrem Hilariam exortem divinæ gratiæ relinquere noluit, nam* Dei perfecta sunt opera. *Et probè iterum accommodari potest*, Rahab meretrix vivat, cum universis, qui cum ea in domo sunt ; abscondit enim nuntios, quos direximus. *Cbiter non est transmittendum, Hilariam, quamquam Idolorum vanitati adhuc deditam, tamen præstationem voti ab uno Deo petere. Quod cum Tertullianus in aliis ethnicis observasset*, Testimonium animæ naturaliter Christianæ *esse existimavit. Lactantius idem argumentum multis prosequitur* *Deut. 32.* *Jos. c. 6.*

47. PER TRES HORAS TENERET PLANTAS EJUS] *Quam anxiè, & quam ardenter Hilaria animæ salutem concupierit, hinc cognoscimus. Quæ enim sequuntur ab ea prolata verba, pium animi affectum procul dubio significant : Verum igneum illud desiderium, nulla unquam lingua tam expresse eloquetur quam per tres horas jacens corpus ad pedes episcopi. Merito responsum tulit*, Beata est fides tua. *Afferamus exemplum Pelagiæ pœnitentis sub Imp. Theodosio juniore. Cujus historiam à Jacobo diacono Heliopoleos, qui conversioni interfuit, graviter conscriptam habemus. Et quoniam pleraque eorum explicat, quæ per trihorium inter Hilariam, & Narcissum disputata, hic brevitatis gratia omissa videri possunt, ideò non gravabor plura ex illa verba describere.* Venit illa (*Pelagia nimirum*) ubi sedebant episcopi, seséque in pavimentum prono vultu prosternens, apprehendit pedes beati Nonni, aitque ad eum : Rogo te, mi Domine, imitare magistrum tuum, Dominum Jesum Christum, & impertire mihi humanitatem, meque Christianam effice. Ego enim sum pelagus flagitiorum, & quædam iniquitatis abyssus. Peto autem sanctum mihi conferri baptisma. Cumque vix ei persuasisset episcopus, ut à pedibus surgeret, sic illi locutus est : Sacri episcoporum canones vetant baptizari meretricem, nisi fidejussores adhibeat, qui fidem dent, eam non redituram ad anteactæ vitæ turpitudinem. Hac episcopi sententia audita, rursus in pavimentum se abijcit, comprehensosque sancti viri pedes rigat lacrymis, & capillis suis detergit, dicitque illi : Tu itaque rationem reddes justo judici Deo pro anima mea, & tibi imputabo omnia scelera, & flagitia mea, si distuleris mihi impuræ, & turpissimæ, salutaris lavacri beneficium impertire. Non sit tibi portio apud Deum inter sanctos ejus, nisi me feceris alienam à male- *Apol. & de testim. An. Lact divin. inst. lib. 2. cap. 1.*

maleficiis, & peccatis meis. Negasse Deum, & idola coluisse censearis, nisi me hodie in Christi sponsam renasci feceris, & obtuleris Deo puram, & immaculatam. *Episcopi, qui in Nonni confessu erant, pronunciavere:* Nunquam se talem vidisse fidem, tantumque obtinendæ salutis desiderium. *Itaque Pelagia post confessionem, & exorcismum, baptizata est. Ad spatium trium horarum, quibus Afra, Narcissi pedibus provolutajacuit, quod spectat, prodit Hieronymus, Antonium ante speluncam Pauli eremitæ, sex & amplius horas aditum precantem jacuisse.*

In Vita Pauli.

De Cor. mil. 48. ANTEQUAM DISCERES, &c.] *Similes est apud Tertullianum locus,* Laudo fidem, quæ ante credidit observandum esse, quam didicit.

De bapt. 49. HODIERNA DIE SIMUL INCIPITE JEJUNARE, &c.] *Exantiqua ecclesiæ disciplina. Tertulliani verba sunt,* ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum. *Nostra compara, invenies Confessionem: Orationes, quibus geniculationes comprehensæ; Vigilias: & jejunia. Præterea, Catechismum,* audite sermonem veritatis: *& exorcismum, cum se dæmon paulò post exclusum fateatur. Quæ baptizaturi partes sunt; nam Tertullianus de baptizandis tantum agit.*

50. DICIMUS, QUID COLIMUS, ET ITA DEMUM DOCENOS. &c.] *Narcissus scivit proculdubio, has mulieres gentiles esse; sed cum Deorum cultus varius esset, & multiplex, multum intererat cognoscere, quam rationem ista sequerentur, ut intellecta vi veneni, antidota maximè necessaria adhiberentur.*

51. PARENTES MEI GENERE CYPRII FUERUNT, ET INDE VENERUNT] *Paucis verbis, quibus Hilaria non se ipsam, sed parentes suos ex Cypro venisse asserit, illa pene omnia convelluntur, quæ incerto rumore, prologo à nobis omisso sunt prodita. Immò si ulla unquam conjectura probabilis existimata, nihil omninò probabilius, quam quod hinc conjicio, Hilariam & Afram Augustæ natas esse; sive ambas, sive certe alteram, Afram scilicet. Id à nemine hactenus observatum miror, cum ad hujus urbis splendorem magnifice faciat. Ait Hilaria, parentes ex Cypro venisse, neque quo venerint exprimit. Cui dubium erit illum locum subintelligi, in quo sermo enuntiatur. Quis enim alius sensus esse possit? Sed demus ipsam infantem Cypro à parentibus exportatam. Et hanc causam esse, cur illos potius, quàm se cum illis venisse dicat. Vel demus etiam in itinere natam: Idem equidem in Afram filiam nullo modo quadrabit. Sed hanc Augustæ natam prorsus fateamur oportet. Et si quid video, hinc apertissime refelluntur prologi ineptiæ tum de hiscе quæ Romæ, tum multo magis de his, quæ in Cypro circa eas contigisse narrat. Quanquam eorum vanitas etiam aliunde certis rationibus demonstrari potest. Nam Afram Reginam, patre Cypri Rege, matre item Reginâ natam esse, ut cateroquin nihil obstet, temporum ratio minimè patitur. Cum constet, Cyprum à M. Catone, lege P. Clodii, in provinciam redactam esse: Ultimum Regem Ptolemæum, fratrem Ptolemæi Auletis Alexandrini Regis, hausto veneno sibi mortem conscivisse: Idq; ante annum urbis septingentesimum, multo prius quam Christus ex virgine nasceretur, contigisse. Cui rei frequentissimi testes Cicero, Livii epitome, Plutarchus, Velleius, Appianus, Dio, Strabo, Valerius, Florus, Rufus, Ammianus, Lucanus. Singulorum locis immorari nihil est necesse, cum vix sit Romanas historias attingere, quin in ea incurramus. Posthæc M. Antonius insulam quidem Cleopatræ donavit, sed ejus acta statim à morte rescissa sunt, quod tradit Plutarchus: Neque deinde ullus in Cypro Rex, quam diu Romanum imperium stetit. Nam provincia universam insulam complectebatur, ne quis Britanniam in exemplum trahat, quæ post constitutam provinciam aliquos adhuc Reges habuit. Quod de Rege Atticæ insulæ, & de pugna cum Cyprio subjungitur, multo est nugacius. Sed videor intelligere, quid auctores fabulæ sequuti sint. Constabat illis ex historia, Hilariam, & Afram Cyprias origine fuisse, Imaginem utriusque ex antiqua traditione coronatam aspiciebant, quod ergò proximum, Matrem uxorem Regis, filiam Rege natam existimavere: Et ut aliqua exilii causa appareret, reliqua illa de patre pugna victo, & caso quaq; consequentia videbantur, affinxere. Nam qui omnium rerum, quæ in antiquis historiis leguntur,*

Plut. M. Ant.

causas

cauſſas reddere conſtitutum habent, inceptas aliquando pene aniles ſequantur neceſſe eſt.

Quamquam de coronis multæ cauſſæ, præter unam quam commenti ſunt, & quam varias parergis exornarunt, afferri poterant. Quanto probabilius ecclesiæ antiquam conſuetudinem appellaſſent, quæ martyrium Coronam nominare ſolita; certa nimirum juſtum judicem pro paſſionibus hujus ſeculi immarceſcibilem coronam ſuis retribuere. Hinc factum, ut ſancti omnes radiis inſignirentur. Quid ſi regiam cognationem prætexuiſſent? Etſi diademata regum reginarumq; propria corona non item, diademata autem faſcia tantum conſtent. Quod ex pleriſq; hiſtoriis planum. Lyſimacho frontis vulnus diademate ab Alexandro eſt obligatum, futuri regni omine. Pompejo vitio verſum, quod crus ulcere affectum faſcia circumligatum ferret, quaſi parum intereſſet, qua corporis parte diadema geſtaret. Egregie Seneca, vines illum Scythiæ Sarmatiæve regem, inſigni capitis decorum? Si vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolve. multum mali ſub illa latet. *Et Monima Mithridatis mori juſſa, cum ſe proprio diademate ſuſpendiſſet, illo disrupto:* O execrandum, inquit, diadema, neque in tam triſti mihi miniſterio profuiſti. *Si tamen hanc cauſſam noſtri prætuliſſent, nihil vetat mortuo Ptolemæo, pleroſq;, qui eum ſanguine attingerent, ſupervixiſſe: Inter eos qui iſtarum mulierum majores ponat, temere fortaſſis pronunciet; mendacii tamen non convincatur. Propius etiam ad veri ſpeciem, Hilariam ex Cinyræ poſteris deduxiſſent. Ut corona inſigni regiam originem teſtatam facere voluiſſe crederetur. Certè Tacitus Cinyræ familiam ſua ætate ſuperfuiſſe, & procurationem ſacrorum Veneris in Cypro habuiſſe oſtendit Neque eſt cur opinemur, à Tacito ad Diocletianum intercidiſſe. Quin & de ſacris initiis cogitare poterant. Nam Veneris myſteriis hæſce mulieres initiatas mox intelligemus. Initiati autem quandoque auro coronabantur. Decretum Athenienſium inter epiſtolas Hippocratis*, viſum eſt populo ipſum publicè magnis myſteriis initiare, quemadmodum Herculem F. Jovis, & coronare ipſum corona aurea mille aureorum. *Annon etiam aurea corona inter mulierum ornamenta? Certè Pollux numerat. Et Lampridius in Alexandro*, Matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificiū facerent. *Quinnec meretrices his abſtinuiſſe ex Cicerone cognoſcimus*, ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, quo facilius res intelligatur) meretrix coronam auream non habeto. Si habuerit, publica eſtō.

Indè Prudentii periſtepo.

Epiſt. 80. vel 81.

Plut. Lucullo.

Hiſt. lib. 2.

Poll lib. 5. c. 16.

De inſtit. lib. 2.

Sed quidquid hujus ſit, illud non dubiis conjecturis perſpicuum eſt, Hilariam & Afram Veneris Cypriæ ſacerdotes fuiſſe. Nam peregrino ritu Venerem ab iis cultam ſignificant Hilariæ verba, cum ait, parentes ex Cypro cum ſacris Veneris veniſſe. Pecuniaribus ergò ſacerdotibus opus erat. Eaquin ipſamet fuerint, nihil attinet dubitare, Hilaria de filia diſertè explicat, ego denique filiam meam ſacris Veneris conſecravi, quaſi Deæ Veneri ſerviturum. *Alioquin etiam Veneris ſacerdotes fœminas obſervare licet. Apud Plautum anum, quæ Ampeliſcam & Paleſtram ſuſcipit; Nummiam Variam in antiqua inſcriptione, quam Fulv. Urſinus emiſit & alias alibi. Sacerdotes autem coronari conſueſſe, quam multi teſtes; Tertullianus*, ipſæ dehiq; fores, ipſæ hoſtiæ, & aræ, ipſi miniſtri, & ſacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum ſacerdotalium coronas apud Claudium. *De Veneris ſacerdote eſt exemplum apud D. Hieronymum. Cum S. Hilarion perveniſſet.* Eluſam eo fortè die, quo anniverſaria ſolennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat, *Virum ſanctum* non prius abire paſſi ſunt, quam futuræ eccleſiæ lineam mitteret, & ſacerdos eorum, ut erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur. *Sed hæc corona fere ex floribus, ideò inquit Tertullianus, Cl. Saturninum libro de coronis* nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non alicui capiti *conſecraſſe. Et pleraq; hujus generis hauries ex Clemente Alexandrino, & Athenæi Deipnoſophiſtis. Illud interim meidem Tertullianus monet, ſacerdotibus in provinciis aureas coronas fuiſſe. Loquitur ut de re vulgo nota*, Purpura illa & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincialium. *Meminit Ammianus Marcellinus corona ſacerdotali, quam ſub*

Plaut. Rud. Urſ. in leg. & S. Conſ. ant. n. 16. De Cor. mil.

In vita Hilar.

Clem. ped. lib. 2. cap. 8. Ath. lib. 15. De idol.

Hiſt. lib. 29.

Valente Imp. Firmus Maurus Romanus restituit, cum militaribus signis, & cæteris, quæ capto Icosio oppido interceperat Eam auream potius quam floridam fuisse, restitutio satis arguit. Atque hanc ego potissimam, & verissimam caussam censeo, cur imagines auro coronatæ. Ut tamen si quis probabilius disserat, non invitus sim auscultaturus. Scire etiam refert, insignia crucibus, & leonibus distincta, quæ imagini S. Afræ appingi solent, nihil ad ejus familiam, nihil item ad ævum, quo illa vixit, pertinere: sunt enim insignia Lusinianorum, qui post excisum Francicum in Palæstina imperium, in Cypro rerum potiti sunt, atque Jerusalem & Cypri Reges dici voluere. Id tantum significant, Afram ex Cyprio Regno originem ducere. Quæ indicanda non existimassem, nisi animadverterem, hac quoque in re nonnullos, omnis antiquitatis imperitia deceptos, errare.

52. INDE VENERUNT CUM SACRIS VENERIS] *Venus* Æneadum genetrix, *ut poëtis appellatur, inter præcipuos Deos Romæ, & per omnem Romanum orbem semper est habita, Consentibus annumerat* Mart. Capella, *Selectis Augustinus. Neque ferri potest, Hilariæ parentes sacra Veneris in universum ex Cypro primum attulisse: Verum cum Veneri diversis locis alsis atque aliis institutis sacra fierent, Cyprium cultum tunc primum Augustam appulisse, intelligendum est. Quo is ritu constaret, mox aperietur. Huc forta sse pertinet, cognoscere ex Tacito, qua figura Veneris* Ἀφλοδ. *Paphi in Cypro extiterit.* Simulachrum Deæ non ethnicæ humana. Continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exurgens. Et ratio in obscuro *Quæ verba, cum conum, Augustæ symbolum, tam aptè describant, ut jam expressius non possint, fateor me commovisse aliquando, ut cogitarem, an ea antiquitus symboli occasio. Nam per multas urbes symbolis suis, religionem alicujus numinis expressisse, discimus ex nummis. Et erant alia quoque, quæ conjecturam commendarent. Sed certis de caussis, illam omninò abdicavi; indicatam tamen volui.*

Cap. lib. 1. Aug. de civ. lib. 7. cap. 2. Hist. lib. 2.

53. VENUS COLI NON POTEST, NISI AB HIS FOEMINIS, QUÆ FUERINT FORNICATÆ] *De multiplici Venere mythologi adeundi. Nos consuetudinem, cujus hic fit mentio, tantum explicabimus.*

Fuere qui Venerem castitate colerent. Narrat enim Pausanias de Veneris templo apud Sicyonios, in quod sola ingrediebantur æditua mulier, cui viri consuetudine interdictum, & virgo, quæ annuo fungebatur sacerdotio. Et Augustinus irridet gentilium vanitatem, qui Vestam, cui virgines serviant, dicant Venerem esse. Verum qui contra Venerem meretricatu colerent, multo plures extitere, quam qui pudicitia. Strabo de Anaitide, quo nomine Armenis Venus, Illustrissimi ejus nationis filias suas virgines ei dedicant, ac lex est, ut longo tempore apud Deam constupratæ, deinde nuptum dentur: neminotalis mulieris conjugium dedignante. Tale quippiam etiam Herodotus de Lydiis mulieribus scribit. *Extat locus in primo Herodoti. De Phœnissis auctores habemus Augustinum, Athanasium, & Val Maximum. De Babyloniis rursus Herodotum, & Strabonem. Item Herodotum de Nasamonibus, & Adyrmachidis. Nam ubicunque hi ritus, ad Venerem pertinebant. De Augilis Melam & Solinum. De Locrensibus & Epizephyriis Athenæum. Qui præterea prodit, Veneris meretriciæ delubrum Abydi fuisse: Meretrices in Samo & Ephesi Veneri templa ædificasse: Corinthias meretrices salutem Græciæ à Venere exorasse: & Corinthiorum plebem vovere solitam, si quod precibus flagitaret impetrassset, Deæ certas se meretrices adducturam. Inde est, quod Strabo lib. 8. scribit*, fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures quam c Io. habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri, mulieresque dedicarunt. *Innumera sunt, quæ apud poëtas Græcos & Latinos in hanc sententiam habentur. Piletærus apud Athenæum, docet Venerem nullo nomine frequentius quam meretricio coli solitam. Versus ita reddidit interpres,*

Pausan. Corinth. Lib. 11. Aug. de civ. lib 4 c. 10. Athanas. contra Idola. Val. lib. 2. cap 7. Herod. lib. 1. 4 Strabo lib 16. Mela. lib. 1. Solin. c 35. Athen. lib. 12. 13.

--- --- --- Ubique Veneri
Amicæ templum dicatum videmus,
At Maritæ nusquam in tota Græcia.

Quæ

Quæ etsi rectæ rationi adeò refragentur, ut vix credibile videatur, cuiquam unquam tam crassas tenebras ab humani generis hoste potuisse objici, tamen in ethnicis hominibus minus mirum est, quia has idolorum suorum delicias esse credebant, *ait Salvianus: & Athanasius*, cum viderent suos Deos istiusmodi rebus oblectari, statim eos iisdem delictis æmulati sunt. Egregium facinus arbitrati, si exempla eorum, quos summos censebant, imitarentur. Atque inde factum est, ut sceleribus homicidiorum, parricidiorum, omniumque libidinum succubuerint. Nam propemodum omnes civitates omnibus libidinibus scatent, ob immanitatem morum, quam in suis diis conspiciunt. *An non multo fœdiora in hoc ipso libidinum genere designarunt homines nomine tenus Christo dediti? Horrenda sunt, quæ de Euchitarum sacris Psellus, & de Gnosticorum colluvie Epiphanius scribit. Sed ad Venerem redeamus.*

Salv. de prov. lib. 5. Ath. contra Idol.

Psel. de energ. dæm. c. 5. Epiph. hær. 26.

Cyprii cum insulam maximè fertilem, nulli præstantiâ cedentem, eaq; de caussa aliquando Macariam dictam, ut Plinius index est, colerent, luxui ad miraculum usque dediti fuere. In primis omnem fidem superant quæ Athenæus de Regibus, de Reginis Valerius prodidit. Ea mollities cum in reliquum vulgus pro modulo fluxisset, meretriciæ religioni facillimè aditus patuit. Nam Lactantius, Athenæus, & Justinus Trogi abbreviator, inditant, Venerem à Cypriis mulieribus eadem ratione, qua à reliquis, quos enumeravimus, populis cultam esse. Accedebat, quod Dea origine Cypria, illique tota insula sacra censebatur. Sive quod de Venere, quæ olim inter homines vixit, ita verum sit, sive quod Voluptatis Deæ voluptaria insula convenire crederetur. Intestimonium persæpe Cypriæ nomine, uti etiam cognominibus Paphiæ, Idaliæ, Golgiæ (Cypri loca sunt) appellabatur. Et Lactantius eam primam meretricium in Cypro instituisse, ex sacra historia scribit, Auctor mulieribus in Cypro fuit, uti vulgo corpore quæstum facerent. Quod idcirco imperavit, ne sola præteralias mulieres impudica, & virorum appetens videretur. *Idem Athanasius*, ex Venere meretricatum didicerunt. *Neque alio respicit Hilaria inquiens, se filiam divinis Veneris imitationibus occupasse. Si tamen hæc scriptura probatur, nam si libri adjuvent, lubens legam* initiationibus.

Plin. lib. 5. cap. 31. Ath. l. 6. Val. l. 9. cap. 2. Lact. de falsa rel. c. 17. Athen. lib. 2. Just. lib. 18.

At quoniam certorum Deorum sacra, quo sanctiora crederentur, arcanis ritibus mysteriorum nomine constabant: atq; initiandi solemnibus cæremoniis allegebantur: Visum est ea quoq;, quæ circa Venerem impudicè fiebant, hoc velo oculis vulgi subducere. Quod ex nullo gentium tam distinctè, quam ex Christianis scriptoribus haurimus. Hi cæteroquin tacenda propalare voluere, quo infamium Deorum assectis pudorem incuterent. Julius Firmicus Maternus, is qui de mysteriis, & erroribus profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augg. scripsit, sic inquit, Audio, Cinyram Cyprium templum amicæ meretrici donasse, ei erat Venus nomen: initiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos, & novis consecrationibus deputasse. Statuisse etiam, quicumque initiari vellet; secreto Veneris sibi tradito asse, manum mercedis nomine Deæ daret. Quod secretum quale sit, omnes taciti intelligere debemus. Quia hoc ipsum propter turpitudinem manifestiùs explicare non possumus. Bene amator Cinyras meretriciis legibus servit, consecratæ Veneri à sacerdotibus suis stipem dari jussit ut scorto. *Clemens Alexandrinus*, Apertè autem dico, quæ sunt occulta, non erubescens dicere ea, quæ non pudet vos adorare. Quæ ergò ex spuma, & in Cypro est genita, Cinyræ amica, Venerem dico, quæ φιλομείδης dicitur, quòd exorta sit ἐκ μορίων, hoc est, ex genitalibus, ex salacibus illis inquam genitalibus, quæ Cœlo abscissa sunt, quæ post abscissionem fluctui vim attulerunt, tamquâ libidinosis vestris partibus dignus, fructus sit Venus in sacris mysticis. Marinæ hujus voluptatis generationis indicium; salis pugillus, & phallus traditur, iis, qui in hac mœchandi arte sunt initiati. Nummum autem ei offerunt ii qui initiantur, ut amicæ amatores. *Arnobius*, nec non & Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus: quorum conditor indicatur Cinyras Rex fuisse: in quibus sumentes ea, certas stipes inferunt ut meretrici, & referunt phallos propitii numinis signa donatos. *Gregorius Nazianzenus*, nec meretricia Veneris mysteria, turpiter, ut ipsimet asserunt,

Cap. 5.

In protrep.

Lib. 5.

Orat. 39. in S. Lumina.

& procreatæ, & cultæ: nec Phalli quidam, & Ithyphalli, tum forma, tum rebus ipsis fœdi, atque obscœni. *Ad quem locum Nicetas*, ipsa turpiter progenita est, rursusque turpiter honoratur per flagitiosos concubitus, atque execranda mysteria. *Hæc ergò mysteria Cypria fuere, quæ Hilaria verbis significantur, quibusque Afra initiata inservivit, hæc sacra ex Cypro Augustam allata, ex quorum præscripto.* Venus coli non potest, nisi ab his fœminis, quæ fuerint fornicatæ.

Subjungam, quid hæc commentanti in mentem venit. Afra, Veneri se totam dicaverat, uti vidimus: Venerem Græci Aphroditem appellarunt ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, quod spumam significat: Hinc Afra nomen traxisse videri possit: Aut ab ἀφρὶς, quod myrtus est nam Veneri myrtus sacra. Sed etymologia, quam antea attulimus, ut multo simplicior, ita mihi magis probatur.

54. QUANTO PLURES AMATORES HABERE POTUERIT, &c.] *Consentaneum est illis, quæ hactenus dicta. Nam si stupra Deæ accepta, profecto quo numerosiora, eo gratiora interpretanda erant. Minutii Felicis verba huc faciunt.* Alia sacra coronat univira, alia multivira, & magna religione conquiritur, quæ plura possit adulteria numerare. *Infelices tenebræ.*

In Octav.

Ex Lucr. lib. 1.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Sive verius superstitio, & impietas.

In vita Ambros.

55. INGEMUIT, ET LACRYMAS FUDIT] *Ita consuevere viri sancti, quibus Dei honor cordi est. De S. Ambrosio Paulinus*, quotiescumque illi aliquis ob perci iendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret.

Ad Rom. 5. Or. Com. lib. 5. c. 5.

56. UBI ABUNDAVIT INIQUITAS, SUPERABUNDET ET GRATIA] *Pauli Apostoli verba sunt*, ubi autem abundavit delictum, superabundabit & gratia. *Origenes gratiam superabundare explicat, cum homo à præteritis peccatis non solùm absolvitur, verum etiam à futuris communitur. Utrumq; his mulieribus plenè contigit.*

57. APPARAVIT ÆGYPTIU] *Uti conspecta virtus miros sui amores, ita vitium maximum odium in se concitaret. At cum ejusmodi habitus oculis usurpari nequeant, fit tamen Dei benignitate, ut spiritus, qui nos utrimq; alliciunt, ea quandoque specie appareant, quæ sive erga bonos amorem, & admirationem, sive erga malos odium, & contemptum commovere apta sit. Neque id mihi exemplis quæ creberrima sunt, confirmandum existimo. Certè, quæ dæmonis inexpiabilis superbia, & impostura est, nullam ille aliam quam præstantissimam formam induerat unquam, nisi Dei imperio cogeretur. Sed Deus, qui formavit draconem ad illudendum ei exhibet ipsum nonnunquam, etiam corporeis hominum oculis, tam turpem, & fœdum, ut illi despicatui habeant, & summopere detestentur semel visum, qui incognitum veneratione, & cultu prosequebantur. Quod hic accidit. Ægyptii nomen ad atrum colorem, qui infaustis spiritibus, uti beatis albus, proprius creditur, referendum est. Adde quod per Ægyptios peculiari figura dæmones in sacris literis exprimuntur. Gaudentius Brixianus episcopus*, eramus & nos aliquando in Ægypto, nescientes Deum, ac luminis, & veritatis ignari: quos urgebant immundi spiritus, veri Ægyptii, laterem facere, terrenis videlicet inservire figmentis: At ubi conversi ad Deum sumus, reclamantes ab operibus duris verberati sunt Ægyptii multiplicibus plagis, & primitiva eorum percussa sunt, Salus enim nostra dæmonum pœna est.

Albi Deorum filii. Apud Platonem S. de Regno. Tract. 1. in Exod.

Lib. 3. c. 25.

58. VULNERIBUS ELEPHANTIÆ TOTO CORPORE PLENUS] *Elephantiam Corn. Celsus sic describit*, totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæquabiliter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emarcescit, os, suræ, pedes intumescunt. Ubi vetus morbus est, digiti in manibus, pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit. *Verbatim exscripsi, quo fœdissimi morbi speciem eleganter expressam, ob oculos ponerem. Eadem paucis complectitur Serenus Sammonicus,*

Est elephas morbus, tristi quoque nomine dirus,
Non solum turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funesto fata veneno.

Non-

Nonnulli medicorum eundem cum morbo gallico existimaverunt. Quos erroris arguit Fracastorius, docens elephantiam convenire cum ea, quæ Arabibus, & vulgo lepra est. Nam antiqui lepræ nomine diversum quid intellexerunt. Plinius Ægypto peculiare malum dicit. Lucretius asserit nullibi præterea gigni, *De morb. cont. lib. 2. cap. 13. Plin. lib. 26. cap. 1. Lucr. lib. 6.*

Est elephas morbus qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypti in medio, neque præterea usquam.

Sed fallit. Illud observatu dignum, quod cum nullo ferè morbo totum hominis corpus adeò miserè afficiatur, meritò dæmon impudicitiæ suasor hac specie ostensus est, ait enim D. Paulus: Fugite fornicationem, omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. *1. Cor. 1. c. 6.*

59. O SANCTE NARCISSE EPISCOPE, QUID TIBI] *Dæmon, qui mulieribus tot annos sub Veneris persona illuserat, se aperit. Ejusmodi exemplis vitæ sanctorum scatent. Similia sunt, quæ gravissimi auctores Athanasius de Antonio, Sulpitius de Martino, Jacobus diaconus de Pelagia, de aliis alii prodidere. Quin sanctum sanctorum, Dominum nostrum* JEsum Christum, *eâdem petulantia dæmones adoriri ausi*, quid nobis, & tibi JEsu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio, quod sis sanctus Dei. *Caterum ne quis miretur à dæmone contra se ipsum testimonium dici, & propriam caussam prodi, dum se castitatis hostem, inquinatorum corporum, & pollutarum animarum dominum profitetur: id non sua voluntate, sed Dei nutu factum sciat. Consulens enim hominum saluti misericors parens, hac ratione vaferrimum hostem hodie quoque aliquando detegit. Sed opinor frequentius in primitiva ecclesia. Ut nimirum homines ab idolorum cultu revocaret. Id quod rectius ex D. Cypriano, alloquente Demetrianum audiemus.* O si audire eos, (*Deos tuos*) velles, & videre, quando à nobis adjurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes, voce humana, & potestate divina, flagella, & verbera sentientes, venturum judicium confitentur. Veni, & cognosce esse vera, quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis quos colis crede. Aut si volueris, & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcavit. *Non quod Demetrianus energumenus, sed quod item ut Afra, per idololatricum cultum animâ tenus à dæmone possideretur.* Videbis nos rogari abeis, quos tu rogas; timeri abeis, quos tu adoras: videbis sub manus nostras stare vinctos, & tremere captivos, quos tu suspicis, & veneraris ut Dominos. *At quid tandem hæc dæmonum confessio proderit?* Certè vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, cum conspexeris, & audieris Deos tuos quid sint, ad interrogationes nostras statim prodere: & præsentibus licet vobis, præstigias illas, & fallacias suas, non posse celare. *Ante Cyprianum Tertullianus in apologetico*, edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. *Ausim dicere, hoc in primis argumento plurimos ad Christianismum animum appulisse. Disertè enim Tertullianus:* Hæc deniq; testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueverunt, quia plurimum illis credentes, Christo Domino credimus. *Matt. 8. 29. Marc. 1. 5. Luc. 4. 8.*

60. CUM ANCILLIS MEIS, &c. IN MEA FAMILIA, &c.] *Mendacii pater, se pro patre familias in Hilariæ domo gessit. Familiæ autem non una est apud Jurisconsultos significatio: Huc illa quadrat*, Jure proprio familiam dicimus plures personas, quæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectæ. *Etsi hæ mulieres neq; naturâ, neq; jure, sed dolo, & fraude in dæmonis potestatem concesserant.* *Dig. de Verbor. sign. l. 195.*

61. MEÆ SUNT, ALIUS ESSE NON POSSUNT] *Veritati mendacium aspergit. Verum erat, suas fuisse*: Quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: *Sed liberæ fieri, & cum Deo in gratiam redire poterant. At hic idem ille calumniator est, qui S. Martino obganniebat*: Non pertinere ad veniam criminosos, & semel lapsis, nullam à Domino præstari posse clementiam. *Joan. 8. Sulp. in Vita S. Mart.*

62. NUNQUID EGO INTRO, UBI CASTITAS REGNAT, &c.] *Probata est theologorum sententia, distincta dæmonum munia esse: Ut alius* *Vide mag. sent. lib. 2.*

dist. 6. Cassian. Collat. 7 cap. 17. Orig. sup. Jos. hom. 15. Cæsar. hom. 16.

provinciæ, alius certo homini, alius alicui vitio præsit. Quod loquendi etiam consuetudine confirmant. Dicimus enim spiritum superbiæ, spiritum luxuriæ, spiritum avaritiæ, & pleraq; ad hunc modum. Hinc Origenes, quem sequitur Cæsarius Arelatensis, existimavit, quot vitiis homo deditus sit, tot vitiorum præsidibus dæmonibus illum agitari. Idq; Cæsarius per plura peccata ostendit. Unum subscribam, nam quod & ille, qui fornicatur, à diabolo possidetur, canonica nihilo minus scriptura testatur. Sicut enim dicit propheta, Spiritu fornicationis decepti estis. *Hujus ordinis Ægyptium istum fuisse, tum effectus rerum, ad quas cultrices suas impulit, tum verba, quæ de se ipso protulit, confirmant. Quod meretriciam domum tamquam propriam possessionem sibi vendicat, Tertullianum in memoriam revocat:* Exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit: Itaq; in exorcismo, cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi: Constanter, & justissimè (inquit) feci, in meo eam inveni.

De spectac.

Matth. 10. Marc. 3. Luc. 9.

63. JUBEO TIBI IMMUNDE SPIRITUS] *Christus semel Apostolis, & per Apostolos successoribus, dedit* virtutem, & potestatem super omnia dæmonia. *Quæ potestas hactenus in ecclesia viguit, & in posterum vigebit. Idcircò viri sancti non precario (quod impostorum est, de compacto agentium) sed imperio, ad id quod placitum est, adigunt dæmones. Eo recidit, quod theologi definiunt, nullam ab hominibus cum dæmone licitam communicationem haberi posse, nisi expellendo tantum, & compellendo virtute divina. Quod utrumq; uno compulsionis nomine fortassis recte enunciatur. Atq; hujus potestatis nullum est evidentius argumentum, quam quod dæmon,* Christiano mentiri non audens, *inquit Tertullianus in apologia, ea coactus profert, quæ alioquin quavis arte tegere nititur.* Qui: illo opere manifestius, quid hac probatione fidelius? *Exclamat Tertullianus. Illis, qui nullo unquam pacto auditum dæmonis verbis accommodandum existimant, sive vera, sive falsa, sive sponte, sive coacte loquatur, respondet S. Ambrosius:* Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem, invitus dixit Diabolus & exactus, & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet injuria.

Cajet. sup. sec. sec. S. th. q. 90. art. 1.

De SS. Geru. & Proth.

64. SCIS CHRISTUM JESUM DOMINUM NOSTRUM, &c.] *Epitome rerum à Christo JEsu in extremo vitæ actu, pro salute humani generis perpessarum. Quæ cum gentilibus Dei majestate valde indigna viderentur, & Christus crucifixus illis stultitia esset, sapienter Narcissus, ab infensissimo hoste de sacratissimæ passionis fructu confessionem extorsit. Neq; dubitandum, quin mulierum fides mirè hac auditione confirmata fuerit.*

Mag. sec. sent. dist. 6.

65. PRINCEPS NOSTER] *Hoc etiam ex theologorum scitis planum fit:* Sicut inter bonos angelos alii aliis præsunt, ita & inter malos alii aliis prælati sunt, & alii aliis subjecti: quam diu durat mundus, angeli angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præsunt. Sed in futuro omnis evacuabitur prælatio, ut docet Apostolus. *Ideò regni Sathanæ meminit Dominus, & principis dæmoniorum sæpe meminere sacræ litteræ.*

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11. Joan. 12.

66. FUGIT A FACIE EJUS, &c.] *Prædixerat Christus,* Princeps hujus mundi ejicietur foras. *Nam per Christi crucem, & mortem omnis dæmonis potestas fugata est. Nonnulla exemplaria verba, quæ mox sequuntur, interjecta habent.* Princeps noster fugiens à facie ejus, in templum Dei se misit, & ideò velum templi scissum est, quia virtutem persequentis ferre non potuit. *Quæ non satis video, quomodo constent. Ego à fide exemplaru, quod catero. quin sequutus sum, discedere nolui.*

In Mat. hom. 19.

67. TENTUS EST ET CATENATUS] *Dæmonis vires constrictæ fuere:* Quomodo, aut ubi (*inquit Chrysostomus*) nec hominis est posse exponere nec intelligere. *Quamquam opinantur nonnulli. Luciferum in inferno religatum esse, ex illo tempore, quo tentavit Christum in deserto, vel in passione, & victus fuit ab eo: neque solvendum ante tempora Antichristi, juxta Apocalypsis illud:* Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Sathanas de carcere suo.

Apoc. 20.

Orig. sup. Jos. homil. 15 in Mat. homil. 1.

68. SATHAN NOMEN EST EI, QUOD INTERPRETATUR INITIUM MORTIS] *Sathanam adversarium interpretatur Origenes, Theophylactus, Athanasius Contrariũ, idem Origenes & Hieronymus. Rursus Origenes Resistentem, vel Rebellem, aut etiam Contumacẽ. Irenæus Apostatam.*

Ana-

Anastasius Nicænus Apostatam, id est, qui defecit. Tertullianus Hostem. Eucherius Adversarium sive Transgressorem. Beda Transgressorem vel Prævaricatorem, seu contrarium factura, aut Adversarium plasmationis. Moses Bar--Cepha inquit, Sathanas quidem, & quia ipsus à Deo recessit, & quia mortales à Deo abducit. *Ubi interpres And. Masius notat*, Verbum Sot Syris, & Chaldæis significat recedere, deflectere : Unde hic deducit Sathanæ nomen, quod verius ab Hebræo Sathan venit. *Justinus martyr*, Sathan Judæorum Syrorumque lingua desertorem significat : hæc autem vox Nas, quod interpretatur serpens, Hebræis idem quod Sathan valet, ita ex utroque unum vocabulum componitur Sathanas *Tot hujus nominis interpretationes reperio ; quæ omnes ad duplicem etymologiam referri possunt. Qui verò Sathanam initium mortis explicet, nullus est. Ergò non vim verbi, sed ipsius Sathanæ conditionem hac periphrasi describi credendum.* Quia invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. *Caussam reddit Theophylactus* : Quia enim peccare faciebat homines, ex prima illa inobedientia, ipse fuit, qui mortem condidit. *Paulò aliter Theophilus*, Diabolus videns non solùm Adamum, & Evam vita frui, verum & liberos procreare, quos cum non posset perimere, invidia stimulatus, insligavit Cain, ut fratrem suum Abel, qui gratus, & acceptus erat Domino, crudeliter enecaret. Hoc pacto diabolus principium, & origo fuit mortis. *Nisi malumus suspicari explicationem*, quod interpretatur initium mortis, *totam ex orâ irrepsisse.*

& in Joh. Toeophyl. in Matth. c. 16 Marc. c. 8 Ath. in 2. ad Cor. Hier. quæst. in Gen Iren. lib 5 c. 21. Anastas. quæst. 61; Tert. con. Marc. 3. Eu. b. quæst. novi testam. cap. 9. Beda de nomin Hebr. Moses de par. par 1. ca 28 Just. Coll cum Tryphone. Sap. 2. In ep. ad Heb cap. 2. Ad Autol. lib 3 In sec. sic. q. 95. art. 4.

69. EX ORE TUO CONDEMNARIS] *En cur disputatio à sancto viro instituta. Ad revincendum scilicet inimicum propria confessione, & confirmandas in fide mulieres, quemadmodũ diximus. Hoc est, quod D. Thomas inquit, licere aliquid inquirere à dæmone sponte occurrente, propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda.*

70. QUIA DOCET LEX ET JUBET, &c.] *Hactenus dæmon coactus verum respondit interroganti episcopo. Nunc ad ingenium & calumnias redit. Furtum, quod est dolo malo rei alienæ contrectatio (ut Jurisconsulti definiunt) Narcisso objecit. Sed Narcissus crimen in auctorem retorquet. Et se rem furto prius ablatam repetere ostendit. Quam conditionem furtivam appellant.*

Paul. sent. lib. 2 tit. 31. Dig de cond. ex. furt.

71. EFFRACTOR ET FUR] *Effractores sunt, qui fores & parietes furandi caussa vi effringunt. Qua ratione diabolus fur dicatur, & quomodo domos nostras perfodiat, pulchrè explicat Chrysostomus. Ipse enim furatur vestimenta justitiarum, aurum intellectus, divinorum eloquiorum argentũ, linteamina gratiarum, cæteras q. spirituales divitias, dormientibus nobis.*

Vide de effractore Brisson de verb. signif. Chrys. homil 51. in Matth. Joan 8.

72. AB INITIO DAMNATE] *Verè, nam* ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit : *Cum ergò ab initio peccaverit, & pœna peccatum mox sequuta sit, utiq. ab initio damnatus est. Initium verò (ut Augustinus admonet) non ad principium creationis, sed ad principium peccati referendum est.*

Decret. lib. 1 c. 15. 73. Apo 12. 20. 74 Is. 66.

73. INVETERATE] *Ita bis in Apocalypsi*, Serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas.

74. ET ME ERGO CREATORI MEO RESTITUE] *Non hæc eo accipienda, quod dæmones restitutionem petant aut sperent, nam* vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, *quod ipsi optimè norunt : Ideoque proditum est, S. Bernardo dæmoniacam exorcisanti, & à dæmone quærenti, num in gloriam redire, & in pristinum gradum restitui vellet, dæmonem effuso cachinno respondisse :* Hoc tardum est. *Verum hic calumniator episcopi verba, quibus se creatori creaturam restituturum professus fuerat, per irrisionem cavillatur.*

Ex Vitelmo Abb. in Vita S. Bernardi.

75. TU IPSE EX ORE TUO, &c.] *In priori dæmonis confessione hominum nulla fit mentio, sed verba sic habent,* Non pro suis peccatis passus est, sed pro alienis. *Itaq. aut ibi vox* hominum *excidit, aut Narcissus* pro alienis *stricte, & eo sensu, quem rei veritas requirit, accipit.*

76. IMPIETATIBUS] *Graviori verbo dæmones, qui scientes volentes, quam homines, qui decepti desciverunt, notare voluit. Peccatum enim est, quidvis in quaq. re à recta ratione aberrat : impietas non nisi in Deum, & in parentes, aut qui parentum loco.*

Digitized by Google

77. FAC PIETATEM] *Fit tandem ſupplex, Cyprianus:* Hi ramen adjurati per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra voce, & oratione occultè flagellis cædi, igni torreri, incremento pœnæ propagandis extendi, ejulare, gemere, deprecari: unde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam, qui ſe colunt audientibus, confiteri: Et vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aſpirat.

De Idol. Van.

78. DA MIHI VEL UNAM ANIMAM IN POTESTATEM] *Animæ nomine corpus animatum, hoc eſt animal, intelligo. Nam animam pro corpore etiam probati auctores dixere. Exemplũ habes ex Virgilio apud Nonium. Cur dæmones ab energumenis depellendi, corpora tum hominum, tum animalium reliquorum ingredi expetant, varia cauſa afferri poſſunt. Nobis in univerſum ſatis ſit, incredibilem malitiam, & perpetuum nocendi deſiderium ejus rei cauſam ſtatuere. Experimentum certè exorciſta quotidie capiunt. Apud Gregorium Magnum de virgine ſanctimoniali legimus, quæ dæmonem, obſidentem villicum, his verbis aggreſſa eſt:* Exi ab eo miſer, exi ab eo miſer. Ad cujus vocem mox per os vexati diabolus reſpondit, dicens: Et ſi de iſto exeo, in quem intrabo? Caſu autem juxta porcus parvulus paſcebatur, tunc ſanctimonialis fœmina præcepit dicens: Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere. Qui ſtatim de homine exivit, porcum quem juſſus fuerat, invaſit, occidit, & receſſit. *Et ne longius abeamus, ex evangelio exemplum ſuppetit,* Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

Dial. lib. 3. cap. 21.

Matth. 8. Marc 5. Luc. 8.

79. INTERFICIAM EAM, ET LUCRABOR ANIMAM IPSIUS] *Interficiam animal, quod mihi dederis, & lucro deputabo animam, ſive vitam, quam ei auferam. Anima enim vitam ſæpe ſignificat. Sic accipit D. Auguſtinus illud ex geneſi:* Non feriamus eum in anima: Hoc loco nomine animæ vitam corporis animati ſignificat, per efficientem id quod efficitur. Secundum hoc videri poteſt etiam ad diabolum dictum eſſe de Job, Animam ejus ne tangas, id eſt, ne occidas eum. *Quod verò exitivum interminatur dæmon, pertinet ad perverſitatem, quam antea indicavimus. Ita in evangelio,* exeuntes abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis.

Lotus. de gen. lib. 1.

80. DIC MIHI ANTE DEUM TUUM] *Ante Deum dicere, eſt, Deum teſtem dictis adhibere, & tamquam Deo præſente loqui.*

81. ANIMAM INTRA CORPUS INCLUSAM, MANDUCANTIS, &c.] *Circumſcriptione multorum verborum animal exprimitur. Namquod ait,* Animam intra corpus incluſam, *Ariſtoteles definit,* Animal corpus animatum eſt. *Quod ſubjungit,* Manducantis & bibentis, *certum eſt utique animal abſque nutrimento non ſubſiſtere.* Dormientis & iterum vigilantis, *Ariſtoteles etiam docet, omnia animalia ſomno communicare, quæcumq; autem dormiant, vigilare quoque, cum ſomnus vigilia ſit quædam privatio.*

De An. lib. 3 text. 63.

De ſom & vig. cap. 1.

82. SI POTES NOBISCUM MANERE, MANE] *Hæc non ideò ab epiſcopo dicta, quod liberam manendi electionem dæmoni relinquere, ſed quod imbecillitatem illi exprobrare, & mulieribus oſtendere voluerit. Sic Hilarion apud Hieronymum dæmoni reſpondit:* Si Deus meus tibi concedit, ut maneas, mane. Sin autem ille te ejicit, quid mihi invidiam facis, homini peccatori atque mendico.

In vita Hilar.

83. SI NON EXPANDIS MANUS TUAS, &c.] *Audientium utilitati conſulitur, & intenſa orationis efficacia demonſtratur, quæ jejunio conjuncta, uti Narciſſus conjunxit, mirum quam valde dæmones expugnet, ipſius Domini noſtri JESU Chriſti teſtimonio, de lunatico aſſeverantis.* Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & jejunium. *Ubi Chryſoſtomus JESUM univerſum dæmonum genus, non lunaticorum ſolummodò intellexiſſe ait. At quod dæmon præter orationem, ſe manus expanſas epiſcopi non laturum oſtendit, in mentem revocat Exodi verba:* Cumque levaſſet Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.

Matth. 17. Chryſoſt. hom. 58.

Exod. 17.

84. IPSE

84. IPSE AUTEM CUM FELICE DIACONO SUO NON REFECIT SE, &c.] *Aptè dixit Leo pontifex*, semper virtuti cibus jejunium fuit. *Et Cyprianus, sive quis alius de cardinalibus operibus Christi ad Cornelium Papam scripsit*, quotquot viros virtutum vidimus, sine jejunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, jejuniis incubuere, & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus, supplices beneficia postularunt. Nec defuit proventus, ubi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens, se prostravit humilitas: sed prope fuit invocantibus se Deus, & porrexit manum naufragis, & subvenit afflictis. *Atque Athanasius ad evangelii verba, quæ paulo ante produximus*, quisquis igitur ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, jejunio inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim jejunii metuentes. Valde enim dæmones oblectantur crapula. *Paucis interjectis*, Jejunium enim angelorum cibus est, & qui eo utitur, ordinis angelici censendus est. *Sed nimius sim, si jejunii laudes ex sanctis patribus velim pertexere: Sunt enim creberrimi in hoc argumento.*

S Leo Serm. 2. de jejun. 10 mens.

De jejun. & tent.

De Virg.

85. DA MIHI ANIMAM, &c.] *Commoda explicatione hæc accipe. Non putandum est, dæmonem expectasse, ut illi episcopus hominem quempiam addiceret, cujus corpus occidere, animam æternis tormentis cruciare posset. Non ita consuevere viri sancti. Quamvis enim nonnunquam tradiderint homines Sathanæ in interitum carnis, id tamen factum est (ut Paulus de fornicatore Corinthio loquitur)* ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. *Hic ergò sensus videtur: Da mihi promissum animal, cujus corpus interficiam, & cui animam, sive spiritum (quod in idem recidit) auferam. Sin dæmonem humanam animam intellexisse omninò volumus, non magnopere ejus admiranda videbitur impudentia, qui etiam Christo præcipitium, & quod tetrius est, adorationem sui suadere ausus.*

1 Cor. 5.

86. ET TU JURA MIHI, &c.] *Dæmones hodie quoque ad jusjurandum in nomine Dei, solent ab exorcistis adigi. Quod est videre apud energumenos. Et extant ei rei præscriptæ formulæ quibus item ut hic pœna perfidis inferenda exprimitur.*

Adi praxim exorcistarum Val. Polydori.

87. JUBEAT TE DEUS IRE IN ABYSSUM] *Quantopere dæmones infernum timeant, discimus ex evangelio*, rogaverunt illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. *Quamvis enim constat, eorum pœnam statim à damnatione initium sumpsisse, damnationem autem peccatum mox sequutam esse, uti diximus, id tamen non impedit, quin tormenta, quæ nunc sustinent, adhuc augeri possint. Nam locus pœnalis illis, vel aër caliginosus est, vel infernus. Hic ratione culpæ, ille ad exercitium hominum. Et cum hominum exercitium usque ad diem judicii sit duraturum, eousque nonnulli dæmonum hunc aërem incolent. Licet aliqui etiam nunc in inferno sint, ad torquendum eos quos in peccata induxere, secundum quod inter se habent deputata maledictionis officia, inquit S. Bonaventura. Sed in judicio omnes addicentur inferno, idq; erit pœnarum complementum. Interim mitius agi credendum est cum his, qui in aëre versantur;* quantum ad accidentalia quædam supplicia. Unde videtur, quod cupiant extra infernum consistere, non solùm ut hominibus noceant, sed item, ut per hoc eorum relevetur tormentum. *Eaq; de caussa fere omnes exorcismi comminatione inferni concluduntur. Nomen Abyssi græcis aquam significat immensæ altitudinis. Sive ut Augustinus explicat*, Abyssus est aquarum inæstimabilis profunditas. *Quo sensu sæpe in sacris literis usurpatur*, tenebræ erant super faciem abyssi. *Et alibi. Præterea adjectivè significat profundus, in immensum patens. Unde Augustinus alio loco*, Abyssus est profunditas quædam impenetrabilis, incomprehensibilis, *& post pauca*, quodam loco dictum est, Judicia tua abyssus multa, hoc volens scriptura commendare, quia judicia Dei non comprehenduntur. *Quoniam autem, ut Isaias loquitur*, dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino, *rursus*, præparata est enim ab heri Tophet, à Rege præparata, profunda & dilatata, *ideò Abyssi nomine infernus designatur à S. Luca in evangelio, & sæpius à Joanne in Apocalypsi.*

Luc. 8.

De loco vide S. Th. part. 1. q. 64. artic. 4.

Verba ex Dion. Carth. in sic sent. d. 6. q. 3.

Contra Faustum lib. 22. Gen. 1.

In Ps. 41.

Is cap. 5. Is. cap. 30. Apoc 9. hu 17. hu. & 20.

88. SI

88. SI NON] *Oratio est abrupta. Subauditur, si, quod juro, non præstitero: Si juramento non satisfecero: Aut aliquid simile. Quod si verba paululum transponantur, sensus efficietur dilucidior.* Per ipsum, qui nos cum principe nostro vicit, juro, quia statim interficiam eum, quem mihi dederis in potestatem. Si non: me jubeat ire in abyssum.

89. VADE JUXTA FLUMEN FONTIS ALPIUM JULIARUM] *An legendum:* Juxta fontem fluminis. *Alpes Juliæ, à Julio nomen sortitæ, triplices sunt, ex Simlero, qui diligentissimè de alpibus disseruit. Una apud Taurinos: Altera in Ratia: Tertia apud Venetos: Quamvis Simlerus postremis Venetis Julium nomen propriè convenire existimat. De quibus Narcisso sermo fuerit, dubitare licet. Me certa conjectura ad Raticas trahunt. Quæ à Septimo usque ad Braulium montem latè patent, & in quibus Oenus fluvius oritur. Hæ etenim reliquis propinquiores: neque absurdum est fluminis, vel fontis nomine Oenum designari. Aut si Raticas alpes usque ad Lyci fontem extendi placet, nihil displicebit eum ipsum hic intelligi. Proditum est D. Magnum CCC. C. post annis Arbore felice (ubi in SS. Columbani & Galli contubernio vixerat) ad alpes, in quibus Narcissi jussu Draco occisus, profectum, priusquam Abusiaci in alpium faucibus monasterium conderet. Id profecto multo probabilius de Raticis quam de Taurinis, aut Venetis accipitur.*

In commēt. de Alpib.

In vita S. Magni.

90. DRACO IBI HABITAT] *Cum in Draconem historia multa fabulosa sibi indulserit antiquitas, rectè fit, quod homines cordati, omnibus rumoribus, qui de illis feruntur, temerè, atque indiscriminatim fidem non adhibent. Verùm si quæ narrationes gravibus auctoribus nituntur, & pleraque ad conciliandam veri speciem indicia concurrunt, obfirmatis in contrarium præjudiciis tantum tribuendum non est, ut quod ipsi nunquam conspeximus, & quod raro, neque nostra ætate, præterq; consuetum rerum cursum accidit, fieri non potuisse existimemus. Multa enim in omni historia hujus generis existunt, quæ nisi præfractè ineptire malumus, nobis necessario persuaderi patiamur. Id præfatum volui.*

Draconum nomen variè accipitur. Complectitur aliquando omnes omnium serpentum species. Aliquando sacros tantum & hos universos. Nonnunquam inter sacros, cicures illos solummodo qui Æsculapio alebantur. Interdum proprium quoddam, & valde discretum à reliquis serpentibus genus. In quo describendo auctores non consentiunt: At consentiunt in Africa, & India spectari potissimum, multasq; ejus differentias produnt. Ut sint alii montani, palustres alii: Pedibus incedant quidam, nonnulli serpant absque pedibus: Alati sint quidam, alis quidam careant: Nec non magnitudine, colore, crista, hiatu oris inter se differant. Atque de his nugæ plurimæ confictæ sunt. Postremo Dracones etiam appellantur serpentes quilibet immani, vastaq; magnitudine præditi. Qua notione Draconis nomen hic intelligo. Neque peregrinum aliquod monstrum, quod alpes obsederit, animo concipio, sed simpliciter existimo, serpentem fuisse inusitata corporis mole, qui maximam circumquaque vastitatem faceret.

Id neque incredibile, neque admirandum adeò videri debet, si ea, quæ aliis locis, & temporibus contigère, conferamus. Nam ut non persequar, quidquid ex serpentum genere ubivis terrarum immensum extitit, ne in fabulas, quas fugio, incidam: Sanè fidem aliquam meretur, quod Tubero in noctibus Atticis narrat, Bello primo Punico, Attilium Regulum consulem, in Africa castris apud Bagradam flumen positis prælium grande, atque acre fecisse, adversus unum serpentem in illis locis stabulantem, inusitatæ immanitatis: eumque magna totius exercitus conflictatione, ballistis, atque catapultis diu oppugnatum: ejusque interfecti longum corium pedes C. & XX. Romam mississe. *Quæ auctoritate Val. Maximi, Livii, Flori, Silii Italici, Orosii, Plinii, Arnobii, Senecæ firmantur. Adjicit Plinius, pellem ejus, maxillasq; usque ad bellum Numantinum Romæ in templo duravisse. Sed si cui hæc in Africa, monstrorum altrice, verisimilia videntur, in alpibus Juliis non item: Is saltem Italiam alius à nobis cæli non constituet. At Romæ in Italia, spectatus est sub Augusto pro comitio, anguis l. cubitorum. Peregrè scilicet advectus. Videamus in Italia natos. Plinius cum ex Megasthene de Indicis, ex Metrodoro de Ponticis serpentibus mira retulisset, subjungit,* faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ: in tantam magnitudinem exeuntes,

Lib. 6. c. 3.

Val. lib. 1. c 8 Lib epit 18. Flor lib. 2. c. 2. Sil. lib. 6. Oros. lib. 4 c. 8. Plin. lib. 8 c. 14. Arnob. lib. 7. Sen. epist ultim. lib 11. Suet in Oct. cap. 43.

ut

ut divo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. *Neque displicet Albertus Magnus, qui Reguli serpentem Boam fuisse conjicit. Audi enim de immani bellua Solinum.* Calabria chelydris frequentissima est, & Boam gignit: quem anguem ad immensam molem ferunt convalescere. Captat primo greges bubulos: & quæ plurimo lacte rigua bos est, ejus se uberibus innectit, suctuque continuo saginata, longo seculo ita sellebri satietate ultimo extuberatur, ut obsistere magnitudini ejus nulla vis queat: postremo depopulatis animantibus, regiones, quas obsederit, ad vastitatem cogit. *Addit de infante eadem, quæ Plinius. Neque vanus credendus Plinius in re, quæ sua ætate Romæ omnium oculis patuit. Quin de ipsis alpibus idoneus auctor Gesnerus erit. Hic certum esse ait, in Helveticis montibus maximos à venatoribus serpentes conspici, de quibus mira referant legati, qui Badenam ad comitia conveniunt. Apud Stumpium duas ejus generis historias legere memini. Utroq; loco Draconis nomine utitur. Neque venatorum fidem, sed certos annales sequi profitetur: Et triginta annis antequam scriberet (elapsi sunt anni non toti L. ex quo scripsit) plures horrendas ex serpentum specie belluas in alpibus extitisse ait. Quod hisce temporibus minus conspiciantur, frequentiam hominum in causa esse: qua valde aucta, omnia alpium loca assiduo cultu repurgari & ad frugem redigi. Rationes quoque probabiles adhibet.* Etiamsi (*inquit*) alpes perpetuis nivibus humectentur, habent tamen in multis locis saxa, & specus solis splendori in meridiem obversas: in quibus cavernis, solis calori expositis, pleraque Draconum sunt domicilia, qui apricatione sæpius calescere consueverunt. *Atque ut Stumpii auctoritas in rerum gestarum narratione aliquando dubia sit (nam de pietate minus recte sensit) tamen non sit verisimile, hominem in his regionibus ortum, in descriptione rerum naturalium mentiri voluisse, cum præsertim ad populares suos scriberet, quos mendacio fallere non posset. Idem de Gesnero dictum sit. Coronidis vicem explebit narratio, quam à viro amico, cui ista legenda tradideram, his ipsis verbis accepi. In arce Ulmerfelden, quæ Frisingensis episcopi est, in Austria sita, superiori ætate sæpe visus est immensa magnitudine serpens, pondere verò, ut captivum, in turris inferiorem partem, ubi ille stabulari solebat conjectum superne incumbens, & in spiras convolutus, valde premeret, alioqui innoxius. Stolidum vulgus gaudebat illo hospite, & fausta sibi ab eo omnia pollicebatur. Porrò jam plures sunt anni, ex quo videri desiit. Fama verò hæc constantissima est. Et mihi de eo multa narravit probatæ fidei, quantum ego quidem judicare potui, senex, qui sibi visum ajebat, quales etiam plures arbitror superesse testes.*

De anima. lib. 25. Sol. c. 8.

Hist anim. lib 5. de serpent. in gen.

Chron lib. 7. c. 2. & 7.

Quod maximi quiq; serpentes ad aquas habitant, ut hic noster, & ille ad Bagradam. item insignis alter, Ptolemæo secundo Rege Alexandriam captivus adductus, nequaquam siti causa tribuenda est: Cum probati auctores scriptum reliquerint, exiguum illis bibendi desiderium esse, & absque potu vivere posse, immò nullum omninò venenatum animal fame, aut siti interire: sed potius exhalationibus aqueis, quæ reflexione solarium radiorum magis magisq; corruptæ, aërem ita inficiunt, ut ex putredine hujus generis monstra oriantur, & in immensum excrescant.

Diod. Sic. lib 3.

91. DE FLATU EJUS] *Creditur certos serpentes aërem circumfusum adeò venenare, ut vel halitu, vel visu, vel sibilo occidant. Estq;, ea fama in primis basilisci, aut Reguli; Orosius serpentem ad Bagradam quoque halitu pestifero multos exanimasse scribit. De nostro, aut idem verum sit: aut flatum (quo propendeo) accipiemus pro illo anhelitu, qui mordendo redditur. Sic Virgilius* ----- venenum Morsibus inspirant--- *Nisi malumus celeritatem, & acrimoniam veneni hac ratione designari. Moyses cum enumeraret beneficia Dei erga Judæos, inquit:* Ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas. *At ubi historia narratur, plagarum fit mentio, quas mors consequuta, de flatu nullum verbum.* Misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum &c. *Ubi Liranus ostendit aliquos in ea esse sententia, serpentes ignitos dici, quod eorum morsu caro calefieret, ac si igneſceret.*

Geor 4.

Deut. 8.

Num. 21.

92. IN TUAM POTESTATEM REDIGE ANIMAM EJUS] *Quis horum verborum sensus, antea aperui. Irridere autem videtur episcopus, quoniam sibi dæmon fere hac ipsa formula caverat. Porrò multa sunt immensæ*

Dei

Dei bonitatis indicia, quæ cum alibi, tum hic observemus. Maxima illa, quod nulla est tam perdita cujusquam perversitas, quin Deus aliquid boni ex ipsa eliciat: Quod dæmones viris sanctis subjecti, instrumenti loco serviunt, aliquando errore ducti, aliquando coacti, hic utrumq; concurrit: Quod per viros sanctos, illis quorum animos ad virtutem instruunt, sæpe etiam externa bona, quæ ad corporis usus, & vitam commode transmittendam spectant, conferuntur. Narcissum, cum per alpes evangelium prædicaret, credibile est de Dracone inaudivisse, eum ergò, occasionem nactus, sublatum voluit.

De mend. ad Consent. 93. O EPISCOPUM MENDACEM] *Mendacium Augustinus definit*, ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. *Quod à Narcisso nequaquam factum est. Sed dæmon, qui episcopum calumniatur, ipse semet in laqueos induit. Id enim dum sanctos astu circumvenire nititur, illi crebro accidit, ex quo semel à sancto sanctorum proprio gladio jugulatus est. Verba sunt Joan. Chrysostomi.* Tu verò mihi considera ubique, quomodo diabolus per quæ Dei servos impugnat, per hæc propriam vim destruit, non volens quidem, sed Dei sapientia, & providentia, illius armis, & artibus in ipsius caput utente.

Hom. 4. ad Ant.

Contra Symmach. 94. AMICUM MEUM] *Notum est serpentes pro diis cultos à gentilibus.* Quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremendum Suaserit ---- *Ut Prudentinus ait. Habetur ejus generis narratio in sacris litteris, de Dracone à Babyloniis culto, per Danielem disrupto. Certum est præterea (quod monuimus) sacros serpentes peculiari significatione Dracones dictos. Unde Servius.* Angues aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum. *Leviter ergò suspicari possumus, hunc in Juliis alpibus à rudibus populis pro Deo habitum. Et eam causam esse, cur dæmon Amicum dicat. Quod si hæc causa non est (neque enim contendo) sunt pleraq; alia inter dæmones, & serpentes symbola à primo illo Euæ deceptore serpente: neq; non amicum aliqua ratione dæmoni esse potest, quidquid inimicum, & noxium hominibus.*

Dan. c. 14.

Serv. in 2. Æn.

De pat. Job. hom. 3. 95. OCCIDIT DRACONEM] *Hæc ministerio dæmonis, jussu & imperio Narcissi acta. D. Chrysostomus inquit:* Pravi, & immundi dæmones, etsi proposito defecerunt, jugo tamen servitutis subjacent: atque ut carnifices quidam jubentur mandata perficere. Et miraris Deum præcipere dæmoniis? Apostoli velut carnifice utuntur dæmonio: dicit enim Paulus: Quoniam ergò aliqui circa fidem naufragaverunt, hos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare. Et iterum de quodam, qui fuerat fornicatus, &c. *Visum est duas subjungere historias ex probata fidei auctoribus, de occisis per sanctos viros Draconibus. Prior relata est à S. Hieronymo in vita Hilarionis. Quæ etsi se Hieronymi auctoritate satis tuetur, accedit tamen Gelasii Pontificis testimonium, profitentis vitas patrum, quas Hieronymus conscripsit, cum omni honore ab ecclesia susceptas. Narratio sic habet.* Duxerat itaque illum (*Hilarionem*) ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, ubi paucis diebus in vicino agello mansitans, non potuit abscondi. Siquidem Draco miræ magnitudinis (quos gentili sermone boas vocant, ab eo quod tam grandes sint, ut boves glutire soleant) omnem latè vastabat provinciam, & non solùm armenta, & pecudes, sed agricolas quoque & pastores, tractos ad se vi spiritus absorbebat. Cui cum pyram jussisset præparari, & oratione ad Christum missa, evocato populo, præcepisset struem lignorum scandere, ignem suppositit. Tum itaque cuncta spectante plebe, immanem

Hist lib. 7. c. 15. Vide etiam de Donato. Nic. lib. 12. c. 45. bestiam concremavit. *Altera apud Sozomenum extat.* Hac memoria, (*Theodosio Imp.*) multi multis in locis per orbem terrarum, inter episcopos præclari extiterunt. Ut Donatus Evoreæ Epiri, quem & alia multa mirabilia fecisse testantur indigenæ, & illud maximè, quod in Draconis interfectione præstitit, qui in Chamægephyris, quas vocant, ad viam regiam lustrum habebat, & oves, & capras, & boves, & equos, nec non & homines, & alia raptabat. Neque enim ille vel gladium, vel hastam ferens, vel aliud aliquod telum habens, hanc belluam adortus est. Sed cum illa eum adventantem sensisset, & caput velut impetum factura exeruisset, signum crucis adversus ipsam aëri digito inscripsit, & illi in faciem exuit. Illa sputo in os accepto, statim concidit, ac mortua jacens, amplitudine non minor apparuit jis serpentibus, qui visuntur apud Indos. Siquidem, ut ego quidem

quidem accepi, octo jugis in proximum campum extractam indigenæ combusserunt, ne putrefacta aërem inquinaret, & morbos pestilentes gigneret. *Hic idem Sozomenus etiam de S. Arsacio Draconem disruptum narrat. Sed ego plura non colligo. Et totum de Draconibus sermonem B. Theodoreti verbis concludo, atque desinio,* cum multa alia sciam, quæ possim narrare, ea nolo scribere, ne imbecillioribus eorum multitudo causa sit incredulitatis. *Hist. SS. Patr. Jac. Foster.*

96. USQUE IN HODIERNUM DIEM] *Hinc quoque apparet, historiam in re præsenti non esse scriptam. Nisi hæc verba postmodum addita dicamus.*

97. PER DIES AUTEM PLURIMOS DOCUIT, &c.] *Per dies septem ante baptismum; dixit enim,* octava autem die purificabimini. *Sed post baptismum per multos adhuc dies verbum Dei neophytis prædicavit.*

98. CUM GENERATIONE SUA, ET CUM OMNIBUS AMICIS SUIS] *Horum nomina interiere; præterquam Afri, qui patruus Afræ, & Dionysii, qui avunculus. Eadem quidem die, qua Hilaria, & puella, affecti sunt martyrio cum viri tum mulieres* XXV. *sed an ex Afræ generatione, & amicis fuerint, non liquet.*

Porrò neque illud prætereundum, conversionem S. Afræ ab ecclesia Augustana celebrari VII. *Cal. Novembr.*

99. FECITQUE DOMUM HILARIÆ ECCLESIAM] *Cum persecutionum temporibus Christianis publicæ ecclesiæ non permitterentur, assignabantur à piis hominibus sacris usibus domus privatæ, sive integræ, sive partes earum præcipuæ. De hac ipsa Diocletiani persecutione, S. Augustinus contra Donatistas,* nam & domum privatam Christianis congregandis præstitam constitit tempore persecutionis, sicut in quibusdam gestis martyrum loquebatur. *Et multo vetustior Pius* I. *Pontifex ad Justum episcopum,* antequam Roma exiisses, soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus. *Quin diligentes rerum ecclesiasticarum observatores, hujus instituti principium ab Apostolicis temporibus usque repetunt. Quid enim nisi ecclesia cœnaculum illud, in quod convenerunt post ascensionem Christi* XI. *discipuli,* perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione, cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & fratribus ejus. *Quo urbis loco Hilariæ domus steterit, me in tanta antiquitate nescire profiteor. Quæ obtineat opinio, jam indicavi. Ea quamquam certis testibus destituta, veram tamen esse nihil impedit. Ut neque illud abjudico, Narcissum ecclesiam SS. Philippo, & Jacobo dicasse, quæ postea S. Martini nomen acceperit. Antiquiorem aliam Augustæ ecclesiam fuisse, constanti majorum fama proditum, & illis quæ de Lucio scripsimus consentiens est. Hæc multis post annis S. Gallo sacra, proximè instaurata, inscriptionem habet hujusce modi.* *Brevic. collat. 3 diei.* *Act. 1.*

CHRISTO. DEO. OMN. SÆCUL.
SACRAM. ÆDICULAM.
QUÆ. ANTE. ANNOS. AMPL. MCCC.
PRIMA. IN. H. URBE.
CHRISTIANO. CULTUI. DICATA. CREDITUR.
QUAM. AN. CHR. MLI. RESTITUTAM.
LEO. IX. PONT. MAX.
DEO. OPT. MAX. ET. S. GALLO. ABBATI.
SACRAVIT.
VETUSTATE. ITERUM. COLLABENTEM.
ET. AD. PROPH. USUS. DUDUM. REDACTAM.
INSTAURANDAM. C.
EUPHROSYNA. A. KREYT. COLLEGII. NOBILIUM.
VIRGINUM. AD. D. STEPH. ABBATISSA.
ANNO. P. CHR. N. M D LXXXIX.

Bruſibius de epiſc. Aug. & alii.

100. ORDINAVIT EIS PRESBYTERUM DIONYSIUM] *Sunt qui tradant, Dionyſium primum Auguſtæ à Narciſſo conſtitutũ epiſcopum: Eumq; Sozimum ante baptiſmum dictum fuiſſe. Utraq; in re mihi falli videntur. Caverunt Apoſtoli,* epiſcopus à duobus, aut tribus epiſcopis ordinetur. *Id latius habetur apud Clementem Rom.* Ego Simon Cananæus, conſtituo, à quot epiſcopis debeat ordinari epiſcopus, ſcilicet à duobus, aut tribus epiſcopis. Sin verò aliquis ab uno epiſcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus eſt, tum is qui ordinavit, deponatur. Quod ſi neceſſitas coëgerit ab uno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſſam, plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis pluriũ epiſcoporum. *Confirmarunt poſtea Anacletus & Anicetus Pontifices*, ut nullatenus minus quam à tribus. *Immò Damaſus (qui tamen poſt hæc tempora vixit) ait epiſcopos non eſſe, qui minus quam à tribus ordinati ſint: Prohibitum enim eſſe à Sanctis Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus ſunt ordinati epiſcopi, non nominentur epiſcopi. Quæ Narciſſus nec ignorare, nec negligere potuit. Quod ſi exceptionem perſecutionis ex Clemente producimus, decretum plurium epiſcoporum oſtendendum erit, cujus nullum veſtigium. Sed multò me magis movet, quod Dionyſius hic diſertis verbis presbyter à Narciſſo epiſcopo ordinatus fuiſſe dicitur. Neque eſt, cur presbyteri nomine epiſcopum intelligamus, quod Apoſtolus Paulus nonnunquam ita loquatur, & quod Dionyſius Areopagita Athenarum epiſcopus, Timotheum Epheſinum epiſcopum compresbyterum compellet; multo enim ante Narciſſum noſtrum hæc loquendi ratio obſolevit, quæ in prima ſolùm eccleſia locum invenit, quantum obſervare potui. Simpliciter ergò, à Narciſſo Dionyſius presbyter ordinatus. Non tamen negaverim, eundem poſtea canonice in epiſcopum promotum. Nam eccleſiæ Auguſtanæ traditio, quæ illum epiſcopi nomine veneratur, nequaquam elevanda eſt. An primus in ea ſede ſederit, non puto conſtare; verum primus dicitur, quod nullius anterioris memoria ſuperſtes. Certè Narciſſi temporibus proprium Auguſtæ epiſcopum non fuiſſe colligimus: ſive quod cathedra ob perſecutionem vacaret, ſive quavis alia de cauſſa: Nam per Anacleti conſtitutionem presbyter à proprio epiſcopo ordinandus fuiſſet.*

Diſt 68. Chor. epiſcopi.

Can. 1. Apoſt. Conſtit. lib. 8. cap. 27.

De Sozimo, ſive Soſimo, ſive Zoſimo ſive Zozimo (unum idem nomen variè ſcribitur) in Dionyſium mutato, conjecturis nõ facile ſum aliquid conceſſurus, niſi teſtes videro. Non ſum neſcius barbariem, aut impietatem nominum quandoque in baptiſmo correctam. Exemplum, præter alia, apud Euſebium, quinque Ægyptiorum martyrum, qui pro nominibus idolorum à parentibus impoſitis, aſciverunt nomina Prophetarum Eliæ, Hieremiæ Eſaiæ, Samuelis, & Danielis: Sed Sozimum, cujus nomen tum aptam interpretationem haberet, tum apud Chriſtianos uſitatum eſſet, nihil tale impellere potuit. Ζώσιμος Græcus vitalis eſt: Et plerique viri ſancti hujus nominis extitere. In primis ille, quem D. Polycarpus imitandum proponit, beatiſſimis Ignatio, & Ruſo conjungens, quique ex iis diſcipulis fuit, per quos primitiva eccleſia in Judæis, & Græcis fundata eſt. *Quare ergò mutandum ſuaſiſſet Narciſſus? Aut quid eſt cur Afræ, Hilariæ, & reliquarum nomina non mutaverit, Sozimi mutaverit? Ego ſic ſentio, ſi Sozimus aliquis Auguſtæ epiſcopus fuit, vel circa hæc tempora, vel multis poſt ſeculis, ſub Francorum Regibus, ut nonnulli ſcripſerunt, eum omninò diverſum à Dionyſio fuiſſe. In qua cauſſam eſſe cur confundamus. Antoninus in Chronico de nomine mutato nihil prodidit, utroq; tamen, Dionyſii, & Sozimi promiſcuè utitur, quod errore factum opinor. Nimis inceptè Romana inſcriptio, quæ Sozimi primi meminerit, à quibudam profertur hoc loco.*

Lib. 3. c. 21.

Ad Philip. Mar. R. 18. Dec.

101. IPSE AUTEM] *A filo reliqua hiſtoriæ hæc ſeparata ſunt, quod alterius auctoris, & ætatis videantur. Neque tamen cujusquam opinionem præjudico.*

102. GERUNDAM] *Meminit Gerundæ, Ptolemæus in Authetanis Tarraconenſibus: & Plinius, qui Gerundenſes inter* XLIV. *Tarraconenſis Hiſpaniæ populos numerat. Hodie Girona eſt, quæ epiſcopat' dignitatẽ adhuc tuetur.*

Pt. lib. 2. cap. 6. Pl. lib. 3. c. 3.

103. PER TRES ANNOS] *Conſentit de tribus annis Villegaſius. Vidi ſancti viri hiſtoriam, ſed quæ fere ex hac B. Afræ converſione concinnata ſit. Nam genuina paſſionis deſcriptio dudũ periit, uti ex Berengarii Gerundenſis epiſcopi literis conſtat. Quas ante annos amplius quingentos perſcriptas, inte-*

integras huc inferam, cum antiquitatis studio, tum ne memoria legationis, cujus in iis mentio fit, & quæ cum commendatione priscæ pietatis conjuncta est, intercidat.

Charissimo patri, Domino Sighardo Abbati, & universæ S. Udalrici, & S. Afræ martyris congregationi, Berengarius sanctæ sedis Gerundensis episcopus, cum omni clero, & fideli populo, perfrui bonis omnibus semper in Christo.

Noverit, dilectissimi, venerandus vestræ fraternitatis affectus, nos, & vestrum nuntium vidisse, & delegatas nobis à vestra fraternitate litteras pio respectu perlegisse: & vestris precibus (licet id, quod nobis post Dominum charius est, expeteretis) nimia vestri devictos devotione, libenter annuisse. Tanta est equidem à CHRISTO commendatæ dilectionis integritas, ut quod sibi quis avidius retinendum elegerit, crimen esse perhorrescat, nisi petenti celeriter obtulerit. Quapropter, charissimi fratres, hinc charitatis jura servantes, hinc (si dicendum est) præsumptionem facientes, beatitudini vestræ, de sacrosanctis salutis nostræ thesauris, munificum munus dirigimus. Videlicet ex ossibus, & carne, & cruore terra mixtis, ac vestimentis sanctissimi doctoris nostri Felicis martyris CHristi, scilicet illius, quem ut Apostolum, & Prophetam habemus. Non illius, qui beatissimi Narcissi episcopi diaconus est dictus: quoniam ipse translatus à piissimo Rege Francorum Carolo, apud Parisiorum civitatem honorifice requiescit. Item de gloriossissimi patris nostri Narcissi, pontificis & martyris Christi, vestimento, & stola, cum quibus conditus est in sepulchro. De corpore autem ejus vobis ideò mittere nequivimus, quoniam ita hactenus, Dei gratia, servatur incorruptum, sicut eadie, qua spiritus ejus de hoc seculo nequam transvectus est ad Dominum. Mittimus etiam vobis de ossibus capitis atque manus S. Romani pretiosissimi martyris Christi, socii videlicet prætaxati Felicis venerandi martyris Gerundensis, Hispaniæque doctoris. Sanctarum verò reliquiarum, quas destinamus, loculos, adjunctis breviculis (ne quis insçios error perturbaret) ita signando distinximus, ut quorum quisque gerat pignora, indubitanter notificet ignorantibus. Lætamini igitur in Domino, dilectissimi, & exultate, & tantorum trium patrum pignora, sub Trinitatis nomine vos promeruisse gaudete. Et ut parcè eloquamur, si non honorificentius, non tamen irreligiosius, quam à nobis custodiuntur, munera fidei vestræ credita conservatæ: quatenus patrocinantibus ipsis, quorum pretiosissimum pignus in manibus habetis, & præsentis vitæ tranquillitate perfrui, & futuræ beatitudinis requiem consequi valeatis. Passionem præterea Sancti Felicis vobis transmittimus, in qua natalis ejus diem, Calend. videlicet August. prænotavimus. De gestis autem S. Afræ, nihil amplius quam vos, nos habere cognoscite. De S. verò Narcisso, dirigimus quod habemus: Passionis enim illius librum, & obitus sui diem, irruentibus paganis, & ecclesias nostras vastantibus, ac loca depopulantibus, irrecuperabiliter amisimus. Transitus verò ejus festivitas à nobis annualiter solenni studio celebratur IV. Calend. Novembr. Translationis autem V. Cal. Octobr. Valete. Et pro nobis omnibus omnipotentem Deum exorate.

Sacræ reliquiæ Augustam illatæ sunt Anno Christi M L XXXVII. XII. *Cal. Aug.*

104. MARTYRII PALMAM, &c.] *Narcissum martyrio occubuisse, nemo in dubium revocat. At in ratione temporis auctores dissentiunt. Beuterus, quem Vasæus sequitur, ait passum imperante Valeriano, quamquam Vasæus monet, aliquos de Diocletiano sentire. Ferdinandus Castellius, in historia ordinis prædicatorii, quæ ante non multos annos Hispana, & Itala lingua edita, Decium cum Valeriano conjungit. Villegasius, & priores editiones martyrologii Rom. restituti ad novam Calendarii rationem, Aureliani persecutionem præferunt. Sed in Plantiniana posteriori editione, monuit Baronius inter errata, Aureliani nomen expungendum: Et rerum gestarum series satis ostendit, Diocletianum substituendum esse. Quod etiam confirmant Chronica Hispanica, singulari diligentia conscripta jussu Regis Alfonsi Sapientis. Quomodo enim qui Afram Augustæ sub Diocletiano instituit, postea in*

Beut. lib. 1. cap. 24. Vasæus P. An. 160 & 306. Castel. lib. 1. cap. 1. In flore S. Mart. 18. Martij.

Hispaniam profectus occubuit, sub Valeriano, aut Aureliano occidi potuit? Erroris caussæ existimandæ, vel ea, quam de S. Felice attigimus, ut scilicet diversi Narcissi sub Valeriano, Aureliano, & Diocletiano passi sint, quos posteri, cum obscurior eorum esset memoria, confuderint: Vel nominum similitudo in Impp. Nam VII. *Impp. qui tempore persecutionis Diocletiani extitere, quosque superius enumeravi, ad unum omnes* VALER. *tres eorum* AUREL. *nomen tuiere. Et Victor in historia abbreviata (quo nomine Schotti editionem designo) Diocletianum vix aliter quam Valerium appellat: Vel denique præsidis nomen pro Imp. nomine acceptum quod facile factu, & quod crebro contigisse, mihi credibile. Reperio sub Diocletiano Aurelium præfectum, qui Basilidem, Cyrinum, Naborem, & Nazarium, ob Christiana fidei confessionem morte affecit; sed is in Italia jus dixit. In Hispania alium quempiam Aurelium, vel Aurelianum in pios debacchatum, conijcere licet, certo statuere non licet. Et mihi ratio, quam secundo loco posui, potissimum arridet.*

Mart. 12. Junij.

S. Narcissi memoria colitur Augustæ, sub titulo Episcopi, & Augustanorum Apostoli IV. *Cal. Novembr. puto ex auctoritate ecclesiæ Gerundensis. In Rom. Martyrologio* XV. *Cal. Aprilis. Ubi Baronius appositè notavit; mirum non esse si alio die in martyrol. Rom. alio alibi de eodem sancto agatur: siquidem alicubi translatio, vel ejus ecclesiæ dedicatio, vel quod de episcopis accidit ordinatio celebretur.*

Refert ibidem, ejus tumulum multis miraculis illustrari, quorum illud sit celeberrimum; sub Petro Aragonum Rege, captâ Gerundâ per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum Reges, ex sepulchro S. Narcissi, quod milites violare attentarunt, muscarum examen egressum, in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam egit, atque ab incepto coegit desistere, anno Domini M. CCLXXXVI. VIII. *Septemb. Ex quo muscæ S. Narcissi apud eos in proverbium abierunt. Hæc etiam ex Hispanorum annalibus fidem merentur.*

INCI-

INCIPIT PASSIO SANCTÆ AFRÆ,

Martyris.

APUD provinciam Rætiam in civitate Augusta, cum Christianorum esset sæva perſecutio, & omnes pro Christi nomine variis suppliciis afflicti ad sacrificia traherentur, contigit Afram, quam notam habebat fama publica, quod esset lupanaria, à perſecutoribus comprehendi. Quæ cum fuisset judici oblata, dum interrogasset judex, & cognovisset, quæ esset, dixit ei: Sacrifica diis, quia expedit tibi magis vivere, quam inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum, gessi; hoc autem quod me jubes facere, nunquam factura sum. Gajus judex dixit; Accedens ad Capitolium sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos, ipsi quotidie crimina mea, & peccata mea confiteor. Et quia indigna sum ipsi sacrificium offerre, me ipsam pro nomine ejus cupio sacrificare, ut corpus, in quo peccavi, dum pœnas pertulerit, abluatur. Judex Gajus dixit: Ut audio meretrix es, Sacrifica, quia aliena es à Deo Christianorum. Afra respondit: Dominus meus Jesus Christus dixit, se pro peccatoribus descendisse de cœlo. Nam & evangelia ejus testantur, quod meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, & indulgentiam acceperit: Et meretrices, & publicanos nunquam despexerit, quos etiam secum manducare permisit. Judex dixit: Sacrifica, ut diligaris ab amatoribus tuis, sicut semper dilecta eras ab ipsis, ut inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. Afra respondit; Pecunias execrabiles jam

nunquam accipiam, nam & quas habui, quasi sordes abjeci, [25] quia non erant de bona conscientia: Nam [26] nolentes accipere aliquos fratres meos pauperes, etiam precibus rogavi, ut à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis orarent. Si ergò, quæ habui, à me abjeci, quomodo potest fieri, ut quæram accipere, quæ etiam quasi sordes abjeci. Judex Gajus dixit: [27] Jam te Christus dignam non habet, sine causa vis eum Deum tuum dicere, qui te suam esse non cognoscit. Meretrix enim quę est, dici Christiana non potest. Afra respondit: [28] Christiana ego quidem dici non mereor, nec vocari, sed misericordia Dei, qui non de merito, sed de sua pietate judicat, ipsa me ad hoc nomen admisit. Judex Gajus dixit: Unde nosti, quia te admisit ad hoc nomen? Afra respondit: [29] In hoc me cognosco à facie Dei non esse projectam, quia ad glorioſam confessionem sui sancti nominis permittor accedere, [30] per quam me credo omnium scelerum meorum indulgentiam accepturam. Judex dixit: Hoc fabulæ sunt: Magis sacrifica diis, per quos [31] salutem consequeris. Afra respondit: [32] Salus mea Christus est, qui pendens in cruce, latroni confitenti bona paradisi pollicitus est. Judex Gajus dixit: Porro sacrifica, ne in conspectu amatorum tuorum, [33] qui tecum turpiter vixerunt, [34] cathomis [35] te cædi jubeam, Afra respondit: [36] Confusio mihi nulla est, nisi de peccatis meis. Judex dixit: Sacrifica diis, quoniam injuria mihi est, tot horas tecum certare: Si verò nolueris, occideris. Afra dixit: [37] Hoc est quod opto, si tamen merear, ut per hanc confessionem digna efficiar requiem invenire. Judex Gajus dixit: Sacrifica, nam [38] torqueri te faciam, & postea vivam incendi præcipiam. Afra respondit: [39] Corpus, in quo peccavi, accipiat diversa tormenta, nam animam meam sacrificiis dæmonum non coinquinabo. Tunc judex nequissimus [40] dictavit sententiam, dicens: [41] Aſram publicam meretricem, quæ se Christianam professa est, & noluit sacrificiis participare, [42] vivam incendi præcipimus. Statim igitur [43] rapta est à ministris, & ducta [44] in insulam [45] Lyci fluminis, ibiq; [46] eam expoliantes, [47] ad stipitem ligaverunt. Atque illa levans ad cœlos oculos suos, oravit cum lacrymis, dicens:

[48] Domine Deus omnipotens Jesu Christe, qui non justos venisti vocare, sed peccatores ad pœnitentiam: Cujus promissio vera, & manifesta est, quia dignatus es dicere, [49] qua hora conversus fuerit peccator à suis iniquitatibus, eadem hora te non rememoraturum peccatorum ejus: Accipe in hac hora passionis meæ pœnitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est ab illo igne æterno me libera, qui animam, & corpus simul exurit.

Et

Et iis dictis expletis, [50] circumdata sarmentis, igne suppositio, vox audita est, dicens:

[51] Gratias tibi ago Domine JEsu Christe, qui me dignatus es hostiam habere pro nomine tuo, [52] qui pro toto mundo solus hostia oblatus es in cruce, [53] justus pro injustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, [54] mundus à peccato pro peccatoribus universis: Tibi offero sacrificium meum: Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus in [55] secula seculorum, Amen. Et hæc dicens [56] emisit spiritum.

PASSIO SANCTARUM HILARIÆ, DIGNÆ, EUNOMIÆ, EUTROPIÆ, [57] ET SOCIORUM.

CUM autem beata Christi martyr Afra cœli gaudia sic per [58] martyrii palmam intrasset, [59] stabant juxta ripam fluminis Digna, Eunomia, & Eutropia, quæ fuerunt ejus ancillæ, simulq; fuerunt in peccato, & simul à sancto Narcisso episcopo baptizatæ. Quæ [60] rogaverunt descendentes de barca, ut se transferrent. Cumque eas transtulissent, [61] invenerunt sanctæ Afræ integrum corpus. Puer autem, qui cum ipsis erat, transnatavit, & nuntiavit matri ejus Hilariæ. Et [62] venit nocte [63] cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus ejus, & [64] posuit secundo milliario de civitate Augusta, [65] in memoriam, quam sibi, suisque construxerat. [66] Nuntiatum autem est Gajo judici. Qui misit ad ipsam memoriam, dicens: [67] Ite & tenete eas, & si consenserint ad sacrificandum, [68] cum honore eas adducite ad me, ut remunerem illas censu dignissimo. Si autem videritis eas animo pertinaci obsistere, & nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, [69] implete memoriam cremiis, & siccis spinis, & [70] claudite super eas ipsam memoriam, & ita demum ignem supponite, ut nulla ex eis evadat. [71] Euntes autem ad eas [72] milites, prius blando sermone eas provocabant, post hæc terroribus impellebant. At [73] ubi videbant omnes simul contemnere sacrificia, repleverunt memoriam sarmentis, & siccis spinis, & clauserunt super eas, & [74] suppositio igne abierunt. Sicque factum est, ut [75] eadem die, quando sepulta est Afra, simul etiam mater ejus Hilaria, necnon & famulæ ejus secundum carnem, sed etiam sorores in Christo, Digna, Eunomia, & Eutropia simul martyrii coronam acciperent, & quæ simul unanimes in Christum JEsum crediderunt, ad eum cum [76] palma martyrii pariter pervenirent.

77 Beatus autem Afer, patruus ſanctæ Afræ (cujus dies paſſionis 78 pridie quam ipſius martyris Afræ colitur) credendus eſt ad exemplum terroris ei aliisque, præpunitus eſſe. Sed quo genere martyrii, non legitur.

De ſancto vero Dionyſio ipſius avunculo, quem novellæ plantationis fidei beatus Narciſſus ordinavit presbyterum, & plenius inſtruxit, 79 quamvis ſpecialiter ſcriptis non exprimatur, tamen non eſt dubitandum, quin ipſius glorioſæ Chriſti martyris Afræ exequiis, tamquam ſacerdos, & pontifex interfuerit, & pariter cum ſorore ſua Hilaria, aliisq; martyribus, per ignem paſſionis palmam victoriæ ſuſceperit.

80 Ipſa quoque die 81 apud eandem urbem 82 paſſi ſunt alii XXV. pro nomine Chriſti capitis obtruncatione. Id eſt 83 Quiriacus, Largio, Creſcentianus, Eutychianus, Charito, Philadelphus, Petrus: Et fœminæ iſtæ, Nimmia, 84 Juliana, Diomeda, Leonide, & Agape: 85 Et alii XIII. quorum nomina Deus ſcit, per bonam confeſſionem benedicentes Dominum, qui glorificat ſuos. Cui eſt honor & gloria in ſeculorum, Amen.

AD PASSIONES SANCTÆ AFRÆ MARTYRIS, & SS. Hilariæ, DIGNÆ, EUNOMIÆ, EUTROPIÆ, ET SOCIORUM MARTYRUM. COMMENTARIUS.

AFRÆ *passionem ex actis publicis concinnatam esse, res loquitur. Et confirmat Cæs. Baronius, cui in dijudicandis Christianorum historiis uni omnium plurimum tribuo. Hic præterea annotavit, eam, quæ à Vicelio in Hagiologio edita, sinceriorem videri alterâ, quam Surius emisit, puto ob immutatum à Surio stylum, sententia enim est utrobiq; eadem. Me quoque exemplaria vetera hac de caussa sequi semel sum professus.* Not. ad martyr. S. Aug.

Ad acta quod attinet, certum est, uti Romæ, ita in provinciis confici consuevisse. Meminit Modestinus scribarum, qui illo munere apud præsides fungebantur. Ea nomine, & usu publica erant. Ideò Suetonius in Cæss. vitis sæpe actorum testimonio utitur, quod apud alios etiam historiarum scriptores invenire est. Ex nostris apud Pontium diaconum in S. Cypriani vita, & sæpius apud Augustinum contra Donatistas. Christiani, quod diligentissimi essent in conservanda martyrum memoria, exscribebant inde, quæ ad suos pertinerent. Habes exemplum in S. Susannæ vita, de Thrasone viro Christiano, qui occultè assidebat in publico, qui etiam gesta sanctorum martyrum colligens, ornabat ea. *Et judicialium actorum formas in plerisq; martyrum historiis agnoscimus. At verò, hæc sive acta sive gesta (utrumq; nomen passim confunditur, præcipuè ab Augustino, & credibile est, martyrum historias ex hac origine gesta dici cœpisse) ab actuariis copiosius multo quam hodie extant, scripta fuere. Nam actuarii judicum interrogationes, & reorum confessiones verbatim excipiebant, cum notis scriberent, ut Modestinus ait. Neque quisquam dubitare potest, in judicio, quo Afra, exempli caussa, damnata est, plura utrimq; prolata fuisse, quam passio præ se ferat, cum præsertim judex dicat,* injuria mihi est, tot horas tecum certare: *Sed Christiani brevitatis studio in compendium cogebant, summam sectantes. Et quantum hujus generis historiolæ à legitimis actis differant, argumento esse possit codex satis magnus quæstionis de S. Sebastiano habitæ, quem in monasterio Cassinensi adhuc superesse, legere memini. Dein neque illud obscurum, aliqua in ista passione contineri, quæ ex actis non sint sumpta. Quomodo enim scriba sævam persecutionem, quomodo nequissimum judicem in tabulas retulisset aut cui fini orationes ab Afra in rogo positas prolatas, excepisset? Orationes profectò à Christianis, qui supplicio interfuere, observatæ, reliqua* Dig. quib. caus. mod. in int. rest. l. 33. Suet. Oct. c. 5. Tib. c. 5. Cajo c. 8. Tacit. An. 13. Vossius Tacito & Probo. Ammian libr. 22. Aug. cõtra Cresc. lib. 3 c. 29. in brevic. coll. die 3. & alibi.

illa

illa à scriptore passionis interjecta sunt. Ego itaq; actis publicis ea solum tribuo, quæ à comprehensione Afræ, usque ad prolatam sententiam in judicio contigere. In his ipsis, auctorem nulla religione ad ipsissima pura puta actorum verba astrictum fuisse existimo.

1. PASSIO] *Quidquid patimur passio, vel perpessio est. Unde animi affectiones, & perturbationes à Philosophis passiones dictæ: à medicis animi, & corporis morbi. Sed quoniam omnium patibilium, quæcumque homines ante adeptam immortalitatem sufferre possunt, mors summum, & extremum est, idcirco ecclesia martyrum neces, per durissimos cruciatus procuratas, rectè per excellentiam passiones nuncupavit. Ante omnes sacratissimam Christi mortem, ab evangelistis descriptam, sub hoc nomine veneratur.*

2. MARTYRIS] *Græca vox, testem Latinè significat. Et ejus proprius apud Christianos usus de his, qui per tormenta examinati, fideles in perhi-*
Lib. 22. c. 76. *bendo testimonio JEsu Christo perstitere. Augustinus contra Faustum*, per quorum confessiones, passiones, & mortes hoc Deo placuit attestari, martyres appellantur, qui Latinè testes interpretantur. *Antiquitus martyres dicebantur, qui supplicia perpessi etiam non occubuerant. Postea consuetudo obti-*
Tertull. & Cypr. martyris nomen ita accipiunt. *nuit, illis solum nomen gloriæ plenum tribuere, qui confessionem morte consignassent. Id interim semper observatum, ut hæretici, quamquam gravissimos cruciatus pro Christi nomine pertulissent, ad hunc honoris gradum non*
De unit. eccl. *admitterentur.* Tales, *ait Cyprianus*, etiamsi occiti in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.

3. APUD PROVINCIAM, &c.] *Publicis actis consules, & dies prænotari solebant; quæ hic excidisse dolemus. Exemplum apud Augustinum contra Cresconium de actis, quæ incipiebant*, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Cos. XIV. Cal. Junij. *Iterum in collatione contra Donatistas, de martyrum gestis, quæ* Consulibus facta sunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII pri-
Amm. lib. 22. die Idus Febr. *Ita apud Ammianum Marcellinum acta citantur, quorum initium*, Consulatu Tauri, & Florentii. *Verum hæc accurata temporis observatio à descriptoribus quandoque omittebatur. Quod docet Augustinus contra*
Li. post col. *Donatistas, hi calumniabantur literas à Catholicis sine die, & consule productas*, fieri potest ut in codicibus sit varietas, dum alii etiam dies, & consules diligentia majore describunt, alii superfluum prætermittunt. Sicut etiam codex, de quo primum legimus judicium Constantini, quo inter partes Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos pronunciavit, diem, & Consulem non habebat. *Et minus mirum est, talia in his nostris desiderari, cum actorum verius epitome, quam integra acta sint. Si verò conjectura sedet, quam de Conversionis tempore produximus, Passioni Consules ascribendi erunt Diocletianus* VIII. *Maximianus* VII.

Cur, quæ in exordio conversionis de provincia, urbe, & persecutione semel dicta sufficere poterant hic rursus repetantur, caussa videtur, quod Conversio, & Passio non perpetua serie, sed distinctis diebus, quibus utraq; celebratur, in ecclesia Augustana jam tunc legerentur.

4. PERSECUTIO] *Diocletiani intellige, sub quo etiam Conversio. Nam qui primus deinde Christianos vexavit Julianus, non nisi quinquaginta annos post Maxentium, cujus morte Diocletiani persecutio finita, imperium iniit. Est in errore manifesto Regino, qui Afram Anno Christi* CCXLII. *sub Diocletiano passam scripsit. Potior Hermannus Contractus, qui assignat annum* CCCIV. *Neque tamen presse intelligendus, nam in unum hunc annum omnes martyres qui sub Diocletiano passi, conjicit. Baronius, qui ad annum* CCIII. *retulit, prorsus cum nostro calculo, cujus rationem reddidimus convenit. Verum id forte fortuna accidit, cum martyres sub Diocletiano passos, quorum certum tempus assequi non potuit, hoc anno enumeret. Elapsi sunt à Conversione S. Afræ ad Passionis diem Mens.* IX. *Dies* XII. *Quidam integrum præterea annum adjiciunt, quod mihi nequaquam probatur, neque nostræ chronographiæ congruit.*

De pallio. 5. LUPANARIA] *Meretrices olim lupæ dictæ. Tertullianus noster*, aspice lupas popularium libidinum nundinas. *Hinc*, lupari ut scortari, vel prostitui, *Nonius: hinc lupanar pro meretricum lustris: Atque ut à fornice forni-*

fornicaria, à stabulo prostibulum, sic à Lupanari Lupanaria (quam tamen vocem alibi non legere memini) sive Lupanaris, ut aliqui codices habent, eadem forma Apuleius Lupanarem infamiam dixit, quæ suo pudore postposito, tori genialis calcato fœdere, larem mariti lupanari maculaslet infamia. *Lupanarium observavit Rob. Constantinus ex Alex. Severo Lampridii, in quo hæc verba*, Corpora omnium constituit vinariorum, Lupanariorum, Caligariorum, & omninò omnium artium. *Sed mihi mendum subolet. Tiraquello* Lupinariorum *placet. Quid enim? laudatus princeps Lenonum corpora constituit, & lenocinium inter artes rettulit? At hæc obiter.*

De Asl. lib. 9. In sup plem. ling. lat. De nobil. c. 34 n. 44.

6. JUDICI OBLATA] *Provinciæ Præsidem intellige. Qui enim jurisdictioni præest, judex est: Atqui præsidum munus est jus reddere, & de omnibus causis, de quib' vel Præfectus urbi, vel Præfectus prætorio, vel Consules, & Prætores Romæ cognoscunt, notionem habere: Omnia deniq; quæ Romæ varios judices habent, ad eorum officium pertinent, cum vice omnium magistratuum Romæ fungantur. Recte ergò judices dicuntur.*

Vide Juris Conf. Dig. de judic. lib. 81. Item Dig. de off. Præf. l. ge 10, 11. 12.

7. COGNOVISSET QUÆ ESSET] *Afra ad primam præsidis interrogationem, nomen, & professionem Christianitatis edidit. Hoc est, quod Tertullianus in Apologetico Christiani constantiam prædicat*, si denotatur, gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus, vel ultro confitetur: damnatus, gratias agit. *Quin multi se ipsos denuntiabant, inde Professores dicti. Talis fuit S. Gordius martyr, de quo extat Basilii sermo. Is in theatrum progressus, exclamavit:* Inventus sum me non quærentibus, conspicuus factus sum me non interrogantibus.

8. SACRIFICA DIIS] *Conqueritur Tertullianus, judices gentiles duplici potissimum ratione in Christianos injurios esse: quâ utraq; Christianorum conditio longè diversissima sit à reis reliquis. Primò cum Christianos omnium fere scelerum colluvie nocentissimos esse dicerent, tamen neque defensio pro illis, neque inquisitio in illorum crimina admittebatur, quæ de cæteroreis omnibus competebant.* Illud solùm expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, & non examinatio criminis. Quando, si de alio nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (ut de nostris elogiis loquar) contenti sitis ad pronuntiandum, nisi & consequentia exigatis: Qualitatem facti, locum, tempus, conscios socios. De nobis nihil tale, cum æquè extorquere oporteret, quodcumque falsò jactaret. *Ista calumnia egregiè in Afræ judicio eluxit. Mox enim ac judex* cognovisset quæ esset, *Christiana scilicet, nihil prætereà moratus, id unum contendit (quod rursus Tertullianus queritur) ut de eo nomine excluderetur. Exclusa enim fuisset, si fecisset, quæ faciunt non Christiani, hoc est, si diis sacrificasset. Alterum caput multo erat absurdius*, nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus, adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum. *Et post pauca*, cum præsumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confesso decedere, ut negantes nomen, pariter utique negemus & scelera, de quibus ex confessione nominis præsumpseratis. Sed opinor, non vultis nos perire, quos pessimos creditis (sic enim soletis dicere) homicidas. Negatis laniari jubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit. Si non ita agitis circa nos nocentes, ergò nos innocentissimos judicatis, cum quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non justitia à vobis damnandam sciatis. Vociferatur homo, Christianus sum; Quod est, dicit, tu vis audire quod, non est. Veritatis præsides, de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quæris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, & torques; quid faceres, si negarem? Planè aliis negantibus non facile fidem accommodatis; nobis, si negaverimus, statim creditis. *Iterum*, debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus. Deniq; illum nemo gestit absolvere, non licet hoc velle, ideò nec cogitur quisquam negare. Christianum hominem, omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas, & rogis negare, ut absolvas: quem non poteris absolvere, nisi negaverit. Prævaricaris in leges. Vis ergò neget se nocentem, ut facias eum innocentem, & quidem invitum, jam nec de præterito reum? *Tandem concludit*, ideò torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia nominis præliũ est. *Eadem prorsus in nostra causa licet animadvertere.*

Apol. c. 1. 2.

Judex

Digitized by Google

Judex totus est, non in eruenda veritate perpetratorum scelerum, sed in eo, ut Afram à professione Christianitatis, sive argumentorum pondere, sive blanditiis, sive minis excidere faciat. Omnes persuasiones, & intentata sæpius tormenta, expedit tibi magis vivere, quam inter tormenta deficere: Cathomiste cædi jubeam: Si verò nolueris, occideris: Torqueri te faciam, & postea vivam incendi præcipiam: *Ad illud toties repetitum* Sacrifica *referuntur. Quamquam tormenta festinatione capitalis supplicii exclusa sint Neque verò obscurum erat, Idolorum sacrificio fidem Christianam multo validius, quam nudâ voce negari. Porro idem argumentum probandæ Christianæ innocentiæ, urget Tertullianus ad Scapulam*, quid amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare? Videtis ergò, quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, ut confessos negare cogatis. Adeò confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis. *Pluribus D. Cyprianus ad Demetrianum*, elige tibi alterum de duobus: Christianum esse, aut est crimen, aut non est. Si crimen est, cur non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem: si pœnam tuam metuens, id quod prius fueram, & quod Deos tuos non coluerim, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus: sicut in cæteris quæstionibus torquentur rei, qui se negant crimine quo accusantur teneri, ut facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc verò, cum sponte confitear, & clamem, & crebris, ac repetitis identidem vocibus, Christianum me esse contester, quid tormenta admoves confitenti?

9. INTER TORMENTA DEFICERE] *Aliquando deliquium animæ: hoc loco Mori significat. Quod ex opposito intelligimus*, expedit tibi magis vivere. *Ulpianus*, nec ea quidem pœna damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur, nec tormentis; quamvis pleriqúe, dum torquentur, deficere solent.

Dig. de pœnis lege 8.

10. SUFFICIUNT MIHI PECCATA MEA] *Verbum sufficere de iis rectè dicitur, quorum è diverso egere possumus. At peccatorum nunquam egemus: Peccata ergò nobis proprie non sufficiunt. Impropriè illa sufficiunt, quibus omninò nihil addendum, id peccatis convenit. Ita Deus per Ezechielem*, sufficiunt vobis omnia scelera vestra domus Israël.

Ezech. 44.

11. QUOD ME JUBES FACERE, NUNQUAM FACIAM] *Ingenuè dictum, & liberè, ut Christianam decebat. Neque enim tergiversatio, aut simulatio in caussa fidei ferenda. Æquè rotunde Cyprianus, cum Proconsul sacrificium imperasset*, non facio: *Et cum Proconsul instaret, Cyprianus denuò*, hac quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio. *Sic D. Ignatius*, non facturus sum aliquando, quod mihi consulitis.

12. GAJUS] *Prænomen à gaudio parentum ductum, ait Valerius Probus. Per G. proferri, & per C scribi testatur Diomedes. Non nemo in scriptione G. retinet. Neque aliter in pandectis Florentinis, quod Ant. Augustinus annotavit. At cur præterito præsidis nomine hic prænomen edatur, causssam nullam nisi fortuitam subesse opinor. Ita plerique auctores Julium, & Caligulam Cass. Cajos tantum dixere. De nostro nihil præterea memoriæ proditum. Aventinus Carum Aquilinum virum Consularem, Ducem Vindelici limitis retulit; nescio unde errtum. Fasti circa ea tempora Carum Aquilinum nullum, unum Vettium Aquillinum Consulem habent. Neque mihi constat, eum post ea hujus limitis ducem fuisse. Quamquam probè scio permultos Consulares, qui nunquam Consules. Sed fuerit Carus Aquilinus dux limitis, longè alius fuit à Provinciæ præside.*

Emmd. lib. 4. cap. 3.

13. CAPITOLIUM MEUM CHRISTUS EST] *Respicit ad etymologiam Capitolii, quæ est à capite, uti monuimus. Christus enim, lapis ille, qui reprobatus ab ædificantibus, factus est in caput anguli, sæpe dicitur caput ecclesiæ, hoc est, fidelium. Paulus*, Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Christus caput est ecclesiæ, ipse salvator corporis eius. Ipse est caput corporis ecclesiæ. *Quod verò Gajus hortatur Afram ad Capitolium sacrificandi causssa accedere, id vulgò consueverat capi experimentum de Christianis ad paganismum relabentibus. Unde S. Cyprianus ad lapsos*, nonne quando ad Capitolium

Ephes. 1. 4. 5. Coloss. 1.

tolium

tolium ſponte ventum eſt, quando ultro ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, labavit greſſus, caligavit aſpectus, tremuerunt viſcera, brachia concide-
rùnt? *Et in epiſtolis*, Compelluntur adhuc inſuper lapſi, ut linguis atq; ore, quo in Capitolio ante deliquerant, ſacerdotibus convitium faciant, &c. *Ep. 55.*

14. QUOTIDIE CRIMINA, ET PECCATA MEA CONFITEOR] *Ut agnoſcamus diligentem Chriſtianitatis diſcipulũ, ſingula fere, quæ ſequuntur, reſponſiones ex ſacris litteris petita ſunt: Hac primo Davidis illud reſpicit, aut aliquid ſimile*, Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meũ, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. *Nam ut S. Hilarius ait*, Pœnitentiæ vox eſt, lacrymis orare, lacrymis ingemiſcere. *Cur autem confeſſio peccati olim commiſſi, & jam deſiti, rectè iteretur, docet idem Hilarius*, Confitendum ſemper eſt: non quod peccandum ſemper ſit, ut ſemper ſit confitendum, ſed quod peccati veteris, & antiqui, utilis ſit indefeſſa confeſſio. Docet autem Spiritus ſanctus ſemper confitendum, cum ait per Prophetam: Juſtus ipſe ſibi accuſator eſt in primo ſermone ſuo. Juſtus non ſe ex præſentibus, ſed ex præteritis accuſat. Cui enim adeſt præſentium accuſatio, juſti nomen auferetur. Et audiamus ſe Apoſtolum Paulum ex præteritis arguentem, cum ait: Quia non ſum dignus vocari Apoſtolus, ea propter quod perſecutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum quod ſum. *Pſal. 6. In Pſ. 118. Fe. In Pſ. 135.*

15. INDIGNA SUM IPSI SACRIFICIA OFFERRE] *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, unicum novæ legis ſacrificium eſt, propriè ſumptum: Cujus oblationem minus ſibi licere rectè innuit Afra, cum ea ſacerdotibus tantum conveniat.* *Quid ſacrificium proprie, quid improprie. Cognoſce ex Gulielm. Alano de ſacrif. miſſæ lib. 2. cap. 2. De juſtitia Pſ. 4. 50. De laude Pſ. 26. 49. 106. 115. De pœnit. Pſ. 50. Auguſt. in Pſ. 55. Tertull. de reſur. De pudic. Chryſoſt. in Pſ. 50. hom. 2. in gen. hom. 9 & 60. in Mat. hom. 16. Aug. de civ. lib. 10. c. 6. Ep. 120.*

16. ME IPSAM PRO NOMINE EJUS CUPIO SACRIFICARE] *Sacrificii nomen translatè ſignificat omne opus bonum, quod in Deum refertur. Exempla ſunt ex pſalmis, de juſtitia*: Sacrificate ſacrificium juſtitiæ: Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ. *De laude*: Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis: Immola Deo ſacrificium laudis: Sacrificent ſacrificium laudis: Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. *De pœnitentia*: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. *Auguſtinus dixit, noſ fidem, ſpem & charitatem ſacrificare. Tertullianus ſacrificia Deo grata appellavit*, Jejunia, & ſeras, & aridas eſcas. *Deinde ait*, Virginitas quoque, & viduitas, & modeſta in occulto matrimonii diſſimulatio, & una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur. *Et alio loco*, Afflictatio carnis hoſtia Domino placatoria, per humiliationis ſacrificium. *Chryſoſtomus humilitatem ſacrificium maximum vocavit: Ita gratiarum actionem, mortificationem membrorum, orationem deniq; & eleemoſynam, & Auguſtinus*: Ipſe homo Dei nomini conſecratus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt. *Idem corpus per ſe, cujus rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium vocat, multo autem magis animam: nec non totam congregationem ſanctorum univerſale ſacrificium appellat: At quoniam virtutes hominis Chriſtiani, in bonis operibus ſingulæ, in martyrio omnes emicant, quod D. Auguſtinus expreſſit, cum dixit, Chriſtum martyres in ſe transfigurare: Ideò martyrium in hac tralatione verbi, excellenti quodã modo Sacrificium: Immolatio, Libatio: Martyres Hoſtiæ, Victimæ, Holocauſta dicti. Ita omnes ad unum interpretati ſunt Pauli verba*: Ego enim jam delibor, *ubi alii legunt*, immolor: *Utraq; gloſſa, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anſelmus, Bruno, Carthuſ. Quod tamen unico illi & vero ſacrificio nihil derogat. Immò Afra utramq; nominis ſignificationem ſatis diſtinxit, cum ſe indignam eſſe dixit, qua ſacrificia offerret, & mox adjunxit, cupere ſe ipſam ſacrificare. Cyprianus quoq; duplicem ſacrificii notionẽ conjunxit, ad Nemeſianum, & reliquos martyres in metallo conſtitutos*: Sed nec in illo, fratres dilectiſſimi, aliqua poteſt aut religionis aut fidei jactura ſentiri, quod illic nunc ſacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi ſacrificia divina: *Hactenus ſacrificium in proprio ſenſu, mox in translato*: Celebratis immò, & offertis ſacrificium Deo, & pretioſum pariter & glorioſum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœleſtium profuturum, cum ſcriptura divina loquatur, & dicat: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Cor contritum, & humilitatum Deus non deſpicit. Hoc vos ſacrificium Deo offertis, hoc ſacrificium ſine intermiſſione die ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo, & vosmet ipſos ſanctas atq; immaculatas victimas exhibentes, ſicut Apoſtolus adhortatur, & dicit: Oro ergò vos fratres, per miſericordiam Dei, ut conſtituatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini *Ep. 77. 2. Tim. 4.*

seculo huic, sed transformamini in renovatione sensus, ad probandum, quæ sit voluntas Dei bona, & placens, & perfecta.

Porrò uti hac sacrificandi interpretatio passim est obvia, ita & illud observationem meretur, quod tyranni interfectores, aliquando martyrum sacerdotes dicti. Haymo D. Paulum explicans, Si immolor, id est, interficior à Nerone. Nero ipse fuit sacerdos Petri & Pauli, quia ipse mactavit eos: mactavit quidem, sed non obtulit, quia ipsi se ipsos obtulerunt. *Et eadem planè ratione in alium Pauli locum.* Ego enim jam delibor. Libare hic pro sacrificatione & immolatione ponitur, ac si diceret: Ego enim jam immolor. Sacerdos Petri & Pauli extitit Nero, sed ejus immolatio non est reputata ad gratiam, mors autem illorum gratissimum sacrificium fuit Deo.

17. UT CORPUS, IN QUO PECCAVI, DUM POENAS PERTULERIT, ABLUATUR] *Nam omnia peccata vero martyrio eluuntur. Inde Tertullianus,* omnia huic operi delicta donantur. *Rursus,* propriè martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipso vita deponitur. *Atq; Cyprianus omnia peccata passione purgari ait.*

Apol. sub finem. in scorpiaco. Cyp. ep. 52.

18. QUIA ALIENA ES A DEO CHRISTIANORUM] *Paulò post,* Meretrix enim quæ est, Christiana dici non potest. *Egregia testimonia puritatis Christianæ ab homine inimico. Nam priori commentario bis monui, Christianam innocentiam gentilibus adversariis notam fuisse.*

19. CHRISTUS DIXIT SE PRO PECCATORIBUS DESCENDISSE DE COELO] *Apud Matthæũ & Lucã,* non veni vocare justos, sed peccatores.

Matth. 9. Luc. 5.

20. EVANGELIA EJUS TESTANTUR, QUOD MERETRIX, &c.] *Ex Luca:* Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. *Rectissimè Afra Mariæ Magdalenæ vitam, tamquam aliquod speculum, inspiciebat; cum nullum extet illustrius exemplum vel peccatricis conversæ, vel Dei convertentis, & peccata condonantis.*

Cap. 7.

21. ET INDULGENTIAM ACCEPERIT] Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. *Rursus:* Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: Vade in pace. *Antiqua est in ecclesia vox Indulgentiæ, absolutè posita, pro peccatorum remissione. Quod Pammelius in Cypriano notavit.*

22. ET MERETRICES ET PUBLICANOS, &c.] *De meretrice vidimus. De publicanis crebra sunt testimonia:* Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores. *Item:* Multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. *Unde calumniandi ansam nacti Phарisæi, ut Christus ab illis audire cogeretur,* Amicus publicanorum & peccatorum. *Publicanorum verò nomen, cum ubiq; exosum esset; adeò ut Ulpianus prodiderit, quanta audacia, & quanta temeritatis eorum factiones sint, neminem nescire, & Thersites interrogatus, quæ fera sævissima, responderit: In montibus ursi in civitatibus fœneratores, & publicani: maximè tamen infame habebatur apud Hebræos: Neq; ejus ulla est in sacris litteris memoria, nisi cum nota ignominiæ conjuncta. Nam cum nefas crederent, si esset vectigal pendens ex filiis Israel, necessario profani & execrandi existimabantur, qui illud exigebant.*

Luc. 15. Matth. 2. Luc. 5. Matth. 9. Luc. 5. 7. 15. Matt. 9. 11. Mar. 2. Dig. de publ. & vectig. l. 12. Hier. ep. 146.

23. UT DILIGARIS, &c. UT INFERANTUR TIBI PECUNIÆ MULTÆ] *Judex duplicem machinam adhibet, quarum utraq; hominum mentes validè concutit. Voluptatem nimirum & lucri spem. Quod enim caussa diffidat, extra eam mixtim minis, & blanditiis agit. Antea tormenta & mortem intentavit: Jam ad veteres libidines & quæstum revocat. Frustra utrumque.*

24. PECUNIAS EXECRABILES, &c. QUASI SORDES ABJECI] *Pecunias execrabiles appellat, quæ stelere quæsita: Neq; illarum contemptum expressius, quam sordium nomine ostendere potuit. Hieronymus gloriosas sordes vocavit.*

25. QUIA NON ERANT DE BONA CONSCIENTIA] *Hæc ex ora, ubi ab aliquo annotata, irrepsisse suspicio est. Quamvis utcumq; ferri possunt.*

26. NOLENTES ACCIPERE ALIQUOS FRATRES, &c.] *Homines Christianos fratres votat. Erat ea frequens in prima ecclesia appellatio: Adeò ut infamis haberetur apud gentiles, ideoque purgare coacti sint apologiarum scriptores, præcipuè Tertullianus, qui in eo multus. At cur fratres pauperes Afræ pecuniam accipere abnuerint, quari potest. Est in lege veteri,* non offeres

Deut. 23.

mer-

mercedem proſtibuli. *Et Philo ſingularem libellum ea de re ſcripſit. Quæ poſtea Chriſtianorum quoq; moribus recepta. Videbatur enim rerum ſacrarum majeſtas imminui, ſi meretricia oblatio ad altaria admitteretur. Verum longè diverſa eſt eleemoſynarum ratio. In eas rectè erogantur bona quantumvis illicitis, & inhoneſtis artibus parta, dum reſtitutioni non ſint obnoxia: At meretricia pecunia reddditioni nequaquam obnoxia, niſi extorta ſint illis, quibus alienandi poteſtas non erat, aut alioquin fraus intervenerit: Tuto igitur eleemoſyna à meretricibus, etiam in peccando perſiſtentibus, multo magis à pœnitentibus accipiuntur. Tamen exiſtimo Chriſtianos antiquæ pietatis, qui ab omni ſpecie mala abſtinendum ſcirent, invitos, & non niſi cauſſa diligenter penſiculatâ, animum induxiſſe hujuscemmodi pecuniis ſublevari: Ne illis ſcilicet, propter alienum ſcelus, temere melius eſſet. Plerisq; creditum eſt, Afram præterquam numeratâ pecuniâ, etiam prædiis urbanis, & ruſticis locupletem fuiſſe, quibus divenditis pretia piis uſibus deſtinarit. At ego quid certò aſſeverem, non habeo. Nec intereſt ad pietatis argumentum, ſcire quantum erogarit: ſatis illud eſt, omnia quæcumque poſſidebat erogaſſe, cum dicat:* Quæ habui, à me abjeci. *Ad normam conſilii Evangelici:* Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & habebis theſaurum in cœlo. *Vide gloſſ. in c. Oblationes diſt. 90. & Sum. Silv. in verbo Meretrix.* *Matth. 19.*

27. JAM TE CHRISTUS DIGNAM NON HABET. SINE CAUSA, &c.] *Deſperationis venenum Gajus antea clam inſtillaverat:* Aliena es à Deo Chriſtianorum, *nunc palam effundit. Neque ignarus eſt ille, qui argumenta ſuppeditat, genius: Pleroſq; quos non cruciatuum, & mortis terrores, non voluptatum, & pecuniarum illecebræ, de ſtatu dejicere potuere, unâ divinæ gratiæ deſperatione excidiſſe. Sed Afra jam olim validis armis, contra omnes has inimici impreſſiones, à catechiſta Narciſſo inſtructa fuit. Quod reſponſiones ſatis oſtendunt. Nos, quoniam hæc mentio incidit, elegantem deſperationis deſcriptionem, ex libro de vera, & falſa pœnitentia, qui inter Auguſtini opera legitur, promamus:* Quid aliud eſt deſperare, quam Deum ſibi comparare? Nam qui de Deo non præſumit veniam, non animadvertit, plus peccato ſuo poſſe Dei clementiam. Si enim ſentiret Deum magis bonum, quam ſe malum, quidquid in ſe juſtitiæ non inveniret, à Deo magis bono expectaret: & quidem diffidit, quia ſummi boni bonitatem majorem ſua nequitia non ſentit. Ille enim ſolus diffidat, qui tantum peccare poteſt, quantum Deus bonus eſt. Cum ſit autem nullus, qui hoc poſſit, qui timet de ſe malo, præſumat de meliore.

28. CHRISTIANA QUIDEM EGO DICI NON MEREOR, &c. SED MISERICORDIA, &c.] *Objectum crimen non negat, non excuſat, ſed Dei miſericordiam appellat. Videor D. Paulum audire:* Ego enim ſum minimus Apoſtolorum: qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum, id quod ſum. *Et rurſus,* Prius blaſphemus fui, & perſecutor: ſed & miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto JEſu. *Afra etiam dicere poterat:* Ignorans feci in incredulitate. *Ita paulò antea,* Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum geſſi. *Quomodo autem miſericordia Dei omne humanum meritum antecedat, oſtendit S. Auguſtinus:* Nemo enim credit, qui non vocatur: Miſericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei ſequuntur vocationem, potius quam præcedant. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Et quomodo audient ſine prædicante? Niſi ergò vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quisquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari, & accipiat facultatem bene operandi. Ergò ante omne meritum eſt gratia: Etenim Chriſtus pro impiis mortuus eſt. *Et quia Afra fatetur, ſe non mereri Chriſtianam dici, audiamus nominis dignitatem ex Chryſoſtomo:* Quemadmodum hi, qui in bello regia ſigna circumferunt, ut moris eſt, magnis laboribus indigent, & viribus, maximaque peritia, uti ne id hoſtibus prodant: ita & qui Chriſti nomen portant, non in bello ſolùm, verum etiam in pace, ſummis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, ſed id ſtrenuè ferant vexillo crucis armati. Ingenti enim profecto opus eſt robore, ut quis dignè portet Chriſti nomen. Nam qui indignum aliquid, vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitaverit, Chriſti nomen non legitimè portat, neque habet in ſemetipſo Chriſtum. Porrò qui id congrue portat, *1. Cor. 15.* *1. Tim. 1.* *Ad Simplic. lib. 1. q. 2.* *In ep. 1 ad Tim. hom. 3.*

is profecto triumphat, non in foro, sed in cœlis, omnesque illi adstant angeli, circumdantes illum, atque admirantes. *Quin Afra hoc nomen dignè talerit, minimè dubitandum, & locupletissimum testimonium hæc passionis historia dicit; Est ergò humilitatis, quod se indignum profitetur.*

29. IN HOC ME AGNOSCO, &c.] *Necessaria collectio. Nominis confessio, martyrium, sive testimonium est: testimonium nemo ab adversario petit, sed ab amico: Deus ergo, qui me ad sui nominis confessionem admisit, à facie sua neutiquam projecit.*

30. PER QUAM ME CREDO, &c.] *Dixi hac de re. Cyprianus, ut ostenderet martyrium omnibus utile esse, inquit:* Vidimus quippe ad hunc nominis titulum fide nobiles venisse plerosque, ut devotionis obsequium mors honestaret. Sed & alios frequenter aspeximus interritos stetisse, ut admissa peccata redimentes, cruore suo loti haberentur in sanguine, & revivisceret interempti, qui viventes computabantur occisi. Mors quippe integriorem facit vitam. Mors amissam invenit gloriam. Nam hac spes jam amissa percipitur, hac salus cuncta reparatur. *Et quamquam Afra post baptismum ita vixerit, ut inter priores censenda esset, Christiana tamen animi demissione, quæ ubiq; elucet se posterioribus adnumerare maluit. Cum bonarum sit mentium (ut Gregorius ait) ibi timere culpam, ubi nulla est. Et est Ecclesiastici sententia,* De propitiato peccato, noli esse sine metu.

De laude mart.

Eccles. 5.

31. SALUTEM CONSEQUERIS] *Spem veniæ ostendit. Tertullianus:* Ipsi deniq; præsides, cum cohortantur negationi, Serva animam tuam, dicunt, &, Noli animam tuam perdere.

In Scorp.

32. SALUS MEA CHRISTUS EST, QUI PENDENS, &c.] Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. *Ita Concordius presbyter ad Torquatum Tusciæ comitem, qui illum itidem hortabatur, saluti suæ consuleret,* Salus mea Christus est, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis. *Et martyres aliàs sæpe. Observa Afram exempla peccatorum, qui misericordiam consequuti, in numerato habere. Antea meretrices, & publicanos, nunc latronem profert. Meritò: Cum ipsa in eodem stadio curreret.*

Rom. 1.

Ado in mar. 1. Ja.

33. QUI TECUM TURPITER VIXERUNT.] *Miragentium stupiditas. Deorum cultum iis rebus constare credebant, quas ipsimet, naturæ ductu, turpes esse fateri cogebantur. Sunt apud Ovidium versus, in quibus Cupidini Pietatem, & Pudorem apertè opponit,*

Metam. 7.

--- --- ante oculos Rectum, Pietasque, Pudorque
Constiterant, & victa dabat jam terga Cupido.

Et profecto verum est, quod Seneca scripsit lib. 4. de Benef. c. 17. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit, etiam qui non sequuntur illam, vident.

34. CATHONIS] *Catomis quidam habent. Quidam Catenis substituerunt, pro voce non intellecta. At hæc frequentius in Christianis historiis obvia est quam ut adulterina credi possit. Molanus hæret in explicando, & significat se malle de ea doceri, quàm docere. Græcam enim etymologiam, quam producit à κατωμὸς, quod est demissis armis, ut scilicet Catomus cædi dicatur, qui demissis humeris, pedibus in altum suspensis vapulat, ipse improbat. Neq; illa ullo pacto ad hunc locum pertinere potest, cum Gajus Afram non Catomam, sed Cathomis cædere minitetur. Pronior est existimare ex martyrum actis, quæ habent, Cathomo suspendi. In Cathomo levari, Cathomum idem cum cataста, aut equuleo fuisse. Quod fortassis hactenus ferri queat; Sed quid ad alteram illam significationem, Cathomis cædi? Ubi de flagellis, plumbatis, fustibus, aut re quapiam simili sermonem esse, ille non negat. Baronius aliquando de Latomia cogitavit. Nam Latomiam supplicii genus ad verberandum aptum esse, ait Isidorus. At quo minus huic sententiæ acquiesceret, obstabant probati auctores, qui Latomias, Latumias, & Lautumias, eo sensu nunquam accepere. In posteriore Plantiniana martyrologii editione, novam opinionem profert, cujus D. Latinium auctorem laudat. Ea est hujusmodi. Idem videri. Catomis cædere, quod solent ludimagistri pueros ad humeros alicujus appendere, & eorum natibus verbera infligere: Ideò cum Vitum tum Barulã, quod pueri essent, puerorum more virgis verberatos. Apud Victorem de persecut. Vandal. lib. 1. haberi de Thoma sanctissimo Episcopo:* Quodam tempore venerabilem senem in publica facie catomis cæciderunt. *Id videri factum majoris ignominiæ irroganda causa, ut senex puerorum more verberaretur. Confirmari conjecturã, quod*

In annot. ad mart. Usuardi 15. Junii Editionis prioris.

In notat. ad mar. R. 15. Junii. Ubi ait plerosque Isidori codices habere Lautumnas Uti & ego lego.

quod apud Hippocratem lib. 1. de Articul. est κατωμίζειν, *in humeros aliquem levare: Apud Josephum Antiq. lib. 5. c. 10.* κατωμαδὸν *pro eo quod, latinus interpres, humeris impositas Gazæ portas à Sampsone, uti observat Suidas in verbo* κατωμαδὸν. *Hæc quantumvis ingeniose excogitata (dicam pace viri magni, & docti) animum minus explent. Non quod nesciam, Barulam eo fere modo casum, Asclepiades enim apud Prudentium,*

De S. Romano.

--- --- --- pusionem præcipit
Sublime tollant, & manu pullent nates.
Mox, & remota veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis, quam cruoris defluat.

Sed præterquam quod idem de Thoma, Afra, & Eulalia minime verisimile: obstat illud validissimè, quod martyres nequaquam Cathoma aut Cathomi casi dicuntur, quod conveniens erat, si nomen à corporis positu; sicuti ad Molani etymon diximus: Verum historiæ narrant, Cathomo aut Cathomis cæsos. Quæ loquendi formula, nisi valde fallor, ea est, quam grammatici, Verbum cum ablativo instrumenti vocant. Et Cathomus sive Cathomi, eadem prorsus ratione instrumentum cædendi significant, qua gladius, pugni, lora, virgæ: Cum aliquem gladio, pugnis, loris, virgis cæsum dicimus. Neque Hippocratis & Josephi auctoritas magnopere huc facit. Quando ergò lis adhuc sub judice, nostras quoque cogitationes proferamus.

In primis Cathomi duplicè usum fuisse vidimus: Cogitandũ, an res ipsa distincta. Vinculorum, exempli caussa, varius est usus, res una. Serviunt enim vinciendis, suspendendis, verberandis noxiis. Contra plumbata tum usu, tum re differunt. Et cum Juriconsulti illas in verbera, & pondera distinguunt, intelligunt primo loco flagella, quibus glandes plumbeæ in summitatibus impactæ, secundo massas plumbeas, quæ reorum pedibus alligantur, ut totius corporis junctura, magno doloris sensu luxentur. Simili ratione, opinor, Cathomos non minus re, quam usu differre. Nec enim video, quam viam ineam, ut Molani exempla de uno eodem torsionis instrumento intelligam. Cathomo eum suspendi, & verberari fecit. Jussit ministris infantem in cathomo levari, & cœdere. A Valeriano judice cathomis cæsus. Jussit eam flagellari, & cathomis cædi, per officium curatoris: cumq; cathomaretur corpus ejus &c. *Priora duo profecto ad machinam pertinent, in qua rei suspensi torquebantur. Quam Ado in S. Romano ab equuleo secernit: Ut verear, me Molano assentiri non posse. Malo judicium suspendere. Posterioribus duobus ut etiam illo ex Victore quod antea attulimus, atq; isto S. Afræ, quod præmanibus, non est ambigendum, verberis genus denotari. Videndum, quodnam illud. In re dubia licebit explicationem ab auctoribus quantumvis obscuris mutuari. Quorum unus ait, Cathomum esse* flagellum ex virgis ferreis factum, vel flagellum ex virgis, in modum scopæ, quo utuntur religiosi in capitulis. *Et mihi de virgis ferreis fidem facit Nam observavi, illis aliquando in Christianos sævitum. Testantur acta SS. Gallinici, Quiriaci, Christophori, Lycarionis. Item Phileas apud Eusebium de martyribus Alexandrinis. Subscribunt Mammotreptus & Luciani vocabularius. Quos ego in ista litterarum luce laudatores non darem, si hæc aliunde haurire potuissem. Etymologiam nullus horum exposuit. Si hariolari libet, ducemus à particula* καθὰ *sive* καθὸ *&* ὠμὸς, *quod durum, sævum, crudelem, immanem, uti* ὠμῶς *crudeliter significat. Idque ad utrumq; Cathomi supplicium quadrabit. Non dissimulo, Turnebum in Cicerone, & Laberio* Catomum *agnoscere: Atq; ex veteri Juvenalis scholio, Vinculum & catenam explicare. Sed Victorius & Lambinus in Cicerone* Catonium, *Manutius* Catonem *ex ms. habent. Neq; se dubitare ait Victorius, quin inferi, & sedes mortuorum ea dictione intelligantur, fortassis à græco adverbio* κάτω. *Idem ostendit se in prisco, & valde probato Gellii exemplari (extat Laberii versus apud Gellium)* Catonum *legere. Henr. Stephanus* Charonium *edidit*, Tollet bona fide vos Orcus nudas in Charonium.

Video tamen Lipsium Catomum *in Cicerone probare. Nam alluſit in Saturnalibus. Sed quæcunq, harum lectionum vera, Ciceronis & Laberii loca nihil ad nostros Cathomos pertinent. Unus Juvenalis scholiastes, Catenarum & & vinculorum nomine, flagella ferrea significare potuit, quæ reliqui virgas dixere Et qui scio, an quandoque variatum? Vincula autem verberandis reis etiam fuisse jam notavi.*

Dig. de pœnis l. 7 Vinculorum verberatio. Cod de exactor. tribut. l. 2. Molanus habet in postremo exemplo, quod est ex S. Eulalia passione, Cacomis, & Cacomaretus. Sed videtur erratum typographi.

Vocabul. qui inscribitur. Brevilogus. Euseb. lib. 8 c. 11. Mammotr. & Luc. Vota interpretantur. Cathomos virgas ferreas.

Adverſ lib. 1. cap. 32. Vitt. in prio. & post. Cicer. castig. Gel. lib. 16 c. 7. Steph in fragm. poet. Vet Lipſ Satur. l. 2. c. 6. Cic ep. fam. lib. 7. ep. 25. Si libido ridendi est, vide quid Melancht. Amerbac.

35. TE CÆDI JUBEAM] *Pia antiquitas credidit, Aframante ſummam ignium pœnam, ut Tertullianus loquitur, more Romano ad palum deligatam verberatam fuiſſe. Quod neq; ex hoc loco, in quo judex tantùm minis agit neq; ex hac omni hiſtoria conſtare poteſt. Non tamen reluctor. Cum ſciam, Chriſtianis nihil de ſolitis ſuppliciorũ acceſſionibus remitti, quin plurimum adjici conſuevisſe. Et fortaſsis huc facit, quod Molanus inquit, dum pictores imagines ex imaginibus depingunt, tradunt aliquando poſteritati, quod hiſtoria ſcriptor omiſit. Flagellis autem humiles tantum perſonas & ſervos verberari conſuevisſe ex pluribus juriſconſultorum locis intelligimus, præſertim ex lege 10. tit. 19. lib. 48. Digeſt.*

& Rutil. de Catonio. commenti. De pill. ſaturc. 70.

36. CONFUSIO MIHI NULLA EST, &c.] *Altè imbiberat, nihil turpe eſſe præter peccatum. Confuſio, Pudor & verecundia, quia erubeſcimus. S. Cyprianus locũ ex Luca:* Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, *ſic reddidit:* Qui confuſus me fuerit, cõfundetur eum filius hominis.

Luc. 9.

37. HOC EST, QUOD OPTO, SI TAMEN MEREAR] *Quam cupide martyrium amplexura ſit, oſtendit. Circumſpectè tamen conditionem adjicit: Cum non ignoret, quod priori commentario ex Cypriano adduximus, Coronam de Dei dignatione deſcendere, neq; poſſe accipi, niſi fuerit hora ſumendi. Simile eſt illud S. Ignatii:* Eligo enim pati, ſed neſcio, an dignus ſum.

38. TORQUERI TE FACIAM, ET POSTEA VIVAM INCENDI PRÆCIPIAM] *Peccat in leges Romanas: Per quas non licet quemquam pœna infligenda cauſſa torqueri. Quod Juriſconſulti ex Adriani reſcripto colligunt. Proinde Tertullianus ait:* Apud tyrannos enim tormenta pro pœna adhibentur, *in apologetico. Verum nullæ uſpiam leges Chriſtianis patrocinabantur.*

Ad Trall. Vide Duar. titul. de qu. c. 2. Cujac. obſerv. l. 14. cap. 34. Reſcripti Had. meminit Dig. de qu. l. 21. De var. torment. inferni tom. 1. Ep. ad Rom.

39. CORPUS, IN QUO PECCAVI, ACCIPIAT DIVERSA TORMENTA, &c.] *Ut conſtanter & infractè omnia contemnit, quo vitam æternam lucrifaciat. Verè B. Ephrem, de extremo judicio verba faciens, inquit:* Hanc quoq; diem mente volventes ſancti Dei martyres, non ſunt miſerati ſua corpora, ſed omne tormenti genus ſubierunt, ſpe coronarum gaudentes. *Et eſt locus in ignitis illis Ignatii epiſtolis:* Nulli æmulor viſibilium & inviſibilium, ut Jeſum Chriſtum merear adipiſci. Ignis, crux, beſtiarumq; conſtantia, abſciſſio, ſeparatio, confractio, diſſipatioque membrorum, interitus totius corporis, & flagella diaboli omnia in me veniant, ut Jeſum Chriſtum merear adipiſci.

40. DICTAVIT SENTENTIAM] *Erat judicis munus, ſententiam ſive ſua, ſive aliena manu ſcribere. Ado de S. Sabina:* Præfectus dictavit ſententiam. *S. Cyprianus apud Pontium enarrans viſionem, qua illi martyrium prædictum:* Videbar mihi tribunali ſedentis tum proconſulis admoveri. Is ut in me reſpexit, annotare ſtatim in tabula cœpit ſententiam. *Sententia deinde à judice recitabatur, quod nos etiam Pontius docet:* Legit itaq; de tabula jam ſententiam judex *Et in Cypriani paſſione:* His dictis decretum ex tabella recitavit. *Niſi placet præconem ſubintelligere. Auguſtinus inquit:* Cum verba judicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis: Ille præco dixit, ſed, ille judex. *Nam lex Valentis Valentin. & Gratiani, qua cavetur, qui judices ſententias ipſi legere debeant, qui per officium recitare poſſint, nondum erat lata. Morem quo judex ſententiam recitabat, ponunt ob oculos Apuleij verba.* Præco cum Proconſule & ipſe tribunal aſcendit, & ipſe togatus illic videtur, & quidem perdiu ſtat, aut ambulat, aut plerumq; contentiſſimè clamitat. Enimverò ipſe Proconſul moderata voce rarenter, & ſedens loquitur, & plerumq; de tabella legit. Quippe præconis vox garrula miniſterium eſt, pro conſulis autem tabella ſententia eſt, quæ ſemel lecta neq; augeri littera una, neq; autem minui poteſt, ſed utcumq; recitata eſt, ita provinciæ inſtrumento refertur.

De trin. lib. 3. cap. 11. Cod. de ſent. ex lib. recit. l. 2. Florid. l. 1.

41. AFRAM PUBLICAM MERETRICEM] *Vertit in invidiã meretriciũ nomen, quod ante converſionem religioni tribuebatur. Cauſſam autẽ damnationis nullã comminiſci poteſt, præter unam Chriſtianitatis profeſſionẽ. Idcirco Tertullianus:* Quid de tabella recitatis illum Chriſtianũ? Cur non & homicidam? Sed homicida Chriſtianus. Cur nõ & inceſtus, vel quodcunq; aliud nos eſſe creditis? In nobis ſolis pudet aut piget ipſis nominib. ſcelerũ pronuntiare? Chriſtianus ſi nullius criminis nomine reus eſt, valde infeſtũ, ſi ſolius nominis crimẽ eſt.

42. VIVAM INCENDI PRÆCIPIMUS] *Chriſtianos crebro hac pœna affectos acta loquuntur. Et habemus teſtimonium ex Tertulliano. Cujus nomen identidem appellare libet, cum Chriſtiana antiquitas ex nullo auctore uberius, & rectius hauriri poſſit: Ut ego quidem ſentio.* Pro tanta innocentia,

Ad Scapulam.

tia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo, Cremamur: Quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot majestatis rei pati solent. *Inde cavillandi occasionem nacti gentiles, uti mox videbimus. Porrò gravissimum, præ reliquis omnibus, existimatum est ignis supplicium. Quod P. Faber ex Pauli I. C. verbis colligit, quibus magicæ artis conscios summo supplicio affici placuisse, id est, bestiis objici aut cruci suffigi: ipsos autem magos vivos exuri tradit. Et magnopere probabile est, quod Baronius conjicit. Quia Christiani magicis artibus imbuti credebantur, ideò potissimum igni traditos. Quamquam adeò variis præterea suppliciis in eos sævitum: Ut illa ad certas leges nequaquam revocari possint. Nam extra ordinem de Christianis cognoscebatur. Et judici extra ordinē cognoscenti, quam vult sententiā ferre licet, vel graviorē, vel leviorē (ait Ulpianus) ita tamē, ut in utroq; modū non excedat. Neq; verò periculū subesse verebantur, ne modum excederent in illis, quos omnium scelerum reos, immania exemplā meritos existimabant.* Fab. Semest. lib. 2 cap. 7. Paul. lib. 5. sentent. tit. 23. Ad mart. 27. febr. Dig de pœnis l. 13.

43. RAPTA EST A MINISTRIS, ET DUCTA] *Damnati, in quos ultimo supplicio animadvertendum, extra portam urbis, cum Romæ, tum in provinciis ducebantur. Quod pluribus exemplis, etiam Domini nostri Jesu Christi, docet P. Faber. De jectos e saxo Tarpejo, & objectos bestiis excipit. Adjungendi sunt reliqui populo in theatris, & circo exhibiti.* Semestr. lib. 2. cap 8.

44. IN INSULAM] *Locus est ultra Lycum: Cui religionem hactenus servavit, condita postmodum ecclesia. Et quamquam hac ætate solùm continens, tamen olim insulam fuisse, neq; situs depressior, neq; fluminis conditio credere prohibet. Sive quod Lyci alveus illac quondam fluxerit, relicta in medio insula, quod plerig; existimant: Seu quod emissus ex Lyco rivus spatium illud, priusquam flumini rursus conjungeretur, circumfluxerit. Nam hujus generis rivos cursum sæpe mutare, quotidie experimur. Et est hic primus ex triplici insularum modo apud Pomponium. Ait etiam Proculus:* Intelligo enim, cum ex altera parte insulæ alveus fluminis exaruerit, desiisse insulam esse, sed quo facilius res intelligeretur, etiā agrum, qui insula fuerat, insulam appellant. *Parum itaq; errabit, qui hoc argumento, locum istum etiamnum insulam dicet. De ecclesiis dedicatis in vestigiis passionis martyrum, exemplum in Victore Ilticensi. Narrat Carthaginem à Geiserico captam, & ecclesias occupatas.* Quæ foras muros erant, quascumq; voluit occupavit, & præcipuè duas egregias, & amplas, S. Martyris Cypriani, unam ubi sanguinem fudit, aliam ubi ejus sepultum est corpus. Dig. de adquir. rer. dom. l 30. & 56. De Vand. pers. lib. 1.

45. LYCI FLUMINIS] *Lycus aliquibus, Lycum Græci Ptolemæi codices præferunt monet Ortelius. Nobile flumen, quod in alpibus oritur, Augustam ab oriente præterfluit & in Danubium exit. P. de Natalibus Letheum habet: Sed male, ad Cretam respexit, in qua Lethæus.* In thes. Geogr.

46. EAM EXPOLIANTES] *A Jurisconsultis dicuntur* Spolia, quibus indutus est, cum quis ad supplicium ducitur. *Illis spoliabantur damnati: Et pecuniæ ex venditione corrasæ, ad utilitatem officii deserviebant.* Dig de bonis damn. l. 2. 6.

47. AD STIPITEM LIGAVERUNT] *Cremandi quandoq; clavis affixi. Eusebius de Polycarpo:* Cum illū clavis vellēt affigere, dixit: Sinite me hoc modo, nam qui mihi patientiā ad ignis flammas sustinendas, pro sua clementia largitur, largietur etiam, ut sine commissuris clavorū, quibus me affigere statuitis, constans absq; ulla corporis commotione rogo ad hæresca. Ideirco illū non clavis, sed vinculis solum colligarunt. *Item de Pionio martyre:* Quam acerbos clavorum confixus pertulerit, quantam in rogo animi magnitudinem ostenderit. *Sed vinculorum usus puto frequentior. Tertullianus in Apologetico.* Licet nunc sarmentitios, & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorū ambitu exurimur. *Ubi Pammelius annotavit mss. codices omnes ita habere, pro eo quod excusi:* Semissios, & dimidii assis. *In Scorpiaco alius est axis sensus. At in libro de Pœnitentia eadem notione hunc stipitem axem dixit:* In axe jam incendio adstricto, in ipsa dico securitate, & possessione martyrii. Hist. lib 4. c. 14.

48. DOMINE DEUS, &c.] *Sancta Martyris humilitatem eximiam agnoscimus: Quæ cum metu, & tremore salutem suam operari didicerat. Nihil sibi arrogat nusquam se attollit sed enixè deprecatur, & ad pœnitentiæ aram confugit. Sententia, quam antea judici objecit:* Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, *tamquam fundamento innititur.*

49. QUA HORA CONVERSUS FUERIT PECCATOR, &c.] *Multa extant hujus generis divina promissiones; Præcipuè apud Ezechielem:* Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatu, Cap. 18.

est,& custodierit omnia præcepta mea,& fecerit judicium,& justitiam: vita vivet,& non morietur. Omnium iniquitatum ejus,quas operatus est,non recordabor; in justitia sua,quam operatus est,vivet. *Alio loco idem propheta:* Impietas impii non nocebit ei, in quacumq; die conversus fuerit ab impietate sua. *Et post pauca*: Si autem dixero impio, Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo,fecerit q́; judicium,& justitiam,& pignus restituerit ille impius, rapinamq́; reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet,& non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit,non imputabuntur ei: Judicium, & justitiam fecit: Vita vivet.

Cap. 33.

50. CIRCUMDATA SARMENTIS] *En sarmentorum ambitus, propter quem Christiani sarmentitii dicti. Ubi etiam paganica crudelitas elucet. Nam sarmenta languidum ignem concipiunt, quo assabantur martyres, extracta morte diutius per durissimos cruciatus. Cum validis flammis multo celerius præfocari, & extingui potuissent. Eusebius hanc sævitiæ speciem notavit in Urbano Palæstina præside, qui S. Timotheum; & in Firmiliano ejus successore, qui martyres Porphyriũ, & Julianũ, lento, & remisso igni cremãdos tradidere.*

Lib 8. c. 13. & c 21. Prudent. hanc crudelitatẽ multis versibus exequitur in S. Laur.

51. GRATIAS TIBI AGO DOMINE] *Afra tantum priore oratione profecit, ut jam in securitate, & possessione martyrii constituta (sic Tertullianus loquitur) plena fiducia non quasi in incertum currens, neq; de divina gratia quidquam addubitans, semet hostiam Deo offerre audeat. Cujusmodi exempla permulta ex martyrum historiis liceret adducere: Sed uno contenti simus, illoq; maximè illustri. S. Polycarpus itidem in rogo constitutus, sese hostiam offerens, pluribus hisce verbis Deo gratias egit:* Pater dilecti,& benedicti filii tui Jesu Christi, per quem tui cognitionem accepimus, Deus angelorum,& potestatum, Deus totius creaturæ, & justorum cujusq; generis, qui vivunt in conspectu tuo: Tibi gratias ago, quod me hujus diei,& horæ celebritate donasti, in qua cum in martyrum numero, tum in calice passionis Christi tui, tormentorum particeps fiam, in resurrectionem vitæ æternæ, tam animæ quam corporis, per immortalem Spiritus sancti virtutem. Inter quos quæso martyres, hodie in conspectu tuo, pro hostia pingui, & accepta admittar: sicut præparasti, præsignificasti,& jam tandem compleviſti, qui Deus verus es,& omnis mendacii expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo,te benedico,te glorifico, per Jesum Christum dilectum tuum filium, pontificem æternum, per quem tibi, cum eo, in Spiritu sancto gloria, nunc & in futura secula seculorum Amen. *Etsi verba evarient, tamen sensus cum Afræ oratione coincidit.*

Euſ. hiſt. lib. 4. c. 14.

52. QUI PRO TOTO MUNDO SOLUS HOSTIA OBLATUS ES IN CRUCE] *Hæc, & quæ sequuntur, fere in centonis modum ex sacris literis collecta sunt.* Christus, semel oblatus est: Unam pro peccatis offerens hostiam: Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Ad Hebr. 9. 10. 1. Joan. 2. 1. Pet. 3.

53. JUSTUS PRO INJUSTIS] Mortuus est justus pro injustis, ut nos offerret Deo.

1. Pet. 2. 2. Cor. 5. 1. Pet. 2.

54. MUNDUS A PECCATO, PRO PECCATORIBUS UNIVERSIS] Qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus. Qui non noverat peccatum, peccata nostra ipse pertulit, in corpore suo super lignum.

55. SECULA SECULORUM, AMEN] *Ita preces concludi solere, monuimus ex Chrysostomo: Et proximè in Polycarpi oratione vidimus. Æternitatem per secula seculorum significari non est dubium. Ratione habes apud Albinum Flaccum.* Dicuntur Secula Seculorum, tamquam secula in sapientia Dei firma stabilitate manentia, istorum, quæ cum tempore transeunt, efficientia secula seculorum. Aut certè simpliciter accipienda sunt Secula Seculorum, velut consequentia præcedentium, ut continuata sibi connexione copulentur, quæ dicuntur Secula Seculorum, donec præsens, quod ex diversis temporum seculis contexitur, perveniat ad finem, & succedat futurum seculum, quod non habet finem: Ubi Deus videbitur, & laudabitur sine fine.

De div. off.

56. EMISIT SPIRITUM] *Corpore illæso. Quod postea puellis repertum, hodie quoq; integrũ colitur: nisi quod exigua particula ab Embricone, & Hermanno Augustanorum Episcopis ablata. Hujus generis miracula aliquot prodita sunt. Julitta martyr Cappadox, de qua S. Basilii oratio:* In ignem conjecta spiritum Deo reddidit, corpus autem à flamma manſit illæsum. *Agape, & Chionia virgines*, In ignem missæ, sed à flammis intactæ, ibi oratione ad Dominum fusa, animas reddiderunt. *Flavia Domitilla, Euphrosyna, & Theodora virgines, incenso cubiculo mortem oppetiere: Postera die*

Mart. R. 30 Julii. Mart. R. 3. Apr. Mart. Ad. 7. Maij.

Cæsarius

Cæsarius invenit corpora sanctarum virginum illæsa. In facies enim suas prostratæ, orantes Dominum recesserant. *Eustachius, Theopistes, Agapius, & Theopistus, in bove æneo candenti exanimati sunt, quo post tres dies aperto, corpora nullum ignis ostenderunt vestigium. Qui enim pueros in Babylone ex camino ardenti vivos educere, idem facile flammarum injuriam ab eorum corporibus prohibere potuit, quorũ animas per martyriũ ad sẽ evocare voluit.* Metaph. 2. Nos.

Dies passionis S. Afræ colitur Augustæ VII. *Id. Aug. Consentientibus Beda, & Vandelberto: Romæ Non. Aug. Suffragantibus Usuardo, Adone, & Maurolyco. Differentia hinc orta videtur, quod Augustæ Nonis de S. Afro patruo agatur. Caterum recte faciet qui hac in re suæ regionis consuetudinem sequetur. Quod Innocentius III. Pont. Max. in S. Bartholomæi festivitate faciendum rescripsit.* Ex. de observ. Jejun. Consilium.

57. ET SOCIORUM] *Hæc inscriptioni adjecta sunt, ab eo, qui S. Quiriacum, & reliquos* XXIV. *capite casos historiæ subjunxit. Nam manifestum est Hilariæ, & puellarum passionem eo usque non pertingere.*

58. MARTYRII PALMAM] *Figurate victoriam quam Afra moriendo consecuta est, significat. Palma enim semper victoriæ hieroglyphicum fuit. Hinc ecclesia martyrum mortes uti coronas, ita palmas nominare consuevit. Et in imaginib9 peculiare martyrum insigne Palmæ ramus est. Ambrosius,* Præmium quoddam est palma martyrii: quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ glorioſum præbet ornatum. Est planè palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ. Atque ideò non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit. Serm. de quadr.

59. STABANT JUXTA RIPAM FLUMINIS] *In citeriori Lyci ripa, stabant puellæ, supplicium domina eminus spectantes, quod fortasse propius accedere prohiberentur.*

60. ROGAVERUNT DESCENDENTES DE BARCA] *Intelligimus Lycum tunc ponte nonfuisse junctum, sed naviculas trajectui inservisse. Est barca minoris navigii genus, cujus meminit Isidorus, & Paulinus his versibus,*

Ut mox salubri barca perfugio foret
Puppi superstes obrutæ.

Isid. orig. lib. 19 c. 1. Paul. Cyther.

Plura de Barcis ex Ethico, Histro, & Herodoto collegit Gyraldus de re nautica. In Notitia est, Præfect. classis Barcariorum.

61. INVENERUNT SANCTÆ AFRÆ INTEGRUM CORPUS] *Diocletianus, & Maximianus AA. rescripsere:* Obnoxios criminum, digno supplicio subjectos, sepulturæ tradi non vetamus. *Idmulto ante Augustus observavit. Et quamquam postea obtinuit damnatorum corpora non aliter quam petita, & permissa sepeliri, permittebantur tamen quibuslibet petentibus: excepto si qui majestatis rei damnati. Crematorum Ulpianus nominatim meminit.* Eorum quoque corpora qui exurendi damnantur, peti possunt: scilicet ut ossa & cineres collecta, sepulturæ tradi possint. *Verum enimverò ut in rebus cæteris, sic in hac etiam Christiani longè deterrima, & iniquissima conditione vivebant. Martyrum corpora nullis precibus donabantur. Immò clementia species videbatur, pretio quantumvis magno concedere. Truncus, & caput S. Bonifacii in Cilicia passi, quingentis aureis redempta sunt. Sæpius feris lanianda objiciebantur, quandoque in cineres solvebantur: vel eam ob causam, ne sanctis reliquiis meritus honor à Christianis deferretur. Mortuo S. Polycarpo, inquit Eusebius:* Certi homines patrem Herodis, Dalcæ fratrem submonebant, ut præsidem exoraret, ne corpus ejus cuiquam daret, ne Christiani, inquiunt, Crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. *Centurio igitur gentili more comburendum curavit: Christiani tamen ossa ejus, potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora (verba sunt ecclesiæ Smyrnensis) ex cineribus selegere, & eo loco reposuere, qui illis erat consentaneus. Ita quoque martyrum Lugdunensium & Viennensium corpora sub Vero cum sex dies sub dio jacuissent, diligentissimè observata, ne à fidelibus surriperentur, neq; precibus, neq; magna pecuniæ vi obtineri possent, tandem* ab impiis illis & facinorosis carnificibus exusta, inq; cineres redacta, in Rhodanum fluvium, qui illic in proxima defluit, spargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquiæ super terram amplius extarent. *Subijciam egregium locum hujus argumenti, ex actis S. Hadriani & sociorum martyrum, qui simul aperiet quantopere sanctorum reliquiis fideles antiquitus inhiarint,* Maximianus autem jussit corpora eorum flammis Cod. de rel. & sumpt. fun. l. 11. Dig. de cadâv. punit. l. 1. & 3. Acta apud Sur. 5 Jun. Hist. lib. 4. c. 14. Eus. lib. 5. c. 1 Eundem morem agnosce apud Ammian.

Mart. libr. 22. in causa Georgii, Draconti, & Diodori Arrianorum.

flammis exuri, dicens: Ne forte veniant Galilæi, & tollant ea. At beatissima Natalia abscondit manum S. Hadriani in sinu suo, ne ignibus absumeretur. Itaque carnifices ad tyranni voluntatem asportabant corpora martyrum, ut ea concremarent in fornace ardenti, quæ jam parata erat. Sequebatur autem eos beata Natalia, excipiens stillantem à martyrum corporibus sanguinem, atque eo suum corpus liniens. Sequebantur etiam aliæ mulieres religiosæ, & honesto loco natæ, martyrum sanguinem in linteamina, & purpuram suscipientes, atque aliæ in sinu suo sanguinem illum abscondebant. Ipsas quoque carnificum vestes, quæ sanctorum martyrum sanguine infusæ erant, clarissimæ fœminæ multo auro, & gemmis, pretiosisque ornamentis sibi comparaverunt *Hæc illi fidei innituntur, quam Gregorius Nazianzenus de martyribus profitetur*: Quorum, *inquit*, vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora. *Et cum se res ita haberet, nihil mirum est corpora martyrum inhumata, feris avibusbusque objecta, si quando minus accuratè custodirentur, à Christianis, etiam capitis periculo surrepta fuisse. Quod hic accidit. Et referta sunt martyrum acta laudatissimis hujus generis furtis. Quibus nox præcipuè erat accommoda, quod per tenebras facilius laterent. Unde magnopere queruntur ecclesia Gallica apud Eusebium, in epistola quam citavimus, ob assiduam custodum diligentiam nullam in nocte reliquam spem esse. Gravis enim sententia est cleri Romani apud S. Cyprianum*, Corpora martyrum, aut cæterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus.

Orat. in Jul. 1.

Ep. 3.

62. VENIT NOCTE] *Etsi temporum ratio minus exactè distinguatur, tamen colligimus, hæc proxima nocte post supplicium non contigisse. Nam cum inferius narretur, Hilariam, & puellas ea ipsa die, qua Afra sepulta, passas esse, harum autem martyrium prid. Idus Aug. celebretur, profectò consentaneum est hic de nocte, quæ prid. Idus proximè antecedit, sermonem seri. Neque absurdum, Afræ corpus per aliquot dies insepultum jacuisse; quod non nisi summa cautione, & captata occasione sepeliri posset. Simile est, quod Luciano presbytero in ecstasim rapto, Gamaliel de S. Stephano narravit*: Die ac nocte jacuit projectus, ut sepulturæ non daretur, secundum mandatum impiorum principum, ut à feris consumeretur corpus ejus. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christo Jesu fideliter credentes, habitantes Hierusalem in medio Judæorum; & hortatus sum eos, & necessarias substantias ministravi, ac persuasi illis ire occultè, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc est, in Caphargamalam, quod interpretatur villa Gamalielis, viginti millia habens à civitate. Et ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento novo, in orientali theca, & præcepi meis, ut quæcumque necessaria erant pro ejus planctu, de meo darent. *Quæ ex veteri historia, quam omnis ecclesia approbat, ut pluribus docet Baronius, describere placuit, quod meram pietatem spirare, & ad res nostras proximè accedere visa. Sin cui hæc temporum digestio minus arridet, is existimet licet, Hilariam corpus prima nocte abstulisse, funus usq; in diem ante Idus extractum fuisse.*

Sur. 3. Aug. habet Luciani epistolam.

Bart. in notat. mart. 3. Aug.

63. CUM SACERDOTIBUS DEI, ET TULIT CORPUS EJUS] *Ex Dionysio Areopagita constat, jam inde ab Apostolorum ætate, certos apud Christianos ritus extitisse, quibus homines ecclesiastici defunctorum cadavera sepulchro committerent. Eos cum enumerasset, & causas explicasset, subjungit*: Ista si viderint profani, latè puto ridebunt, nostrumq; miserebuntur errorem. Neq; est sanè, cur miremur; nisi enim crediderint (juxta scripturæ fidem) non intelligent. *Notat ille quidem profano nomine gentiles, sed qui præterea has easdem cæremonias irrideant, palam est. Quomodo ipsa cadavera curarentur, discimus ex Dionysio Alexandrino*, Sanctorũ corpora manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè, & linteo funebri involvere, non gravati sunt. *Ornatus nomine, conditurã complectitur. Nã Christiani, Judæos imitati (quibus cum aromatibus sepeliri mos erat, auctore S. Joanne, præter cæteros) mortuorũ cadavera cõdire soliti.*

Eccles. hie. cap. 7.

Apud Eus. lib. 7. c. 17.

Eus. c. 19.

soliti. Hinc Gregorius Romanus, Pigmentarii, & medici in funere meminit. Dial. lib. 4 cap. 36. *Quamquam de Judæis scrupulum injicit, quod duo in sacris litteris loca sunt, ex quibus facilius cadaverum ustio, quam conditura probari videatur. Unus de Saulo:* Tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan: 1. Reg. 31. veneruntque Jabes Galaad, & combusserunt ea igni: & tulerunt ossa eorum; & sepelierunt in nemore Jabes. *Alter apud Hieremiam:* Audi verbum Domini Sedecia Rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed Cap. 34. in pace morieris: & secundum combustiones patrum tuorum, regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te. *At Hieron. Magius ostendit ex Rabbinorum commentariis, Saulum ideò contra consuetudinem exustum, quia cadaver jam putridum, & vermibus scaturiens, ad condiendum erat ineptum. Crematione, quæ Sedeciæ promittitur, non de ipso cadavere, sed de aromatibus, quæ supra cadaver urebantur, accipiendam. Ideò dictum:* Secundum combustiones patrum tuorum. *Hujus combustionis extare exemplum in Rege Asa:* Posuerunt que eum super lectum suum, plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia. *Quin, & supellectilem regiam quandoque simul combari consuevisse. Sed hæc obiter. Quibus unum adjiciam, Tacitum utut rerum Judaicarum imperitum, in eo non fallere, quod scriptum reliquit, Judæos* corpora condere quam cremare, è more Ægyptio. *Primus enim Jacob in Ægypto conditus aromatibus, ab Ægyptiis medicis, Josephi servis. Ad Christianos redeo. Illis condiendi rationem non unam fuisse liquet. Tertullianus ait, Sabæas merces carius profligari Christianis sepeliendis, quam diis suffumigandis. Et alibi de aromatibus loquens,* etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt. *Ita apud alios, sæpe aromatum, & unguentorum mentio fit in hac caussa. At Eunapius salita martyrum capita irridet. Atque verisimile est pro locorum conditione facultatum copia aut inopia, variatum esse. Quod etiam apud alios contigit. Ægyptii quamvis aromatibus, & odoribus affluerent, tamen ex Herodoto discimus, eos triplici conditura usos. Quarum prima constabat vino Phœnicio, farctura myrrha pura, casia, caterorumq; odorum (excepto thure) & gummi illitu. Secunda (cujus Plinius paulò aliter meminit) nitro & unguine cedrino. Postrema quæ minimi sumptus, ablutionibus, & exsiccatione. Omnibus interim salitura septuaginta dierum adhibebatur. Strabo lib. 16. Ægyptios bitumine quoq; ad mortuorũ condituras usos significat. Babylonii melle condiebãt. Æthiopes mortuos arefactos gypso inducebant. Scythæ Regum corpora cerâ; quod Cicero de Persis perhibet. In lapide, quem exscripsit Morales antiquit. Hispanic. lib. 7. c. 3. legitur de C. Lalio,* MATER. AD. LUCTUM. FT. GEMITUM. RELICTA. EUM. LACHRIMIS. ET. OPOBALSAMO. UDUM. HOC. SEPULCHRO. CONDIDIT. *S. Afræ corpus, ab Embricone Episcopo repertum,* quodam candidissimo cæmento obductum *fuisse proditum est. Cogitavi aliquando, an id ad condituram pertineret. Magnus enim calcis in medicina usus, ut Plinius annotavit: Neq; fortassis ineptus huic fini. Sive caro tabefacienda (quod Ægyptios in nitro spectasse Herodotus innuit) Calcis vivæ mordax, & caustica vis est, ex Dioscoride: Sive cadavera alioquin exiccanda Galenus tradit calcem sæpius aquâ lotam, valde siccare, absq; ulla morda citate. Accedit, quod aptè temperatam, & illitam, ærис injurias nihilo minus quam gummi, cedrium, bitumen, mel, gypsum, aut ceram prohibere crediderim. Verum hæc ad rerum naturalium quæsitores rejicio. Istud tamen memorandum, quod Maffeius in Indicis prodidit: Sub Joanne III. Lusitaniæ Rege, corpus D. Thomæ Apostoli fere eodem modo conditum, Meliapore in Coromandelio littore inventum esse. Scilicet immista calci, & arenæ, candidissima specie ossa: appositâ lanceæ cuspide, & viatorii baculi frusto, atque vase fictili. Linteum funebre quod Dionysius Alexandrinus appellat, est etiam ex Judæorum moribus petitum. Sindonis, qua sanctissimum Christi mortui corpus involutum est, meminere omnes Evangelistæ. Christiani interdum majoris pretii pannos adjiciebant, apud Gregorium Nyssenum in funere Meletii Episcopi Antiocheni, habentur sindones mundæ, & panni serici. Et S. Eutychianus Pontifex:* Qui per diversa loca CCCXLII. martyres manu sua sepelivit: *Ante hæc tempora constituerat:* Ut, quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato nullatenus sepeliret; dum tamen hujus constitutionis ad illum perveniſſet notitia. *Est autem Dalmatica, ut explicat*

Miscel. lib. 2. cap. 11.

2. Par. 16.

Hist. lib. 5. Gen. 50. Apol. c. 42.

De Idolol.

De Vitis Pbtorum Æd. sec.

Hist. lib. 2.

Plin. lib. 16 c. 11. & lib. 24 c. 5.

Herod. de Babyl. lib. 1. de Æthiop. 3. de Scyth. 4. Cic. Tusc. q. lib. 1.

Plin. lib. 36. c. 24.

Dioscor. lib. 5 cap. 91. Gal. de simpl. med. fac. lib. 9. Hist. lib. 8.

Ex Martyr. Damas. Pont. c. 28.

Isidorus,

Orig. lib. 19. c. 22. Ammal. de eccl. off. lib. 2. c. 21. Albin. de div. off. Rab. de inst. cler. lib. 1. c. 20. Cujac. observ. lib. 12. c. 39.

Isidorus, tunica sacerdotalis candida, cum clavis, & purpura, *sive cum duabus lineis ut Ammalarius, Albinus, Rabanus ; quæ quod manicata sit, crucis speciem aliquo modo referre videtur, hisdem auctoribus. Colobium vestem sine manicis esse Albinus ait, idem Isidorus significat. Cujacius annotavit, Acronem Horatii interpretem Latum clavum, Purpuram, quæ in senatorum pectore extenditur, & colobium prorè una eadem accipere. Atq; alterutra istarum vestium potissimum colobio, Afræ corpus ornatum fuisse, persuadet cum Pontificia constitutio, quæ multis annis præcesserat, tum quod S. Dignæ corpus, inventum sub eo quem nominavi Embriconе Episcopo, optima purpura (ita in literas relatum involutum fuerit : Eam ego colobium purpuratum interpretor : Et idem de S. Afra credere par esse opinor. Romani etiam mortuos in honestissima veste efferre soliti. Vulgus civium in vulgari toga, magistratus in prætexta,*

Lipsi. elect. 1. c. 6.

Censores in purpura; Quod Lipsius ex Juvenali, Martiali, Plutarcho, Artemidoro, Polybio, Livio, Apuleio observavit. Et nescio an Eutychianus eum morem respexerit. Porrò illud etiam ad observationes de cadaverum conditura pertinet. Mulierum studium in hoc pietatis officio præcipuè enituisse. Devotus sexus (est ab ecclesia elogium) qui jam olim ad ungendum Christum in sepulchro positum properavit, Christi quoq; membra hoc venerationis genere prosequi voluit. Hinc in Actis SS. Tharaci, Probi, & Andronici, quæ Baronius in secundo Annalium tomo edidit. Maximus Præses dixit, Putas quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus, vel unguentis condire iniquissime? nam de hoc est cogitatio, ut reliquias tuas perdam. *Paucis interjectis* : Nonne sic te perdam, & sicut antea prædixi, & reliquias tuas, ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant, & unguentis, & odoribus adornent? Sed scelestè jubebo te comburi, & cineres tuos in ventum dispergam.

64. POSUIT SECUNDO MILLIARIO DE CIVITATE AUGUSTA] *Notum est Romanos itinera per milliaria mensos. Hæc mille passibus, sive, ut Vi-*

Vitr. lib. 10. cap. 14. Plin. lib. 2. c. 23.

truvius ait quinq; millibus pedum constabant. Nam Plinius quoq; passui quinq; pedes tribuit, Et errant qui eum sex pedum statuere. In Italia pleraq; viæ originem sumebant ab urbe Roma; Erat ei rei statuta columna in foro, quam Milliarium aureum dicebant. In provinciis à præcipua colonia, sive municipio.

De Milliario aureo Plut. Galba. Sue. Othone c. 6. Plin. lib. 3. c. 5. Tacit. hist. lib. 1. Lib. 16.

Supersunt tres lapides Ursinii, & unus haud procul Oeniponte, Vilthaimi, viarum indices ab Augusta M. P. XXXXI. M. P. XXXXII. M. P. XXXX II. *&* MIL. PASS. CX. *A Joanne Pistorio Nidano V. C. accepi inscriptionem Sev. Alexandri, in agro Badensi effossam, in qua milliariũ loco, Leucæ, sive Leugæ positæ,* AB. AQ. LEUG. IV. *Cujusmodi nullum præterea exemplum observare memini. Videndum in re præsenti, an quatuor Leucæ, spatium sex millium passuum ab Aquis (Badenas interpretantur) conficiant. Nam Ammianus Marcellinus* XIV. *leucas* XXI. *M. P. explicat.*

65. IN MEMORIAM, QUAM SIBI SUISQUE CONSTRUXERAT] Memoria est (*Cicerone definiente*) per quam repetit animus ea quæ fuerunt. *Quæ hanc juvant, & excitant adminicula externa, figurata locutione interdum memoria dicta. Ita reperias Memoriam, pro eo quod Memoriale vulgo. Hinc etiam apud Christianos, sepulchris Memoriæ nomen inditum. Quamquam idem nomen in inscriptionibus non Christianis legere est*, SERVILIUS. TROILUS. SE. VIVO. COMPARAVIT. MEMORIAM. SIBI. ET. SUIS. *Item* COMPARAVERUNT. SIBI. MEMORIAS. II. *Augustinus his verbis rationem reddit.* Non ob aliud vel Memoriæ, vel monumenta dicuntur, ea quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant & admonendo faciunt cogitari: nam & Memoriæ nomen id apertissimè ostendit, & Monumentum, eo quod moneat mentem, id est admoneat, nuncupatur. Propter quod & Græci μνημεῖον vocant, quod nos monumentum seu memoriam appellamus, quoniam lingua eorum memoria ipsa qua meminimus μνήμη dicitur. *Atq; ubi de martyrum Memoriis sermo est, nonnunquam ita accipienda sunt. Nonnunquam reliquiæ ipsæ ex eadem caussa, memoriæ nuncupatæ: Neq; aliter capies apud Augustinum Memoriam S. Stephani, quam Lucillus Episcopus manu portavit. At memoria, quam Afra* SIBI. SUISQUE (*observa solennem epitaphiorum formulam*) *construxerat, sepulchrum apertè significat. Idq; grandiusculum fuisse, ex iis quæ sequuntur, cognoscimus. Fortassis in ædiculæ formam, quales permultas via Appia, & aliis viis prope Romam extitisse, ruinæ ostendunt : In quibus singulorum cadaverum loculi di-*

Orig. lib. 19. c. 22. Ammal. de eccl. off. lib. 2. c. 21. Albin. de div. off. Rab. de inst. cler. lib. 1. c. 20.

De inv. lib. 2. In actis S. Saturnini. Quorũ meminit August. in brev. Smitius f. 221. n. 9. & f. 132. n. 2. Aug. de cura per mort. c. 4.

De civ. Dei lib. 22. c. 8.

stinctí, quod hic quoque suspicor. Aut cella subterranea fuerit (quod mihi probabilius) Petronio Arbitro Conditorium & hypogæum: Non contenta vulgari more funus pallis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in Conditorium etiam prosequuta est: positum in hypogæo Græco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusq; cœpit. *Et martyrum corpora frequentissimè in his cryptis condita. Locum, quantumvis diligenti investigatione, hactenus assequi, non potui, neque spes est in posterum. Nam cum sanctæ martyris corpus, perdiu ignoratum, ante annos amplius* DC. *in ea, qua hodie colitur, ecclesia à S. Ildatrico Episcopo inventum fuerit, necesse est fateamur, translationem ex primo sepulchro, multo prius, priscis retro temporibus contigisse: Et ex eo Memoriam negligi cœpisse. Quam dudum vetustate collapsam, & quidquid ejus supra solum extabat, si quid extabat, hostium incursione (pleraque ager Augustanus expertus est) dejectam crediderim. Profectò si ullius antiqui exemplaris lectione juvarer, lubens pro his verbis:* Posuit secundo milliario de civitate Augusta, *substituerem*, posuit secundo milliario prope civitatem Augustam, *vel aliquid simile. Et intelligeremus prope civitatem Augustam, secundo milliario à passionis loco. Id conveniret solo ecclesiæ, in qua hodie Afra condita, quin ipsi cryptæ, quæ in ecclesia, religione celebris. Hæc enim loca extra urbē illo seculo. Sed cum libri manuscripti omnes vulgatam editionē tueantur, correctio nimis fortasse audax. Cogitandū tamē.*

66. NUNCIATUM AUTEM EST GAIO JUDICI] *Nuntiatum est Aframsecus, quam ille jusserat, sepulchro à familiaribus conditam: Et matrem cum ancillis in sepulchro latere. Pro latibulo enim Christianis sepulchra erant. Chrysostomus, describens persecutionis tempora:* Hi quidem in monumentis, & sepulchris. hi verò in desertis latitabant. Mulieres teneræ & delicatæ, continua fame detinebantur. Itaq; considera, si qua tunc pretiosi sumptus, si qua deliciarum erat delectatio. Subiit ne concupiscentia unquam mulierem in sepulchro latentem, & expectantem ancillulam, ut veniat prandium afferens, & ne forte deprehensa sit trepidantem, & in timore tanquam in fornace jacentem? *Hom. 40. ad pop.*

67. ITE ET TENETE EAS] *Ista credam occasionem præbuisse P. de Natalibus, cur scriberet Hilariam cum puellis catenis fuisse vinctas, quod ex hac historia cæteroquin non liquet. Unde verò hauserit Memoriam sive Monumentum ligneum fuisse, clam me est. Facilius persuadear de lapideo, vel laterilio, quod utique conservandæ memoriæ aptius. Neque aliàs facile sepulchra ex ligno.*

68. CUM HONORE EAS ADDUCITE AD ME, UT REMUNEREM ILLAS CENSU DIGNISSIMO] *Perpauperes has mulieres fuisse, ex eo consequitur, quod Afra bona sua egenis donaverat, & si qua superassent, fisco cessissent eâ lege, quâ* bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut civitas, aut servilis conditio irrogatur. *Ideo spes facta judici, posse illarum animos pecunia corrumpi. Quamquam etiam aliàs honorum & pecuniarum pollicitationibus martyrum constantia tentata. Gregorius Nyssenus auctor est, judices ita ad S. Theodorum loquutos:* Scito, quod si consilium nostrum obedienter admittere volueris, protinus te ex obscuro nobilem, ex humili, despectoque, & inglorio, honoratum efficiemus: ac tibi Pontificatus dignitatem promittimus. *De* XL. *martyribus D. Basilius:* Ad hæc pecunias pollicebatur (*præfectus*) partimq; dabat: honores item à Rege, & dignitatum distributiones: & innumeris ipsos versutiis debellare conabatur. *Dig. de bo. damn. l. 1.* *Orat. de S. Theod.*

69. IMPLETE MEMORIAM CREMIIS, &c.] *Ista neque lege, neque more jussa. Quis ferat damnari absentes, caussa non cognita; Immò cognitionem, & executionem simul militibus demandari? Quæ aperte tyrannica. Sed hæc erat tunc temporis Christianorum conditio, ut jam monuimus. Inde Basilius narrat, S. Julittæ litiganti propositionem pretentam.* Negantem quidem Christum, legibus fruituram esse, & utilitate ex ipsis; amplectentem verò fidem, neque foro judiciario, neque legibus, neque reliquæ Reipublicæ participem fore. *Hom. de Julitta.*

70. CLAUDITE, &c. UT NULLA EX EIS EVADAT] *Cautio minus necessaria, si catenis colligatæ erant. Ut vel hinc ea opinio vacillet.*

71. EUNTES AUTEM AD EAS] *Martyrologia habent, Hilariam ad*

sepulchrum filiæ excubantem, igni traditam. At pia hujus generis excubia, non nisi orationis caussa fiebant. Et si versum ex Prudentio paululum immutamus,

De S. Romano, Memento matris, jam patrona ex filia.

Memento matris, jam patrona ex filia,

videri poterit compendium eorum, quæ Hilaria precata. Altera Hilaria Claudii tribuni uxor, eundem prope vitæ exitum sortita est Romæ, Cum filiorum corpora sepelissset, ad eorum sepulchrum orans, paulo post à paganis tenta, migravit ad dominum.

Mart. 3. Dec. Lib. 8. cap. 26.

72. MILITES] *Erant ex militum numero Spiculatores, seu verius Speculatores: hi gladio tantum in damnatos animadvertebant, Julius Firmicus*, Speculatores faciet, qui nudato gladio hominum amputent cervices. *Graviora, & fœdiora supplicia Romæ carnifex irrogasse creditur, Quem ea de caussa adeo aversabantur, ut neq; civitatis jus, neq; domicilium in urbe permitterent. At in provinciis hoc etiam munere milites functos certum est. Idq; non tam ex Hilariæ supplicio, in quo multis modis à Romanarum legum constitutionibus discessum, quam quod Evangelista prodiderunt, dominum nostrum Jesum Christum à militibus cruci suffixum.*

Vide Polletum fori Rom lib. 5. c. 14.

73. UBI VIDEBANT OMNES SIMUL CONTEMNERE SACRIFICIA] *Non multum aberrabimus, si sanctas fœminas tali oratione usas credamus, qualem D. Basilius* LX. *martyribus tribuit, adversus tyrannum. Hæc quidem longiuscula, tamen eo pietatis succo condita est, ut æqui lectoris fastidium facile effugiat*, Quid, inquiunt, inescas nos o hostis Dei, ut à Deo viventes discedamus, & perniciosis dæmonibus inserviamus, bona tua nobis offerens? Quid tantum dederis, quantum auferre conaris? Odi dona pœnas largientia, non suscipio honorem ignominiæ matrem. Pecunias das remanentes, gloriam deflorentem. Notum facis Regi, verum à vero Rege abalienas. Quid parcè pauca ex mundanis rebus offers? totus nobis mundus contemptus est. Non sunt cum nostra spe comparanda omnia, quæ oculis videri possunt. Vides cœlum hoc quam pulchrum aspectu est, quam magnum, & terra quanta, & quæ sunt in ipsa admiranda? Nihil ex his adæquari potest beatitudini justorum: hæc enim prætereunt, nostra autem manent. Unum concupisco donum, Justitiæ coronam Circa unius gloriæ admirationem stupeo, Ejus videlicet, quæ est in regno cœlorum. Ambitiosus sum ad supernum honorem. Supplicia metuo in gehenna, ille mihi ignis horrendus est: Quem verò vos intentatis, conservus est, novit revereri idolorum contemptores. Spiculum puerorum reputo vestras plagas: Corpus enim verberas, quod si quidem diutius restiterit, ac duraverit, splendidius coronatur: si vero citius renuntiarit, perit à tam violentis judicibus liberatum: Qui cum corporum ministerium accipiatis, amplius etiam animis imperare contenditis: qui sanè nisi etiam Deo nostro præferamini, quasi extrema ignominia à nobis affecti, sævitis, & horrenda hæc supplicia intentatis, crimen nobis producentes pietatem. At enim non timidis, neq; vitæ amantibus, neq; qui facile perterrefiant pro dilectione ad Deum, congrediemini. Nos verò, & rotari, ac torqueri, & comburi, & omne tormentorum genus perpeti parati sumus. *Hactenus ille Christiana eloquentiæ magister.*

74. SUPPOSITO IGNE ABIERUNT] *Accidit beatis martyribus quod de S. Afra retulimus: Ut corpora nimirum incolumia remanerent quorum hodie etiam reliquias colimus. Fit verisimile fumo præfocatas fuisse, incensis cremiis sarmentis, & spinis in loco angusto, undiq; clauso.*

75. EADEM DIE QUANDO SEPULTA EST AFRA, &c.] *Quomodo hæc cohæreant, & quomodo temporum ratio cum traditione ecclesiæ Augustana collimet, jam explicavi. Galesinius non rectè interpretatus est, has martyres eadem die qua Afra mortem obivit, passas. Qui præterea monet, extare epistolam Nicolai I. Pont. ad Tadonem Archiepiscopum Mediolanensem, de S. Afra, & sociarum reliquiis. Mihi accuratè investiganti eam videre non contigit, neq; hactenus editam existimo. Gratianus quidem rescriptũ Nicolai ad Tadonem retulit Causa 17. q. 4. De presbyterorum flagellatoribus.*

In martyr. Non. Aug. Et ibi in Notat.

76. CUM PALMA MARTYRII PERVENIRENT] *Vicelii exemplar historiam his verbis concludit*, Qui regnat cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum, Amen. *Ea ego lubens recipiam. Sive quod in nostro inferius est*, Cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen. *Hisce enim, aut similibus formulis martyrum passiones finiri solent. Neq; mihi dubium est, veterem narrationem*

rationem huc usq; tantum pertingere: quæ sequuntur de S. Afro, & S. Dionysio, alius esse auctoris, alius ætatis. Reliqua illa, de XXV. martyribus ferro obtruncatis, si quid judico, antiquitatis opinionem melius tuentur: sed hæc quoque extra Afræ, & Hilariæ acta. In libro, quem sequutus sum (ne quid fallam) omnia perpetua serie, sine distinctionis nota perscripta erant. Primus sejunxi. Non temerè, opinor.

77. BEATUS AUTEM AFER] *Vides præter sancti viri nomen, reliqua omnia incerta esse. Credendus ad exemplum præpunitus: Non abjudico conjecturam, Sed tamen conjectura ideoq; necessario dubia, incerta est.*

78. PRIDIE QUAM IPSIUS MARTYRIS AFRÆ COLITUR] *Immo nudiustertius. Nam Non. Aug. de S. Afro agitur. Et vereor ignorationem latinitatis Pridie scriptum.*

79. QUAMVIS SPECIALITER SCRIPTIS NON EXPRIMITUR, &c.] *Bonum virum egit, quisquis hæc de Afro, & Dionysio capita ascripsit. Fatetur se ea, quæ ipse collegerit, & excogitarit, nullibi lecta proferre. Conjecturis autem quisq; ex ingenio fidem demet, aut addet. Ego invitus adducor illa asseverare, quæ antiquitatis testimonio destituta. Verisimile profecto est S. Dionysium exequiis interfuisse, nam Hilaria venit nocte cum sacerdotibus Dei, Sed quid prohibet eum peracto funere abiisse, Mulieres solas sive latitantes, sive orationi vacantes remansisse? Si supplicium una luisset, Credibilene est auctorem passionis sacerdotis nomen tacitum transmissurum fuisse, cum ancillarum exitum tam diligenter retulerit? Utut sit, non frustra monebo, illos in errore manifesto versari, qui hunc cum Dionysio Areopagita confundunt: Quod ab ius fit, qui eum specie episcopi, abscissum caput manibus gerentis, delineant. De nostro, agitur in breviario Augustano* IV. *Cal. Martii: est dies translationis, concessis ab Alexandro* IV. *Pontif. indulgentiis celebris. Sacras ejus reliquias Carolus* IV. *Imp. donario argenteo inaurato coluit, Insculptis versibus parum elegantibus, quos tamen testandæ imperatoriæ pietati exscribere placuit,*

M. C. ter numerato, cum L. uno simul anno
Carolus est quartus regnans hoc nomine dictus:
Qui dedit ornatum, sanctis petit hunc fore gratum.
Huic est inclusus terræ Dionysius hujus
Præsul devotus, vita quam nomine notus.

80. IPSA QUIOQUE DIE] *Scilicet Prid. Id. Aug. Consentiunt martyrologia Bedæ, Usuardi, Maurolyci, Galesini, Romanum. Sed Galesinius de die consentit, de anno longè dissentit. Ait hos martyres sub Domitiano passos. Neq; tamen novæ opinionis caussam in Notationibus, prodit: Hinc suspicor Diocletiani nomen nequaquam consulto mutasse, sed memoria lapsum. Nisi error à typographo, quod credere fortassis humanius. Baronius etiam, in priori editione primi tomi Annalium ecclesiasticorum, Galesinij fidem sequutus, sacram hanc cohortem sub Domitiano posuit: Sed re melius perpensa, expunxit iterum in altera Plantiniana editione. Sane, lectorem non pervicacem, loquendi ratio satis movet. Quis enim res diversissimis annis actas, eadem die contigisse dicat, sine ulla alia distinctionis significatione?* Anno Chr. 98.

81. APUD EANDEM URBEM] *Augustam Vindelicorum. Suffragantur auctores, quos jam citavi. P. de Natalibus uti per omnem historiam, ita hoc loco perperam*, eandem civitatem Augustam in Creta *habet. Falsus est, vir alioquin non indiligens, similitudine quæ inter Creta, & Ratia nomina. Vicissim quoq; affinitas nominum in errorem traxit, sed aliâ via. Ascribit post finem passionis S. Hilariæ.* Eodem die passi sunt etiam, non longe ab urbe Roma Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Julia, & multi alii pro nomine Christi decollati sunt. *Quibus verbis nostros sanctos confundit cum Cyriaco diacono, Largo, Smaragdo, & aliis viginti passis Romæ sub Maximiano* XVIII. *Cal. Apr. Quorum commemoratio fit* VI. *Id. Aug. quod eo die corpora à Marcello Papa in prædium Lucinæ translata. Sed hi nihil cum nostris commune habent. Nisi quod Largionis nomen ad Largum alludit, Et Quiriacus prorsus idem cum Cyriaco sono tenus: si Priscianus vere scripsit K. Q & C. etsi figura differant, ejusdem potestatis esse. Ad quam rationem annotavit Muretus antiquè Acam, Loci, Coad, Cotidiè, pro Aquam. Loqui, Quoad, Quotidie scripta.* Li. 7. c. 55. Prisc. li. 1. Mur. Var. lib. 4 c. 14.

82. PASSI SUNT ALII XXV. PRO NOMINE CHRISTI CAPITIS OBTRUNCATIONE] *De numero, & obtruncatione omnes conveniunt.*

Quæ verò occasione hac ipsa die damnati, à nullo proditum. Memini legere
Lib. 7. c. 8. *de Diocletiani persecutione in Nicephoro*, Animadvertere verò erat in hominibus nostris alacritatem, & fidei in Christum ardorem vividum: Cum enim vix contra priores sententia condemnationis à judice prolata esset, alii aliunde confluentes, Christianos se esse confitebantur, pro tribunali ipso exultantes, neq; tormentorum acerbitatem respicientes: sed interrita prorsus libertate pro Christo decertantes, cum magna animorum lætitia libentissimè supremam excipiebant sententiam: usque adeo ut cum gratiarum actione ad finem usque perquam decenter hymnos, laudesq; Deo canerent. *Cogito an idem hîc usu venerit. Sed affirmare, & fidem facere quis possit?* Fere simile est, quod in actis Stephani Papæ apud Baronium legi. *Tunc accidit, ut duodecim ex clero Romano tenerentur, nempe Botus, Faustus, Maurus, Primogenitus, Calumniosus, Johannes, Exuperantius, Cyrillus, Theodorus, Basilius, Castulus & Honoratus, qui absq; audientia* (idem nostris accidisse suspicor) *statim capitibus truncari jubentur. Credidere aliqui martyres istos ex Hilaria amicis fuisse, quos una cum Afra baptizatos sub conversionis finem vidimus. Alii infamilitium etiam ascripsere Mihi neutri persuadent. Persuasissimum enim habeo, utrumvis fuisset, nequaquam prætermisset passionis Hilariæ scriptor. Quin ex ejus silentio conjicio, Amicos, quorum in conversione mentio est, aut naturali, & suâ morte functos; fortassis jam reddita ecclesiis pace per Constantinum: aut si martyrio affecti, id diverso tempore ab Afræ, & Hilariæ nece contigisse. Aservitutis opinione vendicat præter reliqua, supplicii genus, Quomodo enim credibile, in eodem crimine heras igni traditas, servos capite casos? Contrarium est apud Eusebium, de Pamphilo domino securi*
Lib. 8 c. 21. Dig. de pœnis l. 28. *percusso, Porphyrio famulo flammis exusto. Cui astipulatur Ulpianus*, Majores nostri in omni supplicio, severius servos quam liberos: famosos, quam integræ famæ homines punierunt. *Neque absurdè opinamur, judicem hunc morem spectasse in cremanda Afra. Nam idem Ulpianus significat, liberos non,*
Eadem l. *nisi plebeios, & humiles personas comburi. Gaius ut hoc innueret, in sententia*, Aram publicam meretricem *votare voluit: Cum exploratum sit, infames haberi meretrices, nisi quæ in servitute quæstum fecere, quas Severus notâ*
Dig. de his qui not. infamia l. 24. *exemit. Atque hac nos quasi manu ducunt, ut intelligamus* XXV. *martyres non extremæ sortis homines fuisse, quibus præses ignium pœnam remiserit. Immo quod in coloniis honestissimus quisque vel Decurio, vel Decurionis filius, simile quid de his suspicari nihil vetat. Magis est ut pœnarum ista diversitas confirmet. Nam Ulpianus Decuriones, & eorum liberos ignibus*
Dig. de pœnis. l. 9. *nominatim eximit.* Sed enim sciendum est discrimina esse pœnarum, neque omnes eadem pœna affici posse. Nam in primis Decuriones in metallum damnari non possunt, nec in opus metalli, nec furcæ subjici, nec vivi exuri. *Et post pauca*, Parentes quoque, & liberi Decurionum, in eadem causa sunt. Liberos non tantum filios accipere debemus, verum omnes liberos. Sed utrum hi soli qui post Decurionatum suscepti sunt, his pœnis non afficiantur: an verò omnes omn no liberi, etiam in plebeia familia susce-
Dig. de Veteran. l. 3. pti, videndum est. Et magis puto omnibus prodesse debere. *Quod si non omnes ex Decurionibus, fortassis ex veteranis aliqui. Ait Marcianus*, Veteranis, & liberis veteranorum, idem honor habetur, qui & Decurionibus. Igitur nec in metallum dannabuntur, nec in opus publicum, vel ad bestias, nec fustibus cæduntur. *Quæ ego non certa, indubia, sed verisimilia videri velim. Neque obstat, quod antea diximus, in Christianorum causa leges multis modis contemptui habitas. Est enim tyrannicum inter prima, in maximis sceleribus, quæ adversus humanas, divinasq; leges per summam injuriam de-*
Spart. in Geta Xiphil. in Carac. Dig. de pœnis l. 8. *signantur, juris, & æquitatis observantiam nihilominus prætendere. Quale Caracallæ illud: Jusserat in Papinianum gladio animadvertere, Miles securi percussit. Imperator jussionis neglectum ægrè tulit, quod jurisconsultorum sit sententia, si quis damnatur, ut gladio in eum animadvertatur, animadverti gladio oportere, non securi, vel telo, vel fusti, vel laqueo, vel quo alio modo. Quasi verò nihil tristius in funesto facinore isto uno neglectu accidisset. Sed nostra videamus. Primus ex Imperatoribus Nero in Christianos immanissimè sæviit, tamen in supplicius principum Apostolorum conditiones distinxit. Petrum, quod humilior persona haberetur, cruci affixit: Paulum, civem Romanum gladio percussit. Ita in epistola Viennensis, & Lug-*

dunensis

dunensis ecclesiæ, apud Eusebium, præses sententiam tulit, Ut qui municipes Romani essent, securi percuterentur: reliqui autem amandarentur ad bestias. *Lib. 5. c. 1.*
Nullus hunc locum planius executus est, quam Prudentius in Romano,

Incensus hic Asclepiades, jusserat
Eviscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & uncis, ungulisq; crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisq; multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboq; cervix verberata extuberet.
Persona quæq; competenter plectitur,
Magniq; refert vilis sit, an nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur.

Atque hæc quidem personarum distinctio, in torquendis & damnandis Christianis sæpe observata, non semper. Et ubi diligentissimè observata, tamen leges, & omnis æqui ratio in eo pessum ibant, quod solo nominis odio, nullius criminis convicti, quovis modo torquebantur, damnabantur.

83. QUIRIACUS, LARGIO, CRESCENTIANUS, &c.] *In his nominibus valde variatum. Ego illa retinui, quæ maximè genuina credidi. Pleraque martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi, & Galesinij, quinque tantum expressere: Quiriacum, Largionem, Crescentianum, Nimmiam, & Julianam. P. de Natalibus duodecim habet; Quiriacum, Largum, Crescentianum, Meminiam, Julianam, Leonidem, Eutychianum, Diomedam, Charitonem, Philadelphum, Agapem, Petrum. Et sunt eadem cum nostris, quamquam alio ordine. præter Largum, & Meminiam. Totidem præfert Maurolycus; Sed pro Quiriaco, Meminia & Diomeda; Cyriacum, Memmiam, & Diomedeam. Quidam pro Philadelpho & Nimmia, sive Memmia, sive Meminia; Fidalsum, & Niminiam. Nonnulli tres adhuc adijciunt, Emblasium, Eyriam, & Faustam. Ut editis* XV. *nominibus,* X. *tantum ignorentur. Nam de numero* XXV. *omnes consentiunt.* *Hæc tria nomina ex Meister. Chron. p 4. c 4.*

84. JULIANA] *Moneo extare Augustæ inscriptionem antiquam C. Julianii Julii Decurionis, & Quatuorviralis, in qua nonnulli Julianum legant. Ex ejus familia Julianam genitam uti non assevero, ita non video cur minus suspicari liceat. Cum præsertim conjecturâ, quam de pœnarum discrimine attulimus, juvemur.* *Habes apud Smetium fol. 170. n. 2. Item Aug. inscript. parte 1. numer. 22.*

85. ET ALII XIII. QUORUM NOMINA DEUS SCIT] *Quod horum nomina interierint, nemo Augustanam ecclesiam incuria accuset: Cum in Romana, quæ martyrum memoriam omnium accuratissimè conservavit, pleraq; desiderentur: Multi solo numero, nullo nomine reliquo noti; Aliquibus ex eventu nova excogitata sint. Exemplum est Adauctus. Ducebatur sub Diocletiano Felix presbyter ad supplicium, factus quidam obvius, se Christianum confessus, pariter cæsus est. Fideles nomen novi martyris ignorantes, Adauctum appellavere, quod Felici ad coronam auctus. Sic ex constitutione Melchiadis Pont. Quatuor Coronati dicti, ob propriorum nominum ignorationem. Et qui incredibilem martyrum multitudinem, quæ sub Diocletiano passa, animo æstimat, satis intelligit, nullius diligentiam illis describendis sufficere potuisse. Refert Ignatius Patriarcha Antiochenus apud Josephum Scaligerum, ex edicto deciminoni Diocletiani anni, martyrio coronata esse* fidelium terræ Ægyptiacæ centum quadraginta quatuor millia, septingenta autem in exilium acta. *Ut etiam hinc fidem mereatur Genebrardi calculus de* XXX. *millibus martyrum in singulos anni dies. Cur enim non verisimile videatur, centies centena millia, & quod excurrit, à Christo nato in hunc diem, universo terrarum orbe occubuisse, si sola Ægyptus, una persecutione* CXLIV. *mille palmas meruit? Verum profecto est, multo minus millesima parte de martyrum nominibus in nostris martyrologiis superesse. Cujus rei caussa una, numerus ipse ferè innumerus: Altera quam dudum diximus, quod Diocletianus æquè internecinas inimicitias Christianorum scriptis, ac eorum* *Mart. 30. Aug.* *Ado 8. Nov.* *Scalig. de emend. temp lib 5.*

corporibus indixit. Eoq; horribili naufragio multa martyrum acta perierunt. Neq; fas scio, an idem his nostris contigerit: Quorum saltem tenuem memoriã, & nonnullorum nuda nomina tamquam in tabula enatasse gratulamur.

Hanc porro inscientiam rerum à beatis martyribus gestarum, causſam judico, cur in ecclesia Augustana, stato die, annue de illis non agatur.

Sepulti sunt in Basilica, quæ postea S. Afræ, hodie SS. Udalrico. & Afræ dicata: Cum plerisq; aliis illa persecutione occisis, ut veteri fama traditur. Quod horum omnium nulla unquam translatio facta (cujus quidem memoria extet) ideoq; aliunde non illati, sed primitus ibi conditi fuisse videantur, In eam descendo cogitationem, ut existimem aream basilicæ jam tunc temporis, Christianis pro cœmeterio fuisse. Convenit, quod mœniorum ambitu non continebatur, ut antea attigimus. Nam cœmeteria extra urbes constituta. Sive quod nefas mortuos in urbe sepeliri, ex XII. tabulis, & recenti lege Dioclet. & Maxim. quæ in Codice relata: Sive quod Christiani extra facilius laterent, cum cuncta religionis officia in illis peragerent. Panvinius, Galesinius, Baronius copiose de Christianis cœmeteriis scripsere, & docte, quos non exscribo. Afræ memoria, quam sibi suaq; construxerat, si extra hanc aream, nostram sententiam nihil labefactat. Neq; enim mihi dubium, præter publica cœmeteria, tutque privata sepulchra habere licuisse: Sive in ipsis cœmeteriis, sive etiam extra cœmeteria.

Cod. de relig. & sumpt. fun. l. 12. Panvin. de ritu sep. Christ. cap. 11. 12. 13. Gales. in notat. 20 Ian. Baron. in notat. 3. Ian.

Atq; hæc quidem habui, quæ ad istius historiæ explicationem conferrem. Cui finem imponam, si D. Ambrosii verbis recedentem lectorem, de sanctorum martyrum invocatione, & intercessione, prius admonuero. Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus tuerit invitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium: Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.

De Vidua.

Felices animæ, fortunataq; laborum,
Queis morte assertas cœli Deus annuit arces,
Tu Christo plena ante alias, generosa virago,
O & præsidium, & præsens tutela precantis
Afra urbis, Si templa pij, si ponimus aras,
Dicite, Queis intus caluistis pectora flammis,
Quæ vires animis, quis mentibus additus ardor,
Cum belli sonuere tubæ, Cum turbine moto,
Horridus incubuit Libertino duce nimbus?
Non vos degeneres, fidei, & constantia egenas,
Impia sacrilegi fregerunt jussa tyranni.
Quamquam hinc, pollicitis dives, malesuada Voluptas,
Pellaces fucata genas, hinc tela, faces q;,
Et minæ, & exanguis staret metus, Omnia contra
Erecta, Et triplici munita robore corda,
Enastis pelagi scopulos, portumq; sequuta,
Illustri æternas peperistis fimere palmas.
Felices, queis parta quies, bellataq; bella,
Et quibus in tuta puppis statione locata est.
At nos vimineis male nixi cratibus, acti
Per medias hyemes miseris erroribus, Alto
Namus, & immensum restat maris æquor arandum.
Respicite huc (hominum nec amor, nec cura recessit)
Quam dubiis, quam non nostris impellimur austris,
Convulsis animis vitia in contraria versi,
Et monstrate viam, tantos evadere casus,
Spumantes scopulos inter, ventosq;, salumq;
Quâ licet, & salva terram tetigisse carina.

Diocletianus Anulini senatoris libertinus. Victor.

Memini-

Meminimus inventionis corporum S. Afræ, & puellarum aliquoties; Ideo visum, illas narrationes ex antiquis codicibus hic describere.

De Inventione Corporis Sanctæ Afræ.

Legimus in libro, qui de vita, & virtutibus Sancti Udalrici confessoris Christi, est conscriptus, quod idem Dei famulus in jejuniis & precibus, cum cordis contritione, aliis quoque viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare cœpit, supplicans devotè, quatenus omnipotens Deus, per suam misericordiam, dignaretur sibi manifestare locum, ubi sanctissimæ martyris suæ Afræ corpus esset reconditum. Ergo ut Dominus verum comprobaret, quod per os sancti David dixit, Ecce oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: & in alio loco, voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: Quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit, & locum collocationis sui corporis in ecclesia demonstravit. Cryptam etiam in illo loco fieri prohibuit, propter reliquias sanctorum, illic in pace quiescentes, & adventum justi judicis expectantes.

S. Udalricus vixit sub Henrico Aucupe, & Othone Magno Obiit Ann. 973. Ps. 33. Ps. 14.

Post hæc anno Dominicæ incarnationis MLXIV. *Embrico episcopus Augustensis, datis ab antecessore suo quinquaginta talentis, ecclesiam beatæ Afræ a fundamentis destruxit & inventum est corpus ejus in lapideo sarcophago, de quadro miræ magnitudinis, & locatum est in eo, ubi adhuc veneratur, loco. Anno autem felicis memoriæ Colonienſis Archiepiscopus, prælibatum antistitem supplex rogaverat, ut munus aliquod de cineribus tantæ martyris, sibi dignaretur impertiri, felicem fore credens suam civitatem, si talibus ditaretur reliquiis. Cujus precibus annuit episcopus. Et veniens Augustam convocat prælatos ecclesiarum, & fratres cœnobii sanctæ Afræ, absque illorum consilio, & voluntate quidquam agere, inconsultum fore decernens. Igitur cum magno timore, aperto sarcophago Christi martyris, Corpus ejus integrum repertum est, & quodam candidissimo cæmento obductum. Auferens ergo solum articulum pollicis in pede, venerandus Pontifex, teste clero, & populo Coloniam cum summa direxit reverentia. Nec mora, clauditur sarcophagus, & in loco, ubi nunc veneratur, ut prædiximus, decenter erigitur.*

Ann. Chr. 1060. Missa à Reinero præsule, D. Afræ monasterium conditum, & dicatum. Fabric. Annal. Misnēs. lib. 1. Anno Colon. episc. Obiit Ann. 1075. posita in sanctos relatus.

Henricus quem nostri IV. atq; etiam Seniorem, sibi Patrem dicit, Condidit Spiræ basillicam magnā operis, B. Mariæ Virgini sacrā, Cujus meminit incertus Vitæ scriptor in proœmio, frising. in Frid. lib. 1. c. 10. Gotfrid Viterb. Chron. p. 17 Verum hic de ecclesia S. Afræ sermo est. Puto significari sacellum S. Afræ, in quo cadaver Henrici aliquot annis inhumatum jacuit. Gotfridus; Afræ capella fuit, quæ patris ossa tulit. Et Elsengrein Chron. Spir. l. 12. incandi sint.

Evolutis post hæc aliquot annorum curriculis, Henricus Imp. ecclesiam Spiræ construxit, quam in honore beatæ Afræ dedicari fecit. Agebat ergo apud Augustanum episcopum Hermannum multis precibus, ut aliquid reliquiarum sanctæ Afræ illo mitteretur. Pro quare, licet episcopus pavore nimio angeretur, tamen Abbatem cœnobii sanctæ Afræ, & clerum convocavit, Rogans, ut quid agendum esset, decernerent. Qui dixerunt, Imperatoriæ quidem majestati non contradicendum; Sed prius quam sibi magna portio corporis beatæ Afræ tollatur, mortem se velle subire in commune profitentur. Ventum est denique ad sepulchrum martyris: Et milites quidem civitatis fores ecclesiæ armati custodiunt, & in ecclesia circumquaque consistentes, diligenter attendunt, ne magna pars corporis tantæ martyris ab episcopo, vel à sacerdotibus auferatur. Audiens autem episcopus à senioribus cœnobii jam pridem unum articulum pollicis in pede ab antecessore suo sublatum, decernit alterum articulum in eadem pedis parte auferendum. Modicum itaque revoluto lapide, quo sarcophagus clauditur, alter articulus pollicis in pede aufertur, & ex templo lapis reponitur, ferreis q. ligaminibus compaginatur. Ascendens itaque episcopus eminentiorem locum, universis ostendit particulam, sublatam de corpore Christi martyris. Et ita omnes æquo animo redierunt ad propria. Cujus pars major transmissa est Spiram Imperatori, altera remansit ibi.

A die autem inventionis corporis beatæ Afræ, quæ est VI. *Cal. Aug. duabus tantum vicibus reseratus est sarcophagus: Et nihil amplius inde est sublatum, nisi quantum hic commemoravimus. Hinc vetustatem hujus scriptionis colligo. Testes laudat monachos, qui rei gestæ sub Henrico* IV. *interfuere. Henricus autem anno 1106. mortuus est. Dodech Sigeb. Addit. Lamb. Quod nostræ memoriæ tradiderunt seniores hujus cœnobii, qui & rei gestæ interfuerunt.*

De

DE INVENTIONE SANCTARUM DIGNÆ, EUNOMIÆ, ET EUTROPIÆ.

Principium abru tum, sed apparet hæc circa An. Millesimum contigisse. Namait postea plusquam 60. annos ad Embriconem fluxisse. Embrico iniit An. 1064. Ex Lamberto S Stephan. monast. deinde in urbem receptũ prolato pomerio.

IPso quoque tempore in prædicta ecclesiæ structura, Prid. Id. Aug. inventa sunt sanctarum Dignæ, Eunomiæ, & Eutropiæ corpora. Lapis autem superpositus tumulo sanctæ Eunomiæ, dum forte à latomis caderetur, miri odoris fragrantiam emisit. Corpusculum verò sanctæ Eutropiæ in sarcophago plumbeo est repertum. Cujus pars maxima data est ad monasterium sancti Stephani protomartyris, quod beatus Udalricus non longe à civitate construxit. Altera verò pars cum reliquiis sancti Pauli Apostoli, in altari sacelli ejusdem Apostoli, à nobilibus comitibus illic sepultis constructi, & multis villarum reditibus dotati, in dedicatione ipsius est recondita. Corpora autem sanctarum Dignæ & Eunomiæ, in singulis locellis de ligno factis, pro tempore sunt locata.

Post hæc, evolutis plusquam sexaginta annis, temporibus episcopi Embriconis, his omnibus, per incuriam tunc viventium, pæne in oblivionem versis, dum huic loco in regimine præesset piæ memoriæ Udalscalcus Abbas, ipsa martyre Christi Digna volente, & dignante manifestari, inventa est V. Id Julii in arca lignea, quæ adhuc superposita est tumbæ sancti Dionysii, in purpura peroptima & rara, quæ postmodum limbo circumposito, super postes ecclesiæ ad introitum in festis suspenditur. Inventa est autem sine alicujus scripturæ indicio. Unde dum nimia tristitia Abbas, conventusq; percelleretur, conversus quidam nomine Gerungus, bonæ conversationis & famæ, diligenter in ipsa arca perstrutans rimas & juncturas, repperit tandem inter parietem arcæ, & pannum, qui interius extentus fuit, laminam plumbeam, in qua insculptum erat,

CORPUS SANCTÆ DIGNÆ MARTYRIS.

Quam cum magno gaudio detulit ad Dominum Abbatem Udalscalcum. Quam ille deosculans, & cum magna fide molaribus suis apponens, liberatus est à dolore dentium, quo multo tempore laboravit. Post hæc, præparato sarcophago lapideo, eam retrò principale altare cum magno honore, & devotione relocavit. Et cum ea multas alias & pretiosas sanctorum reliquias recondidit. Et principale altare arcubus illis & tabulis deauratis, ut adhuc cernitur, decoravit.

DE

DE VITA
S. UDALRICI
AUGUSTANORUM
VINDELICORVM EPISCOPI,

PLERAQUE ANTEHAC NUNQUAM EDITA.

HOC LIBRO CONTINENTUR

VITA ET MIRACULA S. UDALRICI, *scripta anno post ejus obitum xx. nondum exacto, ab auctore incerti nominis, de quo, quæ alibi comperimus, in præfatione explicavimus. Nunc primùm ex tribus manuscriptis codicibus bibliothecæ monasterii SS. Udalrici & Afræ edita.*

BULLA CANONISATIONIS S. UDALRICI, *antea quidem edita, sed jam ad manuscriptum exemplar correcta.*

Vita Udalrici imperfecta, scripta à Gebhardo Augustano Episcopo. Ex ms. bibliothecæ S. Udalrici nunc primùm edita.

Ditmarus Chronic. lib. 4. Anno, uti videtur, 995. vel 996.

In illo tempore Luidolfus Augustensis Episcopus venerabilis 8. Cal. Aug. obiit, & Gevehardus Elabangensis Abbas ordinatur.

Berno in præfat. vitæ S. Udalrici.

Veneranda memoriæ Gebehardus, qui post beatum virum quartus ejusdem Vindelicæ Augustæ ecclesiam rexit, nulli modernorum doctorum secundus &c.

Trithem. de vir. illustr. ord. S. Bened. lib. 4. c. 237.

Gebehardus Abbas in Elwangen, in diœcesi Augustensi (quod nunc ab ordine translatum est) & post ea Episcopus Augustensis, vir doctus & nobilis, qui moribus & scientia utrumq; cornu decoris ornavit. Claruit sub Ottone Imp. III. Anno Domini 990.

VITA S. UDALRICI *à Bernone Augiensi scripta. Ex F. Laurentii Surii tomo IV.*

Hermannus Contractus in Chron. Bernardum appellat An. 1048.

Dominus Bernardus Abbas Augiæ, vir doctrina & moribus insignis, anno promotionis suæ XL. in senectute bona morbo confectus VIII. Idus Junias diem ultimum clausit, & in basilica S. Marci sepultus quiescit.

Sigeb. de Eccles. script. c. 157.

Berno Abbas Augiensis in humana & divina scientia claruit.

Plura Trithem. de viris illustr. Ord. S. Benedict. lib. 2. c. 77. de script. Eccles. An. 1020.

INVENTIO ET TRANSLATIO *corporis S. Udalrici, cum miraculis quibusdam, auctore, sive auctoribus incertis. Editus olim codex cum ms. collatus.*

STEMMA KYBURGENSIUM *Comitum. Ex ms. S. Udalrici.*

VENE-

VENERABILI CLERO SANCTÆ ECCLESIÆ AUGUSTÆ VINDELICORUM.

Ecclesia vestra antiquissimis temporibus Martyrum sanguine, quæ Dei bonitas, fundata & consecrata, multos deinde Episcopos tulit, Exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate: *quos cum religiosè vivos venerata, tum vita functorum nominis memoriam, sacrasq; corporis reliquias, piè asservatas, eximio cultu est prosequuta. Unus autem præ cæteris Udalricus, natus ante annos abhinc amplius septingentos, ita eminuit, ut cæterorum famam haud equidem fregisse, magnis tamen post se spatiis reliquisse videri possit. Apud Augustanos præcipuè: sed & apud reliquas Christiani orbis gentes universas. Augustani profectò à multis retrò sæculis, ab eo fere tempore, quo is rebus humanis exemptus est, honorem illi, qui homini cœlestium religioni consecrato summus haberi potest, impartiti sunt, nam* CIVITATIS PATRONUM *publico consensu appellavêre. Quo in consilio quam illustres caussas sequuti fuerint, nihil attinet hoc loco differere, istæ, quæ præ manibus sunt, commentationes explicabunt. De me habeo dicere, me qui Augustanus sim, & fama tanti viri, & honestissimo* PATRONI *titulo excitatum motumq; esse, ut in ejus historiam mihi diligentius censuerim inquirendum.* 1. Tim. 4.

Versatur omnium manibus vita à Bernone scripta, qui cum quinto & septuagesimo anno post Udalrici mortem diem suum obierit (obiit enim Berno anno MXLVIII.) ideoq; credi potuerit, pleraq; ab iis, qui Udalrico in terris agente familiariter usi sunt, accepisse; quoniam tamen ad hos testes non provocat, sed se vetustiori niti commentario, quæ ille impolitiùs tradiderit, in paullò conciniorem

niorem ſpeciem mutaſſe profitetur, viſum eſt rudem quantumvis veterem, à tineis & blattis, ubicumq; lateret, vindicare : nã enim ego tam delicatus nunquam fui, ut ut de cætero ab aliqua orationis munditia non abhorreo, ut ſcriptores hiſtoriæ vetuſtos, incorruptos & horridos, adde etiam barbaros, politis aliis nuperis, qui cum à verbis diſceſſum adres ventum eſt, priores illos ſequi neceſſe habent, poſtpoſuerim, frequentibus nimirum exemplis doctus, id præſentiſſimo veritatis periculo fieri. Commodùm itaq; reperi in bibliotheca monaſterii SS. Udalrici & Afræ exemplaria chirographa veteris vitæ omninò tria, membranea duo, chartaceum unum; ſed præter membraneum alterum, reliqua Bernonis quædam perperam habebant aſſuta. Tum verò primus propemodum aſpectus & attactus, mox documento fuit, quam me ratio non fefellerit, & quam non temerè neque fruſtra hæc à nobis opera impenſa fuerit; adeò multa Berno, brevitatis opinor cauſſâ, intacta præteriit, quæ omnium ætatum memoria digna, antiquus ſcriptor accuratè collecta in litteras retulerat.

Cujus nomen & vitam ea occaſione ſedulò inveſtiganti (ut gratiam hacſaltem parte rependerem) de nomine nihildum mihi compertum eſt, fit veriſimile ſtudio celatum, pro illorum temporum modeſtia. Cæterum ſeſe aperit, fuiſſe Udalrico æqualem, & in illa eccleſia vixiſſe, quæ tunc adhuc temporis ſolius Afræ nomine noſcebatur, ſic enim perorat in epilogo, Ejanos, qui inquilini hujus Eccleſiæ ſumus, & tanti patroni faciem ſæpiſſimè vidimus, & ejus doctrinam benedictionemque ſæpiſſimè accepimus, & in eo optima exempla conſpeximus, & nunc in retributionem ejus bonorum operum, aſſidua miracula & diverſa ſigna in liberatione multorum videmus & audimus, &c. *Neque ſim difficilis ſuſpicari, Congregationis S. Afræ (ſiquidem illud collegium ante familiam divi Benedicti introductam ita appellabatur) fuiſſe Præfectum; eſt in præfatione, plerosq; quires à S. Udalrico perpetratas averent cognoſcere,*

ſcere, legatos ad ſe hujus ergò miſiſſe, quod hominis ſcilicet auctoritati tributum exiſtimo. Scripſiſſe verò mox ab Udalrici morte, anno vigeſimo nondum elapſo, inde certum habeo, quia littera quibus Joannes XV. Pontifex Maxim. Udalrico cœleſtes honores decrevit, perſcripta Anno CMXCIII. meminere libelli De vita & miraculis venerabilis Udalrici ſanctæ Auguſtanæ Eccleſiæ dudum Epiſcopi, *qui hic ipſus eſt, cum auctor ſtatim ab initio oſtendat, ſe hoc argumentum principem aggredi. Fidei præclarum illi teſtimonium perhibuit, in ampliſſimo ſummi Pontificis & Cardinalium conſeſſu, Luitolfus tunc ætatis Auguſtanus Epiſcopus,* Spiritus ſancti teſtatur præſentia, & congregatio ſacerdotum, certum eſſe, quod legitur. *Gebhardus deinde, ejusdem ſedis paullò poſt Epiſcopus, illuſtrem virum, ſanctæ ſimplicitatis & meriti appellavit, in quo præter ſtyli ruditatem & diffuſam prolixitatem, quod reprehenderet, invenerit nihil. Berno demum libellum* veraci quidem, ſed ſimpliciori quam oportuit ſermone editum *eſſe pronunciavit. Quæ elogia mixtimque cenſuras, non abjudico; & quod primum erat, auctorem ob teſtatam fidem ſimplicemq́, veritatem enixius diligo: Quod alterum, ſermonis ſordes nemo excuſat, ego ultrò accuſo, imò quod Berno præterea de oratione humi jacente adjecit, mihi modeſtè moderateq́, dictum, & ſe illa ſub terram potius condere, atque quodammodo illatebrare videtur, uſque adeò nihil unquam iſto charactere memini legere humilius, abjectius, inquinatius, & rara credo eſſe ſermonis vitia, quorum hic exempla non ſint confertim obvia, ſive caſus & tempora perverſa reſpicimus, quod creberrimum peccatum eſt, ſive verba agendi patiendiq́, ſignificatione promiſcuè uſurpata, ſive genera nominum mutata, & inflexiones tum nominum tum verborum corruptas, ſive pronomina & reliquas particulas poſterè poſitas, ſive idiotiſmos, ſive barbariſmos alios, ſive ſolœciſmos, ſive quodcumque denique, uti dicere* Ex bulla Can.

cœperam, orationis vitium. Verum enimverò prudens lector verborum delitias & sententiarum flosculos quæret alibi, in hujus generis scriptionibus scit sola rerum pondera esse spectanda. Teneris admodum utatur auribus oportet filius, qui patre peregrè mortuo, eligat de eo narrantem audire, hominem suaviore copiosum & disertum, qui patrem cognorit nunquàm, de vita illius & obitu vix ea norit, quæ ex quorundam rumoribus hinc inde hausta corrogaverit, præ cordato alio, qui quamvis infans, aut balbus & blæsus etiam, viventi morientiq; præsens, individuus usquequaque comes hæserit. In hoc equidem scriptore, paucis pagellis evolutis, omnes intelligent, quam magna utilium rerum copia, quantamcumque verborum scabritiem & asperitatem compenset.

Egregiæ inprimis utilitatis est, publicam privatamq; vitam ejus Episcopi, qui unus reliquorum exemplar & norma audire meruit, quiq; à Romana Ecclesia encomium tulit, viri miræ abstinentiæ, largitatis & vigilantiæ, ac miraculorum gratia illustris; *à puero ad extremam usque senectutem sanctè & innocenter actam, minutatim introspicere, difficillimis præsertim temporibus insignitis casibus, pace & bello, civili & barbarico, ut res fuit, continenter exercitam. Inde nullus futurus est, non modo vestri ordinis, quod minus miretur aliquis, sed omninò ex populo, cui maximum pulcherrimorum præceptorum cumulum quotidiano usui non liceat depromere. Nam probè iis verbis erga Udalricum in cœlestium sedes receptum nunc uti possumus, quibus olim patres Ingelheimensis synodi superstitem alloquuti,* Ex te Canonici, & monachi, & sanctimoniales, & cæteri Christiani, ad rectitudinis statum debent constringi, qui ex semetipsis per climata cadere festinant; qui autem incautè ambulando ceciderunt, ex te Deo juvante erigi posse sperandi sunt. *Præstantem præterea dignitatem habet, antiquitatem plerorumq; Ecclesiæ vestræ rituum hìc planè & distinctè*

Martyrol. Rom. 4. Julii.

Cap. 23. Sua Vitæ.

ſtinctè proditam recognoſcere ; in quam rem ego non ſatis ſcio an alibi tam certa , tam clara , tamq; vetuſta teſtimonia ſit reperire. Acceßionis non pœnitendæ loco deputo , quod publicæ illius ævi hiſtoriæ illuſtrandæ nonnulla hinc eruenda ſuperſunt , quæ apud alios auctores , quantum horum vidi, fruſtra quæras. Sed ſatius eſt ſibi lector hæc omnia ipſius operis inſpectione approbet.

Quod noſtrum fuit , uti uſus fructusq; promptu foret expeditior , appegimus oræ notulas , morantem interdum hærentemq; lectorem monituras : nam eam edentium comitatem & humanitatem aliàs commendari ſentiebamus.

Conſultum verò viſum, eodem libro reliqua , quæ de S. Udalrico ſuperſint, ſimul concludere. Addidimus itaq; litteras Pontificias de illo, in ſanctorum numerum relato : Vitam à Gebhardo Epiſcopo inchoatam , at morte prævento non abſolutam , quam in manuſcriptis duobus veteri conjunctam repereramus : Vitam aliam à Bernone ſcriptam , hactenus legi ſolitam. Cum uterq; horum veterem ſcriptorem præ oculis habuerit , interpretum quodammodo vice fungentur. Poſtrema inventio & translatio ſacri corporis, cum nonnullis diverſorum temporum miraculis : Inventionem & translationem manifeſtùm ſcriptam à monacho, qui rei geſtæ anno MCLXXXIII. interfuit : miraculorum non unus idem auctor videtur , ſed ea prout deinceps evenére , fuiſſe annotata , nam id vel ex ſcribendi ratione proclivè intellectu eſt.

Scio ad hæc , impuram neſcio cujus nebulonis epiſtolam Udalrici aliquando nomine venditatam. Sed cum ea Nicolao Pontifici inſcripta ſit , Nicolaus autem primus plusquam viginti annis ante Udalricum natum fuerit mortuus , Secundus Pontificatum octogeſimo & quod

excurrit anno post eum mortuum inierit, ferrei sit oris oportet, qui tantum mendacium ausit asserere, plumbei cordis, cui possit imponere : In hoc ei certè opere locus nullus vacaturus est. At Æneæ Sylvii auctoritatem obijciunt, qui Pontificem ab Udalrico de concubinis *reprehensum scripserit. Primum, vacillans illa lectio, neque omnium codicum fides hæc verba tuetur: deinde ut genuina sint, malitia intellectum ejus valde mutaverit necesse est, qui ad impudentem epistolam, quam ad insignem puritatis & castimoniæ laudem, quæ Udalricus per omnem vitam clarus habitus, referre malit. Vixit illo ævo Joannes XII. Pontifex, Alberici principis Romæ viri filius, fratrem etiam Albericum habuisse,* * *vetustus auctor scriptum reliquit: Hic cum nulla dignitatis ratione habita, sese libidinibus palam quodammodo mancipandum traderet,* adeò quod publicè etiam feminas tenebat (*eo nomine concubinas Archiepiscopi Consentini Chronicon barbarè designat*) frequenter per Imperatorem & clerum de sua correctione *est admonitus. Qua id nimirum spe religiosus princeps fuerit aggressus, ejus apud Liutprandum Ticinensem verba ostendunt :* Facile bonorum immutabitur exemplo virorum. Spero eum objurgatione honesta, suasione liberali, facile ex illis sese emersurum malis. *Jam cum Udalricus vitæ sanctimonia & auctoritate insigni, gratia apud Ottonem summa, Romæ crebrò versatus,* * *Alberico familiariter usus fuerit* (*liquent enim hæc omnia ex historia, quam damus*) *quid sit, cur non eum potissimùm isto officio adversus Joannem functum esse, eoq; Æneæ verba, si is tamen illa unquam scripsit, pertinere credere debeamus ? Verum longius non abeo.*

Æn. Syl. Apol. ad Mayer.

Absunt ea verba ab edit. Rom. anni 1584.

* Fragmentum hist. Aquitan. à Pithæo editum.

Liutp. lib. 6. cap. 6.

* Cap. 14. vitæ ejus.

Hìc porrò caussa demùm reddenda videbantur, cur vobis præsertim, alumnis Ecclesiæ martyrum constantia purpuratæ, confessorum innocentia candidatæ (utriusque decoris memoriam Ecclesiæ vestræ insignium colores continenter

nenter repræsentant) quicquid istud libri est, putaverim inscribendum. At ea sua ipsa sponte manifesta & perspicua, etiam invitos ultrò oculos incurrunt, ut nostra interpretatione nihil opus habeant, neq; ego verba amo perdere. Majus opera sit pretium, orare & obsecrare vestrûm deinde singulos, quod equidem facio vehementer, si quis ex hac editione ad vos fructus pervenerit (perventurum dubium nullum est, nam cum id in vestra potestate situm sit, vobis certè ipsi non deeritis) ut eum cujus illa studio & cura elaborata, sacrosanctis sacrificiis & piis precibus, Deo non gravemini commendare.

Valete.

Is, qui hanc editionem procuravit.

TEM-

Digitized by Google

TEMPORUM RATIO.

STEPHANO, QUI QUINTUS DICTUS EST, ROM. PON. ARNOLPHO GERMANIÆ REGE,

ADALBERONE AUGUSTÆ VIND. EPISCOPO,

An. 890. Udalricus natus. Puer in monaſt. S. Galli eruditus eſt.

An. 899. LUDOVICUS ARNOLFI F. REX.

*An. *** Udalricus Adalberonis Epiſcopi Camerarius factus.*
An. 909. Romam adiit. Marinum poſtea Pontif. convenit.
Eo anno Adalbero Auguſtanus Epiſc. obiit. Hiltinus ſucceſſit.

An. 912. CONRADUS REX.

An. 919. HENRICUS AUCEPS REX.

An. 923. Hiltino mortuo, Udalricus Auguſtæ Epiſcopus ſuffectus, V. K. Jan. ordinatus eſt.

An. 936. OTTO MAGNUS REX ET IMP.

An. 948. Ingelheimenſis ſynodus, cui Udalricus interfuit.
An. 953. Menchingæ obſeſſus eſt.
An. 954. Pacem inter Ottonem & Luitolfum filium conciliavit.
An. 955. Prælio affuit, quo Ungari IV. Id. Aug. internecione cæſi.
*An. *** Romam iterum adiens, ab Alberico honorificè acceptus eſt.*
An. 971. Denuò Romam adiit. Rediens Ottonem Ravennæ convenit.
Adalbero ex ſorore nepos, ſucceſſor illi deſtinatus eſt.
An. 972. Synodus Ingelheimenſis Adalberonis cauſa, circa autumnum.
An. 973. Adalbero circa Paſcha obiit.
Eo anno Ottone Magno Non. Maji mortuo, ſucceſſit.

OTTO SECUNDUS IMP.

Eod. anno Udalricus ætat. 83. ordinationis L. IV. Non. Jul. obiit.
An. 993. A Joanne XV. Pontif. in ſanctor. numerum relatus eſt.

VITA

Digitized by Google

VITA
S. UDALRICI,
AUGUSTANI EPISCOPI,

Auctore incerto, qui ei tum æqualis tum familiaris fuit. Ex codicibus membraneis duobus, chartaceo uno.

PROLOGUS IN VITAM SANCTI UDALRICI EPISCOPI.

AUres plurimorum cùm fama miraculorum Christi, quæ per servum suum sanctum Udalricum in honorem suæ sanctissimæ genitricis * Mariæ fieri concessit, frequentissimè pulsaret, & adhuc mentes eorum dubitatio occuparet, missis ad me legatis rerum veritates ex meis responsionibus cognoscere cupiebant, rogantes me, ut ea, quæ ego in veritate scire potuissem, lucidâ descriptione eis manifestarem. Cumq; interrogantium tanta pluritas me undique interrogationibus cinxisset, ut omnibus singulariter responsa scriptis dare me non posse æstimarem, cogitare tacitus cœpi intra memet ipsum, ut cum tacita experientia experiri studuissem originem ortus ejus, ut descripto ejus ortu, vitam subsequentem & obitum veraci relatu interrogantibus & legere volentibus omnibus in commune notum facere potuissem, non meis antecedentibus meritis confidens, nec sagacitati mentis meæ, sed in Dei misericordiâ omnipotentis sperans, qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud, ut per merita præfati episcopi irrigatione Spiritus sancti & divini ignis fervore sensum meum dirigere dignetur, ut id, quod ad excogitandum mihi inspiravit, ad perficiendum vires non subtrahat, nisi prædestinatâ animo idoneâ taxatione edere concedat, ut diligentibus Deum exempla ædificationis anteponant, & Dei præcepta spernentibus conversionis emolumentum, vel damnationis interminationem adaugeant. Ista pro certo in amore

* *Quæ scilicet princeps patrona Augustana diœcesis.*

Digitized by Google

amore Christi legentibus, auxilium Dei omnipotentis adesse confidimus, ut per servum suum sint in isto sæculo freti, & eo juvante fiant ad æterna gaudia perducti.

INTERPRETATIO NOMINIS UDALRICI.

OPortet inprimis, ne reticeamus tanti talisque viri Spiritu sancto juvante nominis interpretationem. Theuticâ itaque linguâ hæreditas à proavis derelicta Alt vodal dicitur, Ric divitias sonat, ideò non incongruè * Vodalricus à paternâ hæreditate dives interpretari potest, nam æterni Patris hæreditate ditatus floret, de quo Patre quotidie in oratione nostra dicimus, Pater noster, qui es in cœlis, & reliqua. Ad cujus hæreditatis sanctus Paulus possessionem in Dei voluntate perseverantes consolatur dicens, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, de quâ etiam hæreditate scriptum est, quod oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se; cujus compendio non solùm sibimet fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum consolationibus in hac peregrinatione vivens traxit, & nunc melius vivens, multimodis juvaminibus & continuis miraculis ad hanc introducet, sicut in sequentibus reperitur.

* *Alia aliorum etymologia sunt: Avent. in Nomenclat. Ulricus, Hyldericus, Chyldericus pro eodem nomine accipit, & Amorem regni, sive divitem amorus interpretatur.*

INCI-

INCIPIUNT CAPITULA.

PRimum Capitulum, De ortu S. Udalrici, & qualiter hebdomada XII. ablactatus est, & ubi ad scholam commendatus est, & quomodo Episcopatum accepit, & de visione Ramberti presbyteri.

II. De alia visione ejusdem Ramberti.

III. De visione ipsius Episcopi, quam ei sancta Afra manifestavit, & de obitu Heinrici Regis, & sublimatione Ottonis in regnum. Et de Adalberone Episcopi nepote. Et de consuetudine quotidiana Episcopi.

IV. Qualiter quadragesimæ tempus celebraret, & tempus indulgentiæ, diemq; Cœnæ Domini, & deinde usque ad finem paschalis hebdomadæ.

V. Qualiter inter loca sua pergere, & quid ibi facere consuetus esset.

VI. Qualiter pergeret, quando diœcesim suam visitavit.

VII. Quanta commoditate ecclesias noviter ædificatas benediceret.

VIII. Quomodo pro eleemosyna sua in pago Albegaviæ quibusdam paupertate afflictis hominibus ecclesiam longè in sylva sitam consecravit.

IX. De multiplici ejus admonitione. Et de ratione octo vitiorum, & de timore in die judicii, & de consolatione justorum.

X. Cum Luittolfus & patruus ejus Heinricus inter se discordiam habere cœperunt, quam firma fide cum Imperatore permansit, & quomodo in castello Mantachinga obsessus liberatus est.

XI. De vindicta, quæ super depræ datores Augustensis Civitatis venit.

XII. Qualiter S. Udalricus & Hardbertus Ottonem Regem & filium ejus pacificati sunt. Et de occisione Ungrorum.

XIII. De reversione Imperatoris ad Saxoniam, & de commendatione propinquorum, & admonitione ædificationis ecclesiæ sanctæ Afræ.

XIV. De Hortulano, qui sensum perdidit, & ab Episcopo liberatus est. Et de præparatione sepulturæ ejus. Et de itinere

ejus ad Romam, & qualiter caput ſancti Abundii acquiſivit, & poſtea monaſterium ſancti Galli viſitavit, Eberhardum ſolitarium ultimâ vice vidit.

XV. De itinere quod ad Burgundiam pro reliquiis ſanctorum peregit.

XVI. De oleo ab eo in die Cœnæ Domini ſanctificato, & quam cito ipſe cum eodem unctus ſanatus eſt.

XVII. Qualiter ſuper fluvium Vindicenſem ab eluvione elevatum, comiti ſuo humectato, ſiccis veſtimentis venit: & in Danubio de immerſione liberatus eſt.

XVIII. Quanta commoditate Tar fluvium tranſivit, cui valde periculoſo advenit.

XIX. Cum congregationem ſanctimonialium ad eccleſiam ſancti Stephani componere cœpiſſet, qualiter una earum infirmabatur & ſanabatur.

XX. De conſtructione eccleſiæ ſancti Joan. Baptiſtæ.

XXI. De itinere ejus ultimo ad Romam.

XXII. De reverſione Epiſcopi ad Auguſtam.

XXIII. Qualiter Epiſcopus ad ſynodum Ingilunheim cum Adalberone vocatus eſt.

XXIV. De obitu Adalberonis.

XXV. De legatione ad Imperatorem pro abbatia Uttenburâ.

XXVI. Quam formosè Epiſcopus obitum ſuum in Auguſtâ expectaret.

XXVII. Qualiter Epiſcopus die nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ ultimam miſſam celebraret.

XXVIII. Qualiter Heinricus Succeſſor ejus ad Epiſcopatum venit, & qualiter interiit.

CAPUT

Caput I.

De ortu ſancti Udalrici, & qualiter hebdomadâ duodecimâ ablactatus eſt: & ubi ad ſcholam commendatus eſt: & quomodo epiſcopatum accepit: & de viſione Ramberti presbyteri.

Beatæ igitur memoriæ S. Udalricus excelſa proſapia Alamannorum ex religioſis, & nobilibus parentibus ortus, patre ſcilicet *Hupaldo & matre * Thetpirga nuncupata: qui ſolito more lactatus, & ſummo ſtudio nutritus, quamvis ſtatura corpuſculi elegans, tali tamen macilentia confectus erat, ut nutritoribus verecundia eſſet, ſi aliquis ignotorum faciem ejus inſpexiſſet.

* *Al. Hucpaldo & Dietpirch. Pater Comes Kyburgenſis, mater Burchardi Suevia ducis filia. Ex geneal. Comitum de Kyb. mſ. Vide etiam ſtemma hujus familiæ apud Stumpf. lib. 5. c. 30. Videtur hic Burchardus primus, is ipſe, quem Hermannus Contractus An. 911. in conventu ſuo occiſum ait: Errant, qui confundunt cum Burchardo 2. occiſo in Italia an. 926. vel 927. ut eſt apud Contract. Regin. & Urſperg. Porrò S. Udalricus natus eſt an. 890. Sigeb. habet an. 893. qui cur eum in Bajoaria natum ſcripſerit, neſcio.*

Mirantibus verò patre & matre, quare tanta tenuitate & informitate corporis occuparetur, & ſæpe inde cogitantibus, hebdomada interim duodecima ejus nativitatis quidam ignotus clericus caſu adveniens, ſupplicabat, ut ab eis aliquantos dies in hoſpitium reciperetur: qui benignè ſuſceptus, & cum eis in atrio domus ſuæ hora refectionis ſedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem, ſciſcitabatur quis aut cujus eſſet, præ pudore verò maciei illis nolentibus indicare, dixit, ſi ſalvum illum eſſe cupiatis, celeriter ablactetur. Qui parvipendentes ejus locutionem, eum lacti non ſubduxerunt. Altera verò die iterum audiens eum dixit, quare non feciſtis ſecundum conſilium meum:

qui adhuc contemnentes ejus consilium non crediderunt ei. Tertia autem die audiens vagitum ejus infirmiorem quam antea, dicebat ad eos, pro incuria vestra perditioni traditur infantulus iste, pro certo sciatis, quia si uberibus non subtrahitur, in ista nocte morietur : si autem subtractus, salvabitur, in posterùm à Domino aliquid magnum in eo manifestabitur. Tunc demum ei obtemperantes aliis eum escis sustentare coeperunt : qui statim recreatus de die in diem proficiens, talem corpus formositatem accepit, ut ipsi sui parentes gratantes eum intuerentur & aliis ostenderent, qui laudantes Dominum die noctuque pro sospitate pueri, & pro eo, quod talem ad eos direxit hospitem, qui istius rei discretionem cognoscebat & illis innotescebat. De præteritis ergò futura credentes, tractaverunt ubi vitam religiosissimam & docendi studiosissimam invenire potuissent, acceptoque consilio commendaverunt eum ad S. Galli monasterium, quia ibi nobilium Dei servorum multitudo, & religiositas discendi docendique studium tunc temporis habebatur. Commendatus verò cuidam religioso viro grammaticæ artis edocto, Waning nuncupato, à quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis sui cordis inseruit, adeò ut paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere sentirent, & ob hoc eum in suæ fraternitatis consortium flagitando assumere conarentur. Horum itaque petitionibus sæpe commonitus, inducias respondendi postulavit. Tunc itaque ad quandam ibi commorantem inclusam * Wiberat nominatam consilium quærendo accessit : quæ respondens dixit ei, post triduum ad me veniens, si Deo placet, meum poteris animadvertere consilium.

* *Herman. Contracti edit. 916. Apud S. Gallum beata virgo Wiborada arctius est inclusa. Ergò etiam antea inclusa fuit, sed non tam arctè. Udalricus eam consuluit ante an. 916. imò ante an. 909. quod ex sequentibus certum fit. Trithem. de vir. illust. Ord. S. Benedict. lib. 3. cap. 224. Wiberadem nominat, ait claruisse an. 920. Ab Ungaris peremta est an. 925. Contract. Cœnobiolum ejus nomine conditum, cujus meminit Brusch. in descript. monast. Vindel.*

Inde illo recedente ipsa devotæ orationis studio Dominum flagitabat, ut statuto die certi veracisque consilii indicium sibi manifestare potuisset. Cumque ille responsum accepturus advenisset, dixit illi, ultra hæsitatio tuam non occupet mentem, quia istius cœnobii spiritualis Pater à Deo decretus ad regendum nullo modo constituêris : Sed in orientali parte ubi quidam * fluvius duas dividit regiones, in futurum Episcopali ministerio DEO militare debebis, & in eodem loco

* *Lycus Sueviam & Bavariam discriminat.*

loco multa talia perpeſſurus es laborioſa, qualia nunquam anteceſſores tui ſuſtinuerunt à paganis & malis Chriſtianis, quæ tamen omnia DEO juvante in ultimis decentiſſimè ſuperabis. Hæc audita ſecretiſſimis fratribus intimavit, & eorum ſuaſionem ſuavi colloquio mitigavit, totamque ſpem priſtinæ deſtinationis in ſua mente depoſuit, & ob hoc tamen diſcendi ſtudium non omiſit, ſed inibi cum omnibus charitativè verſabatur; donec congruo tempore duplici ſagina ſcientiæ ac religionis repletus, communi omnium oratione conſolatus, & fraternitatis amore fretus, parentes ſuos amativè dimiſſus reviſitavit. Qui tunc ſapienti capto conſilio, eum præſulis Auguſtenſis eccleſiæ * Adalberonis dominio ſubdiderunt, quem multa tunc temporis ſapientia repletum, muſicaque arte præ cæteris præditum, gubernaculaque regni pæne omnia cum * Rege diſponentem agnoverunt. Ipſe verò propter nobilitatem parentum, & bonam ejus indolem & formoſitatem, læto animo ſuſcipiens, miniſterium * camerarii ſibi commendavit. Quo ſuſcepto, & aliis ſecundum ſuam dignitatem beneficiis, ſicuti præcoquus erat in omnibus, proſperè agens de die in diem proficiebat. Interim verò libuit eum limina viſitare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Cumque illuc perveniſſet, à venerando Papa * Marino bene ſuſceptus eſt, & ab eo interrogatus, de qua provincia vel civitate eſſet nativus.

* *Electus A. 887. Regino A. 895. concilio Tribuenſi ſeptimo loco ſubſcripſit Cōc. tom. 4. Sedit ad an. usque 909. Contr.*

* *Rege Ludovico IV.*

* *Onuph. de Gocèo. eccleſ. obſcuru, Camerarium interpretatur, qui pecuniarum curã gerit, ego verò hic cubiculariũ intelligo.*

* *Hac Marino nondum Pontifice facta, iniit enim Pontificatum an. 942. Contigere hæc autem an. 909. quo Adalbero obiit, quaratione Sigeb. etiam conciliandus in Chron. an. 942.*

Qui reſpondens dixit: De provincia Alamannia, & de Civitate Auguſta oriundus ſum, verſorque in ſervitio Adalberonis ejusdem civitatis Epiſcopi. Ne turberis inquit animo ô * frater, ille, de quo mihi dixiſti, Senior tuus Adalbero migravit à ſæculo, & Deo jubente te ejusdem * matriculæ decet eſſe paſtorem. Eo quidem renuente, infit, cur recuſas deſtinationem Dei? Si nunc inconcuſſam & indeſolatam accipere & gubernare refragaris in tranquillitate, inante verò deſtructam & deprædatam in perturbatione accipies, & cum labore gubernabis & reædificabis. Altera verò die ſine licentia Papæ, propter triſtitiam defuncti Domini ſui, & ne ab eo plus * verbis conſtringeretur, exivit è Roma, Auguſtamque reviſitavit, & invenit ita, ſicut præfatus Papa prædixit. Tunc Hiltine Succeſſor Adalberonis effectus eſt, qui tamen tantæ non fuit celſitudinis, ut ſuo ſe vellet applicare ſervitio. Interim verò patre ejus defuncto, rediens ſuſcepit procurationem matris ſuæ, recordans præcepti Domini dicentis, honora patrem tuum & matrem &c. Tanta itaque eam

* *Marinus ſi Pontifex fuiſſet, S Udalricum tunc temporis filium, non fratrem appellaſſet.*

* *Eccleſiæ cathedralis.*

* *Hoc etiam indicio eſt, Marinum tunc temporis nondum fuiſſe Pontificem, Pontifex enim nō tam verbis, quam re potuiſſet cogere.*

diligentia & omnia ſua cuſtodivit ac diſpoſuit, prout ei vires à Domino conceſſæ ſuppetebant. Poſt xv. annos * defuncto Hiltine Epiſcopo, machinatione nepotis ſui, * Burchardi Ducis, & aliorum propinquorum ſuorum, * Heinrico Regi præſentatus, ejusq; ſublimitati nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſupplicatumq; eſt, ut præfato Domino Udalrico Epiſcopalis poteſtas ab eo concederetur. Rex verò intuens * herilitatem ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more in manus eum accepit, munereq; pontificatus honoravit. His verò ita peractis hilari animo de Rege revertentes, & ad Auguſtam pervenientes, ſecundum Regis edictum poteſtativa manu inveſtituram Epiſcopatus ſibi perfecerunt. Succedente verò tempore Nativitatis Domini, in die * ſolennitatis Innocentum conſuetudinario ritu ordinatio ejus peracta eſt. Inde verò proſpero reditu domum veniens, conſpiciensque muros eccleſiæ undiq; depoſitos, omniaq; ædificia nimis dilapſa, ſicut ſub priori antiſtite igne ſunt conſummata: nimia tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat, qualiter convenientiſſimè tam penitus deſtructa reædificare potuiſſet, quia maxima pars familiæ à paganis fuerat occiſa, & oppida exuſta & deprædata, pars autem familiæ, quæ remanſerat, in magno egeſtatis labore erat afflicta. Acquiſitis tamen architectis & multitudine congregata familiæ, cœpit ſagaciter diruta reſtaurare: ſatisq; ſenſibiliter ordinare, magnoq; animi fervore ſtudens, ut cœpta perficere non deſiſteret. Cum verò vir magnæ ſuavitatis inchoatum opus quamvis preſſa ſupellectile, divino tamen fretus adminiculo ardenter implevit: omniaque ipſius templi interiora omnigeno, quantum valuit, decoramine ornare contendit: Nec non etiam frequenter ſagaci oculorum acie intus & forinſecus poſitiones eccleſiæ cautè perluſtrans, parvitatem non lucidæ cryptæ vilitatemq; ſibi nimis diſplicere conqueſtus, ſeq; profeſſus eſt competentius decentiusq;, ſi Deus annuerit, poſiturum. Cumq; opus cœptum ſatis creſcere videretur, Ramberto cuidam fratri in ecſtaſi mentis videbatur, ſe, ſicut ſolebat, cum illo pſalmos decantare debuiſſe, & interim Adalberonem Epiſcopum in aquilonari parte cryptæ miſſatico apparatu veſtitum, ſibi apparentem annuentemq; ut ad ſe veniret, ſed ille ancipiti timore ſeptus viventis atq; defuncti Domini, cœpit oculis pavens in eum conſpicari: interrogatusq; ab eo, quare ſic oculis in me inflecteris? At ille reſpondens dixit: Ecce video ſeniorem meum Adalberonem epiſcopaliter paratum ad miſſam, meq; vocantem ad ſe. At ille, feſtina, inquit, juſſionem ſuam implere. Cui venienti ad ſe dixit ad eum, Ramberte dic Domino tuo Epiſcopo, mercedem à Domino accepturū pro orationibus & eleemoſynis, quas

* A. Ch. 923. Errat Bruſch qui Hiltinū 15. tantum menſes præfuiſſe ſcribit, tot enim an. præfuit, non tamen integros.

* Burchard. 2. Sueſia D. ob. p. 26. Cōtr. quo cognationis gradu S. Udalr. attigerit, nondum cognoſcere potui.

* Henrico Aucupi.

* Herrlichē Präſentz.

* An. nimirum 924. ineunte, inde eſt in Veteri Contr. edit. An. 924 S. Udalric. Auguſt. Epiſc. ordinatur. Corrigendus Urſperg. qui Udalricum Hiltino Anno 925. ſucceſſiſſe ſcripſit.

quas mihi fideliter transmisit, & hoc signum dicito illi, quod * Fortunatus & ego in proxima Cœna Domini Domino concedente cum illo chrisma sanctificabimus, & quod operatio hujus cryptæ est ruitura: ob hoc tamen non debet omittere, quin studeat in posterum stabiliter perpetrare.

* *Fortunati plures, hæc opinor de Fortunato Pictavienſi Epiſcopo accipienda, quem Auguſtæ aliquando fuiſſe ſcripſit Paulus Diac. lib. 2. cap. 9. ſive 13. Quod enim quidam neſcio quem Fortunatum Auguſtanum Epiſcopum prodidere, ex Epiſcoporum catalogis probari non poteſt.*

Fratres quoque recordari moneto, quod sine vi & sua sponte, sedula & assidua oratione pro me laborare spoponderunt, & quod sic non fecerunt, & si hoc emendaturi non fuerint, sciant se esse de hoc in conspectu Domini rationem reddituros. Et tu quotidie unum pro me psalmum cantabis, sine cautela, & hoc te emendare monebo. Ipse verò Episcopus interim Regiis occupatus obsequiis cursum direxit ad curtem, ibiq; apud aulicos digno honore diu retentus, tandemq; requisita salubri licentia domum repedavit, opusq; cujus effectum sese cernere speravit, totum penitus dilapsum reperit ac subversum, secundum prædictam rationem præfati Ramberti. Tum verò cautioribus fundamentis positis, stabiliter perfecit.

Caput II.

Item de visione ejusdem Ramberti.

ALia autem vice cum in oppido Waringa vocitato primo mane consuetudinario more psalmodiam cum eodem Ramberto studuisset explere, idem frater cœpit reflexis oculis timidè moveri. Interrogatusq; ab eo respondebat dicens, ecce video seniorẽ meum Adalberonem eodem modo, sicut antea eum vidi præcipientem mihi, ut illi ministrem ad missam. Qui statim surgens retractis foribus recessit de ecclesia, donec hæc visio finiretur. Aliam verò visionem, quam de multis fratribus in veritate dicentibus accidisse didicimus, oblivioni nos tradere non oportet. Quia cum religiosus vir die sancto paschæ ministerium sacramentorum studiosè perficere decertaret, multitudine clericorum adjuvante, & cuidam Heilrico presbytero cantore existente, apparuit dextera cum dexterâ Episcopi sacramenta sanctificans. Expleta verò missa, ille præfatus Heilricus sequens eum in cubiculum suum cecidit ad pedes ejus, & incautius quam debuisset in præsentia laicorum hanc visionem explanavit. Cui ille respondens dixit: Utilius tibi fuisset, ista reticere quam loqui. De hac verò responsione stupefactus recessit ab eo, & in * scena, quæ ante cubiculum ejus est sita, consedit, & statim oculi ejus

* *Porticu, lauben.*

ejus magna nimietate cœperunt lacrumas effundere, & in ea effusione permanserunt, usque dum in totum præsenti lumine privati sunt.

Caput III.

De visione sancti Episcopi. Et de obitu regis. Et de Adalberone, & consuetudine suæ servitutis.

ALio tempore in nocte antecedente diem sanctum Cœnæ Domini quasi in somnis audivit vocem sibi loquentem, Udalrice Episcope, scias te hodie hospites esse susceptorum. Et expergefactus à voce, qui essent illi hospites cœpit tractare. Cum autem dormiret, loquentis sibi verba audivit, Orationes tuas & eleemosynas tuas oculi Domini conspexere, & ideò binis * antecessoribus tuis Fortunato & Adalberoni es commendatus, ut tibi hodie & posthinc in istis sacris sollennitatibus sacra mysteria celebranti assistant, & ea tecum benedicant.

* *Hoc verbum largo modo sumendum videtur, cum nullus Fortunati nomine in Augustanorum Episcoporum catalogo extet; cæterum Pictaviensis ille Episcopus CCCC. circiter annis ante S. Udalricum vixit.*

Mane autem facto aliis, sicut mos est, peractis ministeriis, circumstantibus ministrorum ordinibus, cum sacramenta consecraret, ipse & quidam de circumstantibus devotiores viderunt dexteram Domini cum eo sacramenta consecrare, & signum crucis imponere, quibus, quia per spiritum eos sciebat, cum viaticum ab eo accepturi accederent, digitum ori superposuit, ut de visione tacerent, quibus etiam postea ad se vocatis, quæ ei in nocte dicta sunt, secreto nunciavit, & præcepit, ut eo vivente neque visa neq; ab eo secretè audita alicui manifestarent, si præsentem adhuc vitam habere voluissent.

Majoris etiam visionis sibimet ipsi manifestata miracula sub silentio recondendum bonum esse non æstimo. Quia quadam nocte, cum corpus lectulo ad dormiendum collocasset, vidit sanctam Afram in magna formositate, pulchra tunica indutam atque succinctam, stantem ante ipsum dicentemque sibi, Surge & sequere me. Et hæc dicens eduxit eum in campum, qui vulgò dicitur Lechfeld. Ibi enim sanctum Petrum principem Apostolorum invenit cum multitudine magna Episcoporum & aliorum sanctorum, & eorum, quos ille ante non videbat, & tum nutu Dei cognoscebat bene, synodale colloquium cum eis facientem, & magna & innumerabilia disponentem, * Arnolfumq; Ducem Bavariorum adhuc viventem, de destructione multorum monasteriorum, quæ in beneficia laicorum divisit, de multis sanctis accusatum legaliter judicantem, & enses duos valdè * heri-

* *Otto Frisi. lib. 6. c. 18. simile illi elogium tribuit: Hic est Arnolf. qui ecclesias & monasteria Bajoariæ crudeliter destruxit, ac possessiones earum militibus distribuit.*

les,

* Herrlich.

Digitized by Goog

les, unum cum capulo & alterum sine capulo sibi ostendentem, & sic loquentem, Dic regi Hainrico, ille ensis, qui est sine capulo, significat regem, qui sine ** benedictione pontificali regnum tenebit, capulatus autem, qui benedictione divina regni tenebit gubernacula.

** *Frising. lib. 6. cap. 18. & Gebhardus Episc. in vita S. Udalric. ense sine capulo Arnolfum ducem significatum existimant, Ditmarus lib. 1. Henricum ipsum Aucupem, quod est utiq; verius, is enim Episcopalem unctionis benedictionem accipere neglexit. Hanc etiam explicat. secutus est Siffrid. Presbyt. epitom. lib. 1.*

Finita itaque synodo præfata, Dei martyr monstravit illi loca castrorum, ubi postea Otto Rex adhuc manens regalem locutionem cum populis diversarum provinciarum habuit, ubi Rex Perengarius de Longobardia & filius ejus Adalbertus cum multis Episcopis se præsentaverunt & suo Domino * subdiderunt. Indicavitque ei venturam supergressionem Ungarorum, & loca belli, & quamvis laboriosè, tamen victoriam Christianis concessam esse nunciavit. Hac visione peracta, reductum eum in lectulo collocatum dimisit. Ipse verò ad se reversus cogitabat, reverenter in recordationem suam ducens illud illustris verbisatoris rapti ad secreta tertii cœli dicentis, sive in corpore, sive extra corpus, & reliqua. Hæc verò visio ab eo paucis prudentibus ac sibi familiaribus manifestata est. Postea autem curtem regis adiens solito more servitio ejus subdebatur, usque dum Rex Heinricus præsentem vitam * finiret. Ottoni itaque filio ejus in Regnum sublimato, eandem quam patri sedulitatem servitii & fidei firmitatem in cunctis impertiri studebat. Tunc verò temporis habebat Episcopus Udalricus filium sororis suæ Luitgardæ bonæ indolis, Adalberonem nomine, cuidam doctissimo Magistro Benedicto Monacho, ad erudiendum scientiam grammaticæ artis & aliorum librorum commendatum. Cumque ille ab eo in omnibus profectibus bonæ scientiæ & disciplinæ doctus atque educatus in virile robur devenisset, statim de schola exemptus, ab avunculo suo Episcopo Imperatori præsentatus, & in manus ejus misericordiæ commendatus, regali servitio tam studiosè atque decēter insistebat, usq; dum Imperatori ejus ministerium in ecclesiasticis & sæcularibus bene placuisset. De hac pro certo sedulitate ejus servitii quotidiani concessum est ejus avunculo sancto Udalrico Episcopo, ut præfatus Adalbero in ejus vice itinera hostilia cum militia Episcopali in voluntatem Imperatoris perageret, & in curte Imperatoris ejus vice assiduitate servitii moraretur, ea videlicet caussa, ut præfato præsuli Dei servitio,

* *Berengarium Rex una cum filio se Ottoni Augusta dedidit an. 951. Contract. Witich. Ditmar. & alii.*

* *An. 936.*

tio, & cuſtodiæ gregis commendati, & utilitatibus eccleſiæ, & orationibus, & eleemoſynis ſecundum ſuum deſiderium immorari licuiſſet. Ille verò quantum ſæcularibus curis ſe abſolutiorem eſſe perſenſit, tantum ſe ipſum in Dei voluntate facere nitebatur obligatiorem: Curſus ſcilicet quotidianus cum * matricularii in choro ejusdem matriculæ ab eo cautè obſervabatur, quandocumq; ei domi manendum aliæ occupationes conſenſerunt. Inſuper autem unum curſum in honore ſanctæ Mariæ genetricis Dei, & alterum de ſancta Cruce, tertium de omnibus ſanctis, & alios pſalmos plurimos, tumq; pſalterium omni die explere ſolitus erat, niſi ſi eum impediret aliqua inevitabilis neceſſitas. Miſſas autem ** tres vel duas aut unam, ſecundum ſpatium temporis, cantare quotidiè non deſiit, ſi infirmitas corporis aut aliquod ſtudium bonum ei non ſubtraxit.

* *Matriculari clerici matricu eccleſia.*

** *Liberum olim erat ſacerdotibus, quot vellent una die miſſas celebrare, quod ex Valafrido colligas c. 21. & fortaſſis ex D. Leonis etiam ep. 79. ad Dioſcor. c. 2. Concil. verò Salegunſtad. cui Bruno epiſc. Auguſt. interfuit an. 1023. conſtituit cap. 5. ne quis trium numerum excederet, Alex. 2. Pont. qui obiit an. 1073. cap. Sufficit, de conſecr. D. 1. ad unam revocavit. Etſi adhuc quoque aliquot caſus, quibus duas celebrare licet, excepti.*

Multis temporibus carne abſtinuit, ſed tamen aliis cum eo manducantibus abundanter donavit. In quotidianis refectionibus quando cum ſuis ad menſam ſedebat, prima appoſitio panum atque ciborum, ex maxima parte per aliquem clericum, cui hæc commendata ſunt, pauperibus dividebatur: exceptis his mancis atque debilibus, qui in grabatulis & in lectulis & in ſcamellis ambulantes, & in ſperulatis lectulis, quotidianum victum in ejus præſentia acceperunt de optimis eſcis & potibus. Aliorum * autem nemo qui in ſua præſentia, ſive notus fuiſſet, ſive ignotus, cibum ſumpſerunt, eſuriens aut ſitiens recedebat, niſi aliquando incuria aut tenacia miniſtrorum contigiſſet contra Epiſcopi voluntatem. Hoſpites autem cum ad eum deveniſſent, tripudio & tanta hilaritate vultus & animi ſuſcepti ſunt & in omnibus procurati, veluti eis optimè conveniebat, ſciens in eis Chriſtum ſe ſuſcepiſſe, illo dicente, hoſpes fui & ſuſcepiſtis me. * Vaſalli autem Imperatoris ab eo pergentes, vel ad eum redeuntes, ſummo honore ſuſcepti & in tantum ſunt opulentati, ut in nullo eos aut jumenta eorum ulla indigentia fatigaret, acceptisq; ſecum ſtipendiis itineris eorum neceſſariis, læti ab eo redirent. Monachos autem atque clericos & ſanctimoniales eum viſitantes more filiorum amavit, & ſpiritualibus eos atque corporalibus eſcis abundanter recreavit, & cum illo manere conceſſit, quamdiu eorum voluntati complacuit, & congruo tempore in omnibus hilaratos ire dimiſit. Clericos autem ſuos ex familia, vel libe-

* *etiam.*

* *Al. laſſio habet, Vaſalli autem ejus in propria ab eo.*

liberos mediocres vel nobiliores, ſumma diligentia nutrire & docere præcepit, & quoſcumque inter eos honore dignos cognovit, miniſteriis & congruis beneficiis ditiores fecit. Laici autem ſuæ dominationi ſubjecti, ſemper cum eo omni honore & lætitia commorabantur, nullam deceptionis fraudem ab illo fieri timentes, ſed firmiter credentes atque certe ſcientes, quidquid eis promiſerat, hoc Domino annuente compendiosè perfecerat. De familia autem ei commiſſa quicumque ante eum venerat ſe exclamando injuſtè eſſe oppreſſum vel exſpoliatum, aut aliquo modo injuriatum de Domino proprio, cui in beneficium conceſſus erat, ſive de conſervo ejus, vel de alio aliquo, ad rationem ejus cautè auſcultavit, & ubi cognovit injuſtè contra eum factum fuiſſe, firmiter confeſtim præcepit, ut iniquitas ei facta citò emendaretur, & non omiſit, donec perficeretur. Legitimum verò jus totius familiæ, quo pro anteceſſoribus ſuis utebatur, firmiter eam tenere conceſſit, & nullius poteſtatis hominem ſub ſuo regimine degentem hoc ei tollere permiſit; & non niſi rectum cenſum de omnibus locis aliquem ſuorum miniſtrorum ab ea exigere non conſenſit. Otio inani nullo tempore animum ſuum ſubjacere patiebatur, niſi aliquid utilitatis excogitaret, aut perpetraret, ſive de eccleſia, quam undique dilapſam invenit, vel de ejus ornatu, vel de paraturis altarium & clericorum, & de diſciplina canonicorum & de ſchola, & de ſuſtentatione & ſalvatione familiæ, & qualiter civitatem, quam ineptis valliculis & lignis putridis circumdatam invenit, muris cingere valuiſſet, quia in his temporibus Ungarorum ſævitia in iſtis provinciis more dæmoniorum graſſabatur. Hæc verò omnia cum exterius ſuorum fidelium conſultu pertractaret, æſtu tamen interius divini amoris ſuccenſus, vigiliis & orationibus & jejuniis & eleemoſynis Deo ſe ſociare ſtudioſiſſimè feſtinabat, ſemper cuti ſuæ laneum apponens veſtimentum, & regulam ſequens monachorum. Poſt completorium nunquam propter ullius hominis petitionem eſcam vel potum, delectationi corporis ſuæ conſentiens ſumpſit. In mollitia plumatii non dormivit, ſed * pſiathio & ſago aut tapetiis ſuppoſitis requievit. In nocte primum ſonante ſigno ſurrexit, & prædictos curſus maxima cautela complevit.

* Vel ☉ ſtorea teges, utitur pſiathii vocabulo Caſſian. de caſtrimarg. c. 35.

CAPUT IV.

Qualiter quadrageſimæ tempus celebraret, & tempus indulgentiæ, diemq; Cœnæ Domini, & deinde uſque ad finem Paſchalis hebdomadæ.

TEmpus verò quadrageſimæ quanta devotione celebraret, ſermo mihi non ſufficit ad narrandum, ſed tamen ea, quæ vidimus, non decet nobis in totum omittere. Matutinis namque laudi-

laudibus expletis, aurora diei prima illucescente aliis orationibus expletis psallere psalterium cœpit, quo expleto & letania expleta, aliis orationibus firmiter insistebat, usque dum signum ad vigilias defunctorum sonaret, quo audito statim surrexit, & cum fratribus vigiliam celebravit & primam: prima verò expleta fratribus solito more crucem portantibus, ipse remanens in ecclesia codiculum breviatum ex psalmis cum aliis orationibus interim decantavit, usque dum fratres cum cruce redirent, & missam sacrificationis celebrare cœpissent, ipse primum devotè Deo sacrificium offerens, manum sacerdotis humiliter osculans. Expleta verò missa, tertiam cum fratribus explevit, fratribus verò ad capitulum pergentibus, ipse solito more in ecclesia remansit, donec signum ad sextam sonaret. Sexta autem hora expleta altaria circuibat cum venia, cantans Miserere mei Deus, & de profundis, tunc demum ad cubiculum rediit ad lavandam faciem suam & ad missam se præparandum. Missarum autem celebrationibus expletis & vesperis decantatis, ad hospitiolum pauperum pervenit, & XII. pauperum pedes lavit, & unicuique eorum de urceolo pretium unius denarii donavit. Inde rediens ad mensam pransurus consedit, ibi lectio non defuit, nec prædictorum pauperum multitudo copiosa: appositacum gaudio sumpsit, & cum eo manentibus maxima hilaritate distribuit, recordans illud Apostoli, Hilarem enim datorem diligit Deus. Unicuique enim præbebat, quod eum libentissimè sumere æstimabat. Cibo verò consumpto, & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore completorium recitavit, insuper aliis orationibus peractis secreta cubiculi cum silentio repetivit, & omne colloquium, nisi cum Deo & sanctis ejus, usque ad alterius diei primam peractam omninò devitavit. Hoc modo dies quadragesimæ explevit, usque in diem indulgentiæ, quem dicunt Pascha Palmarum, eo die mane diluculo ad sanctam * Afram veniebat, si in præterita nocte ibi non manebat, missam de sancta Trinitate cantabat, & ramos palmarum diversarumque frondium benedicebat, evangelioque & crucibus & ** fanonibus, & cum effigie sedentis Domini super asinum, cum clericis & multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem ejusdem diei compositis, & cum magno decore pergebat, usque ad collem, qui dicitur Perleich, ibique obviam ei veniebat chorus canonicorum cum pulchritudine magna & cum civibus, qui in civitate remanserant, & qui de oppidis circumjacentibus ipsis se jungere voluerunt, ibi ad imitandum humilitatem puerorum, cæterorumque populorum, ramis palmarum & vestimentis suis viam sternentium. Iis expletis vir sanctus congruentissimam admo-

* Ecclesia S. Afræ ea, quæ nunc vulgò S. Udalrici, canobium SS. Udalrici & Afræ dicitur, urbe tunc non comprehendebatur.

** Fanones vexilla.

admonitionem de passione Domini ad omnes fecit, eousq; sæpe, ut ille fleret, fletuque suo multos flere feciſſet. Admonitione peracta omnes simul Deum laudantes ad ecclesiam matriculam pervenerunt, ibique missam cum eo celebraverunt, & inde omnes in sua redierunt. Postea autem his tribus diebus contiguis synodale colloquium habere consuevit, eo quod * canones bis in anno Episcoporum concilia fieri præcipiunt, unum xv. K. Octobr. & aliud quarta hebdomada post pascha, hoc in isto tempore perficere decrevit, ne in antea ei aliquod obstaculum illud perficiendum impedimentum faceret, & ut in Cœna Domini cum eadem multitudine clericorum & populi plenius & honorificentius chrisma & oleum sanctificaretur. Eo verò die hora tertia omnes clerici sollenniſſimis paraturis induti venerunt in ecclesiam, & ipse suo more glorioſiſſimè ad Dei servitium paratus, cum eis sacrum mysterium agere devotiſſimè cœpit, perlectoq; Evangelio, & admonitione facta ad populum, & confessione populi accepta, indulgentiam humilimè eis fecit, & tota synodo oblationem offerente secundum ordinem, cautisſimè implevit usq; ad benedictionem chrismatis & olei, hoc fecit magna reverentia sibi apportari, cum crucibus & cum pueris portantibus sub palliolo occultatis, & cereis, cum versibus ad hoc ministerium compositis formoſiſſimè decantatis, & cum processione xii. presbyterorum, qui cum eo usq; in finem missæ in suo ministerio perseverare debuerunt. Rite autem sibi allato, humilimè susceptit, & totam synodum rogavit, ut quando ille crucem benedicendo super illud faceret, & ipsi cum eisdem presbyteris qui in processione erant & sibi assistebant, benedicere non desisterent, cæterumq; populum Pater noster cum magna humilitate decantare rogavit. Quo benedicto, & populo sacro viatico recreato, vesperaq; expleta, ad sacrarium venit chrisma & oleum clericis dispensandum. His dispensatis, ad hospitium pauperum venit, & eis solito more ministravit. Inde autem in ecclesiam ambulavit, & ante sacrarium venit, ibiq; à camerario allatis vestibus novis, xii. pauperes vestivit, & acervulũ aceoli aliis dispensavit, & eo die nullum ab eo vacuum abire dimisit, quamvis eorum multitudo magna adesset. Postea ad cibum venit, cibatisq; omnibus cum eo manentibus, exemplo Domini pedes discipulorum suorum lavare cœpit. Lavationeq; cum antiphonis congruentibus & versibus & lectionibus decentiſſimè peracta, pocula optima in suis cellariis recondita cum magna charitate & humilitate sufficienter porrexit, & completorio expleto, membra in Dei servitio fatigata quieti lectuli commendavit. Die autẽ parasceve horis secundum ordinem cautè expletis, omissis aliis cursibus sicuti in Cœna Domini, nisi ad eundem diem pertinentibus, mane diluculo

* *Distinct. 18. c. 4. Primum post tertiam hebdomadam Paschæ, ut in quarta compleatur: Secundum idibus Octobru. apparet itaq; hic 15 K. Octob. scriptũ pro 15. die Oct. quam phrasim etiam aliàs in scriptoribus parum latinus est observare.*

psalterium explere festinavit, & sacro Dei ministerio perpetrato, populoque sacro Christi corpore saginato, & consuetudinario more quod remanserat sepulto, iterum inter ecclesias ambulando psalterium explevit decantando, & vespertina hora sine mensa atque mensalibus in cubiculo suo pane & cervisia se recreare cœpit, & unicuiq; qui secum erant panem & cervisiam juxta eorum voluntatem exhibere præcepit. Sanctissimo autem sabbati die expletis nocturnis officiis, & amando psalterio perlecto, præparatum sibi balneum intravit, quo nunquam uti solebat eo tempore, nisi in sabbato ante quadragesimam, & in media quadragesima, & eo die. Lavatione autem corporis peracta, & præparatione vestimentorum induta, ad sacrum officium sollenniter se præparavit, & totum clerum hora diei nona cum eo paratum esse destinavit, statimq; perlecta trina letania, cereoque sanctificato, lectionibusq; & tractis consummatis, cum quina letania & cum omni honore ad baptismum consecrandum ad ecclesiam sancti Joannis Baptistæ perrexit, baptizatisque ibi ab eo tribus pueris cum septena letania regressus est in sacrarium ad missam se præparandum, clero interim psallente in choro. Missarum verò solenniis sollenniter cum vespera peractis, corporeque Christi dispensato, & sacris vestibus depositis, eo die mensa apposita ad refectionem cum magna multitudine consedit, & omnibus abundanter refectis cum gaudio ad mansiunculas redire permisit. Desiderantissimo atque sanctissimo Paschali die adveniente, post primam intravit ecclesiam sancti * Ambrosii, ubi die parasceve corpus Christi superposito lapide collocavit, ibique cum paucis clericis missam de sancta Trinitate explevit: expleta autem missa clerum interim congregatum in * scena juxta eandem ecclesiam sitam sollennissimis vestibus indutum antecessit, secum portato corpore Christi & Evangelio & cereis & incenso, & cum congrua salutatione versuum à pueris decantata per atrium perrexit ad ecclesiam sancti Joannis Baptistæ, ibiq; tertiam decantavit, indeq; cum antiphonis ad honorem hujus diei congruentissimè compositis, ad * tuomum formosissima processione, binis & binis secundum ordinem simul ambulantibus missam celebraturus pervenerat; missa itaque devotissimè religiosissimeque decantata, cunctisq; sacramenta Christi accipientibus & in sua revertentibus, ille ad cibum accessit, ibi mensas tres omni decore præparatas invenit, unam cui ille cum quibus volebat adsedere solebat, & aliam * matriculis, * tertiam congregationi sanctæ Afræ. Sanctificato itaque cibo, carnes agni & particulas lardi inter missarum sollennia benedicti omnibus dispensavit, & tunc demũ cibum cum eis omni gaudio sumpsit. Tempore enim statuto symphoniaci venerunt, quorum

* *Hujus ecclesiæ memoria quod sciam alia nulla superest, videtur fuisse prope cathedralem.*
* *Porticu.*

* *Superscriptum erat, ad summũ, Germanicum scilicet cathedralis ecclesia nomẽ respexit,* thuom.

* *Hoc est Clero ecclesiæ cathedralis.*
* *Clerici regulares id temporis ecclesiam S. Afræ, quæ nunc S. Udalrici est, obtinebant.*

rum tam copiosa multitudo fuit, ut pæne intercapedinem aulæ secundum ordinem stando implevissent, & tres modos symphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, canonici præcipiente Episcopo charitatem accipientes & rogantes, unum responsorium de resurrectione Domini interim decantaverunt. Et hac charitate expleta, ad alteram mensam congregatio sanctæ Afræ similiter fecit. Appropinquante verò vespera, ille sibi & secum sedentibus lætanter pocula porrigere præcepit, & tertiam charitatem omnes charitativè bibere rogavit, acceptaque ea charitate, tertium responsorium omnis clerus simul cum lætitia decantavit. Quo decantato, hymnum decantando canonici surrexerunt, ut aptè præparati ad vesperam devenire potuissent. Vespera autem peracta, Episcopus cum hospitibus & militibus ad suam ædem omnes exhilarandos revertebatur. Mane verò, quod est die lunæ, clerus totus ad sanctam Afram congregabatur, ut Episcopum venientem formosissimis paraturis indutus honorificè susceptisset, quia ejus consuetudo erat, ut eo die ibi sacrarum solenniis missarum Deo militaret, & post peracta sacrarum missarum sollennia multitudinem populi illuc congregati, sacro chrismate confirmaret: Et his ita peractis ad civitatem rediit, & ibi totam paschalem hebdomadam devotissimè celebravit.

Caput V.

Qualiter per loca sua pergere consuetus esset.

Finita paschali sollennitate, cũ alicujus rei necessitas poposcisset, ut ad alia loca vel ad monasteria pertinentia ad Episcopatum legitimè pergere debuisset, * Vuhtinwanc, Staphense, Fauces, Wissinteſteiga, Hewibach, quæ nunquam in beneficium laicorum concessit, nisi de exterioribus locis ad eadem monasteria pertinentibus alicui de isto pago, in quo monasterium situm est, concessisset, ut ibi advocatum monasterii habere potuisset, ut ecclesiasticæ ab eo res defenderentur, sed ad suam potestatem optima quæque detinuit, ea videlicet caussa, ut facultatetm ea visitandi & ibi manendi, & quæ necessaria erant corrigendi in stipendiis habuisset. Sedebat itaque in solio super carpentum composito de humerulis plaustri in ferro pendente, & cum eo unus clericus de capellanis ejus, qui cum eo totos dies psalmos decantasset. Non ideò quando inprimis tali modo pergere cœpit, * nisi adhuc caballicare potuisset, sed ut à populis sequestraretur, ne à cantatione psalmorum eorum colloquiis ineptis impediretur. Comitari verò semper cum illo aliquos suos presbyteros prudentissimos, & de capellanis tantum, ut quotidie servitium Dei decorè perficere potuisset, præcepit. Similiter

* *Al. Staphen.e, Wissinteſteigia, Hewibach, Fauces, Suichwanc, vel Fuichwanc. Al. Staphenſe, Vuiſinteſſbeia, Hewibach, Fauces, Suichwanc.*

* *Niſi pro quod non.*

& de vasallis suis semper secum aliquos sapientissimos habere voluit, si ei aliquod negocium de ecclesiasticis rebus vel sæcularibus ad tractandum deveniſſet, ut eorum consilio cautè tractare & regere semper paratus esset. Fuerunt etiam electi de familia semper, qui trahentibus bubus ductores fuissent, & eum ante & retro ad dexteram & ad lævam cautè observassent, quibus ille quotidie tantam annonæ copiam per se ipsum & per ministros ejus dari fecit in præsentia ejus, ut triplici numero virorum sufficere potuisset. Amantissimus quoq; comitatus pauperum semper cum eo inter sua loca ibat, qui virtutem caballicandi habebant, in cautissimis ambulatoribus pergebant, alii autem his vehiculis, in quibus soliti erant pergere, cum carpentis episcopalia * ministeria portantibus perrexerunt, quorum * verò mansiunculas & totas procurationes ipse per aliquem suorum fidelium quotidiè cautè disposuit. Nunquam verò in aliquo prædictorum monasteriorum otiosus manebat, nisi in ædificiis ecclesiæ, vel claustrorum, vel aliorum ædificiorum, vel murorum antea præparatis & collectis supellectilibus laborasset: vitam verò in eodem monasterio Deo militantium monachorum sive canonicorum & stipendia eorum omninò regere & componere studuit, & jus familiæ dissolvere omnimodò non concessit. Dona etiam sancti Spiritus tradere, ubi necessitas fuit, cum confirmatione chrismatis non omisit.

* Abundat.

CAPUT VI.

Qualiter diœcesim visitavit.

GRatum autem & necessarium iter populis, cum * quarto anno secundum constitutionem canonum ministerium suum adimplendum, causſa regendi & prædicandi atque confirmandi diœcesim sibi commissam visitare decrevisset, eodem modo, sicut superius diximus, in solio carpenti superpositò sedebat, psalmosq; solito more decantabat, eunuchum illum imitans, qui legens Esaiam Prophetam super currum suum sedens per viam pergebat, cui præcipiente Spiritu sancto Philippus adjunctus est, qui ab eo prædicatus & baptisatus fidem sanctæ Trinitatis accepit, æstimans pro certo quantum se colloquiis humanis subtraxisset, ut tantum se divinis propinquiorem facere potuisset. Ad loca autem illa cum perveniſſet, ubi concilia sua denunciata fuerant, cum Evangelio & aqua benedicta & sonantibus campanis & tanta honorificentia susceptus est, quantum illis, qui ibi congregati sunt, virtus suppetebat. Statim verò missâ celebratâ in concilio confidens populum ante se vocari fecit, prudentioresq; & veraciores sacramento interrogare præcepit, quæ in illa parochia emendatione digna fuissent, & contra jura Christianitatis perpetrata peccata, ut ei veraci relatu nota. fierent

* Fort. quoque, pro unoquoque, Canones enim diœceses annuè ab Episcopis visitari volunt. 10. q. 1 c. 9. & 10. Capitula etiam Caroli M. & Ludov. Fil. consentiunt lib. 7. cap. 360.

fierent facta. Ut autem ab eis aliqua normam rectitudinis supergredientia cognita audivit, sine perceptione personarum, secundum judicium clericorum ad tramitem rectitudinis, quantum omnipotente DEO juvante potuit, retrahere festinavit, & malè pullulata furcula vitiorum falcastro verbi DEI studiosissimè resecare, ne virgulta malorum germinum segetem Christi sibi commissam suffocare licentiam habuissent, & morbis vitiorum aptissima fomenta emendationum opposuit, sed tamen secundum Verbum Dei dicentis, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Ea verò quæ difficilia & insuperabilia ministris suis esse ab eis comperit, in præsentia sui omnium cum eo manentium adjutorio, percauta directione finiri contendit. Quæ autem ab eis sine obtrectatione aliorum in statum rectitudinis converti persensit, eorum regimini perficiendum firmiter commendavit. Ille autem sequens regulam sui ministerii, Spiritus sancti donum populo ad hoc illuc congregato, sacræ unctionis confirmationem studuit imponere. Si autem his adhuc imperfectis nox solito more subrepens advenit, ne aliqua pars ovium sibi commissarum detrimento privationis cœlestis doni gravaretur, incensis luminaribus in Nomine Domini cœpta perficere decertavit. Interdum autem cum de refragatoribus justitiæ tanta contentio excrevisset, ut decedente die tenebræ noctis funderentur in mundo, ne pro eo concilia inibi ventilata remanerent incorrecta, luminibus incensis regulas Canonicas legere præcepit, ut seris justitiæ ora refragatorum opilarentur, & justis judiciis omnia in Dei voluntate consummarentur. Cum autem completo concilio vel confirmatione ad mansiunculas rediit, corpus reficiendum non prius prandium gustavit, quam pauperibus eleemosynæ ab eo clerico, cui illa obedientia erat commendata, erogabantur. Debilibus autem cum eo advenientibus in sua præsentia collocatis, abundantem refectionem apponi præcepit. In quibusdam autem diebus capitula cum clericis habere disposuit in his locis, ubi hæc aptissimè fieri archipresbyteri putaverunt, & ubi eum ab aliis mundanis conciliis absolutiorem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbyteros & decanos, & optimos quos inter eos invenire potuit, cautè interrogavit, qualiter quotidianum Dei servitium ab eis impleretur, & qualiter illis populus subjectus ex eis regeretur in studio prædicandi docendiq;, quantaq; cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur & ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturis traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes & debiles recrearentur, viduis & orphanis in universis necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospi-

tibus & advenis Christo ministrarent : Si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent, si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas caussa edendi vel bibendi ingrederentur, si turpes jocos in usu haberent, si ebrietates & commessationes supra modum amarent, si rixis & contentionibus & æmulationibus deservirent, si nuptiis sæcularibus interessent, vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent, si per Calendas more antecessorum suorum ad loca statuta convenirent, ibiq; solitas orationes explerent, suasq; ecclesias ad tempus revisèrent, si obedientiam eorum magistris præbuissent, & in toto suo ministerio devoti & apti manere studuissent. Responsione autem de interrogatis facta, & ratione veritatis percepta, stantibus in rectitudine dulcissimæ consolationis gratia gratificavit, & ut deinceps à normula justitiæ ne deviarent suavi colloquio admonuit, errones autem per devia incedentes fratres, dignis terruit correptionibus, & ut postea consueta vitia omitterent, præcepit.

Caput VII.

De confirmatione Ecclesiarum.

HOrum autem, qui in suo episcopatu proprietates habebant, quisquis religiosorum propter amorem Christi ecclesiam componere cupiebat, & cum concessa licentia ab eodem sancto Episcopo eam ædificaverat, consecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitavit, aptissimè unius cujusque petitioni præbuit assensum, si confestim ille consecratæ ecclesiæ legitimam dotem in terris & mancipiis in manum ejus celsitudinis dare non differret, in conspectu civium suorum & testium veridicorum, ne postea gestæ rei veritas offuscaretur, ea etiam ratione, ut aliis circumjacentibus ecclesiis jura earum in nullis rebus propter illam novam minuerentur. Consecrationeque peracta, doteque contradita, comprobato illic presbytero altaris procurationem commendavit, & ecclesiæ advocationem firmiter legitimo heredi * panno impositio commendavit. Alicujus oblationem muneris non exposcebat, nisi presbyter ejusdem ecclesiæ aliquid propter honorem suum, & bonam voluntatem suam sponte eum accipere impetraret.

* *Observa ritum tradendæ advocationis ecclesiæ.*

Caput VIII.

Qualiter in Albegovve ecclesiam consecravit.*

* *Vulgò Algoja Algem.*

JESU verò quodam tempore præceptis obediendo, cum in pago Albegowe nominatum ministerii sui officium implere decrevisset, venerunt quidam homines de eodem pago ad eum lamen-

lamentando dicentes, Patres noſtri in ſua proprietate, quam nobis reliquêre, de lapidibus & cæmento & lignis ædiculam conſtruxerunt, quam DEO & ſanctis ejus dedicari voluerunt, & ut ipſi ibi ſacrorum officiorum celebrationem audire meruiſſent, quia locus iſte in magna vaſtitate eremi eſt ſitus, ſed propter difficultatem viæ & pauperiem ſubſtantiæ eorum, nunquam Epiſcopum ad conſecrandam præfatam ædiculam introducere potuerunt. His auditis Dei Servus hilari vultu dicebat, poteſtis nunc ad tempus, quæ conſecrationi eccleſiæ ſunt neceſſaria, acquirere? Qui amicorum conſolationibus freti reſponderunt, poſſumus. Quibus ille infit, Cautum mihi viæ ductorem dimittendo antecedite, & quæ ſunt ordinanda ordinate, ecce veſtræ ſubvenienendum neceſſitati illic perveniam, & DEO juvante eccleſiam conſecrabo. Die verò altera conſecratione peracta, cives ipſi ſecundum ſuam facultatem munera offerentes ante eum veniebant, quæ videns ſubridens dicebat, non propter amorem alicujus muneris, ſed ut veſtræ neceſſitati conſulerem, & ſervitium Dei in hoc loco multiplicaretur, huc veni, hæc nobis oblata veſtræ utilitati ſervantes & in DEI ſervitio creſcentes, manete in pace. Hæc dicens receſſit, & de ſcrupulo viæ nullam niſi quaſi lætando querimoniam fecit.

CAPUT IX.

De multiplici ejus admonitione; & de ratione octo vitiorum, & de timore in die judicii, & de conſolatione juſtorum.

HIS verò bonorum operum ſtudiis inſiſtens, omnes apud eum commanentes exhortatione benigniſſima ſpiritualiter recreavit, docens non ſolùm in verbis, ſed etiam in operationibus, ut uniusquisq; Dominum ex omnibus viribus perfectè diligeret, & ejus amori nihil præferret, & proximum tanquam ſeipſum, patrem & matrem honoraret, inſuper omnes bonæ voluntatis homines, de quibus angelica canit multitudo dicens: Et in terra Pax hominibus bonæ voluntatis; malignis autem in omnibus eorum malis actibus reſiſtere ſecundum ſanctum prophetam David dicentem, ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat. Quod quisque ſibi noluiſſet, alteri non faceret, eccleſias Dei cum devotione mentis & humilitate, & cum oblationibus crebrò viſitaret, ibiq; cum effuſione lacrymarum & pro remiſſione peccatorum ſuorum, & pro omnibus juſtis ſuis neceſſitatibus DEUM flagitare ſatageret, inimicis inſuper indulgentiam poſtulare monebat, ſecundum orationem dominicam dicentem: Dimitte nobis

debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ſecundum Evangelium, ſic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris, & iterum, dimittite & dimittemini. Decimas omnium laborum ſuorum Domino & ſanctis ejus, eccleſiisq; quibus ſunt terminatæ, ne reatum Cain fratricidæ inciderent, cum magna cautela præſentare feſtinarent, dominicas etiam dies & cæteras ſolemnitates in anno, non ſolùm in abſtinentia ſervilium operum, ſed & omnium vitiorum devotiſſimè venerari monuit; Euchariſtiam quemque aſſidue accipere, atque ante acceptionem purgatum ſe exhibere, & poſt acceptionem mundum ſe cuſtodire certaret. Dies quadrageſimæ cæteraque jejunia antiquitus conſtituta, & noviter cum conſenſu inventa, omni monuit devotione ab omnibus cuſtodiri, abnegationem ſui facere & Chriſti veſtigia ſequi, corpus caſtigare, delitias non amare, eſurientes & ſitientes eſcis & poculis recreare, nudis veſtimenta præbere, infirmos & in anguſtiis conſtitutos viſitare, egenis & vagis manſiunculas concedere, & quæ ſunt neceſſaria propter amorem Chriſti præbere, pupillos & viduas in tribulationibus viſitare, atque in cunctis eorum neceſſitatibus ſubvenire, malitias in corde non retinere, & verbis aliquem ad iracundiam non provocare, iram deponere, vindictamque Domino concedere, nulli malum pro malo reddere, nec aliqua læſione exacerbare, maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere, & perſequutionem pro juſtitia ſuſtinere, diſcordantes & inimicitias inter ſe habentes ad unanimitatis concordiam revocare, Deo reſiſtentibus reſiſtere, & ſibi cum fide militantibus juvamina præbere, nullo octo vitiorum principalium, quæ omne genus hominum infeſtant, ſcandalo laqueari. Quærentibus autem, quæ eſſent octo vitia principalia, reſpondit non ſolùm illis, ſed & his, qui adhuc in hæſitatione manent, quæ ſint octo vitia, dicens: * Primum eſt gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluvies, cum ſua prole commeſſatione & ebrietate: Secundum eſt fornicatio, cum ſua prole turpiloquio, ſcurrilitate, ludicris, quæ etiam ſunt ſtultiloquia: Tertium eſt philargyria, hoc eſt, avaritia ſive amor pecuniæ cum ſua prole, mendacio, fraudatione, furto, perjurio, turpis lucri appetitu, falſo teſtimonio, violentia, inhumanitate, voracitate ac rapacitate: Quartum ira cum ſua prole, homicidio, clamore & indignatione: Quintum triſtitia cum ſua prole, rancore, puſillanimitate, amaritudine, deſperatione: Sextum accidia cum ſua prole, otioſitate, ſomnolentia, importunitate, inquietudine, pervagatione, inſtabilitate mentis & corporis, verboſitate & curioſitate: Septimum cenodoxia, hoc eſt, vana gloria cum ſua prole, contentione, hæreſi, jactantia ac præſumptione novitatum: Octavum ſuperbia cum ſua prole, contem-

* *Hæc principalium vitiorum diviſio etiam Caſſiano & quibusdam aliis placuit.*

contemptu, invidia, inobedientia, blaſphemia, murmuratione, detractione, inimicitia. Beatum verò dicebat, qui in iſtis vitiorum pedicis non offendebat. Octo verò notiſſimas beatitudines à Deo in Evangelio enumeratas, auribus cordis cautè percipere, & intimis cogitationibus firmiter inſerere, ut in tempore tentationis malignis ſpiritibus eas evellere virtus non concedatur, ſed unusquiſque ad ſpem cœleſtium deſideriorum eorum conſolationibus ſublevetur, agno verò omnipotentis Dei Chriſto tollenti crimina mundi ſemper die noctuque multiplices laudes & gratias totis deſideriis & omnibus viribus referre, quia dignus eſt ſua incarnatione & nativitate, & baptiſmo, & crucifixione, & ſepultura, & reſurrectione, & aſcenſione ſolvere ſignacula ſeptem libri ſignati, in viſione ſancto Joanni Apoſtolo in Pathmos inſula oſtenſi. Intentè autem & ſubnixè omnium in commune benevolentiam poſtulavit: Si qui eſſent, qui in ſemet ipſis ſegetem aliquarum virtutum excreviſſe ſentirent, non ſuis meritis, ſed omnipotentis Dei miſericordiæ applicarent, ne ſubitò jactantiæ grandine in eis necaretur, ſed tempeſtiva maturitate, protegente Spiritu ſancto, in horreis Chriſti collocaretur. Os à malo vel pravo eloquio cuſtodire, lectiones ſanctas libenter audire, mala ſua præterita cum gemitu & lacrymis quotidie in oratione Deo confiteri & deinceps emendare, deſideria carnis non perficere, voluntatem propriam frangere, ſacerdotum præceptis obedire, etiamſi ipſi, quod abſit, aliter agant, eos imitantes, de quibus Dominus dicit: Dicunt enim, & non faciunt. Caſtitatem amare monuit, nullum odire, invidiam & zelum non habere, contentiones non colere, elationem odire, venerari ſeniores, diligere juniores, timorem Domini in corde & animo ſine intermiſſione habere, credere oculos Domini omnia vidère, & aures ejus omnia audire, pſalmiſta dicente: Ecce oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Diem verò obitus ſui & diem extremi judicii, in quo dicturus eſt Dominus his, qui eum recreare & veſtire & viſitare in ſuis pauperibus quotidie feſtinant, qui ab auditione mala non timebunt, illud: Venite benedicti Patris mei, &c. Illis autem hæc negligentibus, & Deo in ſuis membris non miniſtrantibus: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus, ante oculos ſemper ſuſpectam & timidam habere, & pœnas maledictis præparatas oculis mentis ſæpiſſimè intueri, & locum peſſimum, qui ſemper eſt ſine refrigerio, & ſine ſplendore, & ſine dulcedine, & erit ſine fine, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, ubi fletus & ſtridor dentium ſine intermiſſione ſemper auditur, ubi urens flamma machinationibus diaboli ſemper renovabitur,

bitur, ubi consolationis spes omninò non habetur, sed de hora in horam tristitia augetur, quia finem manendi invenire non possunt, sed cum his, quibus in hoc sæculo ministravere, in angustiis sine fine perseverant. Dei autem benedictis & in ejus dextera collocatis quanta gaudia atque tripudia maneant, semper, quantum humanis mentibus possibile est, cogitare oportet, de quibus scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, ubi hymnidici angelorum chori inenarrabili claritate fulgebunt, ubi celsitudo patriarcharum digno honore remunerata gaudebit, ubi verax prophetarum ordo, prophetiis suis in toto expletis, Deo gratias agere non cessat, ubi judex Apostolorum chorus accepta ante promissa mercede perenniter exultabit, ubi martyres palma martyrii eorum coronati, consolatione perfruuntur æterna, ubi confessores præmiis suis multiplicatis in Dei laudibus perseverant, ubi virgines centesimi fructus retributione abundant, & viduæ sexagesimi fructus restitutione honorantur, ubi monachi ex resignatione sæcularium omnium, cum esurientibus justitiam Dei expletis eorum desideriis satiati, Dei laudibus insistere non cessabunt, ubi pœnitentes depositis delictorum suorum oneribus sine fine Deum laudantes congaudent, ubi pueri agnum in albis sequentes sub throno Angelis concordantes Deum laudare cantando non cessant, ubi glorioſissima virgo Dei genitrix Maria, super choros Angelorum exaltata, inæstimabili claritate & formositate omnes hilarans conspicitur, ubi justi sicut sol fulgebunt, & omnes sancti creatorem suum & omnium creaturarum, in sua claritate facie ad faciem gaudendo videbunt, ab eis auferentem omnem metum & omnem mœrorem & tristitiam atque omnem adversitatem. In illo regno lux solis & lunæ & stellarum non est necessaria, fames & sitis nulli nocebunt, frigus vel æstus nullum fatigabunt, infirmitas & dolor nulli adveniunt, venturæ senectutis miseria non timetur, sed sicut in die judicii corpora mortuorum in mensura ætatis plenitudinis Christi resurgent, in ea possibilitate & pulchritudine permanebunt. Nuptiæ ibi non celebrabuntur, & progenies hominum postea non multiplicabitur, sed completus numerus justorum non minuitur, sed sine fine in gaudio servabitur, insidias diaboli ultra non timet, indulgentia peccatorum ultra non indigebit, sicut Angeli in primæ conditionis possibilitate permanebunt, sic & homines post resurrectionem æquales angelis, in sobrietate & in commutabilitate perseverant in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus ædificata, quæ dicitur XII. lapidibus pretiosis esse ornata atque fundata, quorum nomina & ordinem sanctus Joannes Apostolus & Evangelista in Apocalypsi enumerat, ubi jaspidem in primo fundamento

Digitized by Google

fundamento positum dicit, quem dicunt omnia phantasmata fugare, in quo fidei viriditas designatur: Sapphirum in secundo, qui spem cœlestis beatitudinis designat: Calcedonem in tertio, qui flammam internæ charitatis figurat: in quarto smaragdum, qui ejusdem fidei fortem inter adversa confessionem figurat: in quinto sardonichum, sanctorum inter virtutes humilitatem significantem: in sexto sardium, in quo sanctorum martyrum cruor exprimitur: in septimo chrysolitum, in quo spiritualis inter miracula prædicatio figuratur: in octavo beryllum, in quo prædicantium perfecta operatio significatur: in nono topazion, in quo eorundem ardens contemplatio monstratur: in decimo chrysopasum, qui beatorum martyrum opus pariter & præmium significat: in undecimo hyacinthum, qui cœlestem ad alta sublevationem, & propter humilem ad humana descensionem figurat: in duodecimo amethystum, qui cœlestis semper regni in humilium animo memoriam designat. Hæc positio XII. lapidum figurat firmitatem Apostolorum, qui in fundamento ecclesiæ sunt positi, sicut Salvator mundi beato dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Hæc dicendo ad Petrum omnibus notum fecit Apostolis, quod super eos esset ecclesia sua ædificanda, quorum sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum. Si Apostoli fundamentum domus Dei sunt, & omnis Christianitas ædificatio ejusdem templi manere debet dicente Apostolo: Templum Domini sanctum est, quod estis vos, & Dei ædificatio estis, & reliqua, studeamus omnes totis viribus nos ædificatori & inhabitatori conjungere, ut doctoribus nostris in fundamentum positis, eo donante superædificari mereamur, ut inter electos lapides positi, & præfatis ordinibus juncti videamur, ut creatorem & redemptorem nostrum judicem vivorum & mortuorum facie ad faciem videntes, cum eis laudare mereamur per infinita sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT X.

Qualiter inter Luitolfum & Heinricum discordia oritur.

LOngè lateque cum fama ejus bonitatis dilataretur, & diabolus eum in hoc culmine virtutum stantem videret, omnigenis malitiæ suæ astutiis nitebatur in aliquam difficultatis voraginem immergere, & ab inceptis bonis impedire. His verò temporibus Luitolfus filius Ottonis glorioſi regis * Dux erat Alamannorum, cui pater ejus antea gentes omnes regionum suæ ditioni subjectarum sacramento post finem vitæ suæ subjugaverat: Patruus autem ejusdem Luitolfi Heinricus frater regis, Dux existit

* *Ducatum adeptus matrimonio Idæ Hermanni Sveborum Ducis filiæ unicæ Luitp. Tit. Vict. Witichind.*

* Abundat.

* Cauſſas diſſenſionis habet Witichind.

ſtit Noricorum, qui * verò inter ſe propter confinia regionum ex ſuaſione malignorum hominum * rixas & contentiones exercere cœperunt. Cumque eos Rex nullatenus ad concordiam & pacem revocare potuiſſet, objecit ſe filio, & in adjutorium fratris convertitur. Cum autem filius ejus cum univerſis, quos congregare potuerat, ei reſiſtere niteretur, atque extorrem regalis potentiæ agere moliretur, Heinricus præfatus dux, commendata civitate Ratiſpona, totaq; regione Noricorum * Arnolfo Palatino comiti, & cæteris inſuper ſuis fidelibus, perrexit ad Regem. Moram autem illo ibi faciente, præfatus * Arnolfus cum multitudine populi fraudulenter Ratiſponam cum cæteris urbibus, & cum frequentia populorum, & cum omnibus, quibus potuit, Luitolfi poteſtate ſubegit. Quibus compertis Rex cum fratre ſuo Heinrico Bajoariam hoſtiliter invaſit, ad reſtituendum eum in honorem prioris poteſtatis. Præfatus autem antiſtes Udalricus, cujus fidelitatis firma ſtabilitas nunquam ab adjutorio Regis ſeparata eſt, hæc comperiens, dimiſſa parte in Auguſta civitate vaſallorum ſuorum, cæterisq; rebus collocatis, cum quibus potuit, omiſſo vehiculo carpenti, equitando in ſervitium Regis in regionem Noricorum ſagaciter venit, * carmulaque prolongata, poſſibilitatem redeundi aptè non potuit habere. Arnolfus autem prædictus interim accepta multitudine * Auguſtam adiit, & deſpoliavit rebus omnibus, quas ſecum abducere potuit, comprehenſosq; quosdam milites Epiſcopi ſecum Bajoariam revexit. Rex autem cum de regione Bajoariorum revertiſſet, & Epiſcopus in ſua redire voluiſſet, non confidebat ſe in Auguſta civitate poſſe cum multitudine parva defendere, quia totum pæne epiſcopatum in beneficium extraneorum dividebatur à Luitolfo & ſequacibus ejus, milites autem Epiſcopi quidam comprehenſi, quidam verò ſollicitatione iniqua diviſi ab eo, quidam deprædationibus in pauperiem deducti, ita ut ei ſecundum ſuam voluntatem in adjutorio eſſe non potuiſſent. Hi autem, qui cum illo remanſerunt, ſuis colloquiis roborati ſalubre conſilium inierunt, ut relicta Auguſta civitate caſtellum quod dicitur * Menchingen ædificare, & ab adverſariis eorum ibi ſe defendere ſtuduiſſent. Tum verò una tantummodo nocte in Auguſta civitate manebat incluſus, altera die ſtatim perrexit ad prædictum caſtellum, quod erat in toto interius exteriusque ſine ædificiis deſertum. Quamvis certè hyems dura fuiſſet, tamen in illo loco in tabernaculis & in tugurii feſtinanter compoſitis, expectavere, donec congregata familia caſtellum ligno circumcinxere, & intus ſecundum poſſibilitatem eorum ædificia apta compoſuere. Arnolfus itaque, & omnes qui cum eo erant, regiæ poteſtati undique contradicentes, hæc comperientes legationes miſerunt, ſi

* Filius Arnolfi ducis Bavariæ, Arnoldum ſocat Reg. An. 953.

* Hæc copioſi exequitur Witichind. lib. 3.

* Auguſtani annales urbem A. 953. captam produnt.

* Menchingen.

ſoſpita-

ſoſpitatem ſui ſuorumque habere voluiſſet, poteſtati Luitolfi ſe ſine dubio ſubdere non diſtuliſſet, & ut prædictum caſtellum cum ſuis componere deſeruiſſet; quia eo tempore in tota regione Suevorum nullus in Regis adjutorio remanebat, niſi Adalpertus comes cum ſibi ſubditis, & * Theodpaldus frater religioſi Epiſcopi, & ideo æſtimabant, ut eorum decreto virtutem reſiſtendi nullo modo adquirere potuiſſet. Qui ſapienti cum ſuis utens conſilio, diverſis promiſſionibus & humillimis reſponſionibus, & interdum obſidibus datis iterumque receptis ad ſe, eorum iras & obſidiones omnimodo mitigavit, donec ædificato caſtello vallibusque renovatis, in munitione ejusdem loci ab eorum cum ſuis ſævitia ſe poſſe defendere æſtimaret. Cum verò induciæ rationibus reſpondendi ultra prolongari non potuiſſent, tunc manifeſtè confeſſus eſt, ſe, ſicut cœpit, in voluntate Regis velle perdurare. Tunc præfatus Arnolfus filius Arnolfi ducis, congregata multitudine eorum infauſtorum, qui antea Auguſtam civitatem deprædati ſunt, & aliorum, in quorum tunc confidebat adjutorium, voluit obſeſſo caſtello venerandum Epiſcopum vi coactum cum ſuis ditioni ſubdere Luitolfi. Hac re comperta, Epiſcopus econtra legatis miſſis, multa pecunia promiſſa, flagitabat, ut revertentibus eis illi licuiſſet in pace ſubſiſtere, ſin autem pace contradicta redire noluiſſent, præcepit eisdem legatis ſuos parochianos banno Chriſtianitatis conſtringere, ne loca ſanctæ Mariæ in ſuo epiſcopatu ſita ullo modo invadere præſumerent. Qui verò pecunia contradicta bannoque Chriſtianitatis poſtpoſito, male incepta omittere noluerunt, ſed ad internecionem eorum ea * Dominica, in qua mos eſt clericorum ante quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad ſanctum tempus Paſchæ devitare, hoſtiliter invaſerunt prædium ſanctæ Mariæ, & Epiſcopum obſiderunt. Qui verò die noctuque in Dei ſervitio ſtudiosè permanens, timore abjecto in Deum confidens, obſeſſiones eorum pro nihilo ducens, in prædeſtinatione inita firmiter perſeveraverat. Hæc verò obſeſſio ut comperta fuiſſet * Adalperto comiti & Theodpaldo fratri Epiſcopi, congregata phalange populi, prima die quadrageſimalis temporis, quod eſt dies lunæ, mane diluculo caſtra inimicorum invaſerunt. Sed illi hæc antea poſſe fieri non putantes, imparati ad bellum inventi ſunt, & repentino timore perculſi, relictis ſpoliis fuga inimicos evadere ſtuduerunt. Illi autem eos ſequentes, Hermannum fratrem Arnolfi apprehenderunt, quosdam in caſtris ceciderunt, quosdam verò ulterius ſubſequentes interfecerunt. Maxima autem parte eorum interfecta cæterisque fugatis, nullus eorum ad ſe defendendum fiduciam accepit, niſi unus nomine Egilolfus, fugiendo bra-

* Al. Dietpaldus.

* Vulgò quinquageſima.

* Genealog. Kyburg Albertum vocat, alterum fratrem S. Udalrici, quod neſcio quam verũ ſit, ex hoc ſanè loco id non eſt colligere.

chio * Adalperti comitis modicum vulnus infecit, de quo etiam vulnere mortuus est : vulnerator etiam ejus statim occisus est ab Luitperto, vasallo ejusdem Adalperti. Pauciſſimi autem eorum ictibus contusi ac diversis modis vulnerati, periculum tamen mortis equis eorum eos asportantibus, eo die vix evaserunt, quidam verò eorum gelu miserabiliter astringente, nudi in desperatione vitæ proprias mansiunculas repetierunt. Corpus verò Adalperti in Dei voluntate occisi, reverendus Episcopus ad Augustam civitatem vexit, & animam honorificè Deo commendans, in ecclesia sanctæ Mariæ sepelivit. Nullus * enim eorum, qui antea sibi spolia Augustæ civitatis in contrarietatem sanctæ Dei genitricis Mariæ vendicaverunt, impunitus evasit, nisi qui se suis propriis rebus cum indulgentia reverendi Episcopi redimere non distulerunt.

* Contra-tus à Piſt. editus habet an. 953 Adalbertus comes occidi tur.

* Enim pro autem.

Caput XI.

De His, qui Augustam prædati sunt.

MAnus proprias unus ex his lacerando, vicinis suis in veritate dicentibus, perdito sensu spiritum exhalavit. Alius autem cum ablato de Augusta civitate libro caballum sibi bene placentem comparavit, & secum adduxit in domum suam, uxoriqúe suæ monstravit & dixit : Melius mihi placet istum formosum caballum habere, quam librum, cum quo hunc comparavi, in Augusta relinquere : Cujus verbis respondit uxor ejus dicens : Utile tibi forte fuisset, si manus tua hunc librum injustè non tetigisset, interim verò ille levigando manu in posteriora tangebat caballum, & statim ab eo percussus mortuus est. Novis & improvisis his cladibus, & aliis multis formidolosis rebus in reis peractis à multitudine populi compertis, timor magnus invasit eos, qui se esse reos cognoverunt de prædicta prædatione Augustæ civitatis, non solùm in eos, qui illuc pervenerunt, sed & qui aliquid de injustè adquisitis ab eis acceperunt, & ideò ad pœnitentiam & lamentationem conversi, digna emendatione & restitutione abstractarum rerum, & cum efflagitatione indulgentiæ Episcopi, studuerunt se cum Christo & cum sancta Maria Matre ejus pacificare. Non post multum verò temporis præfatus Arnolfus, qui se præsumpsit res sanctæ Mariæ hostiliter invadere, & incorrigibilis sine pœnitentia perduravit, obsessa Ratispona civitate paratus ad prælium exivit, & statim in articulo tumultus * occisus est. Quidam etiam homo de episcopatu qui dicitur * Eihstetten, partem vilissimi mensalis inde ad suam proprietatem portavit, & statim à dæmonio occupatus, nullum abscondendi locum ab eo invenire potuit, neque in ecclesia neque extra ecclesiam, neque aspersus aqua benedicta, quin

* Witich. lib. 3.

* Al Eichstetten.

quin juxta eum ſemper videretur manere, donec Auguſtam regrediens, injuſtè inde rapta reportavit, & Epiſcopum cum ſcopis ei flagella imponere pro Chriſti nomine poſtulavit, & inſuper indulgentiam præfati delicti condonare, ſicq; liberatus à dæmonio ſalvatus receſſit.

CAPUT XII.

*Qualiter * ſanctus vir & Hartbertus Ottonem & filium ejus pacificarunt. Et de occiſione * Ungrorum.*

* Contracti enim edit. ſic quoq; habet, Ottonē & Luitolfum à ſanctis Epiſcopis reconciliatos.

NE diu me ab incepta taxatione ſubtraham, libet ſtylum retrahere ab enumeratione ex utraque parte obſeſſarum urbium & bellorum undiq; furentium, & viciſſitudine * ſtromatum diverſorum, ſed potius quomodo Dominus omnipotens per merita ſervorum ſuorum, ſuum dignaretur populum liberare, libet recenſere, ne diaboli machinationibus ad ſuum perveniret exitium. Cum Rex Otto in Alamannia, propter eos, qui cum Luitolfo filio ejus ditioni ſuæ regalis poteſtatis contradicere voluerunt, cum exercitu converſaretur juxta flumen, quod Hilara vocatur, in campo oppidi, quod dicitur * Tuſſa, & ibi ſæpedictus filius ejus Luitolfus cum alio exercitu obvius ad pugnandum contra eum deveniret, & cum tanta vicinitate conjuncti eſſent, ut nulla ambiguitatis ſpe detenti manerent in utrarumq; partium multitudine, ni bellum ab eis committeretur, tunc amabilis Deo Udalricus Epiſcopus in Deum tota fiducia confidens, aſſumpto Curienſis eccleſiæ * Hartberto religioſo Epiſcopo, legationes inter eos facere cœpit, & ad pacis concordiam exorare, & ne populus, qui à Deo illis commendatus eſt ad regendum, pro eorum reatu duceretur ad perditionem. Deo autem annuente duræ amborum mentes, patris ſcilicet Ottonis & filii ejus Luitolfi, de proficua admonitione & doctrina venerandorum Epiſcoporum in mollitiam verſæ, * pactum pacis inter ſe placitaverunt, & turbine belli mitigato, in ſua cum pace redierunt.

* Al. Ungarorum * pro ſtrategematum.

* Tuſſen cis Hilarā prope Dietenheim / quod ultra eſt.

* Hardoberto Bruſch. de Epiſc. imiis an. 948. ſedit an. 21.

* *Pax conciliata an. 954. Mar. Scot. & Regino 953. Contract. edit. n. Marianus diem conciliatæ pacis 16. K. Jan. notavit. Cæterum hæc paulò aliter videntur narrare Witich. & Dietmar. Luitolfum ſcilicet Reginoburgi pacem obtinuiſſe; ſed ex Witich. colligas eas inducias potius quam pacem fuiſſe, & omninò multa, quæ ad hiſtoriam illius temporis pertinent, intercidere.*

Tantis autem tunc præfatis tumultuum fatigationibus ſuperatis, æſtimaverunt ſe aliquod ſpatium temporis in pace poſſe quieſcere. Altero pro certo ſtatim anno, quod eſt anno incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti * DCCCCLV. * tanta multitudo Ungrorum erupit, quantam tunc temporis viventium hominum nemo ſe antea vidiſſe in ulla regione profitebatur, &

* In hunc An. 955 cōſentiunt ferè omnes hiſtorici, ſed Sigebert habet 957. Marian. 956.

* *Regino. Ut non niſi terra eos debiſceret, vel cælum eos obrueret, ab aliquo ſe vinci poſſe dicerent.*

* Bavariam intellegit.

* Noricorum regionem à Danubio flumine usque ad nigram sylvam, quæ pertinet ad montana, simul devastando occupavit, & eum Licum transcenderet, & Alemanniam occuparet, ecclesiam sanctæ Afræ concremavit, & totam provinciam à Danubio usq; ad sylvam deprædavit, & maximam partem usq; ad Hilaram fluuium igne combussit, Augustam autem civitatem obsedit, quæ

*Humilibus

tunc * imis sine turribus circumdata muris, firma ex semetipsa non fuit. Sanctus autem antistes magnam valde multitudinem optimorum militum secum intra septa civitatis collocatam habebat, ex quorum agilitate & audacia civitas fortiter firmata Deo juvante consistebat: qui ut exercitium Ungrorum ad expugnandam civitatem circumdare viderunt, eis obviam exire voluerunt, sed hoc Episcopus eis non consentiens, portam, ubi maximus aditus intrandi manebat, firmiter occludere præcepit.

* Porta quã Jacobaam dicimus.

* Porta autem orientalis plagæ, unde itur ad aquam, sic à densitate Ungrorum bello occupata est, ut ipsi æstimarent, se statim posse intrare, milites enim Episcopi ante portam viriliter pugnãtes eis resistebant, usque dum * unus Ungrorum, qui cæteros pugnando antecedebat, & ex cujus ductu & antecessione maximam præliandi in illa hora confidentiam habebant, occisus occubuit, cæteri denique cum eum terra tenus mortuum cadere viderunt, magno clamore & lamentatione eum rapientes ad castra reversi sunt. Hora verò belli Episcopus super caballum suum sedens stola indutus, non clypeo aut lorica aut galea munitus, jaculis & lapidibus undiq; circa eum discurrentibus intactus & illæsus subsistebat. Bello verò finito regrediens circuivit civitatem, & domos belli in circuitu civitatis congruenter ponere, & in tota nocte eas ædificare, & vallos, quantum tempus suppetebat, renovare præcepit. Ille autem totum spatium noctis in oratione pernoctans, religiosas mulieres in civitate congregatas concitabat, ut una pars earum cum crucibus ad Dominum devotè clamando intra circumirent, & altera pars clementiam sanctæ Dei genitricis Mariæ pro defensione populi, & pro liberatione civitatis, studiosissimè pavimento prostrata flagitaret. Ipse autem minimam particulam noctis ante matutinam horam corpus requiei soporis indulsit, ut matutinis laudibus expletis, aurora primum irrumpente salutaris sacrificii hostiam Deo libare licuisset. Ministerio sacro peracto, viatico sacro omnes recreavit, humiliq́ue admonitione persuasit, ut in fide recta persistentes, spem suam in Dominum componere non dubitarent, indicens eis omnigenam sponsionem consolationis, & annuncians psalmigraphi David verba dicentis: Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Salutari autem admonitione Episcopi peracta, cum jubar radiantis solis

* Veteri fama proditũ, textores Augustanos egregiam hoc bello operã navasse. primario Ungarorum regulo occiso (hic ipse videri possit) cujus clypei insigne luteo & rubro colore distinctum, Otto illis virtutis testimonium concesserit.

primum

primum latitudinem telluris irradiaret, exercitus Ungrorum inenarrabili pluralitate ex omni parte ad expugnandam civitatem circumcinxit, diversa ferens instrumenta ad depositionem murorum. Cumque undique parati essent ad bellum, & cuncta propugnacula civitatis repugnantium plena fuissent, quidam Ungrorum flagellis alios minantes ad pugnandum coëgerunt, & illi tantam multitudinem in propugnaculis resistentium eis videntes, muris se conjungere adeò perterriti non audebant. Interim cum interius exteriusq; parati essent ad bellum, Perchtolfus filius Arnolfi de castello * Risinespurch vocitato, venit ad regem Ungrorum, adnuncians ei adventum Ottonis glorioſi Regis. Qui ut hoc audivit, suum classicum omni exercitui notum clangere præcepit, de cujus sonitu exercitus totus pugnam civitatis omisit; & ad colloquium eorum Regis se conjungere festinavit, qui cum eis autumatione facta Deo donante à pugna civitatis cessabat, & in occursum glorioſi Regis ire cœpit, ea ratione, ut illo cum suis superato, victor rediens civitatem & totum regnum liberè habere potuisset. Regi Ottoni venienti Dietpaldus comes frater Episcopi, cum * cæteris, qui in civitate erant, nocte exiens in occursum venit. Rexigitur cum tantum exercitum Ungrorum perspexisset, æstimavit, non posse ab hominibus superari, ni DEUS omnipotens eos occidere dignaretur, in cujus adjutorium confidens, suorumque consolationibus principum roboratus, * bellum viriliter cum eis agere cœpit, & cum mutua cæde utrobique cecidissent, & his interfectis, qui ad occisionem à Deo prædestinati erant, glorioſa victoria Ottoni Regi à Deo, cui nihil impossibile est, data est, ita ut exercitus Ungrorum in fugam versus virtutem præliandi ultra non haberet, & quamvis incredibilis numerus illorum occisus fuisset, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, ut hi, qui de propugnaculis Augustæ civitatis eos venire conspexerunt, non pugna lacessitos eos redire æstimaverant, donec prætereuntes civitatem ulteriora Lici fluminis littora festinando repetere cognoverunt.

Al. Risinespurch.

** Inter quos fortasse S. Udalricum quoq;, nam Dietm. Ottonem ante pugnam sacram communionem ab egregio præsule Othalrico confessore suo sumpsisse scribit.*

** Hoc prælium in S. Laurentii festum incidit. Vide cum alios illorum temporum historicos, tum præcipuè Witich & Dietmar. Regino scripsit, nunquam ante apud nostrates talem victoriam auditam. Incredibile est, quod Frising. tradidit, ex omnium hostium num. 7. tantum effugisse; Viterb. unum etiam demit, sex enim tantùm barbaros superfuisse scripsit.*

Rex autem cum suis eos sequens, & quibus se conjungere potuit occidens, vespertina hora diei ad Augustam pervenit, ibique cum Episcopo illam noctem ducens, eique magnam consolationis relevationem faciens, de Dietpaldo fratre ejus, qui in bello occisus est, & de aliis ejus propinquis ibidem interfectis,

*In Genea. Kyburg. eſt Richbbinus.

* Rihgwinum filium Dietpaldi comitatibus patris honoravit, Epiſcopiq; fido adjutorio, in quibuscunque ejus deſiderium cognovit, dignam mercedem reſtituit. Mane autem facto fugitivas barbarorum acies ſequendo, regionem * Bajoariarum revi-

*Al. Baſa-riorum.

ſit, feſtinisque legatis miſſis, tota remigia & vada fluminum obſervare præcepit ad occiſionem eorum, quod & ita factum eſt. Illi autem nocte illuc venientes, quidam eorum ab his, qui in navibus erant fluminibus immerſi ſunt, quidam occiſi ſunt, qui autem ad littus pervenerunt, ab his qui littora obſervabant, interfecti ſunt, nulla eis via, & nullum devium ab eis inveniri potuit, quin in omni loco vindicta Domini ſuper eos manifeſtè maneret, ita etiam, ut non poſt multos dies * reges eorum & principes comprehenſi & ad Ratiſponam perducti, in ignominiam gentis eorum cum aliis multis eorum comprovincialibus, eculeo ſuſpenderunt.

* *Tres Ungarorum duces juſſu Henrici Bavariæ ducis ſuſpenſos habet Witich. Reges eorum in patibulis Ratiſponæ ſuſpenſos, eſt in edit. n. Contracti. Regulos appellat Sigeb.*

CAPUT XIII.

De reverſione regis ad Saxoniam, & de ædificatione eccleſiæ ſanctæ Afræ.

REx autem * Otto potentiam in Deo tenens, Heinricum fratrem ſuum poteſtativa manu in regnum confirmavit, & ipſe in Saxoniam victor, ſicut ſolebat, revertebatur.

* *Otto Henricum fratrem ante pugnam Ungaricam in Bavariæ ducatum reſtituit: poſt victoriam autem in Saxoniam abiit. Witich. Atque Henricus eodem anno 955. obiit, Regino, Contract.*

Venerandus autem Epiſcopus Udalricus, cum Rex ab Auguſta diſcederet, abiit ad loca, ubi bellum peractum eſt, quærens prædictum Dietpaldum fratrem ſuum, & nobilem Reginboldum filium * ſororis ſuæ, & inveniens eos ad Auguſtam perduxit, & in

*Luitgarde.

eccleſia ſanctæ Mariæ ante altare ſanctæ Waldpurgæ Virginis in ſede unius * taphi ambos fideliter ſepelivit. His ita, ſicut prælibatum eſt, peractis, Epiſcopus quamvis multis adverſis fatigatus fuiſſet, ſicut optimè omni ſperanti in Deo decet, bonæ conſolationis effectum aſſumens, cum ſuis pertractare cœpit, qualiter imminentia damna aptiſſimè ſuperare potuiſſet. Inprimis qualiter deprædatam congregationem clericorum ſuſtentaret, ad implendum quotidianum miniſterium ſervitii Dei in eccleſia, ſciebat enim eos cibaria non habere, & ideò cum his, quæ ipſe ſic deprædatus habere potuit, & quæ à benevolis populis ei transmiſſa ſunt & oblata, aſſiduè in ſua præſentia eos ſecundum ſuam facultatem mandere & bibere fecit, & omnimodis adjutoriis ſtabilivit, eo uſque, dum ex ſemet ipſis deprædationis miſeriam tem-

*ſepulchri.

perave-

peraverunt, & loca eorum ex iterata laboratione sustentationis subsidium attulerunt; sua autem loca ignibus exusta,& consumptis frugibus in desolationem redacta,studiosis laboribus in agris & in ædificiis renovare præcepit, strenuitas autem familiæ jussioni ejus parendo sic inchoabat, & congruo tempore utilitatis usu, quantum possibilitas sufficiebat,restituit. Ecclesiam autem sanctæ Afræ,quæ à paganis fuerat cremata, adhuc reædificata non erat, sed tugurium * glossibus tectum altaria ab imbribus & intemperiebus defendebat: sepulchrum Simperti Episcopi in choro juxta gradus situm, adhuc sine tecto remanebat, de cujus operimento in visione admonitus, lignis more operculi arte conjunctis tegebat. Non post multum verò temporis decursum, iterum admonitus, ut domum sanctæ Afræ reædificare non tardaret. De cujus instauratione cum sæpissimè tractaret, qualiter congruentissimè fieri potuisset, & qualiter sub positione cryptæ orientalem plagam ecclesiæ convenientissimè decoraret, & nullus certitudinis effectus ei animo irrepsisset, continuis orationibus & jejuniis cum domesticis & religiosis presbyteris, devotissimè misericordiam Dei secretò deprecari cœpit, ut ei monstraretur locus,in quo corpus sanctæ Afræ collocatum fuisset, & si cryptam in eo loco, ubi voluntas ejus complacuit,fas componere maneret. Ut orationem ejus & jejunium ad aures Domini pervenire dubium non esset, secundum cantationem sancti David Prophetæ: Ecce oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum, quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit, & locum collocationis corporis ejus, sicut in scriptura passionis ejus est scriptum, ab Augusta civitate,in secundo milliario * in ecclesia monstravit. Cryptam autem in prædestinato loco fieri prohibuit, propter sanctorum reliquias,quæ in illo loco in requiem expectare debent judicii. Hac revelatione perdoctus,quid sibi esset faciendum, muros ex maxima parte ab ignibus depositos cum magna festinatione reædificare fecit, & priori altitudini mensuram unius cubiti superposuit, cryptaque congruenti occidentalem partem ecclesiæ decoravit,super ædificia in sua præsentia cautè mensurata, summo studio incidere & adducere præcepit, & non tardavit,donec imbricibus eam ex toto cooperuit, & interius ædem ecclesiæ laquearis vestivit, & lucida pictura decoravit, & ornamenta ecclesiæ, quæ propter barbaros in civitatem fuerunt deportata, & in matrici ecclesia servata, restitui fecit.

* *f pro scandulis.*

* *Autographum hic alia manu ad oram habet, à loco ubi passa est.*

CAPUT XIV.

De Hortulano ejus, & de itinere ejus ad Romam, visitatione Eberhardi solitarii.

QUam in magna observatione Dei ille locus orientalis partis ecclesiæ semper maneat, certis sit indiciis manifestatum, hîc mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus nomine Adelpoldus, ibi deambulando inter gramina speluncam invenit, in quam intrans formosam ædiculam sub terra muratam conspexit, & veniens nunciavit Episcopo dicens: In hoc loco possum olera mea & alia necessaria reponere. Cui ille respondit denunciando dicens: Si hoc facis, sensum & sospitatem membrorum tuorum te perdere dubium non est. Hortulanus autem verbis Episcopi non credens, sine ejus scientia præfatas res in eandem speluncam congregare cœpit; hoc faciendo sensum cum auditu & visu perdidit. Hoc autem cum Episcopo nunciatum fuisset, jussit adduci sibi hortulanum, & dixit ei: Quare occupare voluisti illum sanctum locum, spernendo meum præceptum? Cui ille quamvis sensu careret, non inficior, ait, scio enim, quod pro illo reatu, quod mandatis tuis non obedivi, istam tribulationem incurri. Cujus tribulationibus benevolus Episcopus condolens, indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente sanitati restituit. Mirabile dictu, ille hortulanus postea illam speluncam nullo modo invenire potuit. Postea autem Episcopus pollinctoribus accersitis, in australi parte exterioris muri ecclesiæ sepulchrum sibi fodere, & exterius muro cingere, & perrupto muro ecclesiæ arcum muratum desuper curvare præcepit, & arcam aptam componere ad cooperiendum corpus in sepulchro, & insuper tabulatum densum longo tempore imputribile cauta conjunctione vinctum superponi decrevit. His præparationibus exequiarum suarum perpetratis, omni hebdomada de hinc ipsum locum die Veneris visitare, & ibi hostias immolare consuetus erat, si alia aliqua ei occupatio vel absentia impedimentum non fecit. Interea verò Dei donante clementia istas regiones concordia pacis illustrabat, & benevolas mentes turbo persequutionum à servitio Domini non prohibebat, ideò ipse Romam pergere decrevit, & illuc feliciter pervenit, liminaque beatorum Apostolorum Petri & Pauli devotionis studio humiliter visitavit, ibique precibus profusis, eleemosynarumque largitate pauperibus dispensata, ab * Alberico Principe Romanorum honorificè susceptus est, frequentique ministerio & oblatione cumulatus, aliquantos dies ibi perduravit. Cumque ibi morando reliquias sanctorum se velle comparare indicasset, quidam clericus ad eum veniens, perduxit eum in silentio noctis, ubi caput

* *De Alberico Liutpr. Tic. lib. 3. c. 12. lib. 4. c. 1. lib. 5. c. 1. item Sigeb. an. 930. Liutprand. ait, eum Roma monarchiam obtinuisse.*

caput ſancti * Abundi martyris in quadam eccleſia altari incluſum ſervabatur, cujus paſſionem ei oſtendens & caput præſentans, ſacramento firmitatem fecit ſuper reliquias, quas Epiſcopus ſecum attulerat, ejusdem Abundi caput eſſe, cujus paſſio præſentialiter fuit perlecta. Cum autem ſacramentum peractum audiſſet Epiſcopus, placitam mercedem clerico donavit, caputq; ſancti Abundi accipiens, ad Auguſtam ſecum reportavit, ibiq; ad conſolationem multorum gloriosè incluſit. Monaſterium verò ſancti Galli, ubi ille ſcientias litterarum fuerat perdoctus, aſſidue viſitavit, ibique Deo militantibus cœnobitis convivium fecit, & inde ad cellam ſancti Meginardi perrexit, ad videndum ſervum Dei ſanctum * Eberhardum, ejusque neceſſitatibus ſibique ſubjectis monachis ſubveniendum, in quibuscumque potuit eorum cognoſcere voluntatem. Ultima vero vice Eberhardo vivente, cum inde recedere debuiſſet, expleta multimodo amabilitatis loquutione, acceptoq; cum orationibus in eccleſia * permiſſo, ad vehiculum ſuæ reportationis egreſſus eſt, cumq; paratus eſſet ad pergendum, & eo die ſanctum Eberhardum amplius videre non putaret, ſubito poſt eum quaſi feſtinando veniebat, & oſcula charitatis iterans cum flebilibus oculis ajebat: Ex hac hora ultra me non videbis, donec exempti corporibus in præſentia Dei nos videre merebimur. Cujus verbis reſpondens Epiſcopus dixit: Dulciſſime Pater, nunc ſcis, me certè cito de hoc ſæculo eſſe migraturum, cui ille reſpondit, finis adhuc vitæ tuæ tibi non imminet, verba autem quæ tibi nunc dixi, vera eſſe non dubites. His verbis expletis Epiſcopus remeavit, & antequam iterum eandem cellam reviſitaret, Eberhardus feliciter migravit à ſæculo.

* De hoc capite vide notas collegii Rom ſoc. Jeſu ad hiſtor. SS Abundii & Abundantii ſub littera C. fuere enim plures Sancti hujus nominis.

* Eberhard. ex Decano Argentinenſi eremita, Stumfius lib. 6. c. 11. & Bruſch. de monaſt. Brem. in ingreſſu An. 923.

* Accipere permiſſum, Urlaub nehmen.

CAPUT XV.

*De Itinere ad Burgundiam * pro reliquiis ſanctorum.*

REgionem quoque Burgundionum tempore alio adiit, & ad * Agaunenſium locum, ubi ſanctus Mauritius cum ſuis ſequacibus propter nomen Domini martyrium ſumpſit, magnæ humilitatis ſtudio viſitavit, qui antea à * Rege Burgundionum promiſſionem accepit, ut unum de ſanctis martyribus ex ejus datione & adjutorio inde ad Auguſtam referre mereretur. Et cum illuc die ſabbathi perveniret, monaſterium noviter à * Sarracenis exuſtum invenit, & nullum de habitatoribus ibi conſpexit, niſi unum ædis * ædilem, combuſtum monaſterium cuſtodientem. Cumq; ille ſacram noctem in Dei laudibus ibi permaneret, & mane cum radius ſolis primum latitudini terræ lucem diffun-

* Gabr. Paleotus Archiep. Bonō. part. 4. de ſac. tranſlat. meminit S. Udalrici reliquias peregrè conquirentis.

* Agaunenſe S. Mauritii cœnobium Sigismundus Rex condidit Vignier. Chron. an. 515.

* Reges Burgundiæ fuerunt ab An. 912 ad an. 990. Rodulfus & Chon-

radus. Vign. Chron. * De Sarracenis Burgundiam turbantibus tempore Conradi Regis vide Stumf. ex Eggardo lib. 4. c. 36. hiſt. Helvet. * Al. Senilem.

diffunderet, missam de sancta Trinitate celebravit, qua expleta, cum * alteram statim venerationi diei Dominici congruentem celebrare cœpisset, duodecim clerici cum multitudine populi advenientes ministerii sui celebrationem audientes persisterunt. Quo peracto, sanctus Episcopus eosdem fratres salutavit & muneribus honoravit, & ob quam rem illuc deveniret notum fecit. Qui hilaritatis ejus dulcedinem & sanctitatis religionem persentientes, ne delectabili desiderio privatus abiret, aperta collocationis sanctorum spelunca in scopulo exciso, plurima parte sanctarum reliquiarum donatum lætificaverunt. Cum verò optabili licentia clericorum, & amantissima dimissione populi inde rediret, Constantiam civitatem caussa orationis visitavit, & inde ad Augiam insulam venit, & ab * Alewico Abbate charitativè susceptus & omnimodis commodis bene procuratus est. Cumque amabili colloquio inter se sermocinarentur, omnia, quæ ei in itinere acciderunt, nota fecit. Benevolentia autem abbatis, cum audiret eum pro amore sanctarum reliquiarum exire, desiderio ejus satisfaciens, non modicam partem de corpore sancti Mauritii & de aliorum multorum sanctorum reliquiis ei donans, lætum abire permisit. Augustæ verò civitati cum appropinquaret, præmissis nunciis demandavit, ut ad * optivum donum sanctarum reliquiarum, quod secum attulerat, honorificè clerici cum populo, & cum crucibus & incenso pigmentorum, aquaque benedicta occurrerent, & suscipiendo gloriosè, cum laudibus & melodiis congruis perducerent honorificè cum illo in ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecratam. Illuc cum perductum esset, ab Episcopo cautè collocatum est in arcam auro & argento coopertam, ad laudem Dei omnipotentis, & in auxilium populi advenientis in nomine Domini nostri JEsu Christi, cui est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen. Talibus & his similibus studiis semper in Dei voluntate serviens, decertavit qualiter episcopatum, quem ad regendum suscepit, omnigenis honoribus sublimare potuisset, & servitium Dei & sanctæ Mariæ Dei genitricis amplificare indefessus laborabat, & ideo ubique Gratia Dei præventus, sicut in psalmis scriptum invenitur: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos: Et secundum Apostolum dicentem: Scimus, quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & reliqua. Multiplicibus enim Dei magnificentiis honoratus, & firma fide confortatus, desideria voluntatis ejus percipiens, multis in suis necessitatibus profuit, & possibilitatis suæ potentiam, quantum potuit, humiliter celavit, quia multi, qui caduco morbo vexabantur, sanctitatis ejus benedictione percepta, sospitati restituebantur, si pro qua re bene-

* *Vide notata de pluribus una die missis supra ad cap. 3.*

* *Brunichio Alewicus Abbas Augiensis ab A. 933. ad an. 958 quo ei obiisse Constabilitus editio habet.*

* *Pro exoptatum.*

re benedictionem expetivere, non indicavere, qui autem necessitatis eorum afflictionem manifestè nunciaverunt, benedictione subtracta, caussa humilitatis abire permisit, dicens: Ego non sum dignus de hac infirmitate vos posse liberare.

Caput XVI.

De Oleo à sancto viro sanctificato.

SAnctificatum verò oleum in die Cœnæ Domini ab eo tam salubre effectum est, ut multi in infirmitate positi, ab eo uncti celeriter sanitati restituerentur, & multi caliginem oculorum habentes, & præsentis luminis se in hoc sæculo manere carentes putavere, à tactu hujus olei serenitati oculorum iterum uti meruerunt. Hæc verò nemine dicente comperiebam, sed propriis oculis in quam plurimis peracta conspiciebam. De ipsius autem Episcopi * recuperatione non oportet reticere, quia cum quodam tempore de monasterio sancti Galli redire ad Augustam civitatem decrevisset, Campidonam veniens tam gravi infirmitate detentus est, ut ex se sine adjutorio aliorum ambulare non potuisset, & cibum ad recreationem corporis sumere vires non sufficerent; missis nunciis celeriter ad Augustam civitatem, oleum ab eo consecratum sibi inde reportare præcepit, cumque in vigilia Pentecosten nunciis revertentibus hora diei nona, cum adhuc congregatio monachorum sollenni officio missæ interfuisset, & ipse intra cubiculum sacrum mysterium auditum habuisset, oleum ei repræsentaretur, peracto sacro mysterio monachi ad eum introducti sunt, præsentibus clericis, qui cum eo illuc devenerunt, & cantatis pro ejus infirmitate septem psalmis, letaniaque devotè expleta, quendam sanctum monachum Hiltine nominatum, ad claustrum revertentes fratres ad ungendum eum oleo sancto cum suis duobus presbyteris dimiserunt. Unctione verò peracta secundum doctrinam Jacobi Apostoli, infirmatur quis in vobis, inducat presbyterum ecclesiæ & rel. dixit Episcopus præposito, istis unctoribus meis cum cæteris meis comitibus, in mea vice servitium congruenter exhibete, cum his bonis, quæ nobis hodie concessit Deus. Cum verò ad mensam prandendum consedissent, & adhuc prandium peractum non fuisset, nuncius de Episcopo venit dicens: Læto animo estote, & recreamini cum gaudio, quia Dominus noster Episcopus, quamvis hebdomada præterita vel buccellam panis ad refectionem accipere non potuisset, nũc Deo donante se reficit, & reducta sanitate est melioratus. Qui audito delectabili nuncio omnes simul Deũ laudantes & Deo gratias

*Recuperatio, Erhohlung von der Kranckheit.

gratias dicentes hilares effecti sunt. Vespertina autem hora adveniente, & signo vespertinali in primis sonante, statim surrexit & ad ecclesiam ambulavit, & ibi in Dei laudibus infatigatus permansit, donec vespertinalis laus à fratribus secundum cursum monachorum prolixè perficiebatur, & postea de die in diem confortatus, ex integro pristinæ sanitati citò restitutus est. O quam magna multitudo dulcedinis Dei, qui illi hoc tanta velocitate ad remedium concessit, quod ille aliis ad medicinam & ad indulgentiam peccatorum præparavit, ut cum ejus fide perfecta cæteris plurimis fides confirmaretur.

Caput XVII.

*Qualiter super * Vindicem & in Danubio liberatus est.*

*Vindonem appellabit Fortunatus, quidam Virdunē, vulgò Werden.

TRadere huic quoque me aliam rationem in hoc loco oportet, quam Herewigo Capellano ejus dicente comperi. Quadam die cum pro aliqua utilitatis caussa super fluvium Vindicem nominatum caballicare debuisset, & ipse ab illuvie elevatus fuisset, & comites Episcopi universi vadum rectitudinis devitarent, & alia vada aptiora quærerent, & idem ipse prænominatus Herewigus solus cum eo remaneret, ipse vadum, quod alii omiserunt, sine trepidatione transcendit, soccis de sago factis indutus propter frigus, quia hyems erat. Præfatus verò Herewigus flumine transgresso, ex cingulo deorsum, quamvis super altiorem caballum sederet quam Episcopus, udus effectus est, & prospiciens in vestimenta Episcopi, si aqua infunderentur, sed nec in soccis unum pilum humidum conspexit, & ad Episcopum dixit, ego uditate perfusus sum, & tuæ celsitudini pilus in soccis non est madefactus: Cui dixit Episcopus, hæc, quæ vidisti, me vivente nemini dicere præsumas. Alio verò tempore, cum ad colloquium Ottonis Imperatoris ad Ratisponam civitatem navigando per Danubium venire decrevisset, quodam die nautis incautè ante se conspicientibus, navis cuidam ligno importunè conjuncta, aquis repleta immersionē omnibus minabatur. Perturbati verò omnes & timore perculsi, ad littus magno studio navem perducere festinarunt: Navi verò aridæ adducta, quæ intra erant ad littus portaverunt, illius verò Episcopi, in posteriori rostro navis sedentis, obliti sunt. Unus verò clericorum Mesi nominatus, magno stupore attonitus dixit: Heu nobis miseris, quia seniori nostro in isto periculo adjutores non fuimus, & his dictis currens per profunditatem aquæ, quæ in navi fuerat congregata, assumptis brachiis Episcopi super humeros ejus, evexit eum extra navem, omnibus itaque expositis & illo novissimè egresso, navis in posteriori parte profunditati demersa est. Quid mirum si navis onusta

eo

eo insedente mergi non potuit, sed eo jubente super aquam stetit, qui beato Petro Apostolo undas maris ad super ambulandum propria voluntate firmavit? sic non ex sua conditione, sed ex meritis in ea sedentis navis interim super aquas natare cogebatur, donec cunctis stipendiis & oneribus relevaretur, postea verò immersa nunciabatur.

CAPUT XVIII.

*Qualiter * Tar fluvium transivit.*

*Tarum Ninio Italiæ Cispadanæ fluv.

ROmam visitate itaque cum quodam tempore æstuanti animo desideraret, & ad fluvium nomine Tar cum perveniret, tam periculosum ex inundatione aquarum factum invenit, ut nullus ex utraq; parte advenientium eo die vel alio se posse * venire super eum speraret: Sanctus Episcopus in Deum confidens, paratura missatica se indui festinavit, & in littore fluminis cum suis comitibus missam devotè celebravit, & post missam præfatum fluvium tanta commoditate transivit, ut nulli ejus comitum aliquid adversitatis eveniret, sed omnes salvi & incolumes Deum laudantes gaudendo ibant per viam.

* Ventre super eum über ihn kommen.

CAPUT XIX.

Qualiter una sanctimonialis infirmabatur & sanata est.

MUltimodis Christi servitiis cum ferventissimè insisteret, & undique amplificare studuisset, Deo donante excogitavit, propter cujusdam sanctimonialis religionem * Emoza nominatæ, ad ecclesiam sancti * Stephani protomartyris sanctimonialium congregationem componere, & regulæ sanctitatis subdere, & sancto velamine Christo Deo desponsatas conjungere.

* Al. Hicila, vel Lucila.

* *Bruschius de monast. scribit, hoc monasterium circa an. 966. conditum, ineptè verò addit, Stephanum Ungarorum regem ibi à S. Udalrico baptisatum. Eleusinia S. Udalrici sive soror sive cognata (utrumq; Bruschius lib. de monast. & lib. de Episc. prodidit, prima Abbatissa præfuisse creditur.*

Quod cum factum fuisset, quædam mulier cum consensu connubia mariti despiciens, eidem congregationi ob futuræ beatitudinis mercedem obedientiam professa se admiscuit, litterarum verò scientia ad perfectionem docta non manebat, ad exteriora autem necessitatis opera strenuitatem magnam habebat, & ideò aliæ sanctimoniales eam cellerariam facere voluerunt, qua renuente, Episcopo nunciatum est, & supplicatum est, ut cum sua potestate ministerium cellarii commendaretur. Episcopus verò supplicationi assensum præbens, præfatam sanctimonialem cellerariam esse præcepit: Illa autem præcepto Episcopi non obedivit, sed in pristina refragatione conata est persistere:

Sequenti verò nocte in somnis audivit vocem dicentem sibi, quia non obedisti præceptis Episcopi, ideò usu ambulandi privaris tamdiu, donec ab eo absolveris. Expergefacta autem dissolutam membris ita se esse persensit, ut nullum ambulandi effectum habere potuisset. Hac infirmitate ligata, laboriosè expectabat adventum Episcopi. Interim verò appropinquabat tempus synodalis colloquii, & Episcopus ad Augustam revertebatur; hoc cum infirma sanctimonialis audiret, rogavit se portari in ecclesiam sanctæ Mariæ, & obtutibus ejus repræsentari: Cumque ad ejus præsentiam veniret, humillimis precibus ejus misericordiam deprecari cœpit, ut ab affligentibus alligationibus infirmitatis ab eo absolvi mereretur. Audita ejus deprecatione Episcopus, de inobedientia eam increpavit, & munere benedictionis simul & indulgentiæ donatam dimisit. Cumque ab ea reverteretur Episcopus, statim sanitati restituta currendo præcessit Episcopum, antequam ille perambularet ecclesiam, & ante celsitudinis ejus præsentiam prostrata, Deum pro reddita sanitate laudando, promisit de inobedientia ultra sese fore emendaturam, & ad proprias mansiunculas læta rediit.

Caput XX.

De Constructione ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ.

* *Pro honorans, colens.*

* Hymnizans sanctus Dominum Episcopus, habili tempore postea ecclesiam in cœmeterio sanctæ Mariæ in modum crucis ædificare cœpit, & ædificatione peracta, altaribusque quinque in ea compositis in honore sancti Joannis Baptistæ dedicavit, & dolium baptizandi de petra excisum in ea constitui fecit, & dote legitimatam, presbytero ad procurandum in divinis officiis commendavit, & præcepit, ut matricularii in omni hebdomada die sabbathi & in aliis sollennibus festivitatibus, cum Evangelio & crucibus & cereis cum Dei laudibus reverenter visitarent, & in paschali hebdomada, quam dicunt infra albas, quia tunc consuetudo est tres cantare psalmos ad vesperam, remanentes duos illuc deambulando cum antiphona & tono formosa modulatione perpsallere, & ipse persæpe ibi salutares hostias Deo immolare consuevit.

Caput XXI.

De Itinere ejus ultimo ad Romam.

* *Zoam pro vita, vitam pro anima usurpavit.*

* Zoam in ultimis temporibus suam salvare cupiendo, animo decrevit, quamvis vires corporis de die in diem decrescere sentiret, ut limina Apostolorum Petri & Pauli devota intentione laborasset visitare. Cumq; aliquantulum itineris peregisset

gisset in carpento, & ad difficiliores vias perveniret, non potuit ultra iter peragere, antequam in lecto collocatus equis superpositus pergere cœpit: sicque pergendo, quamvis comitibus ejus ubique periculosum videretur, Deo juvante & sancto Petro Apostolo, sine periculo pervenit ad Romam, votorumque ibi antea dispositorum & promissionibus devotissimè expletis, & gratissimorum emolumentorum & indulgentiarum donis acceptis, * permissoque salubri à sancto Petro & vicario ejus Pontifice, cæterisq; Deo ibi & sancto Petro militantibus honorabiliter accepto, felicem reditum iniit, & Ravennam visitare disposuit. Illucque cum appropinquaret, Imperatorem glorioſum * Ottonem cum Imperatrice Adalhaida ibi manere comperit, & ante se misso nuncio adventum ejus illi indicavit, & ille statim nuncium sequendo ad ostium cubiculi Imperatoris pervenit. Imperator verò cum eum in tanta vicinitate manere agnovisset, uno pede calceato & alio adhuc incalceato, causa humilitatis & flagrantia divini amoris, eum ad suscipiendum amabiliter festinavit. Cumque in cubiculo accersita imperatrice suavi colloquio fruerentur, & alternis locutionibus diversarum rerum proventus terminarent, vir sanctus Imperatorem cum auxilio Imperatricis flagitare cœpit, ut filio sororis suæ Adalberoni procurationem sui episcopatus, regimenque super familiam & omnia negotia sæcularia ad eum pertinentia, fideliter firmiterque commendaret, & ut à celsitudine ejus Imperialis potentiæ promissum consolationis accipere mereretur, ut post ejus discessum cathedram episcopalis potestatis ei donaret, ut sibi majoris otii ad studium orationis & ecclesiastici regiminis & Christianitatis stabilitatem facultas concederetur. Cujus petitioni glorioſus & benevolus Imperator assensum præbens, sæcularium negotiorum commercia * Adalberoni commendavit, & episcopalis honorem cathedræ post vitam Episcopi, si Deus vellet, ei donare permisit, & insuper multis libris auri Episcopum donatum, amabiliter abire permisit, & ejus mansiones cum alio servitio necessario, cum suis fidelibus usque ad finem illius provinciæ cautè disposuit.

* Permissum Urlaub.

* Otho ab A. 968. ad An. 972. in Italia egit. Sigon. de regno Italiæ.

* Contra Ekkehardi editio nova habet an. 971. Adalberoni episcopatum ab Imp. concessum, quod de hac nimirum promissione intelligendū.

CAPUT XXII.

De reversione ad Augustam.

EPiscopus autem & præfatus Adalbero, cum lætabundi ad Augustam reverterentur civitatem, honorificè sicut decuit suscepti sunt, & omnes qui ibi inventi sunt, comperta eorum prospera reversione, & honorificatione ab Imperatore eis facta, valde lætificati sunt. Tunc verò præfatus Adalbero congregatis militibus Episcopi, desideravit ut ei sacramenta fidelitatis

jurarent, quod & fecerunt in præsentia Episcopi, similiter & familia per totum episcopatum fecit. Episcopus autem indumento more monachorum formato induebatur; quorum antea regulam multimodis virtutibus sequi consueverat. Cumq; hæc ita agerentur, propter quorundam clericorum æmulationem, qui se æstimabant post obitum sancti Episcopi, Imperiali celsitudine concedente episcopatum posse acquirere, ferulam episcopalem publicè portare præsumpsit, ut eis tota spes acquirendi episcopatus adimeretur.

CAPUT XXIII.

Qualiter synodus Adalberonem degradari voluit.

**Otto ex Italia in Germaniam postremum rediit A. 972. Sigon.*

POstea verò revertentibus de Italia * Imperatoribus, patre scilicet & ipsius * prole ad Franciam, facta est * synodus in loco qui dicitur Ingilunheim, ad quam Archiepiscopi cum cæteris suis suffraganeis sanctum Udalricum cum suis legatis honorificè invitaverunt, Adalberonemque ejus nepotem cum eo venire decreverunt.

**Otto secundus primi filius, Imperator appellatus vivente patre an. 968. Sigeb.*

* *Synodus Adalberonis caussa habita an. 972. Contract. in ea S. Udalricus & Adalbero transgressionis canonum accusati, caussa dicta absoluti sunt. Alia autem fuit Synodus Ingelheim. an. 948. Cui etiam S. Udalricus interfuit, ut est in Frodoardi Chronico.*

Illuc verò cum pervenirent, & antistites ibidem congregati Adalberonem baculum Episcopalem publicè portare cognovissent, irati sunt contra eum, & dicebant, ut contra canonicæ rectitudinis regulam in hæresim lapsus fuisset, & quod Pontificalis honorem sublimitatis vivente Episcopo sibi plus justo vindicaret, & ideò ultra eum Episcopum ordinari non deceret. Quibus ille auditis, prima die synodale colloquium intrare devitavit, & in alia domo cum cæteris clericis Episcopi remanebat: Antistes autem cum paucis suis capellanis synodum intravit. Cumque inter se Pontifices colloquia habere cœpissent, uniuscujusq; rationem per latinitatis locutionem voluerunt terminari: Cumque caussa sancti Udalrici fuisset ventilanda, & ille pro * infirmitate, tam sonora voce, ut tota synodus audire potuisset, rationem proferre non posset, advocabatur unus suus clericus nomine * Gerhardus, qui extra synodum cum Adalberone remanebat, ut pro eo desiderii sui rationem per latinitatis locutionem manifestaret. Cumq; vix pro densitate multitudinis, in præsentia Imperatorum & Episcoporum præsens stetisset, interrogabatur, quid desideraret Dominus suus. Quibus interrogationibus multiplicatis, dixit, non debeo interrogationibus vestris respondere pro Domino meo, nisi illo præcipiente. Cui dixit Episcopus, frater, bene tibi notum est desiderium meum, enarra hoc, & ob-

**Agebat enim annum octuagesimũ secundum.*

**Codex mss. hic alia manu ad oram habet, iste Gerhardus scripsit legẽdam, quod mihi neutiquam probatur, hic enim matricularius, uti author hujus vitæ appellat, videtur, cum clericus S. Udalrici vocatur, vita verò author ex congregatione S. Afræ fuit, ut ipsemet in epilogo indicat.*

& obsecra,ut eorum consiliis & permissionibus,Deo juvante,expletum fiat. Tunc præfatus clericus Gerhardus in præsentia omnium dixit: Excellentissimi Imperatores & religiosissimi antistites, desiderium Domini mei est relinquere sæculum,& secundum regulam sancti Benedicti sanctam inire vitam, & in contemplativa vita diem expectare obitus sui, in indumento pro certo habitus exterioris, potestis cognoscere voluntatem animi interioris. Istis & aliis rationibus in voluntate Domini sui in finem deductis, terra tenus cecidit ante pedes Imperatorum & Antistitum, obsecrans ut petitionem Domini sui secundum Dei voluntatem implere non dedignarentur. Qui simul respondendi inducias usque in crastinum diem postulaverunt, & postea inter se æstimaverunt, qualiter caussa Adalberonis terminaretur. Quidam verò Episcoporum adjutores Adalberonis fuerunt, ne prorsus à spe episcopalis ordinationis, post vitam avunculi sui excluderetur. Hæc cum inter se prolixè sermocinarentur, ultima in unum ratione coadunati, omnes simul firmaverunt,nisi Adalbero se sacramento excusaret, quod non sciret hæresim manere,quia episcopalem potentiam cum baculo arripuit, nullo modo ulterius legaliter Episcopus fieri potuisset. Altera verò die cum Episcopo etiam Adalbero synodali interfuit colloquio,& cum ei prædictum crimen imputaretur, multis objectionibus diversorum colloquiorum cum suis adjutoribus à prædicto crimine se defendere statuit. Hoc cum ei adunatio omnium Episcoporum non consentiret, secundum prædictam destinationem Episcoporum sacramentum perfecit, per nomen Patris & Filii & Spiritus sancti super quatuor Evangelia. Tunc iterum Episcopus Udalricus petitionis suæ responsa,quæ pridie procrastinata fuerunt, per prædictum suum clericum expetivit, quia desideravit,ut prædictus suus nepos Episcopus ordinaretur, & ille secundum regulam sancti Benedicti, in monasterio cum eorum consensu deservire mereretur. Episcopi autem, quamvis eis ex toto non placeret, apertè ei in synodo contradicere noluere petitonem suam, sed sapientissimi ex ipsis, cum consilio aliorum * extra synodum eum ambulare cum illis postulaverunt, ibiq; cum eo & cum suis clericis sapientissimis secretam locutionem habuere, dicentes: Reverende Pater, cui nota est omnium ecclesiasticorum librorum normula, qui semper callem rectitudinis ambulasti non deviando, non decet,ut nunc istam viam, quam semper tenuisti, omittens, seminarium ex te sumat talis error, ut alius in loco tuo te vivente ordinetur, quia si ex te talis consuetudo incipit perpetrari, in posterum multis reverendis & bonis Episcopis, ab eorum nepotibus & clericis talia desiderantibus, multa concrescunt adversa; melius

* extra ambulare aut tretten.

tibi est, ut in eo ministerio, in quo cœpisti, Deo servire permaneas, quam tuam voluntatem sequens aliis plurimis scandalum facias, quia ex te canonici & monachi & sanctimoniales & cæteri Christiani ad rectitudinis statum debent constringi, qui ex semet ipsis per climata cadere festinant, qui autem incautè ambulando ceciderunt, ex te, Deo juvante, erigi posse sperandi sunt. De nepote autem tuo Adalberone tuæ voluntati satisfaciendo, in commune firmamus, ut nullus alius à nobis post tuum discessum, ad illum locum, in quo tu pastor existis, eo vivente ordinetur, nisi ipse. His consiliis consentiens sanctus Episcopus Udalricus, cum eis in synodum regrediebatur, & tunc cum consensu aliorum antistitum, fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præsentia, procurationem sui habere, & sub ipso totius episcopatus cautam dispositionem in omnibus adimplere. Taliter verò istis terminatis, finita synodo Episcopus & Adalbero cum suis ad Augustam revertebantur. *

* Miraculũ quoddam in altero exemplo hic sequetur, quod quoniam infra iterum repetitur, hîc sum omittere.

CAPUT XXIV.

Qualiter Adalbero vitam finivit.

PRædicta verò synodus in autumnali tempore peracta est; & inantea Paschali tempore adveniente & sancta hebdomada finita, Episcopus & Adalbero, amabiliter vocante * Rinwino comite Dietpoldi fratris Episcopi filio, ad castellum Dilinga nominatum venerunt, ut ibi aliquantos dies charitativè cum eo, & cum * femina ejus Hiltegart nominata manerent. Paucis itaque diebus transactis, Adalbero ibi cum phlebotemo sibi phlebotemando sanguinem minui fecit, & postea cum Episcopo ad cœnam consedit, & de cœna surgens in lectum se ad requiescendum deposuit: cumque unusquisque ad suas divertisset mansiones, eadem nocte subitanea morte Adalbero * defunctus est, * Herewingus ejus presbyter, cum ad nunciandum hoc Episcopo cubiculum ejus intraret, Episcopus sermonem ejus prævenies, dixit illi: Ecce Adalbero defunctus est: Cui ille respondit: Ideò ego huc intravi, ut tibi hoc nunciarem, nullus alius me præibat ad te, & quomodo hoc scire potuisti? Cui ille respondit: Vade & suscita Riwinum & omnes, qui nobiscum sunt, ut cito præparent vehiculum, ut corpus ejus ad Augustam ducamus civitatem. Episcopus autem missis ad Augustam legatis, præcepit, ut in ecclesia sanctæ Afræ sepulchrum ejus juxta ipsius sepulchrum præpararetur, quod & sic factum est. Ille autem cum his, qui cum ipso erant, imposuit corpus carpento, & antepositis equis vexit ad Augustam cum frequentia populi. Matricularii autem, cum crucibus & aqua benedicta & cereis & incenso, & cum magna multitudine familiæ, cæteriq; populi appropinquanti occurrerunt,

* Al. Ribbili-ne.

* Femina Weibs id est uxor.

* An. 973. Contracti editio nova.

* Al. Pere-wicus.

rerunt, & honorificè ſuſcipientes, cum congruis orationibus & modulationibus perduxerunt ad locum ſepulchri, & ibi expletis vigiliis, & ſalutaribus pro ejus anima Deo oblatis hoſtiis, Epiſcopo animam omnipotenti Deo commendante corpus devotiſſimè ſepelierunt. Commendatione autem corporis peracta, & Epiſcopo cum triſtitia redeunte, univerſi fletu & lamentatione & magna mœſtitia in ſuas reverſi ſunt manſiones, pro eo quod ex nobili genere ortum & formoſum, & grammaticæ artis bene doctum, & in Dei ſervitio ſtudioſum, & in bonis operibus ſtrenuum, & in eloquentia dulciſona cautum, in donando largum, in adverſis aliorum triſtem, multarum virtutum opulentia cumulatum, in adjutorio miſerorum feſtinum, multimoda benevolentia ornatum virum, tam citò depoſitum omiſerunt.

CAPUT XV.

Qualiter Utinburam abbatiam reddit.

RElegioſus autem antiſtes, miſſo legato nunciavit Imperatori obitum prædicti nepotis ſui, & Abbatiam Utenbura nominatam, quæ * ipſi à ſua imperiali potentia conceſſa erat, poſtulavit ſibi donari, non cauſſa avaritiæ, ſed ea intentione, ut cœnobitis ibidem Deo ſervientibus deliberationem, quam ille eis antea conſcriptam & ſigillatam ab eodem Imperatore donari impetravit, reſtituere potuiſſet. Imperator autem per eundem nuncium * abbatiam conceſſit, & conſolationem magnam, & multimodam ſalutem remandavit. Nuncius autem cum reverteretur, invenit Epiſcopum in loco, qui dicitur Staphenſe, & hæc prædicta narravit. Paucis verò diebus poſtea revolutis, adhuc ipſi in eodem loco manenti, per nuncium quendam, orationis ſuffragia pro anima Imperatoris poſcentem, * obitus ejus illi annunciabatur. Inde verò cum ad Auguſtam rediret, venerunt nepotes ſui, Riwinus comes filius fratris ſui Dietpaldi, & Hupaldus comes filius fratris ſui Manegoldi, & rogaverunt illum, ut pergeret ad oppidum, quod nominatur * Witeſelinga, & illis monſtraret eccleſiam ibi ſitam, ubi corpora ſuorum * parentum terræ commendata fuerant, de qua ipſe ſæpe eos antea præmonuit, ut eam meliorarent, & eadem corpora in illam concluderent, ne ultra à pluviis * domatum infunderentur, ordinare, & quantæ magnitudinis eam facere debuiſſent. Sanctus verò Epiſcopus, quamvis certiſſimè ſciret in proximo manere ſequeſtrationem corporis & animæ ſuæ, tamen pro divino amore, & pro eorum amabilitate illuc perrexit, & provida ordinatione eandem eccleſiam ſuper præfata corpora amplificari perdocuit, ibique cum nepotibus ſuis aliquantis diebus moratus eſt, & inde ad caſtellum * Sunnemotinga nominatum, propter petitionem Manegoldi fratris

* *Bruſch. de monaſt. ait Adalberonē an. 941. Abbatia præfeci.*

* *Bruſch. ait S. Udalricū Abbatiam A. 971. accepiſſe verum ex hujus hiſtoriæ ſerie apparet an. 973 reſtituendum eſſe.*

* *Otto magnus Imp. ob. an. 973. Nō. Maij Contractus.*

* *Al. Witegulinga.*

* *Parentes generatim videtur pro conſanguineis capere. Caterum Dietpaldus Riwini pater Auguſta ſepultus eſt, ſupra c. 13.*

* *Al. Sunnē notinga.*

prædicti Adalberonis pervenit. Cumq; in itinere, antequam illuc pervenirent, in campo propter herbam, juxta villam, quæ dicitur * Gerilehova caſtrametati fuiſſent, cum ſol occaſui radios ſuæ lucis inſerere cœpiſſet, venit quidam homo, qui dixit *Chunradum Epiſcopum certiſſimè defunctum fuiſſe, & nominavit diem obitus ſui, & diem collocationis corporis ejus in ſepulchrum. Hac fama audita, clerici & alii comites ejus ſtupefacti effecti ſunt, & ſtatim æſtimaverunt nuncium ad Auguſtam mittere, ut pro ejus anima ſolitæ orationes explerentur: quibus ſanctus Epiſcopus blando ſermone infit, certiſſimè rei veritatem ſciens, deſiſtite adhuc nuncium mittere, mane diluculo comperietis, qualiter circa Epiſcopum maneat. Craſtina verò die diluculo quidam de Conſtantia venit, & de obitu Epiſcopi veraciter contradixit, & ejus poſſibilitatem ſecundum ſuam conſuetudinem eſſe nunciavit. Sanctus autem Epiſcopus Udalricus cœptum iter peregit, & ibi quaſi ad convivium vocatus, poſt expletionem ſalutaris hoſtiæ, quam quotidie per ſe, quamvis viribus corporis valde eſſet deſtitutus, Deo perſolvere ſatagebat, cum convivantibus quotidie ad menſam ſedebat, & nullum corpori cibum exhibuit, niſi micas panis aquæ infuſas in os miſit, quas etiam ſæpiſſimè aquis exſpoliatas de ore rejecit, hauſtibus verò aquæ interdum corpus, cum adhuc ad menſam ſederet, reficiebat. Conſummatisq; ibi rebus, pro quibus illuc vocatus eſt, abire cœpit, altera die ad locum qui dicitur * Utiuntiga pervenit, & ibi ad ſe convocatis monachis de monaſterio Uttenbura nominato, autumare cum eis & cum ſuis fidelibus providè cœpit, quomodo deliberationem, quam eis antea ſicut prædixi, ab Imperatore impetraverat, reſtituere potuiſſet, & dixit eis: Eligite ex vobis unum ad Abbatem, qui in Dei ſervitio utilis, & veſtris neceſſitatibus poſſit cautus inveniri. Si illum eligitis, qui mihi ad hoc placet, commendabo illi Abbatiam uſque in præſentiam Domini mei Imperatoris: ſin autem alium niſi mihi placentem eligitis, non illi commendabo. Qui reſpondentes dixerunt: Nominet nobis ſanctitas tua hunc, qui tuæ dominationi placitus ſit ad electionem noſtræ unitatis. Tunc dixit eis, * Rudvugum fratrem veſtrum ad hoc nominabo miniſterium. Quibus auditis fratres inducias poſtulaverunt, donec omnes ſimul loquerentur, ſi hæc electio cum omnium fratrum conſenſu fieri potuiſſet. Cumque in loco deſtinato collecti fratres colloquia inter ſe habere cœpiſſent de præfata electione, quibusdam fratribus placuit, quibusdam diſplicuit, ſed tamen cum conſilio amicorum roborati, Epiſcopi voluntati parentes, in unum coadunati Rudvugum ad Abbatem elegerunt, & cum eo ad Epiſcopum regredientes, unitatis eorum electionem ei nunciaverunt. His auditis Epiſcopus, aſſumpto

baculo

* Al. Gerilehova.

*Conradus Conſtantiæ Epiſcopus initiat. 934. obiit 974. Coætan.

* Al. Otinga.

* Al. Rudungum. Al. Rupertum, Bruſch habet Rudungum electũ an. 972. reſtituit an. 973.

baculo commendavit abbatiam præfato Rudvugo usq; in præsentiam * Imperatoris, qui tunc in Imperio patri suo æquivoco succesſerat, & illum commendavit suis nepotibus & aliis suis fidelibus, ut eum celſitudini Imperatoris præsentarent, & illis cum fide ei juvantibus, ab eo hæc confirmarentur. His ita expletis propriam sui episcopatus revisitavit sedem.

*Ottonis secundi, qui initit an. 973.

CAPUT XXVI.

Quam formosè obitum suum in Augusta exspectaret.

MOenia autem Augustæ civitatis introgressus, magna tristitia septus est pro morte Adalberonis sui nepotis, & pro obitu Imperatoris, cui semper fidem in omnibus servavit, cujus etiam amor pectori ejus firmiter conglutinatus est. Pro requie verò animarum amborum multas eleemosynas largitus est pauperibus, & multas orationes & preces ad Dominum quotidie effudit, ut eis misereri dignaretur: missarum verò officia quotidie celebrare non desistebat, quoad usque vires corporis sic subtrahebantur, ut nullo modo ultra per se stare potuisset. Ad mensam verò sedebat, & sedentibus cum eo convivium faciebat, & ille quasi jejunus absistebat, & postea in ecclesia vel in cubiculo suo dulci cantatione psalmorum, vel auditione lectionum sacrarum recreatus est. Vires verò corporis cum ei ita defeciſſent, ut per se missam cantare non potuisset, quotidie in ecclesiam introductus devotissimè eam audire, & interim orationibus intentis insistere non desistebat. Pro certo post missam expletam cum cubiculum intraret, repausationi lecti se non commendavit ante horam vespertinam, sed super sedile suum calceatus sedit, & interdum se super pulvillum in dexteram partem reclinavit, interdum ad sinistram, & interdum sedens ad dorsum super posteriora sedilis, in quo sedebat, reclinavit. Et post expletionem cursus & totius psalterii, legente Gerhardo * Præposito sacrorum lectiones librorum audivit, & interdum cum eo inde dulci eloquio fruebatur. Cuidam verò eloquio inter ipsos finito, præfatus clericus interrogavit eum dicens: Habes spem pro ista infirmitate, Domine, obitum tuum tibi imminere? Cui ille quasi eum increpando respondit: Quare sic dixisti? non spero, sed certissimè cognosco diem obitus mei non post multos dies mihi evenire. De qua re presbyter contristatus, indulgentiam postulavit & dixit illi, Domine, quem Episcoporum præcipis vocare ad commendationem corporis tui? Cui ille respondit: Eo tempore, quando anima mea derelicta est hoc corpus, non potestis ullum eorum huc advocare, quia * conprovincialis meus Chunradus Episcopus tanta infirmitate detentus est, ut huc venire non possit,

*Puto significari præpositum ecclesiæ cathedralis.

* Augustæ-him & Constantia in eadem provincia Moguntina.

Digitized by Google

possit, Episcopi verò * Bauuuariorum ad regale colloquium ad Franciam sunt congregati.

* *Bavariorum, Otfridus monachus in præfat. Evang. quæ German. vertit, de proprietate ejus linguæ inquit, Interdum tria, uvu, ut puto, quærit in sono, priores duo consonantes ut mihi videtur, tertium vocali sono manente.*

At ille inquit, Domine, quid tunc facere debemus? Cui sanctus Episcopus dixit: Nostis corpus hominis terræ commendare? At ille ait: Si talis persona esset, super quam commendatio nostra fieri debuisset, timorem inde non haberemus. Cui Episcopus dixit: Facite de hac re, cum tempus advenerit, sicut optimè potestis, Dominus commendatorem corporis mei providebit. Et his dictis præfatus presbyter iterum lectionis usum assumpsit, & in ea sicut solitus erat, usque dum sonante signo vespertinalis laudis hora annunciabatur. Lectiones verò fuerunt Vitas patrum sanctorum, & liber sancti Gregorii, quem dialogorum vocant, cujus ultimus liber disputat multum de his, qui de corpore rapti in spiritu multa viderunt, & iterum ad corpus redierunt. Taliter verò conversando formosissimè exspectabat diem obitus sui, & interdum in Spiritu plurima videbat, de quibus pauca his, qui cum eo erant, narravit. Interea verò Werinhario Abbati de monasterio * Vulta nominato, caussa visitationis ad eum venienti, inter alia dixit: Tu post me hic deberes Episcopus fieri, omnes te elegerunt, nisi duo, hi verò duo si aliis concordarent, electio tua sine dubio perfecta fuisset. Et his dictis manus Attelini tunc * Vicedomini, & manus Hiltini camerarii comprehendens suæ fidelitati commendavit, & cum charitate eum abire permisit. Altera verò vice quadam die quasi de gravi somno expergefactus, ei assidentibus & hæc audientibus ait: Heu, heu quod illum nepotem meum Adalberonem unquam vidi, quia pro eo, quod ei secundum suum desiderium consentiebam, nolunt me impunitum in suum recipere consortium, & his dictis statim tacuit. Virtus verò corporis de die in diem decrescens, in tantum deficiebat, ut ecclesiam intrare nisi à duobus sustentatus non potuisset. Cum verò in die natali sanctorum Marci & Marcelliani, quod est XIV. K. Julii, ecclesiam introduceretur, ut missam audiret, peracta missa, ad sanctam crucem tapetium sibi deponi præcepit, & se super illo prosternebat. Ibi verò cum quasi dimidiam horam jacuisset, surrexit, & camerarium Luitpaldum presbyterum ad se venire fecit, & cunctas suas res, quas ille in ministerio habebat, in præsentiam sui portare præcepit, & ponere ante altare, nisi unam paraturam domus & mensarum, & unum coopertorium mardrinum ad servitium sui successoris dimisit. Cum verò ante eum posita fuissent, & ille ea conspexisset, dixit: Quid mihi hæc omnia nunc debuerunt? Quamvis verò illi plurima viderentur, numerus

* *Al. Fulda, rectè Brusch. ait Werinharium filium fuisse matertera S. Udalrici, Abbatem factum An. 969. ob. 982*

* *Vicentius Borg de e.cl. Florent. observavit Vicedominos ante an. millesimum fere ex clero fuisse, eam dignitatem post ad laicos transisse, Onuph. de vocib. eccleſiaſt. obſcuris, ast etiam Majores domus appellatos. Verum dist. 89. cap. Volumus. Gregor. Vicedominum à Majore domus distinguit, ibi gloſſa œconomum interpretatur.*

rus eorum major non fuit nisi pauca camisalia, & VII. vel octo mensalia, & duo sarcilia, & X. solidi argenti, quos in manum Gerhardi Præpositi commendavit statim ad erogandum pauperibus. Cætera verò omnia disposuit dividi inter clericos ejusdem loci. De vestimentis suis misit * Antonio venerando viro, quem ille antea ad Utenburam in Dei nomine inclusit. Cuidam etiam * Ruozoni, mobilitate membrorum carenti nisi de brachiis sursum, cui domicilium in cœmeterio * Kampidonensis monasterii more lectuli à terra sublevatum ædificatum erat, ut ea, quæ ab eo digesta fuerant terratenus cadendo, à domicilio separarentur, vestimenta transmisit; quia antea * cum Episcopus in eodem monasterio moraretur, prædictum pauperem per se ipsum sæpe visitavit, & ejus locutionis dulcedinem libenter audivit, quia idem ipse prædictus pauper clauso ostiolo semper in Dei laudibus & orationibus die ac nocte morabatur. O quæ lingua virum tantæ benignitatis enarrare potest, qui in ultimis positus tanto spatio interposito Christum vestire non omisit, pro eo certè, quia ei semper aderat, qui ab eo sua membra vestiri volebat. His verò prædictis dispensatis, præcepit Vicedomino cæterisq; quibus voluit suis fidelibus ac ministris, ut in cunctis locis ad suum servitium pertinentibus, cuncta quæ in eis inventa fuissent, in tres partes dividerentur, & tertia pars presbyteris pauperibusque provida dispensatione statim eo vivente donarentur, quod & factum est. Pro certo quamvis corpus gravi infirmitate detentum fuisset, sensus & animus & voluntas occupari non potuerunt, * nisi piis insisterent intentionibus.

* *Al. Hattoni, quod probo.*
* *Al. Ruzoni.*
* *Al. Campidonensis.*
* *Bruschius scribit S. Udalr. Campid. monast. aliquandiu in commendis (uti vocant) babuisse, post animirũ 941.*
* *Pro, ut nõ.*

CAPUT XXVII.

Qualiter die nativitatis sancti Joannis Baptistæ ultimam missam celebravit.

DIe itaque sancto nativitatis sancti Joannis Baptistæ hora diei prima, quasi repente de somno beatus Udalricus suscitatus, dixit camerariis suis, induite me vestimenta mea & calceamenta: qui hæsitãtes propter magnam ejus infirmitatem, si hæc in ecstasi mentis vel incapacitate sensus ejus præciperet, implendo tamen præceptum ejus, induerunt eum vestimenta ejus & calceos: statim autem paratura se missatica indui præcepit, cumque paratus fuisset, perambulavit matricem ecclesiam, & ad ecclesiam sancti Joannis Baptistæ, quam ipse antea ædificaverat, & in honore ejus consecraverat, pervenit, ibiq; * missam, quam anniversariis sollennitatibus mane diluculo consueverat cantare, potenter & cautè explevit, illaq; finita statim publicam missam iniit, & devotissimè Deo juvante in finem stando gloriose peregit: ambas missas cum stando sine adjutorio aliorum cum benedictionibus decenter

* *Antiquitus tres missæ celebrabantur in festivitate S. Joã. Bapt. una si in vigilia reliquæ duæ*

in die. Vide Albinum & Amalarium lib. 3. c. 38.

ter ad finem perduceret, consedebat, & astantibus sibi clericis dicebat: Hæc ministeria, quæ nunc Deo donante peregi, ex possibilitate corporis mei non assumpsi, sed ex præcepto: hodie enim cum in lecto quasi sopitus somno jacerem, steterunt coram lectulo meo duo viri juvenes formosissimi aspectu, è quibus mihi uns dicebat: Quare non surgis, debes enim hodie ad sanctum Joannem Baptistam missam celebrare: Cui alter respondit: Quomodo potest hoc fieri, quia pro impossibilitate corporis primam adhuc non explevit? At ille qui antea locutus est, ad me dixit: Surge, & secundum meum sermonem Dei ministerium in præfata ecclesia implere festina, quia hodie præter te nullus alius ibi missam cantabit, his verò dictis ad cubiculum regressus est. Cumque diem obitus sui devota mente & læto animo, & secundum verba psalmographi David dicentis: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, expectaret, quamvis verbis non dixisset, factis tamen manifestavit, quod de hoc sæculo se migraturum esse in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli putavit. Eadem die, antequam vespertinalis laus inciperet, & cum à custodibus omnes simul campanæ ad sonandum moverentur, balneatus & paratura, quam ad obitum suum conservatam habuit, indutus, se quasi defuncturum deposuit. Finita autem vespertinali laude aliis juvantibus se à terra levavit, & quasi secretò dixit: O sancte Petre, nunc non feci sti, sicut ego æstimavi: Et quasi animo aliquantum de hac re mente consternatus manebat. Præfatus autem presbyter Gerhardus dixit ad eum, Domine noli contristari, sed recordare, quia aliis sanctis Episcopis similiter contigit, ut enim dictum est: Circa natale Apostolorum de hoc sæculo ad requiem es perducturus, is cum speraret se in natale Apostolorum obiisse, induciæ ei prolongabantur usque in octavum diem, & tunc defunctus est. * Cassio Narniensi Episcopo per quendam presbyterum ab angelo flagellatum dictum est: Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, age quod agis, operare quod operaris, natali Apostolorum venies ad me. Episcopus autem æstimans in sollennitate Apostolorum, quæ tunc proxima erat, sibi obitum suum imminere, in quibuscumque potuit, ad depositionem corporis sui præparare se studuit. Sollennitate itaque adveniente sanus permanebat, & incolumis, & sic mansit, donec curricula septem annorū præterirent, & tunc in eodem die, sicut ei dictum est, multis bonis præmissis, & sacro ministerio expleto, feliciter migravit à sæculo. His auditis sanctus Episcopus vera esse recordatus est, & respondit ei dicens: Benedixisti frater, & relevatus mente bono animo manebat, & cum eo manentibus dulcem & commodum se exhibebat, nullum objurgans, nullum

*De Cassio Greg. dial. lib. 4. c. 56. & homil. 37. in Evang.

nullum increpans, nulli iratus, nulli molestus, nulli adversus, nullum verbum alicujus lamentationis ab eo audiebatur, sed bona omnia, quæ tunc potuit, præsentibus & absentibus fecit. Nemini indulgentiam negavit, gratia suæ benedictionis omnes consignavit. Prædictus verò Richuuinus comes nepos ejus, adhuc de regali locutione non revertebatur, de quo interdum dicebat: O Richuuine, utinam me vivente venires, ut te viderem. Eo anno sollennitas Apostolorum Petri & Pauli dominica die eveniebat, de qua optimis moribus sicut prædixi exspectabat, donec dies quintæ feriæ pertransisset; in illa nocte, antea quam aurora VI. feriæ bene cognosci potuisset, aspersocinere in modum crucis, & aqua benedicta aspersa, se deponi fecit, & sic jacebat, usque dum aurora cunctam latitudinem orbis illuminaret. Tunc Richuuinus de palatio rediens intravit, & legationem Imperatoris eo audiente recitavit. Eo scilicet viso, legationeque audita, oculos levans secundum suam possibilitatem gratias agebat Deo omnipotenti, qui secundum dicta David prophetæ, voluntatem timentium se faciet &c. Richuuipoautem exeunte, statim eadem hora clericis letaniam devotè canentibus animam Deo commendans, * Anno incarnationis Domini nostri JESU Christi DCCCCLXXIII. ætatis LXXXIII. ordinationis autem L. quarto die Julii IV. Non. ejusdem mensis, die veneris, felici obitu quasi somno suavi soporatus, ergastulo corporis exemptus migravit ad requiem. Pro certo sanctum corpus, cum ad lavandum more solito denudatum fuisset, suavi odoris fragrantia nares omnium ibi manentium replevit, & tam diu permansit, quoad usq; corpus levatum, prædestinatisq; vestibus indutum, & feretro impositum, in ecclesiam portaretur. Clerus nempe cum audiret, quod Episcopi * Bauuuariorum de prædicto colloquio redirent ad suam provinciam, misso legato voluerunt Archiepiscopum * Fridricum ad commendationem sacri corporis vocare. Cumq; ad illum nuncius perveniret, invenit eum tanta infirmitate febrium detentum, ut nullo modo advenire potuisset. Misso autem cum tristitia inde revertente, audivit quod venerandus Episcopus * Wolfgangus ad locum, qui dicitur Nordilingga, venire voluisset, in occursum ejus festinavit. Ad eum certè cum perveniret, salutatus ab eo audivit, quod Augustam civitatem pergere voluisset, visitare sanctum Dei servum Udalricum in infirmitate detentum. Cui ille respondit, Dominus sanctitati tuæ præcepit visitare eum, & ego ad hoc veni, ut nunciarem tibi, quia defunctus est, & de omni congregatione ibi Deo militante te flagitare, ut festinè venires, & sanctum corpus Deo commendares. Quo audito sanctus Episcopus magna mœstitia septus est, in eadem nocte diluculo

* *Consentit in omnibus utraq; Contracti editio, unde il, qui aliter scripserunt, corrigendi, præsertim Sigeb.*

* *Al. Bataverorum.*

* *Al Fridericum, Hundius in metrop Fridericum Archiepiscopū Salisburgēsem habet electum an. 956 qui sedit an 33.*

* *Wolfgangus Episc. Ratisponen. electus an. 968. ob. an. 994. Hund.*

surrexit, & ad Augustam pergere cœpit. In itinere vero cum cognovisset, quod ad congruum tempus illuc pervenire non valeret, præmisso eodem legato nunciavit adventum ejus. Interim verò corpus in ecclesia sanctæ Mariæ à congregatione die noctuque, cum orationibus & missarum celebrationibus, cautè & devotè custodiebatur usque in diem Dominicam. Die verò Dominica post primam missam pro ejus anima celebrata, congregato clero, & sanctimonialium congregatione adveniente, & magna de provinciis multitudine populi, presbyteri levaverunt corpus, & ad sanctam Afram, ubi antea sepulchrum ejus præparatum fuerat, portare cœperunt. Cumque venirent ad collem, qui dicitur *Pereleich, præfatus nuncius venit, & adventum Wolfgangi Episcopi nunciavit. Illi autem perducentes corpus in ecclesiam sanctæ Afræ, & item missam sacrificalem cum omni devotione pro requie ejus animæ celebravere. Episcopus verò cum adhuc non veniret, & hora diei non tardaret, nisi tempus celebrationis publici Dei ministerii immineret, & hoc cum omni devotione à congregatione clericorum perficeretur, venit præfatus Episcopus, qui cum honorificè susceptus fuisset, & orationi finem imposuisset, salutatis à se fratribus dixit: Quid vobis videtur, an hodie sacrum corpus commendamus, vel ad alterum diem procrastinemus. Cui fratres respondentes dixerunt: Si tuæ sanctitati placet, nobis bonum videtur, si omnibus, qui nunc hîc in præsentia sunt, annũciatur, ut mane congrua hora huc ad commendationem sacri corporis conveniant, & à te salutaris hostiæ munus nobis sacrificantibus pro requie ejus animæ Deo offeratur, quia congrua hora præterita est, & tu es magna lassitudine septus. Quibus auditis Episcopus consilio eorum libentissimè assensum præbens, alterum diem exspectavit. Ea verò nocte Hiltegart uxor præfati Richuuini comitis, quamvis nupta, tamen satis religiosa, venit camisaleq; cera perfusum attulit, & sublimissimos clericos petiit, ut sacro corpori cautè secretò circumdaretur, ne sacerdotalis paratura, qua indutus erat, citò à terra consummaretur, quia ipse adhuc vivens præcepit, ne tabulatum lignum corpori ejus suppositum esset, sed puræ terræ imponerent, & ligneo operculo cooperirent: qui secundum ejus petitionem camisale corpori sacro circumdederunt. Mane autem facto magna multitudine populi adveniente, & clericis sanctimonialibusque ibidem Deo militantibus congregatis, sed & de provinciis multis sacris officiis utentibus adjunctis, Antistes, cunctis pro ejus anima sacrificantibus, magna contritione cordis & humiliatione salutarem obtulit hostiam Deo, insuper etiam publica missa expleta, omnes in commune sobrio & cauto sermone admonuit, ut pro illa sancta anima

intima

*Al. Pereleich.

intima intentione cordis devotè exorent, ut ab omni vinculo delictorum absoluta, Deo donante perenni gaudio in ævum, cum sanctis & electis Dei perfrui mereretur. Oratione autem secundum verbum ejus ab omnibus peracta, Episcopus corpus * sepelivit, & animam omnipotenti Deo devotissimè cum lacrymis commendavit.

* *Carolus à Basilica Petri in vita Card. Borromæi lib. 5. c. 6. scribit, Mediolani in Basilica SS. Apostolorum inventum esse corpus S. sive Ulrici sive Arderici, incertum an Mediolanensis an Augustani Episcopi, an etiam alterius alicujus civitatis. S. Udalricum Augustanum Episcopum non fuisse, quisquis aliàs fuerit, ex hac tota historia satis liquet; ne quis tamen aliquando erret, monendum putavimus.*

Ministri autem, sicut prædictum est, operculo ligneo corpus cooperuerunt, & super hoc gradibus murati sepulchri densum lignum tabulatum superposuerunt, in superficie autem terræ cum lapidibus conjunctis firmiter clauserunt. His ita peractis, Episcopus ad Augustam causa orationis perrexit. Orationibus multipliciter consummatis, à fratribus per charitatem rogatus, paraturam missaticam quæ fuit sancti Udalrici, quarum opulentia ille vivens abundabat, propter ejus sanctitatem suscepit, & honorificè, sicut optimè dignus erat, dimissus, Deo comite ad propria reversus est.

CAPUT XXVIII.

Qualiter Heinricus successor ejus ad Episcopatum venit, & qualiter interiit.

POst obitum sancti Udalrici Episcopi, Heinricus filius * Purchardi comitis successor ejus effectus est, non providè in ovile ovium intrando, sed aliunde ascendendo, quia * Purchardo duce Alamannorum, qui filiam materteræ ejus habuit uxorem, & aliis plurimis, sed & quibusdam militibus, qui ab eo beneficia sua augeri astuta arte cupiebant, consiliantibus, subtili cœpit consilio æstimare, qualiter prædictum locum sibi potuisset usurpare; quamvis in ejus scientiam deveniret, quod Werinharius * abbas in quadam invisibili carnalibus oculis congregatione, ubi sanctus Udalricus in ecstasi mentis adjunctus, audivit: Si duo aliis concordarent, ab omni illa congregatione ad hoc ministerium fuisset destinatus, ut ejus successor efficeretur, sicuti antea * prædixi. Quidam clerici, * Advocato & aliis quibusdam militibus de eodem Episcopatu secum comitantibus, ad curtem Imperatoris baculum Episcopalem ferendo iter agere cœperunt. Cumq; ad Wormacensem civitatem ad monasterium sancti Cyriaci venirent, invenerunt ibi Purchardum ducem cum uxore sua in infirmitate occupatum. Cumque ei indicarent studium itineris sui, quibusdam machinationibus callida ratione ab

* *Al. Burch.*
* *Burchard. 3. Luitolfo successit in Suevia Ducatu A. 957. ob. 973. Ut Cōtr. author est. Primò Luitgardem sororē S. Udalrici, deinde Hedwigem filiam Henrici Bojorum D. uxorē habuit cujus mater Hērici Episcopi Augustani matertera fuerit fieri potest. Vide Sumf. lib. 4. c. 38.*
* *Abbas Uldenses.*
* *Supr. c. 26.*
* *Advocatus Episcopatus Kastenvogt, defens. Meminere hujus muneris Capitula Karoli M. lib. 2. c. 62. & lib. 7. c. 303.*
* *Al. Wormacensium.*

ab eo illusi sunt , quia dixit eis, Imperatorem his diebus prope in ultimis finibus regni ejus morari , & in ea via, quam pergere debuerunt, omnia supra modum chara , & herbam undique in defensione manere, & ideò semetipsos & eorum caballos nulla commoditate posse sustentari : non post multos dies Imperator noster vult regale colloquium habere ad locum, qui dicitur * Erinstein, illuc facile potestis ire, ideò revertimini nunc, & quando meus certus nuncius vobis prædictæ locutionis diem nunciaturus advenerit, illuc venire ne dubitetis, ibi enim me invenietis firmum vobis fore adjutorem, & in electione Episcopali sine ambiguitate me sciatis vobis concordari. His verbis auditis , vera esse æstimantes , & consiliis ejus consentientes reversi sunt. Non post multum verò temporis nuncius ducis venit, & regale colloquium in prædicto loco manere indicavit, eosque illuc venire admonuit. Qui statim aliis fratribus secum sumptis, ad præfatum locum, pergere festinaverunt. Cumque appropinquassent ad locum, qui ad balneos nominatur , quidam nuncius ejus obvius dixit , Hainricus filius Purchardi , quem Imperator cum suis fidelibus, & dux Purchardus ad Augustam antistitem esse decreverunt , nunc citò occurret vobis. Hac ratione audita contristati fratres , eò quod de prædicta electione Episcopi privari debuerunt, ultra non sunt progressi, sed revertentes in loco opportuno exspectaverunt, usque dum præfatum Heinricum inde comitarentur. Eo statim die, cum ad castra venirent milites, qui de duce Purchardo cum Heinrico venerunt, adjunctos sibi clericos rogare cœperunt, ut Hainricum in commune Episcopum esse comprobarent in eodem loco. Qui inducias petierunt, usque in communi capitulo domi cuncti fratres in unum se coadunarent. Cumq; milites hoc refutarent, & longa inter se locutione contenderent, reversi ad Hainricum cum quibusdam clericis, elegerunt eum super se esse Episcopum, quidam verò eum non eligentes ad Augustam pervenerunt ad cæteros fratres. Cumq; ad Augustam pervenirent sic sequestrati in electione ejus , venit quidam comes Wolveradus nomine cum aliis quibusdam hominibus , quasi legationem ab Imperatore ferendo ad congregationem , dicens: Imperator demandavit vobis gratiam & misericordiam & omnia bona, & postulavit, ut istum Dominum Hainricum, quem ille cum suis fidelibus decrevit in isto loco esse pastorem, ut & vos ob amorem sui Antistitem vobis eligere unanimiter non renuatis. Legatio autem hæc fraudulenti consilio compositа erat. Cui respondentes dixerunt: Veniat ille cum vobis ad capitulum nostrum, ad audiendum responsa nostra. Cumq; vix obtinuissent, ut in capitulum intrarent, legebant lectiones canonicas de electione Antistitum. Præfatus

* Al. Eristein

fatus Hainricus cum audiſſet de lectionibus in præſentia recitatis, quod in poteſtate eſſet canonicorum eum eligere vel refutare, cum venia humiliter poſtulavit, ut eum Epiſcopum eligere non dedignarentur, promittens eis, ſi ejus poſtulationi conſentirent, in poſterum omnigenæ commoditatis impenſionem. Qui ejus promiſſionibus credentes, quidam verò ſponte, quidam verò diſſenſiones vitando, omnes tamen in commune decreverunt eum eſſe Epiſcopum. Hæc verò electio cum in eccleſia militibus & familiæ nota facta fuiſſet, ſonantibus campanis ab omnibus confirmabatur. Tunc demum præfatus Heinricus aſſumptis quibusdam canonicis perrexit ad Imperatorem, & in præſentia ejus aliorum teſtimonio roboratus, de electione ejus nunciavit, humiliter flagitans, ut à celſitudine ejus Imperialis poteſtatis Pontificium prænominatum ei concederetur. Imperator autem ejus petitioni non contradixit, neque continuo adimplevit, ſed promiſit, ut poſt quinque dies in ſollennitate ſancti Mauritii ejus petitioni aſſenſum præberet, ſicut & fecit. Poſtea verò ſtatuto tempore ad Maguntiam venit, & à * Ruodperto Archiepiſcopo & ſuis ſuffraganeis benedictionem Epiſcopalem accepit. His verò temporibus * Otto filius Luittolfi filii * Ottonis Imperatoris, Dux fuit Alamannorum, & Heinricus filius Hainrici * fratris ejusdem Imperatoris Dux Bauuariorum erat, qui quamvis ex vicina propinquitate charitate conjuncti fore debuiſſent, ex machinatione male ſuadentis Satanæ invidias & * diſſenſiones inter ſe exercere cœperunt. Heinricus itaque Epiſcopus æquivoco ſuo Duci aptior manſit in omnibus, & ipſius conſiliis plus conſentiens quam Ottoni Duci, quamvis civitas Auguſta in ſuo Ducatu ſita maneret. Pro hac verò re Otto Dux contra eum iratus eſſe cœpit, & cum fidelibus ſuis conſiliari, ut ei in quibuscumque potuiſſet adverſaretur, quod & fecit. Inſuper Epiſcopus quibusdam militibus nepotibus Sancti Epiſcopi Udalrici, Manegoldo & * Hulpaldo voluit beneficia abſtrahere, propter quorundam conſilia, ſine illorum reatu. Ipſi autem quia Epiſcopo Sancto Udalrico adhuc vivente ab eo miſſi ſæpe in auxilio Imperatoris cum * herili multitudine militum venerunt, & in ejus ſervitio voluntatem ejus ſtrenuè in omnibus adimplentes, tàm diu permanſerunt, uſque cum illius gratia muneribus honorati redire dimiſſi ſunt, Regina etiam profitebatur eorum ſe eſſe propinquam, ideò beneficia accepta, Epiſcopo contradixerunt, & in eorum poteſtate eo nolente tenuerunt. Epiſcopus itaque his & aliis multis adverſis fatigatus, triſtis effectus eſt. Quodam tempore cum Imperator Otto gentem * Sclavorum cum exercitu invadere voluiſſet, & Otto, qui tunc dux erat Alamannorum & Bauuariorum, Heinrico depoſito, in

* Decimus ſeptimus à S. Bonifacio ejus ſedis Archiepiſcopus.

* Burchardo ſucceſſit an. 973. Contract.

* Ottonis Magni

* Henricus I. Bavaria dux, frater fuit Ottonis Magni, uti ſupra vidimus.

* Contract edit. enim an. 977. Diſcordia inter Ottonem ducem Sueviæ & Henricum ducem Bajoariæ commota eſt

* Al. Hucpaldo.

* Herrlicht Anzahl.

* Sigebert. an. 976. Otto Imp.

contra Sclabos proficiscitur.

in adjutorium ejus venire cum Alamannis & Noricis paratus esset, Hainricusq; Episcopus ire se cum illo promitteret, expectavit cum suis militibus, donec recederet exercitus, & sicut antea consiliati sunt, occupavit cum militibus suis civitates, quas potuit, & ipse in * Nuuuingburg intravit. Heinricus autem, qui antea Dux fuit, * Pazouuam civitatem introivit, ea ratione, ut Ottone cum exercitu recedente provinciam sibi adjutorio nepotis sui Episcopi subjugaret. Hoc itaque consilium cum Ottoni duci notum factum fuisset, reversus est cum exercitu ambarum provinciarum, & obsedit eum in præfata civitate Pazowa. Imperator autem Otto cum Dei clementia liberatus à Sclavis, venit post eum ad eandem civitatem in obsidionem ejus. Cumq; obsidione finita & carinula mitigata, Imperator ad Saxoniam reverteretur, postea statuto tempore Heinricus filius Hainrici, & æquivocus ejus filius * Perhtolfi ad colloquium Imperatoris vocati sunt, cum quibus etiam Heinricus Episcopus ad Imperatorem, se ad excusandum de prædicto reatu venit, ut restitutus gratiæ ejus ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio * Heinricus & æquivocus ejus in exilium missi sunt : Heinricus autem Episcopus ad * Vurdinam, ubi sanctus requiescit Luitgerus, Abbati ad custodiendum commendatus est. Cumque ibi de Pascha usque post nativitatem sancti Joannis Baptistæ cum magna cautela custodiretur, factum est Imperiale colloquium in oppido, quod dicitur Trutmanna, illuc venerunt duo presbyteri Gerhardus & Anamotus de Augusta, & cum interventu Ottonis Ducis & Episcoporum ibi inventorum, supplicaverunt non solum de semetipsis, sed de omnibus clericis & laicis in eodem Episcopatu habitantibus, ne diu Episcopali custodia privarentur. Imperator autem petitioni Ottonis ducis & aliorum suorum fidelium præfatorumque clericorum satisfaciens, Episcopum de exilio reduci præcepit, & in præsentia sua iterato fidelitatis suæ sacramento, cum gratia sua ad Episcopatum suum redire concessit. Restitutus autem in suum locum Episcopus, tractare in animo suo cœpit, pro quibus reatibus ei tam diversa adversa sic frequenter accidissent, qui à Duce multipliciter plus quam antecessores sui injuriabatur, & quia principes militum beneficia sua contra voluntatem ejus habere præsumebant, & electissimi de paterna sua familia ministratores diverso modo repente interierunt, secreto à familiaribus clericis interrogavit, si sanctus Udalricus de Werenhario Abbate diceret, ut successor ejus fieri deberet, sicuti ei antea dictum est. Cumque in veritate verum esse cognovisset, quod antea credere noluit, expavit se vehementer, sed publicè non manifestavit, pro eo plus expavit, quia tunc frequenter signa magna & mirabilia ad sepulchrum sancti Udalrici Episcopi Deo conce-

* Al. Nuunburch, Newburg.

* Qua vulgò Patavia, antiqua Batava.

* Al. Pertolfi.

* Contra Alt. edit. Bet. an. 977. habet Henricos duces & Hericum Episcopum missos in exilium.

* Al. Wirdiam, Sur. in vita S. Ludgeri Werthinense & Werdenense monast. appellat.

concedente fiebant. Tunc demum in meliora multipliciter mutatus, cum Deo se pacificare conatus est, & matricem ecclesiam novo tecto cooperire præcepit, & super Licum fluvium ad sanctam Afram pontem composuit, & ut nullus ex familia de ponte teloneum aut ullam redhibitionem acciperet, præcepit, sed in eleemosynam ejus, quicumq; voluissent, sine contradictione & occupatione pergerent. Postea autem Romam & limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli pro remissione delictorum suorum visitavit. Et antea quam illuc pergere cœpisset, proprietatem, quam pater suus * Purchardus in Geisinhausa habere visus est, & quam Etichoni fideli suo sub testimonio contradidit, ea videlicet ratione, ut eam illuc firmiter transfuderet, ubi eum filius ejus Heinricus Episcopus rogaret, tunc pro certo * Etih, postulante Episcopo tradidit cum manu ejus præfatam proprietatem legitimè secundum legem Noricorum, sanctæ Mariæ super altare ejus in Augusta civitate situm, & super capsam deauratam, lapidibusque inclusis decoratam, eum ecclesia & totis ædificiis, cum agris, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, civitatibus, sylvis, tonsis & intonsis, quæsitis & adhuc inquirendis, & cum familia, & cum omnibus ad eandem proprietatem jure pertinentibus, nisi xx. hubas extra traditionem dimisit, & eas servituti sancti Magni ad Fauces decrevit, Canonicisq; placitavit, ut potestatem haberent, si vellent easdem hubas x x. cum x. in ista provincia in bono loco sitis hubis concambire, in manum Werinharii advocati, & in manum Gerhardi præpositi, pro remedio animæ suæ, & patris matrisque suæ, & materteræ suæ, cæterorumque propinquorum & parentum suorum, in eam placitationem, ut in jure & potestate Canonicorum perpetualiter in oblatione permaneat, salvo in omnibus eorũ quotidiano stipendio, & ut ipsi pro requie ejus animæ annis singulis ante anniversarium diẽ ad horam vespertinam vigiliam plenam de voce celebrent, & in anniversario die iterum vigiliam expleant, & celebrata missa altaris, hostiæ oblationem omnes in commune Deo offerant, & insuper centum pauperes sufficienti stipendio edendi & bibendi procurent, & ex eis xii. vestiant, in uno anno lineis vestimentis, & in altero anno laneis induant, & caligas calceamentaque præbeant. Si autem aliquis Successor * ejus antistes hanc placitationem irrumpere tentaverit, & prædictam proprietatem Canonicis auferendo in suam utilitatem aliquo modo redigere conatus fuerit, & ista ratione ei comperta statim non restituerit, hæredes ejus legitimi liberam habeant potestatem, tres ponere super altare denarios, & eandem proprietatem inde redimere & in jus proprium possidere, omnibus in futurum generationibus. Actum in Augusta, in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ ante altare, Episcopo Hainrico perpetrante, in

*Burchardo in Giſenhauſen, de Comitibus in Geiſenhauſen conſule Hundii Geneal. Bav.

* Al. Etbith.

* Al. meus, & ſic poſtea.

præsentia Canonicorum, coram frequentia populi, & coram testibus subnotatis. Signum * Etih, qui hanc traditionem fecit. Signum Adalbero. Signum Jagob. S. Marahuurat. S. Willehalm. S. Hunurid. S. Engilmar. S. Wezzi. S. Pilgirim. S. Gundachar. S. Cadolt. Isti de provincia Noricorum.

* *Al. exempl. hac nomina habet, Etich, Adalbero, Jacob, Marahuuart, Willehalm, Hunfrid, Engilmar, Wezsi, Pilegrim, Gundechar, Cadolt, Werinhere, Gerhardi, Hiltepold, Gotepold, Reginhard, Suidger, Arebo, Vrolf. Dies & annus non est ascriptus. Sed & hæ appellationes inversæ sunt, isti de provincia Alamannorũ, isti autem de provincia Noricorũ.*

Isti autem de provincia Alamannorum. Signum Werenhere advocatus, qui hanc traditionem cum manu * Kerhardi Præpositi accepit. S. Hiltipold. S. Gotebold. S. Reginhar. S. Suidger. S. Aribo. S. Vrolf. Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo octuagesimo, indictione VIII. IV. Nonas Octob. * & xx. die Jovis. Ego igitur Gerhardus indignus presbyter * notavi diem & annũ. His ita, sicut prædixi, expletis ad Romã perrexit, & votis suis peractis sanus ad propria venit. Adhuc autẽ intus magna angustia mentis angebat, pro eo quod à Duce Ottone, quamvis exterius pacificati essent, plus cogebatur, quam antecessores sui, ei servitium facere de rebus sanctæ Mariæ; & pro eo quod quidam milites beneficia ecclesiastica ad illius potestatem jure pertinentia contra ejus voluntatem possidebant. Quia ille ex nobilibus parentibus ortus est, & Grammaticæ artis aliorumq; librorum magnam scientiam habebat, suaviq; colloquio & bene sonante loquela valde congruè exuberabat, in sanctis sollennitatibus in Dei servitio & in prædicatione studiosus fuit. Herili servitio ad mensam suam utebatur, & cum eo manentibus copiam manducandi atq; bibendi hilari vultu & placida mente porrexit. Familiæ autem plus justo sævior extitit, eorum jus tollendo, & in quibusdam locis novum censum creando. Tunc demum cognoscebat, quod prælibata adversa nisi Deo adjuvante, & Imperialis celsitudinis gratia machinante superare non potuit, & toto nisu servitio Imperatoris se innectere studuit, ut acquisitione ejus gratiæ omnes contrarietates ei ab aliis undiq; imminentes, cum ejus clementia & cum ejus præceptis mitigarentur. Ideò igitur sæpius cum Imperialibus muneribus eum visitavit, & * drudes suos donis congruis sibi complacare satagebat, & insuper hostilia itinera cum eo pergebat, taliter sicuti ei optimè æstimabat placere. Anno itaque incarnationis Domini nostri Jesu Christi * DCCCCLXXXIII. Imperator cum exercitu Calabriam provinciam adiit, illuc etiam Episcopus Hainricus cum eo pervenit: Cumque ibi pugna cum Sarracenis ageretur, plurimis ibi ex utraq; parte occisis, heu dolor, sive captus, sive occisus, etiam ibi remansit. Supra modum est lamentandum perditio ejus, quia locus ejus à clericis suis, & propinquis & cognatis & amicis inveniri & visitari non potest.

* Gerhardi.

* Et xx. videtur delend.

* Hinc quibusdam creditum, Gerhardum hujus vitæ auctorem esse: Inepte, est enim ista instrumenti subscriptio.

* In uno exempl. supra scriptũ erat gratos, in alio, consiliarios; in tertio drudes seu consiliarios. Videtur esse à Germanico draut antiq. drut/ quod fidem significat.

* Contr. habet An. 982. Martã. Scot. 983. præliũ commissum Idib. Jul. Lãb. Schafn. III. Id. Dittmar.

Peri-

Periculosum est valde, decretum Dei per suos sanctos revelatum supergredi,&prophetias spernere,dicente scriptura,Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Werenharius autem postea ab Imperatore interrogatus, si Episcopatum accipere vellet,sicut S. Udalricus antea decrevit, qui cum adhuc esset sanus & incolumis respondit, se ultra hunc Episcopatum non velle accipere. Post contradictionem autem Episcopatus,ut à ministris ejus comperi, paucis horis interpositis infirmari cœpit, & ad * Luggam vitam * finivit, & corpus ejus portatum est usq; ad * sanctum Domninum,&ibi honorificè est sepultum. Otto autem dux etiam ad Luggam defunctus est,& à suis * super montana portatus, & usque ad Aschaffenburg perductus, cum magno honore & nimia lamentatione ibi terræ commendatus est.

* Fort. Luca Hetruriæ.

* Lambert⁹ auctor est,in prælio obiisse; si codex Vitto tamen caret.

* Nunc Turgum S. Domnini appellant prope Parmam.

* Super montana, hoc est trans Alpes, ex Italia nimirum in Germaniã.

MIRACULA SANCTI UDALRICI.

De cereo,qui cecidit supra tapetium,miraculum primum.
De eo,qui de febre ibi liberatus est in primis. II.
De multitudine à febribus liberatorum. III.
De eo,qui unum de baculis abstulit. IV.
De Adalgero presbytero. V.
De his,qui de baculis fulciebantur. VI.
De multitudine baculorum. VII.
De cujusdam mulieris filia sanata. VIII.
De eo,cui aures & lingua solutæ sunt. IX.
De simulario Episcopi Heimrici. X.
De eodem,qualiter de vulnere ereptus est. XI.
De Adalhardo,qui charitatem S. Udalrici bibere recusavit. XII.
De Waldkero,qui etiam charitatẽ contempsi & mortuus est. XIII.
De Hereuunso,qualiter sanitati restitutus est. XIV.
De Hiltepaldo,qui lumen oculorum recepit. XV.
De Ruodperto,qui primum in itinere,postea ad sepulchrum sanatus est. XVI.
De Luiterico,qui visum recepit. XVII.
De clerico,qui loquelam amissam recepit. XVIII.
De cæco,qui lumen in via recepit,& ductorem suum ad sepulchrum portavit. XIX.
De matrona à dæmone liberata. XX.
De filio Woltzlawi ducis. XXI.
De Misicone duce,quomodo liberatus est. XXII.
De muliere,quæ à dæmonio liberata est. XXIII.
De eleemosynaria Abrahami Episcopi liberata. XXIV.
De cæco,quem ductor spoliatum dimisit. XXV.
De puerulo,qui de ponte cecidit in amnem. XXVI.
De eo,cui fœnum in favillas mutatum est. XXVII.
De muliere,cui manus contractæ sunt. XXVIII.
De claudo,cui caballus in pedibus vitiatus est. XXIX.
De infirmo,qui cõtra voluntatẽ portantiũ de lecto exilivit. XXX.

CAPUT

Caput I.

Qualiter tapetium ſepulchro ſuperpoſitum ignis non tangebat.

POſt commendationem pretioſi theſauri ſacri corporis Udalrici, tapetium ſepulchro ſuperponebatur, & aſſiduum lumen appoſitum ſine intermiſſione ardebat. Quidam autem cuſtodum ardentem cereum incautè poſuit juxta ſepulchrum, quo recedente cereus cecidit in transverſum ſuper tapetium ſepulchri, & ardens permanſit, donec illa pars cerei, quæ ſuper tapetium jacebat, ab igne conſummebatur, & cum anteriori parte tapetii, quæ ſepulchro eminebat, conjunctus arderet, & flammam ſurſum per tapetium emitteret, cuſtos advenit, & hoc videns tremefactus obſtupuit, & quod adhuc remanebat de cereo timens abſtulit, tapetiumq; ſollicitè inſpexit, ſi ab igne aliquid læderetur, veſtigium ignis de minimis micis cerei invenit, unum verò pilum in ſuperficie & in latere ſepulchri in tapetio exuſtum invenire non potuit. Hoc miraculum cum magiſtro ſuo & fratribus nunciaret, & veſtigium cerei monſtraret, & tamen tapetium illæſum oſtenderet, admiratione & gaudio repleti Deum omnes glorificaverunt & ſanctum Udalricum.

Caput II.

De Reginuualdo ſanato.

QUamvis adhuc nullum inibi apertè fieri miraculum compereretur, utriuſque ſexus familiæ multitudo jugiter pavimento proſtrata, poſitioni ſancti corporis adjuncta, neceſſitatis ſuæ ſuffragia precabatur, deprehendensque ei multa omnigenæ commoditatis auxilia inde evenire, frequentius eundem cœpit viſitare locum. Itaque cum ab aſſiduitate viſitantium, domino concedente, plurimis ille commendaretur locus, venit quidam homo de provincia Noricorum nomine Reginuualech, qui integro anno febre fatigatus ad nimiam infirmitatem deductus, ad Wicfredum Præpoſitum ejusdem loci venit, interrogans eum, ſi aliquod liberationis ſuæ medicamentum ei indicare potuiſſet. Qui reſpondens dixit: Vade & acquire tibi baculum, & porta eum ad ſepulchrum Domini mei ſancti Udalrici pro ſoſpitate tua. Qui ambulans inde concidit ſibi baculum de ligno bidullaneo, & portavit eum ad præfatum Præpoſitum, qui ambulans cum eo duxit eum ad ſanctum ſepulchrum, & monſtravit ei baculum ponere ſuper illud, oratione etiam clericorum fretus, & doctrina eorum in fide confortatus, eadem hora à febre liberatus ſanitati manifeſtè redditus eſt.

Caput

CAPUT III.

Item de miraculis.

EOdem verò tempore in istis regionibus incredibilis multitudo populorum febribus fatigabatur : qui cum audirent præfatum hominem ad sanctum sepulchrum, sicut prædixi, fore liberatum, quidam cum baculis, quidam etiam additis aliis oblationibus, festinaverunt pro sanitate sua sanctum visitare sepulchrum, qui omnes, undecunq; venirent, celeriter sanitati restituebantur.

CAPUT IV.

*De * Hisenhardo à febre fatigato.*

* *Al. Isindardo.*

QUidam de familia sanctæ Mariæ Hisenhart nomine, unum de baculis, qui ad sepulchrum de infirmis portabantur, tulit, & eum in manu portando inde ambulare cœpit : cumque ad collem, qui dicitur * Perileich, veniret, à febre acriter fatigari cœpit. Tunc persentiens, pro quo reatu infirmitati concederetur, regressus ad sepulchrum baculum restituit in locum, ubi eum tulit, votumq; fecit, ut ultra nullum inde auferre præsumeret, votoque peracto à febre dimissus est.

* *Al. Perleich. al. Berleich.*

CAPUT V.

*Qualiter * Aldilger bacellos à sepulchro tulit.*

* *Al Adalger.*

DE congregatione sanctæ Afræ presbyter unus Adelger nominatus, tulit de sepulchro duos bacellos speciosos ad videndum, & aptos in manibus ad portandum, & sui obliviscens portavit eos in domum suam, ibiq; cum sedisset, invasit eum oscitatio crebra, & obripilatio cutis maxima, & omnia membra tædio occupata sunt, ita ut virtutem sedendi, neque ambulandi, nec saltem jacendi aptè non potuisset habere : qui intra semetipsum æstimare cœpit, pro qua re tam subita solutione membrorum gravaretur, & surgens venit ad Wicfredum præpositum, & nunciavit illi eventum rei, cui ille dixit : Tu ne istos bacellos de sancto sepulchro tulisti ? Qui dixit : Ita feci. Festina, inquit ille, reponere eos in locum suum. Hoc cum factum fuisset, omni incommoditate corporis fugata, presbyter confestim sanitati pristinæ restitutus est.

CAPUT VI.

De his, qui de apportatis baculis in ecclesia tollere præsumebant.

QUicumq; etiam de multitudine vulgi de apportatis baculis in manus suas acceperunt, ut inter sacra mysteria se super eos inclinarent, ut facilius finem mysterii expectarent, repentina invasione febris quassati sunt, compertaq; caussa eventus, rejectis baculis eadem hora liberati sunt.

CAPUT

Caput VII.

De baculis multiplicibus.

HIS casibus divulgatis, & in notitiam undique omnium deductis, nullus præsumebat vel minimum bacellum sine licentia inde auferre, & ideo tanta multitudo baculorum excrevit, ut facile dinumerari non potuisset, nec sine impedimento in angulis ecclesiæ collocari. Unde factum est, ut super trabes ejusdem exedræ, ubi sepulchrum situm est, ponerentur. Mansionarii itaq; præcipiente eorum magistro frequenter eos ad focum portant, & eis ardentibus ceram in mollitiem redigunt, * candelas multiplicandas ad servitium Dei, super trabes tamen plurimi semper remanebunt, & hi, qui eos conspiciunt, non putant numerum eorum in aliquo minorari. Sustentacula eorum, qui gratia Dei concedente per merita sancti Udalrici à diversis infirmitatibus ibi sunt liberati, plurima pendent, & aliorum analogiæ secundum membra diversa infirmantium figuratæ etiam plurimæ ibi videri possunt. Vehicula etiam eorum, qui carris superpositi multimoda debilitate membrorum manci illuc veniebant, & in omnibus membris perfecta sanitate donabantur, relictis ibi carris cum tuguriis, pedestri itinere læti redierunt, ante fores ecclesiæ conspici possunt.

* *desß ad.*

Caput VIII.

De sanata filia cujusdam mulieris.

CUjusdam verò mulieris filia in brachio in totum debilis facta in pago * Geltenstein, cui quadam nocte in somnis dictum est: Quare filiam tuam cum lucerna non perducis ad sepulchrum sancti Udalrici pro sanitate sua? Quæ expergefacta somnium nunciavit filiæ suæ, & ut celerius potuit eam illuc cum candela perduxit, & perfecta sanitate recepta, eam inde lætam ad propriam possessionem revexit.

* *Al. Geltenstein.*

Caput IX.

De quodam viro auditum recipiente.

DE eodem verò pago de oppidulo * Toningeuue vocato, quidam homo, cui aures clausæ sunt, ut nihil audire potuisset, & lingua ligata ita, ut nunquam ullum verbum proferre potuisset, ad sepulchrum sancti Udalrici à fratribus suis deductus est, & ibi prostratus diu jacuit lacrymas fundendo, elevatus autem à fratribus per altaria deductus est. Cumque ambulare cœpisset, & perveniret ante altare sancti Donati, quod est situm ad occidentalem partem ecclesiæ, audivit sonitum canentium in choro clericorum, & infirma adhuc voce dixit fratribus suis: Ecce audio & loqui possum. Qui cum peracto Dei ministerio hæc cle-

* *Al. Toningeuue.*

ricis

ricis annunciarent, & ipsi veraciter hæc ita esse cognoscerent, campanas sonare fecerunt, & ipsi in communem Deum laudare cœperunt, laudationeq; finita cum perfecta loquela & integro auditu donatus, præfatus infirmus abire promeruit.

Caput X.

De Luitnoto.

EX familia Episcopi Hainrici * similarius quidam Luitnot nominatus, reatu proprio gratiam Domini sui perdidit, pro eo, quia farra, per loca Episcopi sibi commendata, magna incautela dissipavit. Qui cum à ministris Episcopi vehementer territus maximum timorem incideret, ad sepulchrum sancti Udalrici pro liberatione imminentis angustiæ nudis pedibus accessit, & ibi diu cum lacrymis adjutorium ejus postulavit. Inde autem cum reverteretur, paucis diebus interpositis, facilius quam credere potuisset, gratiam sui Domini recepit. Deinde in auxilium ejus firmiter ubique confidens, in recreatione sua pro amore ejus frequenter bibebat, & alios bibere postulare consuevit.

*Pistor penu rimarii, Scmdbd.

Caput XI.

*De quodam * Razone.*

*A. Rasons.

IDem Luitnotus quadam die ad domum Razonis, qui tunc potens minister Episcopi fuit, in oppido * Pobingga venit, & ibi cùm eo prandium sumpsit. Qui cum saturatus abire voluisset, præfatus Razo cogebat eum plus ad bibendum. Cujus petitioni ille contradicere non audebat, sed vas, quod illi porrigebatur, accepit dicendo, istam siceram bibere pro charitate sancti Udalrici, per cujus adjutorium de maximis angustiis liberatus sum, volo. Cumq; poculum hausisset, & vas cum manu deorsum verteret, dixit: Cum ista charitate signatus, certus sum, quia nullius adversitatis pravitas mihi hodie poterit nocere, sed neque gladius corpus meum vulnerare. Cui Razo dixit, da mihi digitum tuum, ut videam, si cultellus meus tuum possit vulnerare membrum: Qui statim magna fide digitum suum ei porrigebat, ipse autem apprehenso ejus digito, alia manu cultellum de vagina extrahere conabatur, ad vulnerandum digitum prænominati pistoris, propriæq; suæ manui cum eodem cultello grande vulnus infecit, digitumq; apprehensum simul & cultellum festinè dereliquit, & suam manum vulneratam lamentari cœpit, pistor autem in fide confortatus sanus recessit.

*Al. Popinga.

Caput XII.

*De quodam * Adelhardo.*

*Al. Adalhardo.

ALius autem ex familia nomine Adelhardus, cum de Augusta civitate ad suam mansionem, quæ est sita in oppido * Eitingen nominato, pergere voluisset, ante portam civitatis qui-

*Al. Eitinga, al. Estinga.

dam homo eum cum aliis bibere rogavit, cumque bibere cœpissent, quidam ibi manentium pro charitate sancti Udalrici postulavit eos potum accipere, præfatus autem Adelhardus sordidum verbum ex ore suo emisit, & poculum rogatæ charitatis accipere renuit. Cumq; paululum inde recederet, in planitie viæ equo suo cadente crus ejus fractum est, & ita ad suam domum cum labore deductus longo tempore debilis permansit. Postea verò votum ad sepulchrum sancti Udalrici vovit, & Deo donante sanitati est redditus, & deinde charitatem, quam antea sprevit, alios frequenter bibere postulavit.

Caput XIII.

Aliud.

IN præfata villa Eitinga quadam die cum multi ex familia simul ad bibendum in unum congregati fuissent, fuit inter eos unus nomine * Walterih, discipulus Wicfredi Præpositi de sancta Afra, qui cum audiret ibi postulare sancti Episcopi Udalrici charitatem, profano ore quasi insaniendo stultissimè locutus est: Quid mihi prodest charitas illius Episcopi, quia ille signa facere non potest plusquam unus canis. Illo verbo emisso, diabolo concessus loquelam hominis amisit, & more canis furendo sonare cœpit, & ganniendo atque latrando parvo tempore evoluto heu miserabiliter vitam finivit.

** Al Walterich.*

Caput XIV.

De Hereuunso sanato.

IN civitate Augusta quidam faber * Hereuuns vocatus, longo tempore magna infirmitate totius corporis detentus, ita ut ambulare non posset, nisi aliis adjuvantibus, & interdum cum duobus sustentaculis sustentatus, prope terrâ tenus inclinato capite ad necessaria corporis vix pervenit. Qui cum audisset multos infirmos ad sepulchrum sanctum sæpe sanari, cœpit illuc ultra vires repere, & mane diluculo de mansione sua exire, & illuc ante horam diei tertiam vix pervenire. Cumq; hoc frequenter fecisset, quodam tempore in quadragesima die Veneris, cum ad portã, cui cappella sancti Michaelis est superposita, veniret, ultra modum lassus & universis viribus destitutus subsistit dicens: Domine Deus, Pater omnipotens, cognoscere dignare, quanta difficultate nunc istum adii locum, & per merita sancti confessoris tui Udalrici miserere mihi, & aliquantulum pausatus repsit usq; ad sepulchrum, finita ibi oratione, dum acceptis sustentaculis adjuvante comite suo surgere voluisset, unum sustentaculum in pavimento lapsum est, & ipse ad terram iterum dejectus est, & in dejectione genua ejus retrò in contractione nervorum more fractorum malleorum sonitum fecerunt, & crura per pavi-

** Al. Hereuunjus. Al. Hartßein.*

pavimentum extensa sunt. Comes autem illius cum solito more eum levare voluisset, dixit illi: Exspecta paulisper, ut mihi videtur, ex me ipso surgere possum & ambulare. His dictis, dimissis in pavimento sustentaculis surrexit & ambulavit. Qui statim ibi accepta cruce, clericis civibusq; cæteris cum eo comitantibus, sine baculo potenter ad sanctam Mariam in Augustam civitatem perambulavit, ibiq; Dei laudibus in commune peractis, eadem hora ad sanctam Afram crucem portando regressus est.

Caput XV.

*De * Hiltipaldo illuminato.*

* Al. Hildibaldo.

NAtivus quidam pauper de oppido, quod dicitur * Meslinga, Hiltibaldus nomine, cæcitate perculsus est, & in illa cæcitate duos annos perduravit: tertio autem anno quidam homines, de eodem pago, pergere decreverunt ad Augustam civitatem caussa orationis, qui invenerunt eum in eodem itinere cum duce suo victum per oppida quærentem, & dixerunt ei: Perge nobiscum ad Augustam civitatem & ad sepulchrum sancti Udalrici, forsitan ibi misericordiam consequi poteris. Quibus ille respondit, Stipendia mihi & ductori meo, & oblationes ad illa sancta loca deferendum non habeo. Qui respondentes dixerunt: Si nobiscum ieris, quantum possumus auxiliatores tui sumus. Quorum consentiens suasionibus cum eis perrexit ad Augustam, & eadem nocte juxta sanctum sepulchrum foris ecclesiam diem expectavit futurum. Mane autem facto, infra ecclesiam ad sepulchrum deductus devotè oravit, & antea amissum lumen oculorum Dei gratia donante recepit, levataq; cruce comitante cum eo magna multitudine populi, ad sanctam Mariam pervenit, & qualiter sit illuminatus, civibus suis ei testimonium dantibus recitavit.

* Al. Messinga.

Caput XVI.

*De quodam * Ruperto sanato.*

* Al. Rutperto.

QUodam tempore cum sanctus Episcopus ad synodum Ottonis Imperatoris in Ingilunheim congregatam pergeret, quidam pauper de oppido Affelterbach Rudpret vocatus juxta viam ei conjunctus est, ilia sua de ventre prolapsa in loco umbilici portans in sinu suo: cumq; ea aperto sinu Episcopo ostenderet, præcepit ei denarium dari & dixit illi: In pace Dei perge, qui non multo post tempore meliorari de die in diem cœpit, & sanato ventre de prædicta infirmitate liberatus est. Postea autem idem ipse claudus factus est, ita, ut nisi scamellis sustentatus ambulare potuisset, utilitate etiam dextræ manus in lineamentis totus privatus est. Hac infirmitate cum quatuor annis detentus mansisset, desideravit venire ad sepulchrum sancti Udalrici, & comparavit ceram

* Hoc miraculum in uno exempl. etiam sub finem cap. 23. Vitæ S. Udalrici relatum. Porro minimũ duabus In gelheimens. Synodus S. Udalrici interfuit; Posterioris, quæ ætate 972 mentio fit in Vita c. 23. Prioris meminit a. 948. 7. Id. Jun. Frodoardus in Chron.

ceram, quam secum ad sepulchrum deferret, comparata autem cera virtus ei in sustentaculis baculorum, dimissis scamellis, ambulandi concessa est. Illuc autem taliter cum perveniret, manus ejus & genua sanitati restituta munia sua receperunt, ita, ut idē homo sine sustentaculis erectus gradiens tripudiando rediret.

CAPUT XVII.

*Qualiter quidam * Liutiricus visum recepit.*

* *Al. Luitharius.* * *Al Luitharii.* * *Al Lutarius.*

DE regno etiam * Lottharii quidam * Lutericus, qui multo tempore luce oculorum caruit, ad sanctum sepulchrum venit, & orationibus peractis clarum visum recepit.

CAPUT XVIII.

De quodam clerico sanato.

CLericus quidā, qui in Augusta civitate studio discendi sæpe inter scholares morabatur, cum ad propinquos suos reverteretur, mutus effectus est, cumq; ab eis ad sepulchrum sanctum deductus fuisset, emissis de ore suo duobus denariis super sepulchrum, loquelam, quam amisit, recepit.

CAPUT XIX.

De quodam cæco visu recepto.

* *Al. Smuturam al. Sivuturā.*

CÆcus quidam cum valde parvulo ductore ad sanctum locum hyemali tempore studuit pergere, qui cum * Smutturam fluvium transgrederetur, & ad longum rivulum de fonticulis congregatum super viam decurrentem veniret, ductor ejus ei auxilium præbere non potuit, sed de frigore & lassitudine defectis viribus cecidit. Cæcus autem ductore cadente magna cura & tristitia per decursum rivuli cum baculo undiq; palpando ambulavit, & magna voce clamando ad sanctam Mariam & sanctam Afram, & ad sanctum Servum Dei Udalricum, adjutorium & misericordiam sibi dari intenta mente flagitavit, cumq; sic palpando & clamando pæne usq; ad finem rivuli perveniret, Dei donante clementia subito apertis oculis lumen aspexit, & regrediens ductorem suum levavit, & usque ad sanctum sepulchrum, omnipotentem Deum & sanctos ejus laudando, portavit, ibiq; manifestè clericis & omnibus præsentibus, quæ ei in via acciderant, recitavit.

CAPUT XX.

De matrona sanata.

FUit quædam matrona in Francorum provincia prædives & nobilis, quæ arrepta à diabolo nimiè laborabat. Ad cujus ereptionem quinq; Episcopi cum aliis plurimis convenerunt, qui cum diabolum orationibus & conjurationibus arctarent, ut obsessum corpus dimitteret, clamans & ejulans dixit, nisi aliquio de

rebus

rebus Episcopi Udalrici huc venerit, propter vestrum præceptum possessum vas non dimitto. Cumq; iterum atq; iterum eadem responsa iteraret, æstimare cœperunt, ut legatos ad Augustam mitterent, ut aliquid acquirerent de rebus Episcopi. Interim verò cum hæc inter se arbitrarentur, clamavit diabolus per os matronæ: Væ mihi, Væ mihi, hic in vicinitate est presbyter unus, qui habet humerale, quod fuit præfati Episcopi: quamvis non sponte, sed Deo jubente nominavit presbyterum & locum, ubi habitavit. Cumq; accersitus presbyter cum humerali veniret, antequam domum intraret, dæmon dixit: Væ, væ nunc venit humerale Episcopi. His dictis, clamando & dolendo corpus matronæ valde fatigatum reliquit. Interrogatus autem presbyter, unde ei humerale veniret, respondens dixit: Episcopus aliquando ad regale colloquium pergendo, ad nostram ecclesiam venit, & nos sibi missam cantare rogavit, cumq; alba nos indui sine humerale velle videret, dixit: Ubi est vestrum humerale: Cui ego respondi, non habeo humerale, tunc ille illud humerale jussit mihi donari. Matrona autem à dæmonio liberata, & sensui sanitatiq; restituta, tota vestimenta sua, quibus eo die induebatur, cum caligis & calceamentis ad sepulchrum sancti Udalrici per nuncios misit, quibus etiam præcepit, ut ibi nunciarent, qualiter Domino concedente per ejus merita est liberata. Wicfredus ejusdem loci præpositus, qui etiam & custos ecclesiæ eo tempore mansit, de froco ejusdem matronæ dalmaticam fieri fecit, & alia ejus vestimenta, sicut congruum fuit, ad Dei servitium composuit, ut hoc signum misericordiæ Dei frequentius posteris in recordatione maneret.

CAPUT XXI.

*De filio * Wolezlauui ducis.*

*Al. Woleslaus.

IN regione * Sclavorum, filius * Wolezlauui ducis in valetudinem incidit, & in tantam infirmitatem deductus est, ut pater ejus & mater cæteriq; præsentes amici, præsentem vitam eum ulterius habere posse desperarent. Cumq; pater in his angustiis versaretur, admonitus est de * matre pueri & de aliis, quibus notum fuit, quam multipliciter multi per merita sancti Udalrici de diversis angustiis liberati essent, continuò votum vovit, si filius ejus ad vitam rediret, ut missis legatis sepulchrum sancti Udalrici cum oblationibus visitaret.

* Bojemia scilicet.

* Boleslaum interpretor, Filii cognomine, Bojemiæ principem, cui Boleslaus cæcus filius fuit. Vixit autē sub Ottonibus. Vide Dubravium lib. 6.

* *Hemma ex Saxoniæ princip. uxor Boleslai. Dubrav. Visitur Augustæ in ecclesia cathedrali donarium, cui hi versus inscripti sunt,*

Hanc zonam Regina nitens pulcherrima Hemma,
Witgario tribuit sacro spiramine plenum. Verum ea alia Hemma fuit, uxor Ludovici II. quod ex nomine Witgarii Augustani Episcopi constat, quem Regino an 887. obiisse scripsit.

Eodem verò die filius ducis conversus ad vitam, consolationem patri non minimam obtulit. Qui cognoscens misericordiam Dei in filio, nuncios statim mittere & votum ejus implere studuit. Qui venientes ad sepulchrum * obtulerunt v. libras argenti, & aureos quam plurimos, & de cera quantum unus fortis saumarius portare potuit: mater etiam pueri seorsum aureorum denariorum bonam partem pro filio misit. Legati etiam altare sanctæ Mariæ cum aureo & aliis oblationibus, sicut eis præceptum est, devotè visitaverunt, similiter & altare sanctæ Afræ, & narraverunt, pro qua re missi sunt, dicentes, ante quam ipsi exirent de sua provincia, ut filium Domini sui ambulantem & sanum dimitterent.

* Boleslaus valde munificus in sacra loca fuit, ecclesias viginti condidit & dotavit. Dubrav. Ann. Sylv. hist. Bojem.

CAPUT XXII.

De * Misicone vulnerato.

* Al. Misechone.

ALio quoque tempore quidam dux * VVandalorum * Misicho nomine, cum sagitta toxicata in brachio vulneratus est. Qui cum sentiret sese veneno nocivo esse percussum, & sibi imminere mortis interitum eadem hora putaret, cum magna fide & constantia votum vovit, ut brachium argenteum cum manu quantocyus potuisset ad sanctum Udalricum mittere non differret. Qui statim post votum relevatus à periculo ad domum suam rediit, & brachium secundum suum votum componere præcepit. Cumque fabri brachium fabricare cœpissent, & manum in eo fingerent, dux continuo de imminenti periculo liberatus surrexit, Deum laudans, qui eum per merita sui sancti Episcopi de mortis periculo liberavit, votum suum perficiens, mittendo brachium cum manu ad viri sancti sepulchrum.

* Polonos significat.

* Polonicis scriptoribus Michovio, Janic. Crom. Mieska, Miesco & Miezulaus, ultimus Ducum ejus gentis, primus Christ. religionem in eam intulit, persuasus ab uxore Dobrava, qua Boleslai Bojemi soror fuit. Obiit an. 992, ut est apud Dlugm. lib. 4. Polon. script. habet an. 999.

CAPUT XXIII.

De muliere à dæmonio vexata.

QUædam mulier de Curiensi Rætia, relicto proprio marito cuidam viro de pago Albegeuue * Durinc vocato in matrimonium juncta est. Cumq; cum illo aliquantulum temporis maneret, à dæmonio obsessa est, & ab eo nimiè vexabatur. Quæ cum in multis sanctis locis liberationis suæ adjutorium quæreret, & non inveniret, consilium accepit, ut ad sepulchrum sancti Episcopi Udalrici veniret, quod & fecit. Cumque appropinquaret Augustæ civitati, & ecclesiam sanctæ Afræ bene aspicere potuisset, clamans & fremens cecidit in terram, & facta est quasi mortua. Præfatus autem Durinc cum comitantibus sibi studuit levare eam, levata autem, reddito sensu à dæmonio est liberata.

* Al. Duvinch al. During.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De eleemosynaria Episcopi Abrahæ sanata.

ELeemosynaria quædam * Abrahami Frisingensis Episcopi civitatis, de villa quæ dicitur Camera, cui maxilla pectori fuit inserta, & loquela in toto negata, cui etiam manus brachiis replicatæ & conglutinatæ erant, ut figuræ digitorum vix cognosci potuissent, cum veniret ad sanctum sepulchrum, & inde revertendo super pontem Lici fluminis ambularet, quidam homo ei obvius venit, & interrogavit eam, unde pergeret, cui illa respondere non potuit, sed vertebat se inclinando ad ecclesiam sanctæ Afræ, ut ei monstraret, unde pergeret: cum autem se ad illum verteret, maxilla de pectore solvebatur, & loquela ei ad respondendum concessa est.

* *Abraham Episcopus Frisf. ob. an. 993. Hundii metrop.*

Item CAPUT XXV.

QUidam cæcus cum perveniret cum ductore suo ad fluvium qui dicitur Vindex, interrogavit eum, si adhuc videre potuisset civitatem & * monasterium. Cumq; audiret in proximo fuisse sanctum locum, abstrahere sibi fecit caligas & calceamenta, ut nudis illuc perveniret pedibus, ductor autem ejus raptis calceamentis & aliis rebus ejus, furtivè recessit ab eo; qui æstimans, ut pro aliqua necessitatis caussa oppidum juxta situm intraret, & statim sibi in adjutorium rediret, cumq; diu expectaret, vociferando eum nominare cœpit, ut veniret. Interim etiam quæsivit zabernas & calceamenta, & non invenit, tunc persensit à ductore suo se esse despoliatum, flendo & orando clamare cœpit ad sanctam Mariam Matrem Domini, & ad sanctam Afram, & ad sanctum Udalricum, ut sibi aliquod consolationis supplementum eveniret. In hac cum prolixè afflictionis tribulatione laboraret, subito ignotum conspexit oculis lumen, & statim crucicula de viminibus facta eundem denotavit locum, & tunc lætus destinata visitavit loca, gratias omnipotenti Deo & sanctis ejus agens pro perceptione luminis, cives autem de * Houarchuchusa in eodem loco, ubi cruciculam monstratam invenerunt, majorem crucem pro signo posuerunt.

* *Monasterium hoc olim clerici regulares tenuere, Benedictini Monachi introducti demum an. 1022 à Brunone Episcopo Brusc. de monass. & privati annales.*

* *Al. Houarahusa, nunc est Oberhausen.*

Item CAPUT XXVI.

QUodam tempore cum populus undiq; concurreret ad Augustam in vigilia nativitatis sanctæ Mariæ, ut sanctum diem ibi sollenniter celebrarent, quædam mulier inter alios cum puerulo suo parvulo studuit & illuc venire, ut illum ad sepulchrum sancti Udalrici * cum oblationibus ibi præponderaret pro sua sospitate. Cumq; super pontem Vindicis carpento superpositum puerulum cum aliis rebus ducere voluisset, pro inæqualitate pon-

* *Cum oblationibus præponderaret, est ceram offerre ejusdem cũ puero ponderis.*

pontis carpento inclinato, puerulus cecidit in amnem, qui pro nimia illuvie vehementer elevatus, universis super eum meantibus exitium minitavit. Cumque mater tristissima in perniciem sui in amnem post puerum cadere voluisset,& vix à circumstantibus comprehensa teneretur, populi in utraque parte fluminis in ripa festinaverunt in adjutorium infantis. Qui cum à nemine eorum adjuvari potuisset, flumine submersus ob oculis omnium occultabatur. Mater autem ab amne vi abducta, & quantum possibile fuit,consolatione recepta, flendo & lamentando adjutorium sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ inprimis quæsivit, & postea ad sepulchrum sancti Udalrici cum oblationibus,quas antea pro sospitate filii sui illuc referre decrevit, & eas pro requie animæ pueruli cum bona fide donavit. Sequenti verò nocte cum triste corpus mulieris sopor occuparet, quidam valde venerabilis senex in vestitu Episcopali apparuit ei dicens: Pœnitet ne te mulier valde infantulus tuus? Quæ respondit: Etiam Domine.Cui ille, Mane diluculo, inquit, vade ad fluvium, & ubi ultima vice in amne videretur, quære eum in ripa fluminis inter frutices. Quæ expergefacta venturum cras vix expectans, cum adjuvantibus sibi ripam fluminis adiit, & secundum verbum sancti viri infantem suum sanum & incolumem invenit. Tunc læta Deum laudans rediit,& rem gestam in civitate & ubique publicè recitavit.

Caput XXVII.

De eo, qui festum non celebravit.

Quidam verò homo juxta Danubium,cum cunctus populus sua sponte natalitium sancti Udalrici sollenniter celebraret, fœnum cum rastellis congregavit in cumulos, diem sanctum spernendo. Qui cum altera die cum plaustris veniret,ut hoc in fœnarium suum duceret, exterius formosum invenit, cum autem bidenti ligno interius tangeret, totum in favillas immutatum invenit, & diem sanctum,quem antea celebrare non voluit, postea præ timore contemnere non audebat.

Caput XXVIII.

*De * Gerbirt.*

* *Al. Gerbirga.* * *Al. Gerbirch.*

Eodem verò tempore ancilla cujusdam matronæ * Gerbirc nuncupatæ, telum suum dum in texendo laboraret, subitus dolor cœpit contrahere manus ejus, quod cum lamentando aliis diceret, responderunt ei, depone textile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accidit, quæ vix manibus de ferro absolutis lectum intravit. Cumq; ibi requiem non haberet præ contractione manuum, conservæ ejus nunciaverunt Dominæ suæ: illa verò præcepit,ut mane diluculo duceretur pro libera-

liberatione ſua ad ſepulchrum ſancti Udalrici. Cumq; in itinere laſſæ circa horam nonam in planicie Lechfeldici campi ad reficienda corpora conſediſſent, dolor cœpit minui in manibus laborantis, ita ut antequam de ipſo loco ſurgerent, uſui prioris rectitudinis redderentur. Quæ tunc lætæ pervenerunt ad prædeſtinatum locum: & inde in civitatem ad eccleſiam ſanctæ Mariæ Genitricis Dei poſt veſperam venientes, hæc ſicuti geſta ſunt nobis annunciaverunt, & lætæ ad propria redierunt.

CAPUT XXIX.

*Quæſequuntur in duobus exempl. non habentur.

NObilis quædam matrona de Burgundionum provincia, dum decreviſſet pergere ad Auguſtam civitatem cauſſa orationis, quendam claudum eleemoſynarium præcepit comitari ſecum, cujus caballum duobus miniſtris ſuis commendavit, ut pedes ejus, ſicuti mos eſt pergentibus, ferro munirent. Qui fraudulenter pedes caballi cum clavis vulneraverunt, ne delator eorum in itinere actuum ſuorum pro fidelitate Dominæ ſuæ, ſicut ſolitus erat, maneret. Dixeruntque claudo, caballus tuus claudicat, & ideo hîc te neceſſe eſt remanere. Quibus claudus reſpondens dixit, quamvis caballus claudicet, tamen non conſentio hic me remanere, qui omnia poteſt Deus omnipotens, etiam me valet, ſicut ſibi placet, ad loca perducere deſtinata. Cumque cum aliis pergere cœpiſſet, ſano & apto caballo ad Auguſtam pervenit. Cumq; ibi ad ſepulchrum ſancti Udalrici devotam orationem prolongaret, & firma fide pro ſoſpitate ſua clementiam Dei imploraret, in præſentia multorum ſanitati redditus eſt. Hoc videntes præfati homines, qui impedire iter ejus in caballo voluerunt, ceciderunt terra tenus, confitentes clericis cæterisq; qui in præſentia aderant delicta ſua, veniam poſtulantes, quod eum claudum impedire voluerunt, ne perveniret ad locum, ubi Dominus per merita ſancti Udalrici eum ſanare dignatus eſt. Et accepta pœnitentia ſequuti ſunt claudum, ſanatum crucem portantem, uterque ſaxum tantæ magnitudinis portans, quantum levare potuit, uſq; in eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ eſt ſita in civitate, ibiq; peccata ſua lamentabantur multum cum lacrimis veniam poſtulantes. Cumq; hoc ſignũ in præſentia omnium recitatum fuiſſet, clerici Te Deum laudamus, & populi Kyrie eleiſon cantantes, gratias & laudes Deo referebant.

CAPUT XXX.

QUidam homo juvenis cujusdam filius Comitis, tanta infirmitate eſt detentus, ut nec in lecto niſi ab aliis adminiculatus in aliud ſe vertere potuiſſet latus, nec cibum multo tempore valeret accipere, niſi paucis oblatis refocillaretur. Cum verò immani labore fatigaretur, à fidelibus ſuis in lecto ad ſepulchrum

chrum ſancti Udalrici deductus eſt, oblationibus oblatis lacrymabiliter ibi miſericordiam deprecatus eſt. Cumq; eum in lecto ad ſanctam Mariam portare cœpiſſent, in medietate viæ cœpit rogare portantes, ut deponeretur ad ambulandum. Qui non credentes eum poſſe ambulare, noluerunt deponere. Ad portam verò civitatis iterum rogavit, ut deponeretur, dicens, ſe poſſe ambulare, qui iterum ei non conſenſerunt. Ad gradus verò atrii eccleſiæ cum perveniret, in nomine Dei omnipotentis omnes in commune flagitavit, ut depoſito lecto eum ambulare dimitterent. Ipſi verò in fide hæſitantes petitioni ejus aſſenſum non dederunt. Ille autem cognovit infirmitatem ab eo eſſe ſeparatam, & virtutem nutu Dei conceſſam, exilivit de lectulo, & inde ſtrenuo greſſu ad eccleſiam pervenit, & ſoſpes ad propria rediit.

Hæc pauca prælibata miracula ſufficiant ſtudioſis ad bona exempla lectoribus, ita ut etiam tardis & ſegnibus nimii * nauſii faſtidium non inculcent. Quomodo ſi cœpero cuncta beneficia adeuntibus ad ſepulchrum ſancti Udalrici & inde revertentibus, vel juxta ſepulchrum infirmis atq; debilibus à Deo conceſſa ſigillatim enumerare, nullius adjutorio niſi ſolius Dei, qui omnia poteſt, poſſum perficere. In tantum namq; multiplicia ſunt, ut ſenſibilitas humanæ agilitatis dinumerare ea non poſſit. Quia quibuſdam poſt vota devotè peracta illuc cum oblationibus veniendi, ſtatim in laribus ſuis donata ſunt, quibusdam in itinere adhuc longè poſitis, quibusdam illuc appropinquantibus, quibusdam illuc pervenientibus, quibusdam inde redeuntibus compendiosè adimpleta ſunt. Quorum auditus bono rumore non ſolum propinquas, verum etiam longè ſitas regiones advolavit, quod frequens frequentia adventantium undiq; populorum ſæpiſſimè manifeſtat, indicans in iſtis locis in ſuis regionibus multa magnalia Dei per merita ſancti Udalrici facta, quorum vera cognitio nos propter noſtras neceſſitates ad iſta loca veniendum incitavit. His auditis, eja nos qui inquilini hujus eccleſiæ ſumus, & tanti patroni faciem ſæpiſſimè vidimus, & ejus doctrinam benedictionemq; ſæpiſſimè accepimus, & in eo optima exempla conſpeximus, & nūc in retributionem ejus bonorum operum aſſidua miracula & diverſa ſigna in liberatione multorum videmus & audimus, cur non expergiſcimur, & tædium noſtri deſidii non deponimus? Eum verò, de quo loquimur, quantum Deo donante poſſumus imitantes, ejus adjutorio iter rectitudinis ineamus, per quod pervenire mereamur ad eum, qui in tribus perſonis in divinitatis æqualitate unus, incommutabilis, omnipotens Deus permanet, ſine fine in ſæcula ſæculorum,

Amen.

* Pro nauſea.

BULLA

BULLA CANONISATIONIS S. UDALRICI EPISCOPI, AD FIDEM MANUSCRIPTI EXEMPLI RESTITUTA.

IOannes Episcopus Servus Servorum Dei, * omnibus Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus in Gallia & Germania commorantibus salutem in Domino, ac Apostolicam benedictionem. Cum conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Joanne sanctissimo Papa cum Episcopis & presbyteris, astantibus diaconibus & cuncto clero, surgens reverendissimus Luitolfus Augustæ Episcopus inquit, Domine sanctissime præsul, si vobis placet, & omnibus Episcopis & presbyteris hic residentibus, libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur, de vita & miraculis venerabilis Udalrici sanctæ ecclesiæ dudum Episcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur, quia Spiritus sancti testatur præsentia & congregatio sacerdotum, certum esse, quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, nam nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba sanctorum, sanctum namq; est pro debita veneratione collegium. Cumq; perlecta esset vita prædicti sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quam plurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo & atramento illustrata sunt. Quæ omnia lepida satis urbanitate expolita recepimus, & communi consilio decrevimus memoriam illius, id est sancti Udalrici Episcopi, affectu piissimo & devotione fidelissima venerandam, quoniam sic adoramus & colimus reliquias martyrum & confessorum, ut eum, cujus martyres & confessores sunt, adoremus, honoramus servos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: Qui vos recipit, me recipit, ac perinde nos, qui fiduciam nostræ justitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deum jugiter adjuvemur. Quia divina saluberrima præcepta, & sanctorum canonum ac venerabilium patrum instabant efficaciter documenta, omnium ecclesiarum Dei pio considerationis intuitu, imò Apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria

* *Decimus quintus hujus nominis, Latina XVI.*

moria Udalrici jam præfati venerabilis Episcopi divino vultui dicata existat, & in laudibus Dei diutissimè persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ ab hac nostra autoritate piè ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ à nobis ad laudem Dei, pro reverentia jam dicti Episcopi, statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se autoritate beati Petri principis Apostolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At verò qui pio intuitu observator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum est per manum Stephani * notarii regionarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Februario, indictione sexta, Anno nongētesimo nonagesimo tertio.

* Notarii regionarii, quod per septem regiones distincti, inde frequenter Scriniarii erant. Onuph.

Ego Joannes, sanctæ Romanæ catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ Episcopus, huic decreto à nobis promulgato consensi & subscripsi.

Joannes Episcopus sanctæ Anagninæ ecclesiæ consensi.
Benedictus Episcopus sanctæ Pipernensis ecclesiæ consensi.
Dominicus Episcopus sanctæ Ferentinæ ecclesiæ consensi.
Crescentius Episcopus sanctæ silvæ candidæ ecclesiæ consensi.
Anniso Episcopus sanctæ Cerensis ecclesiæ consensi.
Bonizo Archipresbyter & Cardinalis sanctæ Luciæ consensi.
Benedictus Presbyter & Cardinalis sancti Stephani consensi.
Leo Presbyter & Cardinalis sancti Nerei consensi.
Joannes Presbyter & Cardinalis sancti Damasi consensi.
Leo Presbyter & Cardinalis sancti Sixti consensi.
Joannes Presbyter & Cardinalis sanctorum Apostolorum consensi.
Joannes Presbyter & Cardinalis sanctorum quatuor coronatorum consensi.
Joannes Presbyter & Cardinalis sancti Clementis consensi.
Crescentius Presbyter & Cardinalis sancti Calixti consensi.
Benedictus Archidiaconus.
Joannes Diaconus & * oblationarius.
Benedictus Diaconus.

* Oblationarius suscipiebat oblationes Pontifici sacrificanti fatas. Onuph.

Joannes Diaconus: Hi omnes consenserunt & subscripserunt. Data tertio * Kalendas Februarii, per manum Joannis Episcopi sanctæ Nepesinæ ecclesiæ, & * bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ. Anno Pontificatus Domini nostri Joannis sanctissimi xv. Papæ octavo, mense dicto, & indictione sexta.

* Legerim Nonas, nam in principio dictum consentum Pr. K. Febr. factum, & subfinem, has litteras mense Febr. scriptas. * Idem Cancellarium, Onuph.

STEMMA

STEMMA KYBURGENSIUM COMITUM,

Ex codice manuscripto vetere bibliothecæ S. Udalrici. Cujus fidem præ quibusdam aliis sequi visum.

Luitgardæ liberi etsi Kyburgenses non sunt, annotati hîc tamen, quod eorum crebra mentio in historia S. Udalrici.

Circa annum 845. Comes Wollo Comitis de Kyburg F. nutriebatur ad S. Gallum, matrem habens sororem B. Nothberti monachi, cujus avia soror erat Karoli Magni.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM S. UDALRICI EPISCOPI ET CONFESSORIS, A GEBEHARDO, AUGUSTANO ETIAM EPISCOPO SCRIPTAM. MANUSCRIPTIS DUOBUS CODICIBUS COLLATIS.

AMantiſſimi Patris noſtri diſcendæ vitæ deſiderio diu multumq́; ſuſpirans, hanc tandem reperi à quodam illuſtri viro non inconvenienter quidem compoſitam, ſed ita nominum virorum ac mulierum, villarum etiam confuſione fuſcatam, ut non ſolum, ſi in pace dicere liceret, prudentioribus tædium, ſed pæne videretur puerile ludibrium: Cujus inſuper operis increvit adeo diffuſa pluralitas, ut potius bellorum eventum, Regum Cæſarumq́; hiſtoriam, quam propoſitum videretur ordinare negotium. Quod nequaquam improbando, vel per hoc mea, quod abſit, præferendo dixerim, ſed vir ſanctæ ſimplicitatis & meriti non aliter dictis ſuis æſtimavit accommodari fidem, niſi tot nominum ſibi conſciſceret velut aſtipulationem, nec veritatem ſubſiſtentium rerum judicavit plus propriè quam facillimè ac ſimpliciter exprimi poſſe. Opuſculum ergò iſtud aggredientes, ſuperfluis quibusque poſtpoſitis, obſcura prolata clarius & competenter enodare, prolixius verò digeſta quantum congruere videtur, abbreviare contendimus, quatenus lectori compendioſius pateat, quicquid virtutum Chriſti confeſſoris ſcire, vel imitari delectat. Schedula utraque præ manibus, quid quis velit nemine urgente vel improbante deliberare poterit: Sed illud meritò dignitate præſtabit, quod jam libitina ſacravit.

INCIPIT VITA SANCTI UDALRICI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

BEatiſſimi Patris & Domini noſtri converſatio ſi altius ab inceuntis ætatis ſerie quæritur, clariſſima Ducum & Comitum Alemanniæ proſapia oriundus extitiſſe dignoſcitur: quorum licet potentia ſæcularis ubertim emineat, religioſitatis tamen prærogativa apud religioſos incomparabiliter ac ſupernè præponderat. Hoc igitur taliq́; religioſæ propaginis ſurculo ſuc creſcens in medium pretior palmes, lignum ſecus decurſus aquarum plantandum, jam divinum redolens quiddam præmaturæ virtutis ſpirabat opobalſamum. In baptiſmate ergò vocabuli ſui nomine Udalricus adepto, ignoto quodam clerico ſuperveniente, vagientisq́; pueri meritum per ſpiritum deprehendente, fœmineis

etiam uberibus pasci (nihil enim his spectatæ indolis pignus huc usque profecerat) interdicente, duodecima ablactatus hebdomada, satis magna parentibus dedit intempestivi profectus miracula. In eo siquidem, quantum in id ætatis puero, grata luculentas, una cum affectuosa proceritate conveniens, magnum aliquid præsagiens, omnium conciliabat obtutibus. Quocirca nihil aliud dignius quam divino servitio hunc mancipari judicantes, sancti Galli cœnobitis ipsum erudiendum crediderunt attentius. Ubi duplici, litterarum videlicet diviniq; cultus institutione proficiens, ab adamantibus monachis in sui consortium esset fere persuasus, nisi à quadam inibi inclusa commonitus, de suscipiendo quoque Episcopatus edoctus regimine, quamvis ingratè, desisteret ab appetitu vitæ theoricæ. A qua etiam quantum à paganis perversisq; Christianis perpessurus esset laboris, quam decentissimè etiam hæc cœlitus aspirante gratia superaturus foret, audivit, fervore tamen, quo cœperat, in studio liberali persistens. Adepta tandem non minima litterarum notitia, parentum revisit limina. Dehinc Adelberonis Episcopi, qui tunc præerat Augustæ Vindelicæ, dominio traditus, ad omnia sibi credita virili præcluebat industria. Interim Romam adiens, vota persolvens, à venerando Papa Marino & obitum præsulis tristis agnovit, ac se succedente tempore ejusdem loci fore pastorem ingratus expavit. Inde post quindecim annos Hiltine antistite, qui eidem ecclesiæ per hæc spatia præerat, obeunte, Heinrici Regis munificentia, imò cœlestis Imperatoris gratia, Domino Udalrico Augustæ sedis cessit regenda monarchia. Huc usque puerilis indolis florem, juvenalisq; processus vigorem stilo quasi feriante prælibavimus, protinus moralitatis ejus dicturus insignia, longè viribus majora vereor attentare negotia, quippe quibus probè differendis nec subtilitas Aristotelica, nec sufficeret Tulliana facundia. Vir quidem tantæ sublimitatis ac meriti non nisi à digno condignè valet effari. Sed licet oneri profecto succumbam, per arduam materiæ semitam, quamvis intricatis inscitia pedibus, pedetentim cœptis insistam. Prædestinatione ergò divina in Episcopatus promotus munia, opum quietis & commodi tot ac tanta præ manibus offendit opposita, ut hæc incidisse apprime defleret, ac tristem inclusæ illius prophetiam in munere sentiret. Muros namq; ecclesiæ dirutos, dilapidata mœnia civitatis, occisam à paganis familiam, villas exustas, inopiam rerum, & obstupescens ingemuit, & ingemiscens flevit. Quibus tamen instaurandis quam strenuus ac impiger fuit, nullatenus explicari poterit. Thesauro sacrarii nullo, sed divino hinc inde suffultus auxilio, quod supellectilis angustia negabat, providè rationis sedulitate supplevit. Sic importunus properavit ad singula, velut sui negligentia inacta

essent

essent omnia. Dici omnimodo nequit, quanta in familiam sibi creditam suavitas, quanta familiaritas fuerit, sciens scriptum: Esto in illis quasi unus ex illis. Injunctum à prædecessoribus censum nusquam augeri permisit, quod si ipsum præ inopia minorari contigit, pepercit, æquanimus tulit. De gubernatione verò Canonicorum, de rudimentis puerorum, sic operosè fervebat, velut immunis à cæteris quibusq; vacaret, dicitur enim, qui Deum timet, nihil negligit. Singulis competentem honorē, omnibus paternum exhibebat amorem. Disciplina ecclesiastici vigoris, excepto sicubi hanc forte ratio flagitabat, nulli gravis, nemini importunus instabat. Quid verò referam ejusdem præcipuam in divites ac mediocres hospitalitatem, in pauperes officiosam liberalitatem? Hi quidem è contiguo caballis insidentes, illi autem plaustris innitentes, tanti pontificis nusquam deesse videbantur hospitiis: quibus alacer indefessus adeò magnificis ministravit impensis, ut præter hos illum nihil aliud attendere crederes: multoties fere nihil habens, tantum erat in erogando profusus, ut ipsum Crœsi regis divitias alicubi occultasse putares, sed quod est verius, in manus pistici dispensatoris, quod fideliter prærogaret gratia divina transfudit. Sed jam de illustris viri activa qualitate quibusdam succinctè præmissis, quis vel quantus in contemplationis fastigia creverit, licet ordine præpostero commemorare delectat, alternantibus quippe flagrantium commatum sertis, ad ea quæ paulisper intermittimus è vestigio redire maturabimus. In tantum namq; lectionis sedulitate profecerat, ut cum ratione conveniente facundia, nulla viderentur deesse probitatis insignia. Otio nunquam resolutus inani, vel ecclesiastici quippiam negotii, vel spiritualis aliquid palato ruminabat exercitii. Totus itaq; in se se teres atque rotundus, nihil rancoris, nihil admisit inæqualitatis, hinc inde velut immota silex unus & idem perstabat ad omne diversum, facies quoq; lætabunda notabat, quis Spiritus intus agebat. Mundani ergò sapientes milleformem Protheum poëticis extollant nænis, Christiana verò simplicitate gaudentes uniformem antistitem hymnidicis præferant ad æterna præconiis. Quæ autem orationis assiduitas, quæ compunctionis & lacrymarum gratia, divina sibi largiente clementia fluxerit, quis unquam dignè explicare poterit? His videlicet noctem in diem, huncq; vertebat in illam, quarum nisi ex divino amore concepta limpidissima scaturiret vena, vel ipse lacrymarum liquor actutum aruisse, aut vir desideriorum jam dudum totus per distillantes sinus poterat effluxisse. Quod verò in illo magis mirabere, incolatus sui diuturnitate suspirans, hilaritatem, ridens etiam vultu prætendebat gravitatem. Sic enim quadrifidæ virtutis speciérum temperabat amorem, ut nullam præ ceteris appetere, nullam

videretur omninò deſerere, nulla denique in eo ſolivaga bonitas, una quæque parilem gaudebat inveniſſe jugalem. Vir quippe clariſſimus, unus de propheticæ viſionis animalibus, alis pennatorum operum utrimq; diſtentis, duabus etiam faciem contemplativè levantibus, adeò binis, timoris ſcilicet ac pœnitentiæ tegebat, quin imò affligebat corpus, ut apud ignaros veri, omnium reus poſſet æſtimari. Quis ipſo feſtivos miſſarum apparatus exquirente temperaret à lacrymis ? quis ſaxei cordis rigor non liquefieret tanti patroni ſuſpiriis ? Tantus ſanè compunctionis increverat ardor, ut nimirum cunctis eſſet venerabilis horror : de quo quid plura conferimus ? inceſſus ejus & habitus vitæ cujuslibet informandæ proponebant monitus, doctrina verò vel exhortatio, erat lucidiſſima veteris noviq; prolatio, & ut innumera ſtrictim tentemus exprimere, in illo cernere erat, quicquid apud ſe quis minus habebat. In his igitur ac talibus indefeſſa ſpiritus devotione perſiſtens, divina ſe viſitante gratia jam ſenſim fulgurantium miraculorum eventibus paſci, jam ſpiritualium viſionum dulcedine viciſſim cœperat refoveri. Quadam namq; dominicæ reſurrectionis die inter ſacramentorum ſolennia, ad quæ, ſi fieri poterrat, plus ſolita devotione fervebat, cuidam presbytero apparuit quaſi dextera, quæ ſacroſancta myſteria una cum tanto pontifice videbatur benedicere. Quam viſionem dum expletis miſſarum officiis idem inprovidè in præſentia laicorum manifeſtaret clericus, magis, inquit Epiſcopus, tibi conpeteret hęc reticere, quam minimè profutura garrire. Cujus increpationis jaculo dirè perculſus, vix dum cubiculi limen exceſſit, cum primò lippientibus, dehinc cæcutientibus oculis, jam ſibi penitus diſparuit viſus. Inter quæ animadvertere libet, quanto tunc mentis exceſſu venerabilis Pater cœli ſecreta penetraverit, cum in celebrando myſterio ſuffragia ſibi viſibiliter ſuperna conſcivit. Nimirum hic cum Apoſtolo dicere poterat : Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. Protinus intercalato modici temporis interſtitio, dum quadam noctium paulatim conniventibus oculis membra quieti locaſſet, ſanctam martyrem Afram videre ſibi videbatur induviarum mira venuſtate ſuccinctam, ſeq; ut propere ſurgens ſequeretur hortantem. Sub nocturni igitur conticinii divûm prævia duce progreſſus, innumeram ſanctorum reperit multitudinem, quorum aliquot in carne quondam viventes noverat, plures verò tunc primum viſos in ſpiritu ſe cognoviſſe ſtupebat : in quorum medio principem Apoſtolorum mirabatur Petrum, velut cum æthereo collegio habito ſynodali colloquio de plurimis & arduis rebus admodum diſtricto examine decernentem, duosq; ſibi congruæ proceritatis gladios oſtendentem, & ad Heinricum regem hujuſcemodi verba mandantem : Hîc, inquit,

enſis

ensis capulatus regem significat, qui benedictione divina possidebit imperium, frustratus verò capulo, illum denotat, qui sine benedictione pontificali regni invasor existet, Arnolfum ducem Noricorum profectò significans, qui post hæc malignorum toties votorum cassus, regias leviter involaverat partes: Hujus enim detestabilis ambitio à multis arguebatur in præsenti concilio, præsertim de ecclesiarum destructione, quarum reditus in beneficium suæ dedit habere militiæ. Rarescente itaq; ipso synodali conventu, à præfata comite sese producente Pannonicam didicit superventuram barbariem, loca etiam belli, gravissimum utrimque discrimen, cœlitus tamen concessum Christianæ parti triumphum. His ac similibus sufficienter instructus, & in lectulo, à quo sibi videbatur egressus, inopinatè repertus, satis de qualitate visione admirans, illud secum tacitus reputabat Apostolicum: Sive in corpore, sive extra corpus, nescio. Interea vir Apostolicus omnigenæ probitatis elegantia dietim ad interiora proficiens, per exteriora nequibat occultari miracula, quantum hunc interius superna illustrasset clementia, tantus namq; divini cultus hunc comitabatur & insignibat effectus, ut olei, quod in Cœna Domini consecraret, attactus caligantibus visu, obtusis auditu, cæterisq; diversa infirmitate gementibus diceretur medicina perhabilis. Ipse quoq; aliquando trahens ægra suspiria, ac fere ad extrema usque perveniens, hujus liquoris invisibili suavitate delibutus, pristina sospitate est improvisè donatus. Qua in re creperum saperes, utrumnam medicinalis effectus, an plus infirmitatis accelerare excursus. Legitur etiam multoties irradiasse virtutibus, quarum nec ipse potentiam, nec in se aliquam attendit periergiam: frequenter namq; epileptici desiderata ab ipso benedictione potiti, mirabātur, se nequaquam ulterius execrabili peste jactari; qui si incautius subsistentium malorum exprimerent afflictionem, benedictione subtracta nullum gaudebant obtinuisse remedium, diligentia quidem humilitatis exterritus, ajebat hoc operis Apostolicæ singulariter dignitati, non suæ congruere parvitati. O mira hominis istius excellentia, qui idcirco in summis potenter enituit, quandoquidem tutus sic providè humilitatis convalle subsedit.

Auctor morte præventus non absolvit.

VITA S. UDALRICI EPISCOPI AUGUSTÆ VINDELICORUM, EDITA A BERNONE ABBATE AUGIENSI, EX F. LAURENTII SURII TOMO QUARTO.

PROLOUS.

REverendiſſimo Patri Frideboldo, ac vero ſanctæ Matris Afræ alumno, Berno Dei Matris mancipium, cum omni contubernio Augienſium fratrum, ſummum & indeficiens bonum: Miræ charitatis virtus, ex dulciſluo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meæ injunxit officii, ut libellum de vita ter quaterque beati Patroni noſtri Udalrici, veraci quidem, ſed ſimpliciori, quàm oportuit, ſermone editum, cultiori ſtylo reddam luculentum. Pius quidem jubentis affectus eſt, ſed non æquè facilis parentis eſſe poterit effectus: quippe cùm tarditas ingenii & exteriorum curæ, amaro, ut ſic dictum ſit, ſapore conditæ, me prohibeant tam arduum opus aggredi.

Accedit etiam, quòd venerandæ memoriæ Gebehardus, qui poſt beatum virum * quartus ejusdem Vindelicæ Auguſtæ eccleſiam rexit, nulli modernorum Doctorum ſecundus, idem negocium corrigendi ſtudio attentavit, ſed infectum, morte præventus, dereliquit. Cui ſi ipſe manum extremam impoſuiſſet, parvitas mea omninò ſuper hoc digitum ori impoſuiſſet. Idipſum tamen, quod compoſuit, licet eloquii venuſtatem redoleat, tamen ita verborum ac ſententiarum ſublimitate ſe in altum extollit, ut vix aliquis exinde aliquid percipere poſſit. Alterius verò oratio, etſi rerum veritate ſubnixa, ſic tamen penè videtur humi jacere, ut quiſquis ſapientium ſemel hinc potuerit quiddam guſtare, pigeat ſe ulterius ad hanc inclinare. Quocirca, venerande Pater, tibi tuisque placuit hujusmodi onus mihi imponere, ut inter utrosque medius incedens, talem moderato ſermone materiam componam, ut ex utraque parte ad ſe venientes, media charitate conſtrata, & parvuli lac, quod ſugant, & fortes valeant invenire cibum, quem comedant. Quod ego omnimodis abhorrerem, niſi ſcriptum eſſe ſcirem: Melior eſt obedientia, quàm victimæ. Nunc verò ſi data interceſſionis tuæ manu, manui meæ ducatum præbere ſpoponderis, adjunctis tecum beati viri meritis, omnipotentis Verbi, quod aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas, fretus auxilio,

**Convenit cũ Bruſchio, qui poſt S. Udalricum Epiſcopos Henricum, Eutychum, Luitbolfum, & Gebhardũ habet. Alqui duos præterea interſerũt, qui ius Gebhardus ſextus eſt. Sed Bernonis tã vetuſti ſcriptoris non nulla eſt auctoritas: Cũ præſertim antiquiſſ. Auguſt. Epiſcopo. catalogo bibliotheca S. Udalrici confirmetur.*

auxilio, obedire tentabo, initium narrandi ab ipſius viri Dei infantia ſumens, ac orationis curſum ita ad finem uſque perducens, ut nihil de propriis addam, præter exempla antiquorum Patrum, atque ſententias ſanctarum ſcripturarum, quæ ſuo decore ſolent dictorum ſeriem venuſtare. Hoc tamen ſolum mihimet ex proprio ſudore injunxi, ut latius diffuſa, modeſta brevitate arctius coërceam: ſtrictius digeſta, moderata prolixitate dilatem: minus regulariter prolata, ad rectitudinis lineam corrigam. Quæ tamen omnia tui examen judicii expectant, ut te benigno judice valeant rata conſiſtere. Opto Pater beatiſſime, ut in Chriſto valeas, meiq; memor ſemper exiſtas.

VITÆ HISTORIA.

EGregius Chriſti Confeſſor Udalricus, ex Alamannorum proſapia extitit oriundus. Cujus parentes, Hupaldus ſcilicet ac Thietburga, ambo quidem ſecundum ſeculi hujus dignitatem clari & nobiles, ſed fide atque divina religione multò clariores fuerunt atque nobiliores. Qui talis ac tantæ prolis fœcunditate divinitus ditati, mox eandem cuidam fideli ad alendum, ut Moyſen, commendaverunt nutrici. Ubi inter ipſa nativitatis primordia, cœleſtia non defuêre auſpicia. Nam licet blando nutriretur affectu, fœda tamen macies quædam apparebat in vultu. Qua ex cauſa dum nimiùm triſtes ejus efficerentur parentes, ac in anguſtis illorum pectoribus curæ verſarentur ingentes: quidam hoſpes peregrinus, officio clericus, ſecundum quod illorum oſtium ſemper viatori patuit, benignè ab ipſis ſuſcipitur, per aliquod temporis ſpatium humanè tractatur: dum interim quadam die hora refectionis reſidens, prædictum infantulum nondum duodecim hebdomadarum dies ab ortu ad plenum habentem, audivit inter vagitus vocem emittentem. Ex qua providus futurorum, tale edidit oraculum: Niſi, inquit, iſte infans celerius fuerit ablactatus, non poterit eſſe ſalvus. Cumque ſemel ac ſecundò admoniti, minus tanti præconis dicta vellent exequi, tertia demùm die cum prædictum ac ſæpè dicendum infantulum adhibita aure perſenſiſſet adhuc infirmiorem, hanc præſagam coram omnibus intulit vocem: Sciatis pro certo, quòd niſi continuò à lacte fuerit ſuſpenſus, hac nocte erit moriturus. At verò ſi eo, quo dixi, ordine morti ſubtractus fuerit, magnus in futurum coram Domino erit. Hujus prophetiæ myſteria qualiter ſint adimpleta, non noſtri ſtyli eget officio deſignari: quod tam aſſiduè ad ejus ſepulchrum coruſcantibus miraculis poteſt probari. *Cap. 1.*

Tandem igitur amotus à lacte, cœpit corpore & animo in admirationem omnium ita proficere, ac circumquaq; manen- *Cap. 2.*

tibus

tibus tantum de ſuo profectu gaudium conferre, ut id, quod de Iſaac ejusq; Patre Abraham ſcriptum eſt: Crevit igitur puer, & ablactatus eſt, fecitq; Abraham grande convivium in die ablactationis ſuæ: non incongruè ejus quoque poſſit perſonæ aptari. Meritò tantus patriarcha in ablactatione filii, quem expromiſſione à Deo ſuſcepit, grande convivium fecit. Meritò Pater cœleſtis ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis in iſtius ablactatione convivium fecit grande, invitans eos hujuſmodi voce: Comedite amici, & inebriamini chariſſimi. Hic itaque myſteriorum Dei diſpenſator futurus, jam ſolido cibo opus habebat confortari, ut in menſa altaris Chriſti, velut ad cœleſte convivium quandoq; conſiſtens, poſſet in tempore ſuo tritici menſuram dare conſervis ſuis. Incipiebat enim tunc inter coævulos modeſtè converſari, timorem Dei habere, honorem parentibus deferre, laſciviam declinare, ac in quantum poſſibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, geſtu, inceſſu foris oſtendere, qualis habitus formaretur intus in mente. Videntes autem parentes ejus tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendaverunt eum in monaſterium ſancti Galli fratribus religioſis, ut eorum magiſterio tam ſæcularium literarum ſtudiis, quàm cœleſtibus inſtrueretur diſciplinis. Ubi inter egregios regularis diſciplinæ magiſtros, dulces theoriæ carpebat quotidie fructus, cùm verba, quæ in ſacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Jam ſummitatem illius Jacob ſcalæ virtutum gradibus aſcendendo tangebat: jam à Salvatore audiebat: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me. Et jam tunc monachicæ converſationis habitum ſumpſiſſet, niſi divina revelatione admonitus deſiiſſet.

Cap. 3. Erat tunc temporis in eodem monaſterio quædam ancilla, pro Chriſti nomine incluſa, Vuiberata nuncupata, quæ die noctuq; jejuniis, orationibus ac vigiliis vacans, caſtum in arcano pectoris ſui Domino præparabat templum, in quo gratum creatori omnium mactavit ſemper holocauſtum, dicens cum Pſalmiſta: In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Huic ſanctus adoleſcens dum ſui deſiderii ſecretum panderet, illa rem à Deo quærendam ſtatuit, ac trium dierum inducias ſuper hoc poſtulavit. Poſt triduum verò Spiritu inſtructa divino, hujusmodi uſa eſt reſponſo: Non, inquit, vir religioſe, divinæ eſt voluntatis, ut hoc in loco detinearis: ſed eſt in plaga Orientali locus, ubi quidam fluvius duas dividit regiones, in quo, Deo jubente, Epiſcopalis apicem dignitatis debes conſcendere. Et licet multa tam à paganis, quam à malis Chriſtianis ſis paſſurus adverſa, tu tamen, confiſus in eo, qui dixit: Confidite, ego vici mundum: ſuperabis univerſa, dicens cum Pſalmiſta: In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Hæc auditu perci-

percipiens ac mente pertractans, quibusdam, qui sibi familiariùs amicitiæ causa adhærebant, secretò pandit, & ut interim silentio tegerent, admonuit. Ipse verò per diversos sacrorum librorum campos, ceu prudentissima apes, flores sententiarum carpens, ac in alveario pectoris sui recondens, summa cœpit openiti, ut spiritualia posset mella conficere, quæ postmodum in populos illum deceret eructare, juxta illud Psalmistæ: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo. Et quod de prædicatoribus dicitur: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Dehinc ad unguem instructus, cum omnium fratrum conniventia remeavit ad propria. Parentes verò de ejus profectu nimiùm gaudentes, ac Deo gratias agentes, iterum commendant eum Adalberoni, Augustensis ecclesiæ præsuli venerando, viro fidei dote ac vitæ merito multis præferendo: quatenus reverendæ illius præsentiæ jugiter assistens, velut in quodam disciplinæ speculo conspiceret, si quid in ipsius moribus adhuc corrigi deberet. Quem ut prædictus Dei pontifex fide firmum, spe robustum, charitate radicatum & fundatum, omnique morum probitate decoratum agnovit, familiarius illum ascivit, ejusq; domi forisq; in omnibus uti consiliis cœpit, quatenus ejus prudentia, totius Episcopatus disponerentur negocia, tam publica, quam privata.

Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, Apostolorum limina visitare, ut se suaq; omnia ipsorum aliorumque sanctorum precibus posset attentius commendare. Quò cum veniisset, ab Apostolicæ sedis Præsule, nomine Marino, apud Deum & homines magnifico & glorioso, officiosè susceptus, ac requisitus, quis esset, aut unde veniisset, respondit, se ex Alamannorum stirpe progenitum, Adalberonis Augustensis ecclesiæ esse clericum. Ad hæc Apostolicus: Ne durè, inquit, accipias, quæ dico: quia idem, de quo retulisti, tuus pontifex Adalbero jam migravit de hoc seculo, ac Dei ordinatione dispensante, oportet te hujus regiminis curam suscipere. At ille propriæ conscius infirmitatis, imò non immemor illius mandati: Quanto magnus es, humilia te in omnibus: judicavit seipsum indignum fore, ut tanti honoris pondus subiret. Tunc Papa divino Spiritu repletus ait: Si nunc delitescendo subterfugis, quo minus in hoc pacis ac tranquillitatis tempore Ecclesiæ navem gubernes, veniet dies, in qua nullo modo statuta Dei præterire valebis, verùm etiam inter multiplices ac fluctivagas varii laboris, mœroris, anxietatis undas regendam suscipies, ac Deo præsule, ad littus placidæ quietis ac si nimiũ fessus, perduces. His auditis, ad metatũ perrexit, atq; inter sacra orationum libamina, tam se, quàm defuncti

Cap. 4.

senio-

ſenioris animam cum lacrymis Deo ac ſanctis Apoſtolis ejus commendavit : ſicq; poſtera die, neſciente Papa, latenter diſceſſit, etiam in hoc Dominicæ actionis exemplum ſequens, de quo ſanctus Johannes Evangeliſta refert, quia cum voluiſſent eum rapere & regem conſtituere, ſtatim fugit. Sed mox, ut bonæ memoriæ Adalbero ex hac vita migravit, Hiltinus ei in Epiſcopatu ſucceſſit. Quo poſt quindecim annorum curricula ex hac luce ſubtracto, volente Domino hoc, quod de ſervo ſuo Udalrico per ora ſuorum fidelium antea prædixit, adimplere, totius cleri ac populi voto in unum concurrente, & Henrici regis voluntate in idipſum conſentiente, idem vir Dei ſanctus in cathedram Epiſcopalem hac in urbe eſt ſublimatus.

Cap. 5. Adepto verò tantæ dignitatis honore, qualis quantusve extiterit, nullius ſermo ad integrum explicare valebit. Totus erat ſemper in oratione, totus in lectione, & maximè attendens, quibus virtutum ornamentis Apoſtolus deſcribebat Epiſcopum decoratum eſſe debere, ubi ſic ait : Oportet enim Epiſcopum eſſe ſine crimine, ſicut Dei diſpenſatorem : non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum : ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem : ut potens ſit exhortari in ſana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Harum duarum virtutum ita vicaria utebatur ſucceſſione, ut niſi inevitabili alicujus neceſſitatis articulo intercedente, nullum tempus tranſire ſineret ociosum, quo minus aut orationi inſiſteret, aut lectioni operam daret : ſicque penè ſemper optatis Rachel amplexibus uteretur, niſi Liæ interpoſitione interim à tantæ ſedulitatis dulcedine ſuſpenderetur. Suberant ei curæ maximæ de reparandis eccleſiæ muris, de reædificandis domorum ac ipſius civitatis ædificiis, quæ ſub anteceſſorum ſuorum temporibus aut nimia vetuſtate dilapſa, aut igne fuerant conſumpta. Sed & familia maxima ex parte à paganis occiſa, & pars, quæ remanſerat, egeſtate nimium erat afflicta. Inter hæc venerabilis heros, velut ante & retro oculatus, cœpit cauta mentis intentione circumſpicere, providam omnium curam gerere : ac ſapienti uſus conſilio, materialibus quidem ædificiis prudentes ac idoneos magiſtros præfecit : ipſe verò quaſi ſapiens architectus, cum Apoſtolo Chriſtum fundamentum poſuit, ſuper quod ædificavit aurum, argentum, lapides precioſos, & cætera hujusmodi : ut ſanctarum animarum ædificatio, per ejus prædicationem conſtructa, creſceret in templum ſanctum Domino. Et quoſcunque ad tale ædificium verbo & exemplo præparabat, cætera humanitatis officia, prout illi facultas ſuppetebat, præbere non deſinebat, non ſolùm his, qui præſentes aderant,

manum

manum misericordiæ porrigendo, verum etiam eis, qui ægritudine prævenți, vel carceribus inclusi longè aberant, ministrando.

Nulli itaq; avarus, omnibus extitit largus, ita ut illud beati Job posset dicere: Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Et paulò post: Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum. Et iterum: Flebam quondam super eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Unde in refectione quotidiana semper ejus mensæ chara sibi intererat pauperum turba, quam & victu pavit, & indumentis vestivit. Seipsum verò nimia maceratione castigavit, ita ut carnem non manducaret, & intrinsecus super nudam cutem laneam vestem portaret, illud Apostoli opere proclamans: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Et nocte quidem in oratione pervigil, seipsum in ara cordis per orationis studia mactavit: die verò super altare visibilem ac salutarem hostiam Domino immolavit, quò ejus sacrificium redemptori omnium esset gratum & acceptum. Die cum Martha Domino in membris suis ministrabat: nocte verò cum Maria sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius, sciens scriptum: Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Erat ei solennis consuetudo, post Completorium nil cibi aut potus sumere, silentio studere: sciebat enim à Domino dictum: Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Unde jugiter à Domino postulabat: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Sed si quando necessario ei loquendum fuit, erat illius sermo sapientiæ sale conditus, modestus, humilis, & ad persuasionem utilis, &, ut quidam sapiens dicit, in sermone pondus, atq; in verbis modus. Quando verò membra in Dei servitio fatigata necesse habuit quiete aliquâ recreare, non hoc in plumarum mollitie, sed subterposito psiathio, tapete, vel sago, parum quid indulgebat somno. Et ut brevitatis compendio utar, sic exteriùs gerebat officium sacerdotis, ut interius non omitteret religionem monasticæ conversationis. Erat etiam ei moderata ciborum parcitas, ac quidam singularis abstinentiæ modus, quo solebat religiosa arte secum convivantes circumvenire. Sæpius enim sperantibus, quod cum illis manducaret, ipse ablata carnalium epularum mensa surgens, ad ecclesiam perrexit, Missarum solennia celebravit. Unde adhuc quasi recenti sit actum memoria, ore multorum refertur, quod dum quadam die ipse venerandus pater cum Conrado divæ memoriæ Constantiensis ecclesiæ Episcopo, ad prandium apud sanctam Afram martyrem consedisset: postquam consumptis cibis ab utrisque discessum est, quædam causa extitit, qua prædi- Cap. 6.

ctus pontifex ad virum Dei mittere debuiſſet. Ad quem cùm legatus ipſius veniſſet, invenit eum ſacro altari adſtantem, ac ſalutarem hoſtiam Domino immolantem. Quo peracto, nuncium audivit, atque abſolutum redire ad Dominum ſuum permiſit. Cumq; reverſus interrogaretur, cur tamdiu moratus fuiſſet, reſpondit, quia virum Dei tandiu expectaſſet, donec ter Miſſarum ſolennia peregiſſet. At ille ipſum verbum ab illius ore arripiens: Miſſarum, inquit, ſolennia celebravit? Tunc quaſi ſubridendo intulit: Et verè nullus illo ſaturior ad menſam altaris hodie acceſſit. Sed utrumnam joco, an ſeriò hoc protulerit, tamen verum fuit, quod dixit. Cibavit namque Dominus illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum, ita ut rectè cum Pſalmiſta poſſit proclamare & dicere: Eructavit cor meum verbum bonum, & iterum: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt? Vox pſalmodiæ tam jugis in illius ore dulciter reſonabat, ut non ſolum ipſe, ſed & illi, qui eam ſoliti erant cum illo pura mentis intentione cantare, tantam cordis munditiam ex ea conciperent, ut quædam ex revelatione divina occulta cognoſcerent, quæ aliis manifeſtarent. Unde exempli cauſa quædam ſubternotabo, quatenus vera eſſe approbentur, quæ dico.

Cap. 7. Quodam tempore cum artifices eccleſiæ cryptam in melius reparare vellent, erat quidam clericus nomine Rambertus, ſancti viri obſequio deditus. Hîc quadam die in exceſſu mentis effectus, videbatur ſibi cum Domino ſuo Epiſcopo ſolito more Pſalmos canere, nec non Adalberonem quondam, ut ſupra diximus, pontificem ad Aquilonarem ejusdem cryptæ plagam ſacerdotalibus indutum veſtibus propè aſſiſtere, ſibiq́ue, ut ad ſe veniret, innuere. At ille mente perculſus, ac inter vivum & mortuum quid ageret, dubius & anceps, tandem in viventem pavens figit obtutus, velut ſciſcitans quid eſſet facturus. Tunc Epiſcopus: Ut quid, ait, ſic in me oculos defigis? Cui ille reſpondens, dixit: Ecce Dominus meus Adalbero Epiſcopus ad celebrandum divinum myſterium paratus adſtat, & me ad ſe vocat. Cui Epiſcopus: Feſtina, inquit, ire, ejusq́ue juſſis in omnibus obedire. Qui mox ut propius acceſſit, hęc ab eo audivit: Ramberte, dic Domino tuo, quia magnam à Domino mercedem habebit, pro orationibus ac eleemoſynis, quas pro me fideliter exhibuit. Et hoc ſibi ſit in ſignum, quod ego & Fortunatus in proxima Cœna Domini, concedente Deo ſacroſanctum chriſma cum illo ſanctificabimus: Inſuper ædificatio iſtius cryptæ ruet citiſſimè. Ipſe autem propter hoc ab incepto non deſiſtat opere, quin illud firmioribus ſtudeat fundamentis ſtabilire. Fratres quoque admonere curato, quia orationes, quas ſua ſponte ſe facturos pro me ſpoponderunt, nequaquam, ſicut promiſe-

runt,

rant, impleverunt. Et nisi hoc studuerint emendare, sciant se pro hoc in conspectu Domini rationem reddituros esse. Episcopus autem à civitate regia revertens, (nam tunc temporis ibi morabatur) ita de crypta contigisse reperit, sicuti per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens moræ, non antea à labore cessavit, quàm omnia in meliorem statum reparasset. Iterum alia vice cum prædictus Rambertus juxta morem in oppido Vuaringa cum sancto viro Psalmodiam decantaret, cœpit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo requisitus quidnam sibi esset, respondit seniorem suum Adalberonem eodem, quo & antè, ornatu paratum se videre, sibiq; præcipere, ut illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitæque servitutis officium impendat. Verè impleta est prophetia, quæ dixit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

Nec prætereundum puto, qualiter cœlestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solenni die sancti Paschæ, multa fratrum caterva adstante, dum sanctus sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera divina sanctificavit sacramenta. Expletis verò Missarum solenniis, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum usque in cubiculum, ad ejus pedes cecidit, atque in præsentia popularium personarum eandem visionem minus cautè explanavit. Cui vir Dei: Melius, inquit, tibi esset tacere, quàm talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exiit, & in vestibulo cubiculi residens, tantas lachrymas emisit, ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus dispendia sustinere. Vir autem Dei memor suæ fragilitatis, cavebat favorem humanæ laudis, ne caderet in præcipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili ejus dono: & sicut de sanctis scriptum est: Ibunt de virtute in virtutem, velut cœleste animal, ante faciem suam gradiebatur, ut eò mente conscenderet, quò eum impetus spiritus duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte, quæ antecedebat diem sanctum, quem diem indulgentiæ vel Cœnam Domini Christiana religio vocare consuevit, vox quædam beato sic ait in visu: Udalrice Episcope, scias te hospites susceperturum esse. Expergefactus, cœpit secum admirando tractare, quinam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille, qui solet aliquoties hominum mentes illudere: sed talis potius, quali sponsa se dicit in amoris Cantico obdormire: Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterum vocem in hæc verba meruit audire: Orationis tuæ

Cap. 8.

& eleemosynæ, Udalrice, Deo sunt acceptæ, qui binis antecessoribus tuis, Fortunato scilicet atq; Adalberoni, te commendavit, ut tibi hodie & deinceps sacra mysteria celebranti assistant, & ea tecum benedicant. Mane autem facto, hora, qua inclytus mysteriarches divina sacramenta celebravit, quibusdam etiam, qui ad videndum digni erant, cernentibus dextera Domini denuò apparuit, quæ cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo eadem consecravit. Iidem ipsi cùm ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederent, & sanctus Dei illos hujus secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, ut per hoc intelligerent, quod visa minimè divulgare deberent: quin etiam expleto sacrorum officio, ad se vocatis revelati sibi in nocte præterita mysterii ordinem exposuit, & tam hoc, quàm quod ipsi viderant, alicui dicere, donec ille maneret in carne, interdixit sub interminatione præsentis vitæ.

Cap. 9. Alio verò tempore, dum iterum sub cujusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eiq; dixit: Surge, & sequere me. Et statim eduxit illum in campum, qui ex nomine ibidem decurrentis fluvii, Lecfelt dicitur, ubi sanctum Petrum Apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem invenit cum magna Episcoporum aliorumq; sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primùm, revelante sibi gratia divina, cognoscere cœpit. Ibi inter alia, quæ tractabuntur, sicut olim in Apocalypsi sancti Johannis, audita est vox animarum, de suis interfectoribus vindictam expetentium: ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum adhuc vivente, ob destructionem ecclesiarum atq; monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententia, damnatus est pœna. Proferebantur in medium etiam duo enses: unus quidem cum capulo, alter verò absque capulo. De quibus princeps Apostolorum ait ad beatum virum: Dic Regi Henrico: Ensis absque capulo, significat illum, qui sine unctione regnat in populo. At alter capulatus, illum, qui per sacræ benedictionis ordinem divinitus fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, prædicta Dei martyr sanctissima monstravit illi adhuc loca, in quibus Otto Rex postea castra posuit, & generale colloquium cum suis habens, Berengarium regem Longobardorum, cum multis aliis præsentatum, in suum suscepit dominium. Prædixit etiam efferæ gentis Hungarorum irruptionem, durissimamq; cum nostratibus congressionem, nec non & loca certaminum: & licet

cum

cum magno ſuorum detrimento, tamen victoriæ triumphum promiſit populo Chriſtiano. O beatum virum, cœleſti viſione dignum, in talibus etiam ſanctis Apoſtolis, Petro videlicet ac Paulo, conferendum: quorum alter in linteo cœlitus demiſſo, electionem gentium per viſionem didicit: alter verò, ſive in corpore, ſive extra corpus, uſq; ad tertium cœlum raptum ſe eſſe aſſerit, ubi & arcana Dei audivit & vidit. Ille verò ſanctus & in oſtenſione dextræ ſacræ ſuper altare, & in hac viſione, & poſtmodum in aliis, ut ante exitum noſtri ſermonis ſatis patebit, & arcana Dei vidit & audivit, & ſalvationem non tantum ſuæ gentis, ſed & multorum populorum cognovit. Hæc non paſſim tunc vulgi auribus ſe inaniter jactando divulgavit, ſed paucis, quos ad hoc dignos duxit, ſecretò manifeſtavit. Ipſe verò ſentiens ſe tanto divinæ gratiæ dono præventum, non ſe erigebat in altum, ſed omnia referebat ad illum, à quo acceperat, quicquid boni habebat, vel eſſe poterat, dicens cum Apoſtolo: Gratia Dei ſum id, quod ſum.

Cœpit igitur commiſſi ſibi gregis curam agere, talentum ſibi creditum non ſudario illigatum terræ commendare, ſed ut bonus verbi Dei diſpenſator, ad uſuram accommodare. Unde ſuæ diœceſios terminos ſæpius luſtravit, ac congregatis coram ſe clericis ac laicis, pervigili ſtuduit cura inveſtigare, inprimis qualiter ipſi eccleſiarum presbyteri cum ſuis miniſtris viverent: utrum populum rectè ac ſecundum catholicam doctrinam docerent, ac quod prædicabant ore, & opere implerent: ne forte aliis prædicantes, ipſi reprobi efficerentur, & ob hoc à ſuis auditoribus contemnerentur. Deinde diſcutiebat, ſi laici eorum doctrinæ obedirent, ſi in Dominicis diebus & aliis ſanctorum ſollennitatibus ab opere illicito vacarent, ſi eccleſiarum limina ea, qua deberent, devotione frequentarent, aut decimas rectè darent: multaque id genus. His ita inveſtigatis, quæque erant rata & bene ordinata, laudavit & confirmavit: quæ verò aliter, correxit & emendavit. Simoniacorum hæreſin quaſi pernicioſam peſtem devitandam eſſe admonuit, aſſerens perpetuæ tradendos pœnæ, qui hæreſi huic nequiſſimæ ſtuderent animos inclinare. Unde nunquam pro clericorum ordinatione, vel eccleſiarum conſecratione quippiam muneris accepit: ſed ſicut in ſacri chriſmatis unctione per impoſitionē manus Spiritum ſanctum paracletum gratis dedit, ita & iſta conceſſit, ſciens à Domino præceptum: Gratis accepiſtis, gratis date: niſi fortè ipſi eccleſiarum fundatores aliquid pro bona voluntate offerrent, & hoc illum pro gratiarum actione ſuſcipere rogarent. Jus verò legitimum ſanctæ Mariæ ſemper virginis familiæ, ab anteceſſoribus ſuis antiquitus conceſſum, ſtatuit inviolabiliter conſervandū, nec quenquam in *Cap. 10.*

ſua ditione degentium lædi permiſit oppreſſione præpoſitorum: ſed ita inter ſuos omnia ad æquitatis ac juſtitiæ normam perſpicaciter correxit, ut nullum alteri aliquid inferre ſineret, quod ipſe ſibi fieri nollet, juxta illud præceptum : Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Et Dominus in Evangelio: Omnia quæcunq; vultis, ait, ut vobis faciant homines, eadem & vos facite illis.

Cap. 11. Cum in his & hujusmodi virtutum gradibus ſanctum virum ſemper ad altiora conſcendere omnium bonorum hoſtis invidus cerneret diabolus, quacunq; potuit arte, cœpit ſatagere, ut ejus animum vel quantulumcunq; poſſet impedire. Accidit igitur tunc temporis, ut inter Luidolphum Ottonis Magni Imperatoris filium, qui Alamannorum genti præerat, & ejus patruum Henricum Noricorum Ducem, oriretur lis odiumq; per inſtigationem ſatanæ, & ex malignorum hominum perſuaſione. Quos cum Imperator ad concordiam minimè revocare potuiſſet, fratri adjutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus Comes Palatinus, Arnulphi quondam ducis filius extitit, cujus fidei prædictus Dux Henricus totam Bajoariam cum ipſa metropoli Ratiſpona commendavit, ac in Saxoniam ad Imperatorem ſe contulit. Ibi eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, ſe cum ipſa civitate & multitudine populi, Ludolphi ſubegit poteſtati. Hæc cum ſancto Pontifici comperta fuiſſent, relicta militum cuſtodia in civitate Auguſta, in Noricorum regionem properè contendit, ubi tunc Imperatorem cum exercitu conſiſtere audivit. Præfatus verò tyrannus Auguſtam adiit, ac rebus circumquaque direptis, quibusdam Epiſcopi militibus captis, præda onuſtus, & quod verius eſt, peccati pondere gravatus, in Bajoariam eſt reverſus. Interim verò ipſum Dei famulum poſtquàm comperit à regia ſervitute reverſum, in caſtello, quod Mantachinga dicitur, non timuit obſidere : ſed non ceſſit ei in proſperum, quod talia præſumpſit contra Dei Servum. Nam parvo interjecto dierum ſpatio, à Comite Adalberto ac Epiſcopi fratre Thietbaldo ab obſidione cum detrimento ſuorum coactus eſt ſecedere, & debita reſperſus confuſione, in patriam redire, etiam ibi capto ejusdem fratre Herimanno. Sed & fortiſſimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabæus, pro Eccleſia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, ut veraciter eſt credendum, per mortalitatis diſpendium tranſiens ad immortalitatis compendium. Cujus corpus ſanctus Udalricus Auguſtam deferens, in eccleſia ſanctæ Mariæ ſemper Virginis condidit : Spiritum verò per ſacræ immolationis hoſtiam Domino commendavit.

Cap. 12. Ex hoc tantus omnium mentes timor invaſit, ut nullus de rebus eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſemper Virginis ad Auguſtam pertinentibus, aliquid uſurpare præſumeret : quia nullus eorum, qui

qui antea inde aliquid injustè abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerunt, impunitus evasit, nisi qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, Episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Ut enim ex pluribus pauca exempli causa proferamus, unus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tandiu perdito sensu proprias manus laceravit, quousque vitam finivit. Alius verò librum quendam de civitate Augusta rapuit, ex cujus precio caballum emit. Quem cum domum perduxisset, uxori suæ ait: Melius mihi fuerat, ut istum tam præstantis formæ equum emissem, quàm librum, quo illum comparavi, in Augusta dimisissem. Cui illa: Utilius, inquit, ut spero, tibi fuisset, si nunquam manus tua ipsum librum tetigisset. Ille verò, dum molli tactu per posteriora dorsi, ut assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interiit. Post non multum temporis præfatus Arnulphus pro injuriis, quas viro Dei ingessit, etiam ipse justi judicis iram sensit. Obsessa namq; civitate Ratispona, paratus ad prælium exiit, ibique occisus interiit.

Quidam homo de Episcopatu, qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de sæpedictis rebus injustè usurpavit, secumque asportavit. Sed mox à dæmonio occupatus nullum neque intra neq; extra ecclesiam abscondendi locum invenire potuit: nec benedicta adspersus aqua, carere valuit ejus præsentia, quin semper juxta eum videretur individuus comes manere, donec Augustam rediens, rem injustè ablatam reddidit, seseque emendari obnixè rogavit. Cui Episcopus, ut totus erat visceribus pietatis plenus, & indulgentiam pro Christi amore tribuit, & à dæmone liberatum, ad propria redire permisit.

Interea dum contentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, ut supra diximus, & Ludolphum exorta, in tantum accrevisset, ut non aliter nisi ferro finiri potuisset, jamq; acie utriusq; partis ordinata, ut cominùs committi deberet pugna, athleta Dei Udalricus, sciens quia beati sunt pedes pacem portantes, & quod ipse Dominus in Evangelio ait: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: assumpto Hartberto, Curiensis ecclesiæ Episcopo religioso, se in medium injecit: ac tanta eos arte suadendi aggressi sunt, spiritu patris in amborum ore loquente, ut facilè ad pacis fœdera revocarent, & veræ charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto pœnitentem Ludolphum, quàm ille evangelicus pater olim suscepit revertentem filium. Uterque enim filius mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est. Fit gaudium ingens & exultatio in exercitu cuncto. Laus & gratiarum actio resonat in ore omnium: quia per servos suos liberavit Dominus populum suum. *Cap. 13.*

Cap. 14. Sequenti verò anno, id eſt, Dominicæ incarnationis nongenteſimo quinquageſimo quinto, gens Hungarorum omni belua crudelior, juxta quod viro Dei cœlitus antè fuerat revelatum, cum innumerabili multitudine erupit, omnemq; Noricorum regionem à Danubio uſq; ad nigram ſylvam, quæ ad montana pertinet, & partem provinciæ Alamannorum uſque Hilaram fluvium, devaſtando occupavit. Quæ Licum tranſiens, eccleſiam ſanctæ Afræ igne combuſſit, atq; civitatem Auguſtam obſidione circumdedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquam, viſis tot lupis, inſtar mercenarii, ſui gregis cuſtodiam fugiendo dereliquit, ſed ex adverſo ſe oppoſuit ac totam cauſam Domino commendavit. At militibus circumquaque per murum & ante portam acriter contra hoſtes dimicantibus, ille ſuper equum ſedens, non clypeo protectus aut galea, ſed ſtola indutus, intra lapidum ac ſagittarum imbres incedebat ſecurus. Videres novum Joſue arcam Domini circumferre, buccinis concrepare: niſi quod Joſue extra muros urbis Jericho, iſte verò intus erat cum Dei populo. Sed meritò noſter Joſue, jam coruſcante gratia Chriſti, intus in domo Rahab ad Deum converſæ, hoc eſt, Eccleſiæ, manebat, & civitatem diaboli foris manentem expugnabat. Joſue duce ſacerdotibus, qui arcam Domini ferebant, buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Jericho funditus corruerunt. Iſto arcam Domini in pectore mundo gerente, & cum ſacerdotibus ac Levitis tubis, id eſt, pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus ſonantibus, cunctisque populis maxima prece ad Deum & ad ejus ſanctam Genitricem Mariam ſemper Virginem pro ſua ereptione clamantibus, Hungari, qui erant civitas diaboli, ceciderunt. Comperto namq; Ottonis glorioſiſſimi Imperatoris adventu, retracta obſidione, obviam pergunt, armisq; decertare contendunt. Inito prælio, Deo, juxta viri Dei præſagium, victoriam populo Chriſtiano donante, multa millia Hungarorum ceciderunt: cæteri fugam arripuerunt. Quos Chriſtianorum exercitus tandiu cædendo perſecutus eſt, donec principes eorum cum aliis multis una caperentur, atque Ratiſponam perducerentur, ubi ad ignominiam ſuæ gentis poſtmodum ſuſpenſi ſunt in eculeis. His ita geſtis, præſul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis cœpit diſpicere, ac ſubditorum neceſſitates pertractare, non ſibi ratum æſtimans, ſi ſolummodò ea, quæ ſua eſſent, quæreret, ſuorumq; cauſas negligeret, juxta illud Apoſtoli: Qui ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt deterior infideli. Unde ſuorum congregationes cleritorum, quæ hoſtium deprædatione ad tantam fuerunt inopiam redactæ, ut ad quotidianæ refectionis uſum nil poſſent habere,

ſecum

ſecum retinuit, ac inquantum potuit, pauper ipſe præſentis vitæ neceſſaria pauperibus miniſtravit: & non ſolùm illis, ſed & omnibus ſepetentibus, prout habuit, miſericordiæ manum porrexit, juxta illud Dominicum præceptum: Omni petenti te, tribue.

Eo tempore admonetur in viſione, ut eccleſiam ſanctæ Afræ, quæ à paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, nec non & Simperti Epiſcopi ſepulcrum, quod ſitum erat juxta gradus in choro, congruo procuraret tecto. Ex hoc cœpit Dei famulus in jejuniis & precibus cum cordis contritione, aliis quoque viris religioſis ſecum aſſumptis, ſe Deo mactare, ſupplicans devotè, quatenus omnipotens Deus per miſericordiam ſuam dignaretur ſibi manifeſtare locum, ubi ſanctiſſimæ martyris ſuæ corpus eſſet reconditum, vel ſi in parte orientali crypta eo loci eſſet ædificanda, ubi ſuadebat ei voluntas ſua. Ergò ut Dominus verum comprobaret, quod per os ſancti David dixit: Ecce oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: & in alio loco, Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: quadam nocte in viſu ei ſancta Afra apparuit, & locum ſui corporis in eccleſia demonſtravit. Cryptam verò illo in loco fieri prohibuit propter reliquias ſanctorum, qui illic in pace quieſcentes, adventum juſti judicis expectant. Hac revelatione perdoctus, cœpit deſtinato operi vigilanter inſiſtere, eccleſiæ muros inſtaurare, cryptam in occidentali parte conſtruere: nec antea à labore ceſſavit, donec brevi omnia perfecto decore conſumavit. *Cap. 15.*

Dignum eſt nunc demonſtrare, qua veneratione dignus ſit locus ille, in quo ſancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus, qui inter gramina ibi deambulando, ſpeluncam quandam reperit, in qua & transformatam ædiculam ſub terra muratam conſpexit. Et veniens, Epiſcopo nunciavit, eiqúe dixit: Si tuæ placeat ſanctitati, hîc olera mea & alia, quæ mihi ſunt neceſſaria, poſſunt recondi. Cui ille in ſpiritu dixit: Si hoc feceris, mox ſenſu & membrorum ſoſpitate carebis. Sed miſer hæc parvi pendens, ſupellectilem ſuam in prædictam ſpeluncam congregavit, ſtatimq́; ſenſum cum viſu & auditu perdidit. Qui ad ſanctum Dei perductus, ut reatum ſuum agnovit, veniam petiit, ac indulgentiam cum ſanitate promeruit. Mira dicturus ſum. Ex illa namq; hora nunquam ab hortulano ipſa reperiri potuit ſpelunca. Ex eo tempore cœpit vir Dei ſanctum illum locum magis frequentare, ſibiq́; ſepulcrum ibi præparare. Ubi omni ſexta feria, ſi domi eſſet, ſolebat ſalutarem hoſtiam Domino immolare.

Interea orationis cauſa Romam perrexit, ubi & caput S. Abundii martyris acquiſivit, ſecumque religioſa cum devotione Auguſtam reportavit. Solebat loca ſancta viſitare, ac præcipuè *Cap. 16.*

mona-

monaſterium ſancti Galli, ubi nutritus erat & eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam S. Meinradi, ad videndum ſervum Dei Everhardum veniſſet, poſt ſacra orationum libamina, poſt fraternæ collationis dulcia colloquia, cùm jam prælibatis oſculis ſanctus Epiſcopus diſpoſuiſſet redire in ſua, & ea vice ſperaret Dei famulum non amplius eſſe viſurum, jamque ire cœpisſet, feſtinatò anhelus cucurrit, atque iterans oſcula charitatis, in hanc vocem lachrymabundus erupit: Ex hac hora non videbimus nos ulterius in hac vita, donec corporibus exempti, videre nos mereamur in præſentia Dei. Cui Epiſcopus dixit: Pater venerande, ſcis nunc pro certo tempus meæ reſolutionis inſtare, quo debeam ex hac vita migrare? Cui ille reſpondit: Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit: ſed verum eſſe quod dico, exitus rei comprobabit. Tunc diſceſſum eſt. Sed antequam Epiſcopus eandem cellam iterum viſitavit, ille Dei famulus Everhardus de hoc ſeculo migravit. Proceſſu quoque temporis locum Agaunenſium, ubi S. Mauricius cum ſacra legione quieſcit, orandi gratia adivit, ac non modicas Thebæorum martyrum reliquias acquiſivit. Quas cum ſummo honore Auguſtam attulit, ac in oratorio ſanctæ Dei Genitricis cum hymnis & pſalmodiis religiosè collocavit. His quoque diebus venerabilis heros ad monaſterium Inſulanenſe, quod Augia dicitur, venit, ubi tunc temporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Aluuigus, curam geſſit. Qui eum digno, ut par erat, honore ſuſcipiens, multiplicibus ſanctarum reliquiarum, quarum gratia illo advenerat, pignoribus donavit, ſicq; ad propria lætum redire permiſit.

Cap. 17. Nec prætereundum, quod propter ipſius merita, plurima infirmis præſtabantur beneficia: & maximè qui caduco gravabantur morbo, per ejus benedictionem à tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis cauſa ſtuduit occultare, ut ſi fortè aliqui illorum hanc ſanitatis gratiam palam poſtularent, donum benedictionis ſubtraheret, hoc magis aſſerens Apoſtolicæ dignitati, quàm ſuæ congruere parvitati. Per oleum, ab eo in Cœna Domini conſecratum, variis languoribus detenti, priſtinæ reſtituti ſunt ſanitati: nec non & oculorum caligine obtenebrati, hujus ſancti olei unctione merebantur illuminari.

Operæ precium eſt inferre, qualiter etiam ipſe per efficientiam hujus ſancti liquoris, conſecutus eſt gratiam ſoſpitatis. Quodam itaque tempore ad monaſterium Campidonenſe veniens, tanta infirmitate tenebatur, ut non niſi inter aliorum manus ſuſtentatus, quoquam poſſet greſſum movere, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc ſub omni celeritate Auguſtam mittitur: oleum, ab eo conſecratum, defertur. Quo in ipſa ſancta Pentecoſtes vigilia hora diei nona delibutus, intantum

tum per gratiam Dei contra ſpem omnium ſubitò convaluit, ut ſe reficeret cibo, ac cum fratribus veſpertinæ ſynaxi incolumis intereſſet, totamq; inſtantis feſtivitatis diem ſpiritali jucunditate celebraret. Sicq; omnibus in commune gratulantibus, ipſe ſoſpes in ſuam ſedem eſt reverſus.

Quodam tempore cùm vir Dei Vindicem fluvium eſſet *Cap. 18.* tranſiturus, intantum alvei ejus curſum excreviſſe invenit, ut nullus ſuorum auderet tranſire per illum. Tunc ſociis ſui itineris abeuntibus, & vadum, ſicubi poſſet reperire, ad tranſeundum quærentibus, ipſe cum uno clerico ſolus remanſit, ac prædictum fluvium ſine aliqua trepidatione in nomine Domini tranſivit. Et ut magis mireris, clericus altiori caballo reſidens, à cingulo deorſum ſe totum in aqua infuſum : de Epiſcopi autem ſoccis è ſago factis, quos propter frigus induerat, nec ſaltem unum pilum madefactum perſpexit. Cui valdè ſuper hoc admiranti interminatus eſt, dicens : Cave, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere: humilitatis magiſtrum ſequens, qui de ſemetipſo diſcipulis præcepit, ut viſionem, quam vidiſſent, nemini dicerent, donec filius hominis à mortuis reſurgeret. Tua ſunt hæc ô Chriſte opera, tuarum gratiarum inſignia, qui in ſanctis tuis etiam nunc antiqua coruſcare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebræorum populo quondam diviſo mari rubro aridum iter præbuiſti : tu hunc famulum tuum per idem elementum ſiccis veſtibus traduxiſti : niſi quod illis aquæ erant pro muris à dextris & à ſiniſtris, ut ſiccis veſtigiis per medium tranſirent : iſte verò per medias tranſiens aquarum undas, in nullo madefactus, te duce, pervenit ad litus. Alio item tempore dum Ratisbonam navigio per Danubium tenderet, ex incuria nautarum navis ſuper quoddam impingitur lignum : ex quo patentibus rimis cœpit paulatim impleri aquis. Timore perterriti nautæ, ad litus contendunt properè. Quo pervenientes, omnibus quæ in navi erant, exportatis, obliti ſunt Epiſcopi in puppi reſidentis. Tunc unus ex clericis trahens ſuſpiria ex intimo cordis, ait : Væ nobis miſeris, quia in tanto periculo obliti ſumus noſtri ſenioris. Et hæc dicens, velociùs cucurrit, & humeris impoſitum ad litus expoſuit. Quo egreſſo, navis in poſteriori parte mergitur, & mirum in modum navis, quæ plena hominibus, cæterisque ſupellectilibus ſuper aquas nataverat, viro Dei cum ſuis egrediente, non potuit diutius, quin mergeretur, ſubſiſtere: ut inde colligeretur, quia hanc omnipotens Deus ſua manu tenuerat, quando vir Dei cum ſuis in ea manebat. Item alia vice vir Dei Romam pergere deſiderans, venit ad fluvium Tar nominatum : quem tam periculoſa reperit inundatione effuſum, ut nec equo, nec navigio aliquis poſſet tranſire illum. Sed

ſanctus

ſanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipſius fluminis ripa Miſſarum ſolenniis, prædictum fluvium tranſuadavit cum incolumitate omnium ſuorum.

Cap. 19. In illis diebus electus Dei pontifex ſacræ religionis ſtudio incitatus, divini amoris igne ſuccenſus, cœpit in eccleſia S. Stephani protomartyris Chriſti, quæ extra urbis mœnia ſita eſt, religioſas fœminas congregare: quatenus in ſancto propoſito tanto liberius ibidem Deo ſervirent, quanto longius à mundanæ actionis labore diſtarent. Ad quod monaſterium dum quædam matrona ad converſionem veniret, & à congregatione ſuſcepta fuiſſet, cœpit in Dei ſervitio manere devota: & licet literarum ſcientia minus inſtructa, tamen ad exteriora providenda ſatis erat idonea. Unde ſorores ei voluerunt officium cellerariæ commendare, ſed illa noluit conſentire. Tunc res ad Epiſcopum defertur. Qui cum eidem juberet obedire, noluit, ſed in obſtinatione mentis perduravit. Sequenti verò nocte hujusmodi verbis corripitur in ſomnis: Quia, inquit, non obediſti Epiſcopi præceptis, tamdiu ambulandi uſu carebis, quouſq; ab illo abſolvi mereberis. Expergefacta, omninò permanſit debilis & clauda: & revertente ad civitatem Epiſcopo, ante ejus præſentiam in lectulo eſt deportata. A quo de inobedientia pariter correpta eſt & ſanata. Ipſa autem, ut ſe ſenſit ſanatam, currendo antequam ad eccleſiam Epiſcopus veniret, præceſſit eum, laudans & benedicens Deum.

Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad ſynodum Epiſcoporum, quæ in villa regia, Ingelenheim dicta, erat congreganda, pergeret, quendam pauperem nomine Rotbertum, obvium habuit, qui ventris ſui interiora foris prolapſa, in ſinu geſtavit. Quem ut conſpexit, miſericordia motus, ei denarium dari juſſit, dicens: In nomine Domini accipe, & vade in pace. Qui mox eleemoſynam accipiens, perrexit ac meliorari in tantum cœpit, ut poſt aliquod temporis ſpatium ſoſpitati redderetur ad integrum. Idem etiam poſt mortem viri Dei, aliis iterum præoccupatus infirmitatibus, ad ſepulcrum ejus veniens, ſanari meruit, ſicut lector ſuis locis plenius ſcriptum invenire poterit.

Cap. 20. Igitur ſanctus Dei, cœleſti deſiderio afflatus, cœpit ea, quæ ſunt hujus mundi, faſtidire, terrenarum rerum lucra Chriſti amori poſtponere: & licet hîc retineretur corpore, in cœleſtibus tamen converſabatur mente: ut meritò in illorum cenſeretur numero, qui dicere poſſent cum Apoſtolo: Noſtra converſatio in cœlis eſt. Unde zelum Dei habens, licet non ſecundum ſcientiam, cœpit apud terrenas poteſtates totis viribus agere, ut quidam clericus, Adalbero nomine, ſuæ ſororis filius, totius Epiſcopatus curam ſuſciperet: ipſe autem ſub monachicæ religionis habitu ſoli Deo vacaret, quod & impetravit. Sed ille miſerandus neſciens,

ens, aut scire nolens, à sapientissimo Salomone dictum : Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in novissimo benedictione carebit : milites Episcopi, totamque familiam statim sacramento sibi subjiciebat, ac virgam pastoralem publicè manu gestabat. Quod cæteri Episcopi indignè ferentes, ambos ad synodum vocaverunt, atque prædictum Adalberonem hæreticæ arguunt præsumptionis, quod Domino suo adhuc superstite, talia non pertimuisset usurpare. At ille dum de objectis sibi criminibus se vellet purgare, ab omnibus inventum est, id aliter fieri non posse, nisi allatis sanctorum Evangeliorum in medio libris, sacramento firmaret, se nescisse hæresin fuisse, quod talia præsumpsisset facere. Quibus omnibus, quæ ad hoc negocium pertinebant, expletis, in sua redierunt ambo Episcopus & Adalbero, tali à sancta synodo consolatione percepta, ut Episcopo decedente ab hac vita, nullus pro eo alius esset ordinandus, nisi ipse Adalbero. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Nam eodem anno post aliquot menses, dum quadam die jam ad vesperam inclinante prædictus clericus ad mensam cum viro Dei noviter secta vena resideret, ac quiddam molestiæ propter incisionem venæ sustineret, è consessus medio concitus surgens, cubitum ire perrexit, statimque in ipsa nocte præsentis vitæ terminum clausit. Quod Episcopus mox per spiritum cognoscens, eum, qui ad annunciandum mortem sibi intraverat, præveniendo dixit : Scio, quod Adalbero mortuus est. Festina, & fac vehiculum præparari, ut possimus illum Augustam deferre. Morabantur autem tunc temporis in castello, quod Dilinga dicitur. Corpus verò ejus exanime à sancto Pontifice Augustam perlatum, in ecclesia sanctæ Mariæ est humatum. Inter cætera misericordiæ bona, quæ pro requie animæ sui nepotis agebat, etiam Abbatiam, Utenbura dictam, quam ille dum viveret, in beneficium tenebat, sibi adquisivit, & tandiu tenuit, quousq; ipsius studio donata est libertatis privilegio.

Die quadam sancto Dei iter agenti homo quidam adstitit, *Cap. 21.* qui Conradi Constantiensis Episcopi obitum certissimum indicavit. Illis verò, qui aderant, sperantibus, quod statim pro requie illius solita exequiarum officia vellet celebrare, ille per secretum nuncium, sibi adesse solitum, sciens quid ex hoc esset verum, ait eis : Manete interim animæquiores, manè comperietis, quid inde credere debeatis. Crastina die diluculo quidam Constantia venit, qui prædicti viri sospitatem annunciavit. Et omnipotentis Dei famulus, licet tempus resolutionis suæ jam instare non ignoraret, tamen quandiu potuit, vehiculo superpositus, divini verbi semina in audientium corda spargere

non cessavit. Quem equitandi usum, etiam dum adhuc sanus esset, habebat, ut quocunque sibi eundum fuisset, sella super quadrigam posita solus sederet, comite uno tantum clerico, cum quo, absque impedimento aliorum, posset liberius vacare decantationi psalmorum. Festinabat autem quantocyus Augustæ civitatis mœnia ingredi, ut ibi, sicut bonus mercenarius, præstolaretur finem operis sui. Quò cum perveniisset, quamdiu vires sufficiebant, inter quotidiana Missarum solennia, salutarem hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interius victimam in ara cordis mactabat. Ad mensam cum aliis sedens, illis manducantibus & bibentibus, ipse benè manebat jejunus. Erat ei cibus aut dulcis psalmorum suavitas, aut sacrarum lectionum assiduitas: inter quas maximè delectabatur audire ex quarto libro Dialogorum sancti Gregorii, qualiter multi è corporibus exempti, in spiritu rapiebantur, ac iterum revertebantur. Inter hæc præcepit suarum rerũ procuratoribus, ut in omnibus omninò locis, ad suum jus propriè pertinentibus, quæcunq; invenire possent, in tres portiones partirentur, & unam ex his, ipso adhuc vivente, presbyteris & pauperibus largirentur. Ipse autem quadam die se ad audiendam Missam in ecclesiam deferri jussit. Qua audita, unum tapete coram sancta Cruce sterni fecit, seseq; super hoc in orationem dedit, & quasi post dimidiam horam surgens, quicquid supellectilis habere potuit, coram se importari præcepit, præter paraturam unius domus ac mensarum, & unum opertorium, quæ reliquit ad sui successoris servitium. Cætera cum perspexisset, ingemiscendo dixit: Ah, quid mihi hæc omnia? Fuerunt tantum pauca camisalia, & septem vel octo mensalia, duo sarcilia, & de argento decem solidi: quos statim per manus præpositi præcepit inter pauperes dividi, cætera verò clericis erogari, sicq; vigilanter studuit se ad hoc præparare, ut pulsanti confestim posset aperire.

Cap. 22. Talia meditando, aliquoties ad superna rapiebatur in spiritu, ac quædam vidit & audivit, quæ etiam ex parte sibi assistentibus narravit. Nam Wernhero Fuldensium Abbati se visitanti annunciavit, ut si duo in electione ejus cæteris concordarent, sibi in Episcopatu successurus esset. Item alia vice quasi de gravi somno excitatus, ait coram omnibus: Heu, heu, quod illum Adalberonem nepotem meum unquam vidi: quia pro eo, quod ei consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Legimus huic simile, sancto Gregorio in libro Dialogorum referente, quod quidam Paschasius, Apostolicæ sedis miræ sanctitatis Diaconus, cujus post mortem dalmatica feretro ejus superposita, dæmoniacum tetigit, & sanatus est: loco pœnali deputatus est, ob nihil aliud, nisi

quod

quod in illa contentione, quæ inter Symmachum Papam & Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque juxta diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit. Qua in re quia similis penè fuerat amborum culpa, (nam sicut ille Laurentium, etiam Symmacho ordinato: ita & iste, se adhuc in carne manente, licet simplici oculo minus rectum intuendo, voluit contra statuta Patrum Adalberonem fieri Episcopum) hoc idem sentire possimus de hoc viro sanctissimo, quod ille de Paschasio. Nam Petro super hoc quæstionem moventi, cur is, qui tantæ sanctitatis extiterat, quod ejus feretri vestis tangi potuit, & malignus spiritus ab obsesso homine fugari, post mortem ad pœnalem locum ductus sit, ita respondit: Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quàm sit multiplex, agnosci, cujus judicio actum est, ut idem vir Paschasius & ipse intus aliquanto tempore reciperet, quod peccasset, & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset: ut nec hi, qui ejus bona viderant, de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine ultione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit, & idcirco hanc fletibus non extinxit. Sic quondam dux ille magnus Israëliticæ plebis Moyses, cum quo, sicut scriptura refert, loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut loqui homo ad amicum suum, & Aaron frater ejus sacerdos, propter culpam incredulitatis, à Domino audire meruerunt: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: ut infirmiores quidam perpendant, qua pœna in ultimo examine districtus judex graviter delinquentes feriat, cum etiam sic eos hîc corrigat, quos in electorum numerum ante secula prædestinavit. Sed de his hactenus; nunc ad intermissa redeamus.

Aderat namque toti orbi venerandus dies, videlicet Præcursoris Christi natalitius, & vir Dei gravi infirmitatis oppressus languore, quasi de somno evigilans, cœpit adstantibus dicere: Vestibus me induite, & calceamenta pedibus meis præbete. Qui licet illum per excessum mentis putarent talia præcipere, tamen studuerunt obedire. Insuper etiam pontificalibus indutus ornamentis, cum omni, ut mos est, Clericorum officio contra spem omnium processit in publicum, & sic ad Ecclesiam beati Johannis Baptistæ, quam ipse construxit, veniens, tandiu sine aliquorum sustentatione hominum invictus perstitit, donec bis, sicut ea die statutum est, sacra Missarum solennia celebravit. *Cap. 23.*

Quibus ritè expletis conſedit, atque coram adſtantibus clericis dixit: Hujus celebrationem officii non mearum virium poſſibilitate, ſed ex divinitate præſumpſi Chriſti atq; juſſione. Nam hodie cum dulci quieſcerem ſomno, adſtiterunt coram lectulo meo juvenes duo aſpectu formoſi, quorum unus dixit mihi: Quare non ſurgis? debes enim hodie ad S. Johannem Miſſam celebrare. Cui alter reſpondit: Quomodo poteſt hoc fieri? quia pro impoſſibilitate virium adhuc Primam non explevit? Tunc ille, qui prius: Surge, ait, & ſecundum meum ſermonē in præfata eccleſia divinum myſterium feſtina implere: quia præter te nullus ibi cantabit hodie. His dictis, ad cubiculum rediit, atque imminentem vocationis ſuæ diem lætus expectavit, atque illud Pſalmiſtæ ſæpius iterando dicebat: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Interim dum ab eo, qui coram ſe lectoris fungebatur officio, interrogatus fuiſſet, utrumnam præ infirmitate, qua detinebatur, ſe de hoc ſeculo migraturum ſperaret, reſpondit: Certiſſimè ſcio, quia brevi de hoc tranſiturus ſum mundo. Cui cum mœrens diceret, quem Epiſcoporum vellet ad corpus ſuum ſepeliendum vocare, maximè cum nullus comprovincialium remanſiſſet antiſtitum, qui non eſſet invitatus ad regale in Francia colloquium, ait: Noſtis terram terræ commendare. Vos tantum, cum tempus fuerit, quod veſtrum eſt, facite: Dei eſt, mei corporis commendatorem providere.

Cap. 24. Paucis verò diebus interpoſitis, in vigilia Apoſtolorum, quæ illo anno evenit quarta feria, certiſſimè ſperabat ſe migraturum de hac vita. Quod licet nominatim non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac ſignis evidentibus declaravit. Sanè ſignis omnibus ad veſperam circumquaque ſonantibus, ipſe balneatus & ſacris veſtibus ad hos uſus paratis indutus, humi ſe proſtravit, ac ſi hora eadem moriturus. Finita ergò ſynaxi veſpertina, cum aliorum adjutorio ſe levavit, & quaſi quodammodo mente conſternatus, dixit: O ſancte Petre, nunc non feciſti, ſicut ego æſtimavi. O beatum virum omni laude proſequendum, cujus ſpiritus quidem erat promptus, licet caro infirma: cui vivere Chriſtus fuit, & mori lucrum. Unde tantoperè corporeæ inhabitationis molem velut carcerem quendam abhorrens, cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Iterum ſpiritu recreatus, per continuos quinque dies manſit quietus, petens ab omnibus indulgentiam, & benedictionem tribuens, donec finita quintæ diei feria, ac veſpere luceſcente in ſextam ſabbati, aurora jam diei latitudinem terræ illuminante, clericis canentibus & flentibus, in manus Domini ſpiritum ſuum commendans, anno incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, ætatis ſuæ octogeſimo tertio, ordinationis verò

verò quinquageſimo, velut in Jubileo, hoc eſt, plenæ remiſſionis anno, verus Hebræus tranſit de hujus mundi Ægypto liber, in æternum victurus cum Domino ſuo. Tranſiit autem 4. Nonas Julii, tempore Ottonis ſecundi Imperatoris Auguſti. Cujus corpus cum ex more ad lavandum eſſet denudatum, tanta de eo manavit ſuaviſſimi odoris fragrantia, ut cunctorum ibi adſtantium perfunderet nares & pectora. Cujus odoris ſuavitas tandiu permanſit, quousq; lotum ac veſtibus indutum, in eccleſiam fuit deportatum. Poſt hæc autem adveniente Vuolffgango, Ratisbonenſis civitatis Epiſcopo venerando, ſancti viri corpus in eccleſia ſanctæ Afræ martyris cum magna gloria eſt humatum: ubi ipſe, dum adhuc viveret, ſibi ſepulcrum præparari fecit. In quo loco multa per ejus merita fiunt aſſiduè miracula, multa infirmis præſtantur beneficia, donante Chriſti gratia: Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc tui examen judicii expectant, ut te benigno judice valeant rata conſiſtere. Opto, Pater beatiſſime, ut in Chriſto valeas, meiq; memor ſemper exiſtas.

Quædam editio vitæ à Bernone ſcriptæ ſequens caput inſertum habet, quod etſi neque Surius edidit, & Bernonis eſſe mihi non conſtat, quoniam tamen ad hiſtoriam pertinet, & ſpeciem imaginis S. Udalrici explicat, placuit hoc loco adjicere.

Quodam autem tempore, cum idem ſanctus Pontifex cum felicis recordationis Antiſtite Conſtantienſi beato Conrado, die Jovis apud ſanctam Afram cœnaturus conſederat, ambo de cœleſtibus rebus continuum habentes ſermonem, corruptibilis immemores cibi, ſpiritu refecti, uſq; in ſequentem ſextam feriam divina habuere colloquia, non appoſitas attendentes carnes. Unde contigit Bajoariæ Ducum bajulum quendam ſanctum accedere virum. Cui, abſoluto pro quo venerat negotio, abeunti carnis fruſtum dedit, non advertens ſextæ obſervantiam feriæ. Qui nuncius Dominum adiens proprium, volens malitia ſtimulatus ſanctos diffamare Epiſcopos, quaſi ſexta ab carnium eſu feria non abſtinuiſſent, in teſtimonium illico carnis partem à ſancto viro acceptam protulit, & ecce, dictu mirabile, ſpecies carnis in piſcis ſpeciem eſt converſa, temerarii arguens bajuli detractionem, & ſanctorum oſtendens innocentiam. Qua de cauſa glorioſi effigiei Pontificis piſcis in perpetuum hujus miraculi memoriam conpingi ſolet.

DE INVENTIONE ET TRANSLATIONE CORPORIS S. UDALRICI; EDITO CUM MANUSCRIPTO CODICE COLLATO.

ANno Dominicæ incarnationis MCLXXXIII. Indictione prima, XVI. Kal. Julii circa horam nonam, cum nimius esset æstus, fabrica quædam in valle posita vicinas domos, & inde omnes officinas, tandem claustrum & ecclesiam sancti Udalrici & sanctæ Afræ mira celeritate in favillas redegit, ita ut proxima cœna nec panis ad victum superesset, nec tugurium, in quo proxima nocte fratres quiescerent. Dispersi ergò per civitatem fratres, præ nimia afflictione spiritus tædebat eos vivere, donec resumptis viribus, domicilia cœperunt ædificare, in quibus ad divinum servitium & ad cultum religionis peragendum se pro posse receperunt. Sepulchrum etiam beati Udalrici trabibus desuper cadentibus confractum, & à sanctissimo ipsius corpore vacuum inventum, est, nisi quod quatuor tabulæ, sicut solent fieri in loculis mortuorum, aromaticum habentes odorem ibidem repertæ sunt. Unde opinamur, quod in illis reconditum fuisset sacratissimum corpus ejus, quando à sæculo decessit. Pro eo igitur, quod non est inventum corpus ejus in sepulchro, dubietas magna cœpit oriri, & mœror maximus tenuit animos omnium. Ex præcepto autem & consilio * Hartuigi Episcopi, quæsitum est corpus beati Udalrici pæne per duas septimanas, & inventa est specus murata quadris lapidibus, & sub illa alia specus murata, minor tamen superiore, & utraque tamen erat vacua, quæ res auxit dubietatem & mœrorem, adeò ut pleriqúe dicerent, corpus beati Udalrici in illo loco non haberi. Tandem, quando placuit sancto confessori, in anniversaria nocte sancti patris sui Hupaldi voluit revelari, in tertia videlicet specu murata, quæ & minima & sub duabus superioribus erat. Cessatum est igitur usque ad diem S. Laurentii, in quo ad præceptum memorati Episcopi vocato Præposito S. * Georgii & aliis religiosis, & clausis ecclesiæ januis inducti sunt biblii & cæmentarii * confessione & flagellis curati: per totum igitur diem laboraverunt, ut locum mundarent, & lapides quadros admodum magnos de illa magna profunditate ejicerent, & vix imminente nocte opus compleverunt. Quid ibi miraculi Dominus per merita sui confessoris ostenderit, operæ pre-

* *Brusch de Epis. scripsit hunc an. 1167. initisse, obiisse an. 1184.*

* *In mss. est Georii.*

* *Editus habet confessione & pœnitentia.*

pretium ſcribere eſt. Cum lapidem quadrum miræ magnitudinis cæmentarii ad ſuperiora funibus traxiſſent, funibus ruptis lapis ipſe ruit ſuper quendam bonæ indolis adoleſcentem nomine Cunradum, in inferioribus ſtantem, & eum ita proſtravit, ut jam non ſolum mortuum, ſed etiam per membra & per articulos totum diſſipatum & confractum crederes. Heinricus, qui tunc Prior cœnobii erat, & alii religioſi ad pedes ſancti Udalrici in fovea ſtantes & pſalmis operam dantes, mente conſternati ſunt, & omne conſilium penitus ab eis receſſit. Porro viri, qui in ſuperioribus ſtabant, præcipites ſaltus in foveam dederunt, ut jam non vivo corpori, ut ſperabant, ſed exanimi & colliſo per membra ſubvenirent. Mira dicturus ſum, avulſo lapide adoleſcens quaſi in extaſi vivus invenitur, ac de terra ſublatus ſanus & incolumis, cum pauſare aliquantulum juberetur, ipſe indefeſſus ad opus rediit, & mœrorem gaudio commutavit. Benedictus Deus, qui eſt in ſæcula. Ipſa die Epiſcopus ſolo pane & aqua contentus rei expectabat eventum. Imminente autem nocte purgatis omnibus, & aditu patefacto ad ſepulchrum, vocatus venit cum paucis in eccleſiam. Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, cum magna reverentia nudis pedibus dimiſſus eſt in foveam, & ibi ſtans ſuper ſanctum ſepulchrum, oratu Prioris cœnobii ſub anathemate interdixit, ne quis furtim de tantis quippiam ſubtraheret reliquiis. Inventum eſt igitur corpus ſanctiſſimi confeſſoris ſuper aurum & topazion pretioſum, cum quibusdam particulis pontificalium induviarum necdum vetuſtate conſumptarum, & in dextro latere ad caput pixis argentea admodum nitens in ſaccello holoſerico, & in pixide (ut quidam dicebant) ſanguis Domini & alia ſancta continebantur. Inventa eſt etiam ciſtella ſerata admodum magna, quæ omnia plena erant & referta reliquiis ſanctorum. Corpus igitur beati Udalrici cum univerſis reliquiis oſtro involutum, in geſtatorio ligneo recluſum eſt, donec aliud geſtatorium cupreum ex toto firmum factum eſt, in quo ſanctiſſimum corpus diligenter eſt reconditum, pixide argentea ad caput poſita cum cæteris reliquiis. In ipſo ſepulchro Epiſcopus os quoddam de coſta ſancti confeſſoris temerè ſurripuit, & in fruſta comminutum indecenter pro reliquiis marſupio impoſuit. Per omnia etiam animo immutatus, valde infeſtus loco extitit, & quod reliquiarum ſancti Udalrici pro ſua voluntate compos exiſtere non potuit, congregatione ſanctæ Afræ vehementer renitente, perſecutionem magnam adverſus locum movit, unde & Dominus eum eodem * anno vita privavit, ſicut in conſequentibus patebit. Quidam Udalſcalci famulus Præpoſiti majoris eccleſiæ, qui poſtmodum

* *Anno nimirum vertente.*

dum Episcopus factus est, à quo & hoc ipsum quod narramus audivimus, vidit beatum Udalricum in visu, quasi turbatum & ira commotum : Cui inquit, O sancte Udalrice, quid causæ extitit, quod sic in mœrore & non in vultus tui hilaritate videris ? Ad hæc beatus Udalricus, super Episcopo illo, qui os de costa mea arroganter comminuit, & cum aliis reliquiis corporis mei temerè & indignè egit, moveor, & movebor, & tamdiu divinitati conquerar, donec ipse pœnas exsolvet. Non multo post, cum sanus & incolumis esset, subito arreptus febribus infra paucos dies defunctus est : & post mortem viris religiosis sæpius apparuit, exponens, quali judicio subderetur, & quibus tormentis afficeretur, pro eo quod in sanctum Udalricum peccavit, & locum ipsius ac fratres sæpius infestavit, frequenter monens & rogans, ut ab ipsis indulgentiam consequi posset. Qui fratres, intuitu misericordiæ, sicut pro inimicis jubemur orare, sæpius veniam optant & pro ipso preces fundunt. Libet etiam inserere, quod Præpositio sancti * Georgii in ipsa inventione corporis sanctissimi, ut ipse nobis testatus est, accidit. Dum sibi innotum foret in adjutorio & testimonio esse prædictæ inventioni sancti confessoris, omni desiderio æstuabat, ut majorem digitum pedis pio quodam subtraheret furto, & fratres sui, eodem desiderio laborantes, sacculum holosericum, in quo reconderet easdem reliquias, sibi præstabant. Igitur dimissus in foveam & ruinam passus, suum articulum in pollice pedis, secundum quod ipse sancto Udalrico voluit furto subtrahere, magnum passus dolorem confregit, unde ipse hodie, sicut asserit, debilitatus est. Marsupium etiam, quod habuit clam collo dependens, palam amisit, unde adeò verecundatus est, quod pæne doloris oblitus est. Non sunt tamen fraudati à desiderio suo idem Præpositus & venerabiles sui fratres, quia de sacrosanctis cineribus, & dentem unum fratres cœnobii sancti Udalrici pro reliquiis contulerunt. Interim longè lateque fama percrebuit corpus sancti Udalrici inventum, & cœperunt exstruere & dedicare ecclesias & altaria in honore ipsius, quibus etiam de sacrosanctis reliquiis, quantum ausi sunt prædicti fratres cœnobii, intuitu charitatis dispertiti sunt. Concursus etiam tam de longinquis quam de vicinis locis tantus factus est, ut dictu sit incredibile. * Præter illa etiam quæ in occulto facta sunt miracula per merita sanctissimi confessoris, quorum non est æstimatio, plurima sunt, quæ in publico sunt celebrata, quorum aliqua digna duximus paginæ commendare.

*Al. Georii.

*Hæc suspicor recentiora esse, addita pio studio præterita scriptioni.

* *In msf. codice nullum sequebatur miraculum, in edito autem sequebantur, cum illa quæ nos supra post vitam incerti auctoris dedimus, tum alia quoque intermixta, quæ huc asscripsimus; ea varie hinc inde collecta, non eodem tempore scripta videntur.*

In

In vigilia Assumptionis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, dum diversi sexus, ætatis & conditionis homines in ecclesiam sancti Udalrici confluerent, mulier quædam ex regione Noricorum, sacrificium sancto confessori oblatura venit in pontem Lyci, qui tunc temporis adeò succreverat, & ab alveo suo tam valida inundatione se diffuderat, ut omnibus sive hominibus sive jumentis in ipso venientibus non nisi interitum minaretur. Prædicta ergò mulier à turba concurrente impulsa, cecidit de ponte, eo videlicet loco, quo fluvius profundissimus & vehementissimus erat. Mox omnium clamor tollitur ad sydera, pedites & equites descendunt juxta alveum rei finem præstolantes. Sed miro modo & dictu mirabile, ex virtute Altissimi & meritis sanctissimi confessoris, à superiori ponte usque ad inferiorem (quibus interest fere milliarii spatium) ipsa mulier deducta, ita sana & incolumis in arena quievit, ut nullum corporis vel rerum, sed & * sacrificii, quod in manibus ferebat, pateretur dispendium. Testata est advenientibus sibi beatum Udalricum in aquis visum, se suaque usque ad littus deduxisse. Interea tota pæne ruit civitas ad spectaculum, mulieremq; primo cum laudibus ad sanctum deducunt Udalricum, deinde ad matricem ecclesiam, benedicentes Deum, qui est glorioſus in sanctis suis.

* Donarii scilicet.

Circa tumulum venerandi patris credi non potest, quanti infirmi, quanti præcipuè energumeni jacuerint, ut aliquod suæ miseriæ remedium consequi possent. Nam si universa velim stylo perstringere, quæ per merita beati Udalrici frequenter Dominus operatur, nimietas forte pareret fastidium, quia nunquam deerit copia narrandi, semper enim illius sepulchrum novis mirabilibus fœcundatur, nec deest gratiæ impertitor, si adest exquisitor in veritate. Illa ergò tantum, quæ videntur in publico celebrari, posteritati commendanda sunt, ne, ut diximus, offensam tædii incurramus.

Catervatim per singulos dies ecclesiam beati Udalrici populorum turmis adeuntibus, homines variis languoribus detenti pariter cum illis inferuntur. Ex illis ergò quædam mulier arreptitia, dum prolixæ orationi ferventius intenderet, sopore deprimitur, cruorque de naribus prorupit. Ille igitur ab initio homicida, ostendit se ipsum esse, qui primo suasit terram fraterno sanguine pollui, neque enim hic sine sauguinis effusione à plasmate Dei recessit. Evigilans autem mulier clamare nititur, sed vox ejus quodam secreto dolore intercipitur. Accurrunt igitur turbæ, jamq; morituram æstimant, sed subito per merita B. Udalrici ab omni molestia corporis & animæ liberatam conspiciunt. Mirantur itaque potentiam confessoris beatissimi, quam specialiter adversus immundos spiritus exercet, quoniam

& ipsi

& ipsi meritis ejus se vehementer affligi proclamant. Istum credimus & speramus nostris subvenire animabus contra spirituales nequitias, cum corruptibile hoc carnis deposuerimus indumentum. Verum ut talis nostra spes augeatur, aliquid de hujuscemodi rebus breviter intimare curabimus.

3. Erat in pago * Uttenbura dicto temporibus felicis memoriæ * Ruperti Abbatis quidam dæmoniacus, qui universa fratrum commissa in eodem loco commanentium, quodam occulto Dei judicio prædicto Abbati revelabat: siquidem & ipse Abbas quadam potenti virtute imperabat dæmonibus. Quadam ergò die dum prædictus dæmoniacus mitius se haberet, & altera die juxta solitum torqueretur, ille beatus Abbas, ubi heri fuerit, percunctabatur. At ille, in orientalem, inquit, regionem properavimus, quendam de corpore exeuntem, & innumeris obrutum flagitiis excipere volentes, sed Udalricus Augustensis antistes & Vitus * Lucanus, qui discurrunt per omnem terram, magnum nobis impedimentum in acquirendis animabus facientes, etiam hunc monachali habitu per quendam religiosum investientes, nostræ subtraxerunt potestati. Hoc quia piè credenti nihil obest, sed magis fidem & spem in Deum & sanctum ejus auget, in fine signorum, quæ uno & eodem anno Dominicæ incarnationis MCXLV. facta sunt, annotavimus, quia & ipsum veraci relatione ab iis, qui audierant & viderant, agnovimus: De iis ergò, quæ dicta vel dicenda sunt, nullus dubietatis anfractus cuiquam in corde resideat, quoniam auditus & visus nos minimè fefellit.

* Est ibidem monast. Ordinis S. Bened.

* Rupertus, quem Uttenburani sanctum nominant, electus in Abbatem an. 1104. ob 1145. Brusch. de monast.

* S. Vitus passus in Lucania ad fluvium Silarum. Martyrol.

4. Libet etiam huic operi inserere, quod uno dierum illorum quando tantæ virtutes ad sepulchrum B. Udalrici factæ sunt, duæ mulieres à spiritibus immundis afflictæ ultra solitum confusis clamoribus ecclesiam replebant, unde colligi poterat, quod ipsarum redemptio instabat. Etenim turbis attentius orationi vacantibus, * sonitus, qualem supra designavimus, duabus vicibus circa laquearia templi exoritur, & mulieres à maligno possessore eripiuntur. Interea talis timor ac tremor omnes in ecclesia consistentes obtinuit, ut dictu sit incredibile. Porro extra ecclesiam manentibus mirabile visum est prodigium: Cernebant namque supra tumbam confessoris Christi quasi circulum apertum, circulum videlicet rubei, & postmodum crocei coloris, & de circulo aquilam magnarum alarum in partes orientis properantem. Sed quid hoc fuerit, nobis non licet definire: viderint ipsi, qui merita B. Udalrici vilipendunt, quantus apud Deum habeatur, cujus cineribus talis honor cœlitus defertur.

* Multis indiciis fit credibile ordinem in his miraculis esse perturbatum, sfluod crediderim collocandum infra post mirac. II. in quo fragoris ejusmodi fit mentio.

5. Judicia tua abyssus multa, ô clementissime Deus, & quis agnoscet ea? Ibi humana excluditur prudentia, ubi divina sapientia omnem creaturam ineffabili & incomprehensibili guber-

nat

nat providentia. Sunt enim quædam indicia sive dispensationes divinæ humanis sensibus absconditæ, & quamvis occultæ, tamen nulli dubium quin justæ, unde magis laudari quam temerè, imo periculosè investigari debent. Hæc autem ideò prælibavimus, quia narraturi sumus rem mirandam, rem stupendam, rem inauditam nostris temporibus, in qua illud Prophetæ potest agnosci, Terribilis Dominus in consiliis super filios hominum.

Erat in pago Riedlingen dicto quædam puella, quæ sub æstivo tempore, ut mos est rusticorum, ad colligendam mentam montes sylvasque petiit. Habebat autem in comitatu plerosq; servulos & ancillas, prædictæ rei gratia secum conviantes. Et ecce vir quidam nudus, ac toto corpore niger horrendusque aspectu, ut nihil aliud videretur nisi diabolus, de proxima egreditur sylva, pileum capite gestans. Qui ex omnibus arripiens per capillos memoratam puellam, iter unde venit repedavit. At illa præ magnitudine doloris incurrens oblivionem mentis, dum nesciret quid faceret, tandem miseratione divina recordatur, quod mancipium esset B. Udalrici, & hac solummodo voce proclamat, O sancte Udalrice: tum ferus ductor, heu me inquit, quoniam ad invocationem tanti nominis furorem in te meum minimè valeo exercere. Hæc dixit, & relicta puella nusquam comparuit. O quanta beatissimi præsulis Udalrici sanctitas, ad cujus invocationem nominis ita nequitiæ contremiscunt spirituales. Hic est tui laboris fructus ô electe Dei palmes Udalrice, quoniam mansisti in vite, quæ est Christus, unde & opera, quæ ipse fecit & tu facis, & majora horum facis. Et quia honor tuus redundat ad Dominum, quid in prædicto miraculo egeris, plenius exequemur. Igitur memorata puella ad domum reversa, illo quidem die nil molestiæ pertulit, altera verò die locuta est aliena, tertia die à dæmone cœpit vexari. Ecce hæc sunt judicia, quæ superius diximus, inscrutabilia. Quis enim inde audeat disputare, quod puella pridem erepta, iterato in potestatem dæmonis cessit? Ad sepulchrum ergò beati Udalrici festinato deducitur, ut subveniat miseræ, quam & antea misericorditer liberavit. Ubi dum sero cogeretur templum egredi, illa cum magna animi contritione caput sub pallium altaris occultans, non egrediar, inquit, donec misericordiam B. Udalrici experiar. Et protinus per auras instar cujusdam horrendi spiraminis egressus est humani generis inimicus.

Alia quoque miracula quamplurima circà hos dies facta perhibentur, quæ ideò calamo non sunt illustrata, quia certiori astipulatione illa non agnovimus. Igitur clerus & populus Augustensis exiit à matrice ecclesia cum crucibus & letaniis, ad referendum grates Salvatori nostro Jesu Christo, & ejus almifico confessori

fessori Udalrico. Testati sunt autem Augustanæ civitatis seniores processionem se talem nunquam vidisse vel auditu didicisse, in qua tanta cleri ac populi multitudo convenerit. Verum congregatio sanctæ Afræ obviam illis processit cum decenti apparatu, pariterq; intrant ecclesiam, & sic tota illa dies in Dei laudibus expenditur.

6. * Anno Dominicæ incarnationis MCXLVI. præsidente Abbate * Udalscalco ecclesia beatorum Udalrici & Afræ multis divinæ gratiæ illustrata est beneficiis, pro quibus testimonio non eget nostri stili officium, dum non solum Augustensis provinciæ, sed & totius Germaniæ populi, qui supersunt, nostræ ætatis horum meminerint. De illis ergò pauca narrabimus, ut omnes noverint, quam sacer sit iste locus, in quo tantæ virtutes exuberant.

*6. * Apparet hic principium esse alterius commentarii. * Udalscalcus iniit an. 1125. ob. 1151. Brusch. de monast.*

Inter catervas hominum ex diversis regionibus ad memoriam venerandi patris Udalrici confluentium, clauda quædam affuit paupercula, quæ recto incessu carebat, & vix baculi sustentaculo iter aliquo modo carpebat. Hæc fere totius diei spatium spe recuperandæ salutis juxta mausolæum B. Udalrici sola decumbebat: sole autem jam ad occasum vergente, cum omnes limen templi cogerentur egredi, illa quasi frustranda foret patrocinio B. Udalrici ingemiscens, quid faceret ignorabat. Tandem altiori usa consilio baculum arripit acriter, in gyro tumbam confessoris Christi peragrat, quasi tanti mercedem laboris exoptans. Vincit ergò clementissimum confessorem magna fides mulierculæ, & protinus sanitatem integerrimam consecuta est.

7. Extitit quædam mulier de Dachofen à maligno spiritu nimium fatigata, quæ cum vicinis ad ecclesiam B. Udalrici veniens tota die illa voces dabat ineptas. Certum enim habebat, qui voces per illam emittebat, quod cum magno tormento ad obsessa propellendus foret. Maximum namque tormentum spiritus immundi patiuntur, cum eos deserere coguntur, quorum vexatione pascuntur. Igitur evoluto magno diei spatio, mulier arreptitia per merita B. Udalrici salvatur, & grates ei referuntur, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

8. Erat quidam languidus in civitate Augusta, qui non potuit venire de domo, nisi portaretur in gestatorio, infirmitatis exigente molestia. Hic ad ecclesiam beati Udalrici delatus, ante sepulchrum ipsius in modum crucis, sub spe quæ non confundit exponitur. Interim ipso orante pro incommodo, quo laborabat, adest virtus divina, & obtinentibus meritis beatissimi præ-

sulis

sulis in momento est sanitati restitutus. Surgit denique, & repentinam in semetipso virtutem admirans, benedixit Deum, qui in sanctis suis est mirabilis.

Supervenerat universali ecclesiæ veneranda dies Cathedræ 9.
sancti Petri, in qua utriusque sexus & ætatis ad ecclesiam B. Udalrici innumerabiles irruunt turbæ, miraculorum gloria invitatæ. Erat enim quasi commercium nundinarum per integrum fere annum in civitate Augusta, undique adventantibus populis propter famam miraculorum, quæ fines totius Galliæ & Italiæ respersérat. In præfata itaque die ad memoriam confessoris Christi veniunt duæ mulieres, quarum singulæ à muto vexabantur dæmonio, & pro illis enixius turbæ invocant gratiam Redemptoris. Nec mora, urgentibus meritis beatissimi Antistitis exeunt dæmonia, & omnes in commune grates referunt Salvatori. Calumnientur nunc si possunt Scribæ & Pharisæi, quod Jesus in Beelzebub principe dæmoniorum ejiciat dæmonia, & viderint, in qua potestate servus ejus beatissimus Udalricus, trabea carnis absolutus, hæc ejecerit.

Nam ut magis erubescant infideles, eadem die illuminatæ 10.
sunt duæ mulieres, quarum una cæca fuerat à nativitate. Causabantur enim, quod à sæculo non esset auditum, quia quis aperuerit oculos cæci nati, nisi Christus: Udalricus hoc potuit, potuit autem per Christum.

Altera die duæ mulieres à malignis spiritibus obsessæ, sepul- 11.
chrum confessoris Christi expetunt una fide pariqúe devotione. Et ecce juxta fidem ipsarum actum est, nam misericordia Redemptoris per meritum alumni sui Udalrici, & illas à potestate spirituum immundorum eripuit, & vasa munda spiritui sancto effecit. Erat autem una illarum de oppido, quod vulgo Bobingen, altera de vico, qui Silembach vocatur. Et mirum in modum, dum una ex eis liberatur, inauditus fragor circa tabulas ecclesiæ generatur, omnesque intra sepia templi consistentes nimio timore percelluntur. Indicium hoc miseriæ, imò nequitiæ suæ dederunt spiritus nequam, qui dum nocere moliuntur, & eum in pœnis hominum delectentur, ipsi sine intermissione cruciantur, vinculis igneis reservandi in diem magni judicii Dei.

Contulit denique mira Dei providentia per sancti sui meri- 12.
ta & aliud ægris medicamen corporibus. Nam graviter febribus laborantes, à rabidisque offensi canibus, si ex calice, qui in sarcophago supra sacrum divi patroni pectusculum inventus est, devotè biberint, sanctum Udalricum cordialiter oraverint, misericorditer eis sanitatis gratiam conferri consuetum est. Nec non

peregrinari volentibus tutamen utriusque hominis collatum, multoties compertum est.

13. Postremo & miseris mulierculis partu laborantibus, remedium sanctum conferre præsulem exploratum est sæpissimè. Eædem namque lethiferè pariendo deficientes, ac omni humano destitutæ auxilio, mox ut prædicto ex calice biberint, seu vinum calici prius infusum acceperint, benignè tantis à periculis liberantur. Atque cum varias propter causas secundina pellicula non exeundo parturientes dirè suppresserit, & ad mortales coangustaverit molestias, eodem potu misericorditer curantur, & omni incolumitati illicò restituuntur.

14. Concessum est denique huic sancto Pontifici & alia quam maxima à Deo prærogativa, contra offensivos glirium incursus. In toto namque territorio, quod inter Vindam & Lycum fluvios situm est, nullum unquam vivum permanere posse manifestissimè comprobatum est, quod meritis glorioſi Pontificis impetratum esse nulli sit dubium. Sæpius enim à nonnullis curiosis, sancti potius tentatoribus, experientia inventum est, ut quam cito ultra præfatos deportati fuere fluvios, illico fuisse mortuos, & hoc in toto communi territorio.

15. Est verò & alia quasi miraculosa contra prædictos subventio glires, in toto pæne orbe promulgata. * Terra namque (quæ sancti Udalrici dici consuevit) in qua sanctum ejus corpus mediantibus sacris vestibus (quæ omnes inconsumptæ, omniqúe sine læsione cum eo inventæ fuerunt) humatum fuit, si cui fidelium donata, ab eoque dignè, ut sanctorum Dei reliquias decet, venerata fuerit, mox omnes ac si pestem fugientes habitationem relinquunt, & eidem nequaquam deinceps appropinquare audent. Hæc toties ubique terrarum vera esse inventa sunt, ut numerum excedere videantur. Nonnunquam etiam complures proprias relinquere voluerunt habitationes, seu igni cremare, propter maximam prædictorum infestationem animalium, qui prænominata acquisita terra, devotè eam venerantes, auxilium Dei omnipotentis per meritum sui confessoris impetratum sensere, adeò ut eorum deinceps nullus approximare audere visus sit domibus. Nec non aliquando tanta eorum multitudo mortua est inventa, ut te lectorem, si in hoc veritatem proferre conarer, incredulum reddere timerem. Ad hanc verò impetrandam gratiam plurimum profecit, cum quis se solum per vitam suam annali obligavit censu, ac eleemosynas aliaque pia opera in laudem & honorem sancti Pontificis est largitus. Nec tamen aliquem moveat, si non semper, nec omnibus eandem largiatur omnipotens

Plura hujus generis exempla in sanctorum historiis obvia, illud Valde illustre de Hieremia propheta, ad cujus sepulchrum fideles (ut refert S. Epiphanius) supplicare consueverūt, indeq; sumpto pulvere, aspidū morsibus medentur. Sic est in martyrol. Rom.

potens ſubventionem. Nonnunquam enim poſſeſſas ſemel non derelinquere videntur manſiones, quod ex occultis talium hominum demeritis, vel ex divina ſic diſponente providentia evenire credendum eſt. Nec mirum, nec ſancto debet eſſe detractivum, cum non omnes apud aliorum ſepulchra ſanctorum & loca ſanari videmus, nec omnia inde tolli morborum genera, ſed his tantum præſtari incolumitatem, qui bonis operibus ſe dignos reddiderunt. Nulli igitur inde detrahendi ſumenda eſt occaſio, ſi frivolè judicantis non vult incurrere cenſuram.

Hæc hactenus ex edito codice miracula; quibus tamen pleraque ex prioribus illis, Vitæ incerti auctoris à nobis ſubjunctis, intermixta erant, ſed perverſo ordine, nobis ea iterare non placuit. Viſum verò hoc loco addere ſupernumerarium unum, ex Chronico Pauli Langii monachi Bozavienſis, edito à V. C. Joanne Piſtorio inter illuſtres Germaniæ hiſtoricos veteres. Capitis inſcriptio ſic concepta eſt.

Ex Chronicis Doringorum excerpta.

ANno Domini MLXV. Luduicus Saltator, filius Luduici cum barba, ſecundus Comes Doringorum, interfecit Fridericum Comitem Palatinum, fundatorem monaſterii Goſetzen, qui habitabat in caſtro Schipplitz, propter uxorem ſuam venuſtiſſimam, quam amabat Adelhaidem. *Et aliquibus interjectis*: Cæterum cur Luduicus Saltator nuncupetur, cauſam dicunt, quod inſtantia Adelberti Archipræſulis Bremenſis, qui occiſi Germanus fuerat, ipſe Luduicus captus ſit, & ab Henrico Imperatore in caſtro * Gibelſtein in turri quadam biennio cuſtodiæ mancipatus: tandem ſemel ob recreationem ad ſuperiora turris poſitus, voto ſancto Udalrico facto per feneſtram in Salam uſque ſaltaverit, indeque enatans in Sangerhauſen veniens dominium ſuum, in rei memoriam eccleſiam pulchram in honorem dicti ſancti conſtruxerit.

* *Infra eſt Gibichenſtein, Gibichenſtenin appellat Grotzius in deſcript. Salæ ſum.*

Hiſtoria Erphesfordenſis anonymi ſcriptoris de Landgraviis Thuringiæ, cap. 15.

ANno Domini MLXX. Archiepiſcopus Bremenſis, frater Friderici Comitis Palatini Saxoniæ, interfecti à Ludovico Comite Thuringiæ, & alii cognati & amici ſuper morte ejus dolentes, querelas Regi Romanorum Heinrico quarto de Ludovico comite Thuringiæ offerunt, qui juſſu Regis per inſidias captus in caſtro Gebichenſtein abſque mancipatione cippi per bien-

Digitized by Google

nium cuſtoditur & detentus eſt. Ibique interemptus fuiſſet, ſi non ſuffragiis beati Udalrici, * cui voluit baſilicam ædificare in Sangirhauſen, civitate fratris ſui Beringeri. Nam audiens ſe non poſſe evadere mortem, per famulum ſcilicet, qui Epiſcopum reſpexit, ordinavit, ut duos equos certa hora prope Salam fluvium adduceret. Qui cum vidit expletum per famulum, mox de cœnaculo ejusdem caſtri ſeipſum cum veſte ampla, qua fuit indutus, vento intrante, in Salam præcipitavit, & ſic liberatus diſceſſit.

*Supple evaſiſſet, aut aliquid ſimile.

HISTORIA AB EUGIPPIO ANTE ANNOS CIRCITER MC. SCRIPTA.

Qua

Tempora, quæ Attilæ mortem consequuta sunt, occasione vitæ S. Severini, illustrantur.

Ex Bibliotheca S. Emmerani Reginoburg. nunc primùm edita, cum scholiis.

ADMODUM REVERENDO ET PRÆSTANTI VIRO,

D. GEORGIO LAUTERIO

SS. Theologiæ Doctori, Præpositо Monachiensi, Canonico Batavensi, Sereniss. Bojorum Duci à consiliis, Scholiastes S. D.

ETSI opera à me in hac editione posita, Vir Reverende, tanti non erat, ut nomen meum adderem, tanti tamen erat Eugippius, ut ei tuum præscriberem, tanti tu ipse ut Eugippius in tuo potissimùm, post tot iterum sæculorum curricula apparere vellet. Accedebat mei respectus (siquidem consilium non dissimulo) cui cum jam diu occasio quæreretur testandi affectus, quo te valde merentem mirificè veneror, ista quæ se primùm sub manum dedit, negligenda scilicet non fuit. Neque credo huic fini interest meum in vulgus nomen nesciri, de quo tibi interim constet uni, docuere enim nos rerum divinarum periti, etiam in sacris donaria, quæ offerentium nec nomen nec insignia præferunt, Superis nihilò minus accepta, quin contra quibus illa adsint, dedicantium sæpenumerò videri ambitione, non pietate extorta. Locus hîc deinde erat recepto sollenniq; more in virtutum tuarum laudes excurrere, quod quam copiosè, quam verè, quam faventibus omnibus, quam invidente nemine facere mihi facultas sit, omnes norunt, quam te non volente, ego scio; auscultо itaque modestiæ huic, & te (qui pulcherrimus laudandarum actionum fructus est) conscientiæ tuæ relinquo: Tu hominem tui observantem, & incredibiliter amantem ne omninò negligas, unum rogo; ut enim Deum pro me depreceris, quod maximi beneficii loco deputo, inde ultrò consequetur. Vale. Augustæ Vind.

SCHOLIASTES LECTORI S.

AUctor hujus historiæ Eugippius; de quo Isidorus Hispalensis Episcopus, libro de viris illustribus cap. 13. scripsit, Eugippius Abbas (Eugipium nonnulli, nonnulli Eugypium legunt, Lazius Eugippum, Sabellicus Ennead. 8. lib. 2. Egisippum perperam, ineptius Irenicus, Exeges. Germaniæ lib. 3. c. 14. Cregiptium appellavit) ad quendam Paschasium diaconum libellum de vita Sancti monachi Severini transmissum, brevi stylo composuit. Scripsit etiam regulam monachis consistentibus in monasterio sancti Severini, quam eisdem moriens quasi testamentario jure reliquit. Claruit post consulatum Importuni junioris (Importunus consul anno Christi 509. aut sanè circiter) Anastasio Imperatore regnante. Isidorum sequutus Honorius Augustodunensis, de luminaribus ecclesiæ cap. 13. Eugippius Abbas composuit vitam sancti Severini monachi & regulam monachis. Scio Lazium jactasse Herulorum Eugippi historiam, & de eorundem in Norico sedibus: sed & compertum habeo, Severini hanc vitam isto verborum ambitu significasse. Quæ Fulgentii Ruspensis Episcopi de charitate ad Eugippium quendam epistola extat, ad hunc ipsum nostrum pertinet, opinor, siquidem temporum ratio congruit. Noricum Aventinus dixit, Batavis quidem natum, uti in Germanicâ Annal. editione retulit: mihi constat in Norico aliquamdiu moratum, hanc illi patriam fuisse non constat.

Alius Eugippius, itidem Abbas, ætate paullò inferior, sub Tiberio Thrace vixit, uti annotatum à Sigeberto cap. 39. de viris illustrib. Is hortatu Renducis Neapolitani Episcopi, quædam ex Augustino collecta Probæ virgini inscripsit: Plerique, inprimis Trithemius, cum priore temere confundunt.

Severini sanctitatis opinione clari plures fuere; hujus, qui monachus in Norico egit, meminere historiarum scriptores Paulus Diaconus, Sigebertus, Gotfridus, Vincentius, Otto, Liechtenavius: posteriores nihil necesse enumerare: Martyrologium præterea Rom. VI. Id. Jan. quod fidei faciendæ, cum totius vitæ epitomen quandam complectatur, exscribam: Eodem die apud Noricos sancti Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium

lium propagavit, & Noricorum dictus est Apostolus. Ejus corpus ad Lucullanum prope Neapolim divinitus delatum, inde postea ad monasterium sancti Severini translatum est. *Meminit reliquiarum S. Severini Gregorius Magnus Pont. lib. 2. ep. 58. & lib. 7. ep. 85. Monasterii & oratorii S. Severini in castro Lucullano lib. 2. ep. 40. & lib. 8. ep. 18. Quin Gregorium Severino Romæ ecclesiam dicasse, quæ prius Arianorum fuerit, ex lib. 2. ep. 40. cognoscimus. Quod porrò Gotfridus Viterb. & Otto Frising. Severinum istum Ravennatem Episcopum nominavere, eos errasse palam est, idq; à Cuspiniano & Lazio, qui auctoritatem ratam habuere, non animadversum miror. Mitto argumenta alia. Eugippius utiq; cap. 1. eum ex orientis partibus in Noricum & Pannoniam venisse, cap. 9. Episcopatus honorem delatum recusasse, disertè scripsit. Qui paullo post Severus Ravennas sanctimoniæ laude illustris vixit, Severinum equidem à quibusdam appellatum Hier. Rubeus hist. lib. 4. prodidit, sed neque Episcopus lectus est, neque in Noricum venit. Aventinus Annal. lib. 2. Severinum Africâ oriundum, fratrem Victorinum habuisse retulit: Æquè in utroq; falsus, Africa quippe Norico ad meridiem est, neutiquam ad orientem: deinde, etsi unus aut alter Severinus, & quidam in Africâ Severus, fratres Victorinos habuere, ii tamen longè alii à Norico Apostolo, quod ex martyrologiis in promptu.*

Pleraq; autem Eugippii Aventinus Annalibus suis paraphrasi quadam intexuit. An sententiam ubique proximè assequutus, cum fide reddiderit, jam nunc ipsius Eugippii editio optimè commonstrabit, constaturum est enim pretium operæ illis, qui collationis laborem non defugerint.

Cuspinianus etiam Austriæ descriptioni vitam Severini ex Eugippio, compendio excerptam inseruit.

Eum Lazius item in commentariis Reip. Rom. & libris rerum Viennensium persæpe testem laudat, duplici exemplo usus, uti Viennens. lib. 1. cap. 4. ait, vetusto uno membraneo, ante ducentos fere annos scripto, altero papyraceo recentiori, ante annos octoginta. Sigonius præterea libris de occidentali imperio sive Eugippium sequutus est, sive eos, qui sequuti Eugippium.

Primus verò Surius quædam Eugippii capita, hist. sanctor. tomo 1. edidit, plura vitio codicis, quem mancum nactus erat, omisit, idq; cum ipsemet facile subodoraretur, lectori significavit. Cæsar Baronius eadem, quæ à Surio edita, apud se quoque manuscripta esse, aucta epistolâ Paschalis (Paschasii rescribendum) diaconi, testatur in notis ad martyrologium.

Nos adepti amicorum beneficio librum chirographum veterem, ex bibliothecâ monasterii S. Emmerani Reginoburgensi, in quo cum pleris q; aliis sanctorum vitis, Severini quoque perscripta erat,

erat, gratiam inituros ſperavimus, apud priſcæ primùm pietatis ſtudioſos, inde apud homines antiquæ hiſtoriæ amantes, quæ ex fontibus, non dubium eſt purius quam ex deductis rivulis hauritur, ſi auctorem multis laudatum, pluribus expetitum, publico hactenus non viſum, primi integrum vulgaremus. At quoniam codicem quibuſdam ſubinde locis corruptum, quibuſdam hiulcum animadvertimus, viſum conferre Surii capita, & ſanè quædam ad eorum præſcripta correximus, aliqua explevimus, ut tamen illa, quæ utrovis modo legerentur, ad ſenſum nihil intereſſet, non attingenda, neque variantem ſaltem lectionem, præterquam propriorum nominum, annotandam duxerimus, quando eum auctorem tractaremus, apud quem non verborum & ſermonis elegantiæ conquirendæ, ſed rerum momenta penſitanda eſſent. Ubi à Surio deſtituti, ibi ingenii interdum conjecturis nitendum fuit: parcè omninò, neque eâtenus, ut vel in hominum locorumq. nomina, vel cæteram hiſtoriam nobis quidquam licere voluerimus, unam aut alteram aliquando voculam, conſtituendæ ſententiæ, quæ pendêret, reſtituiſſe contenti.

Scholia demum adjecimus. Etſi autem uberrimus ex ſanctorum hiſtoriis excitandæ & promovendæ inprimis pietatis fructus eſt, & verò hæc multa complectitur, quæ tum ad cognoſcendos antiquos Chriſtianæ eccleſiæ ritus pertinent, tum inflammandæ pietati igniculos, imò faces ſubijcere poſſunt, nam pleraq. profectò omnia Severini dicta, facta, aptè prorſus conveniunt, qui nunc rerum ſtatus, iis propemodum ipſis regionibus, quibus ille olim vitam egit, & verè Thraſeæ illud apud Tacitum uſurpare licet, Omen quidem dii prohibeant, cæterum in ea tempora *nati ſumus*, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis: *nos tamen certo conſilio eam partem in præſens non delibavimus, alteram ſolum proſequuti, quæ ſecundarii quodammodo fructus loco haberi poſſit, ac chorographiæ, & publicæ temporum hiſtoriæ ferè illuſtrandæ faciat, uvis nimirum muſtum non expreſſimus, ſed lotis acinis loram facere nunc temporis ſatis habuimus.*

Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO
IN
VITAM SANCTI SEVERINI.

DOmino ſancto ſemperque chariſſimo Eugippio presbytero Paſchaſius diaconus. Frater in Chriſto chariſſime, dum nos peritiæ tuæ facundiâ & otii felicitate perpendis, amaritudines occupationesque multiplices peccatorum retracta, & ne condemnes, pudoris jacturam dilectione ſuſtine. Direxiſti commemoratorium, cui nihil poſſit adjicere facundia peritorum; & opus, quod eccleſiæ univerſitas poſſit recenſere, brevi reſeraſti compendio, dum beati Severini finitimas Pannoniorum provincias incolentis, vitam moresque verius explicaſti, & quæ per illum divina virtus eſt operata miracula, diuturnis manſura temporibus tradidiſti memoriæ poſteritatis. Neſciunt facta piorum præterire cum ſæculo, ut omnes præſentem habeant, & ſecum quodammodo ſentiant commorari, quibus eum revelatio pervexerit lectionis. Et ideò quia tu hæc, quæ me narrando poſcebas, elocutus es ſimplicius, explicaſti facilius, nihil adjiciendum labori veſtro ſtudio noſtro credidimus: Siquidem aliter audita narramus, aliter experta depromimus, facilius virtutes magiſtrorum à diſcipulis exponuntur, quæ ſuggeruntur crebrius converſatione dicentium. Divinis chariſmatibus inſpiratus, ſcis ſanctis bonorum mentibus excolendis quantum geſta ſanctorum utilitatis impertiant, quantum fervoris attribuant, quantum puritatis infundant, de qua re Apoſtolicæ vocis auctoritas latius innoteſcens, forma, inquit, eſtote gregi, & beatus Paulus Timotheo præcepit, forma eſto fidelibus, unde idem Apoſtolus juſtorum catalogum ſummâ brevitate contexens, ab Abel incipiens inſignium virorum pergit narrare virtutes; ſic & ille fideliſſimus Mathathias, morti glorioſiſſimæ jam propinquans, filiis ſuis hæreditario jure ſanctorum exempla diſtribuit, quorum certaminibus admirandis celerius excitati, animas ſuas pro legibus ſempiternis ſanctitatis fervore contemnerent. Nec paterna liberos fefellit inſtructio, tantum enim profuerunt memoratis facta piorum, ut apertiſſimâ

simâ fide armarentur, principes deterrerent, castra sacrilega superarent, cultus arasque dæmoniacas longè lateque diruerent, civicamque coronam, sertis decoratam perennibus, splendenti patriæ providerent. Unde & nos ornamentis sponsæ Christi quiddam fraterno ministerio providere gaudeamus, non quod ullis, ut credo, temporibus defuerit clarior vita majorum, sed quod domum magni regis plurima vexilla trophæorum habere conveniat. Non enim vera virtus excluditur numerositate virtutum, sed optatis excessibus eâtenus ampliatur.

Explicit prologus.

INCIPIT



INCIPIT VITA S. SEVERINI, ab Eugippio Abbate ſcripta.

Caput I.

TEmpore, quo Attila Rex Hunnorum defunctus eſt, utraq; Pannonia, cæteraq; confinia Danubii rebus turbabantur ambiguis: ac primum inter filios ejus de obtinendo regno magna ſunt exorta certamina, qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam ſui ſceleris accepere patris interitum. Tunc itaque ſanctiſſimus Dei famulus Severinus de partibus orientis adveniens, in vicinis ripenſis & Pannoniorum partibus, quod Aſturis dicitur, oppido morabatur, vivens juxta Evangelicam Apoſtolicamque doctrinam, omni pietate & caſtitate præditus, in confeſſione Catholicæ fidei venerabile propoſitum ſanctis operibus adimplebat. Dum ergò talibus exercitiis roboratus palmam ſupernæ vocationis innocuè ſequeretur, quadam die ad eccleſiam proceſſit ex more, tunc presbytero, clero, & civibus requiſitis, cœpit totâ mentis humilitate prædicere, ut hoſtium inſidias imminentes orationibus ac jejuniis, & miſericordiæ fructibus inhiberent: ſed animi contumaces ac deſideriis carnalibus inclinati, prædicentis oracula infidelitatis ſuæ diſcrimine probaverunt. Famulus autem Dei reverſus ad hoſpitium, quo ab eccleſiæ fuerat cuſtode ſuſceptus, diē & horam imminentis excidii prodens, de contumaci, ait, oppido & citius perituro feſtinus abſcedo. Inde ad proximū, quod Commagenis appellabatur, oppidum declinavit. Hoc barbarorum in-

trinsecus consistentium, qui cum Romanis fœdus inierant, custodiâ servabatur arctissimâ, nulliq; ingrediendi aut egrediendi facilis licentia præstabatur. A quibus tamen Dei famulus, cum esset ignotus, nec interrogatus est, nec repulsus. Itaq; mox ingressus ecclesiam, cunctos de salute propriâ desperantes, jejunio & orationibus atq; eleemosynis hortatur armari, proponens antiquæ salutis exempla, quibus divina protectio populum suum contra opinionem omnium mirabiliter liberasset. Cumq; salutem omnium in ipso discriminis articulo promittenti credere dubitarent, senex qui dudum in Asturis tanti hospitis susceptor extiterat, venit, atq; à portarum custodibus sollicitâ interrogatione discussus, interitū sui oppidi habitu verboq; monstravit, adjiciens eâdem die, quâ quidam homo Dei prædixerat, barbarorum vastatione fuisse deletum. Quo audito solliciti responderunt: Putás ne ipse est, qui desperatis rebus Dei nobis subsidia pollicetur? Mox igitur in ecclesiâ recognito Dei famulo, senex ejus pedibus prostratus ajebat, ipsius se meritis liberatum, ne cum cæteris oppidaneis subiret exitium.

Caput II.

His auditis habitatores oppidi memorati incredulitati veniam postulantes, monitis viri Dei sanctis operibus paruerunt, jejuniisq; dediti in ecclesiâ per triduum congregati, errata præterita castigabant gemitibus & lamentis. Die autē tertio, cum sacrificii vespertini solennitas impleretur, facto subito terræ motu, ita sunt barbari intrinsecus habitantes exterriti, ut portas sibi Romanos cogerent aperire velociter. Exeuntes igitur cuncti diffugerunt, æstimantes se quam vicinorum hostium obsidione vallatos, auctoq; terrore divinitus, & noctis errore confusi; mutuis se gladiis conciderunt. Tali ergò adversariis internecione consumptis, divino plebs servata præsidio, per sanctum virum armis didicit pugnare cœlestibus.

Caput III.

Eodem tempore civitatem nomine Favianis sæva fames oppresserat, cujus habitatores unicum sibi remedium affore crediderunt, si ex supradicto oppido Comagenis hominem Dei religiosis precibus invitarent. Quos ille ad se ventum ire prænoscens, cum hæsitaret, utrum pergeret cum eis, necne, à Domino, ut cum eis pergeret, commonetur. Quo cum venisset, cœpit civibus suadere dicens, poteritis pœnitentiæ fructibus à tantâ famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent institutis, beatissimus Severinus divinâ revelatione cognovit, quandā viduam nomine Proculam fruges plurimas occultasse, quam productam in medium arguit vehementer. Cur, inquit, nobilissimis natalibus orta, cupiditatis præbes te ancillam, & extas avaritiæ mancipium, quæ est

docente

docente Apostolo servitus idolorum? Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male partis facias non habebis, nisi forte frumēta diu denegata in Danubii fluenta projiciens, humanitatē piscibus exhibeas, quam hominib' denegasti. Quamobrem subveni tibi potius quam pauperibus, ex his, quæ adhuc te æstimas Christo esuriente servare. Quibus auditis magno mulier pavore perterrita, cœpit servata libenter erogare pauperibus. Igitur non multo post rates plurimæ de partibus Retiarum mercibus onustæ quam plurimis, insperatè videntur in littore Danubii, quæ multis diebus crassâ Eni fluminis glacie fuerant congelatæ: Quæ Dei imperio mox solutæ, ciborum copias fame laborantibus detulerunt. Tunc cœperunt omnes Deum insperati remedii largitorem continuatâ devotione laudare, qui malo diuturnæ famis interire credebant, fatentès rates extra legitimum tempus à glaciei resolutas frigore servi Dei precibus advenisse.

Caput IV.

PEr idem tempus inopinatâ surreptione prædones barbari, quæcumq; extra muros hominum pecudumq; repererant, duxere captiva. Sicq; plures de civibus ad virum Dei cum lachrymis confluentes illatæ calamitatis exitium retulerunt, simul ostēdentes indicia recentium rapinarum. Ille verò Mamertinum percunctatus est, tunc Tribunum, qui post Episcopus ordinatus est, utrum aliquos secum haberet armatos, cum quibus latrunculos sequeretur instantius. Qui respondit, Milites quidem habeo pauciſſimos, & ideò non audeo cum tantâ hostium multitudine confligere. Quod si tua veneratio præcipit, quamvis auxilium nobis desit armorum, credimus tua nos fieri oratione victores. Et Dei famulus ait: Etiamsi inermes sunt tui milites, nunc ex hostibus armabuntur: nec enim numerus aut fortitudo humana requiritur, ubi propugnator Deus per omnia comprobatur, tantum in nomine Dei perge velociter, perge fidenter, nam Domino misericorditer præeunte, debilis quisq; fortissimus apparebit, Dominus pro vobis pugnabit, & vos tacebitis. Vade ergò festinus, hoc unũ ante omnia servaturus, ut ad me, quos ex barbaris ceperis, perducas incolumes. Exeuntes igitur in secundo milliario super rivum, qui vocatur Dicuntia, prædictos latrones inveniunt, quibus in fugam repente conversis, arma omnium sustulerunt: cæteros verò vinctos ad Dei famulum, ut præceperat, adduxerunt captivos. Quos absolutos vinculis, cibo potuq; refectos paucis alloquitur: Ite, & vestris denunciate complicibus, ne aviditate prædandi ultra huc audeant propinquare, nam statim cœlestis vindictæ judicio punientur, Deo pro suis famulis dimicante, quos ita consvevit divina virtute protegere, ut tela hostium non eis inferant vul-

nera, sed arma potius submini strent. Dimissis itaq; barbaris, ipse de Christi miraculis gratulatur, de cujus miserationibus promittit, nunquam illud oppidum hostium prædas ulterius expertu-rum, si cives tantum ab opere Dei nec prospera nec adversa retraherent. Deinde beatus Severinus in locum remotiorem secedens, qui ad vineas vocabatur, cellula parva contentus, ad prædictum oppidū remeare divina revelatione compellitur, ita ut quamvis cum quies cellulæ delectaret, Dei tamen jussis obtemperans, monasterium haud procul à civitate construeret, ubi plurimos sancto cœpit informare proposito, factis magis quam verbis animas instruens auditorum. Ipse verò ad secretum habitaculum, quod Purgum oppidum appellatur ab accolis, quinq; à Favianis distans milliariis, sæpius secedebat, ut hominum declinata frequentia, quæ ad eum venire consueverat, oratione continua Deo protinus inhæreret. Sed quanto solitudinem incolere cupiebat, tanto crebrius revelationibus monebatur, ne præsentiam suam populis denegaret afflictis. Proficiebat itaq; per singulos dies ejus meritum, crescebatq; fama virtutum, quæ longè lateq; discurrens, cœlestis gratiæ in eo signa pandebat. Nesciunt enim latere, quæ bona sunt, cum juxta sententiam Salvatoris, nec lucerna sub modio contegi, nec in monte posita civitas possit abscondi. Inter cætera enim magnalia, quæ illi Salvator indulserat, præcipuū abstinentiæ munus accipiens, carnem suam plurimis subjugabat inediis, docens corpus, quod cibis abundantioribus enutritur, animæ interitum protinus allaturum. Calceamento nullo penitus indutus, ita mediâ hyeme, quæ in illis regionibus sæviore gelu torpescit, nudis pedibus semper ambulare contentus, singulare patientiæ dabat indicium. Ad cujus immanitatem frigoris comprobandam, testem constat esse Danubium, ita sæpe glaciali nimietate concretum, ut etiam plaustris solidum transitum subministret. Qui tamen talibus per Dei gratiam virtutibus sublimatus, intimam humilitatem fatebatur dicens: Ne putetis mei meriti esse, quod cernitis, vestræ est potius salutis exemplum. Cesset jam humana temeritas, elationis supercilium comprimatur, ut aliquid boni possimus, eligimur, dicente Apostolo: Qui elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus. Orate imò pro me, ut non ad condemnationis cumulum, sed ad justificationis augmentum Salvatoris mei dona proficiant. Hæc & his similia solebat proferre cum fletibus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cujus virtutis fundamento munitus, tanta divini muneris claritate fulgebat, ut ipsi quoq; hostes hæretici reverentissimis eum officiis honorarent.

CAPUT

Caput V.

RUgorum ſiquidem Rex, nomine Flacciteus, in ipſis regni ſui cœpit nutare primordiis, habens Gothos ex inferiore Pannonia vehementer infenſos, quorum innumera multitudine terrebatur. Is ergò beatiſſimum Severinum in ſuis periculis tanquam cœleſte conſulebat oraculum. Ad quem dum vehementiſſimè turbaretur adveniens, deflebat ſe à Gothorum principibus ad Italiam tranſitum poſtulaſſe, à quibus ſe non dubitabat, quia hoc ei denegatum fuerat, occidendum. Tunc ergò à viro Dei hoc reſponſum prædictus accepit. Si nos una Catholica fides annecteret, magis me de vitæ perpetuitate debuiſti conſulere, ſed quia de præſenti tantum ſalute ſollicitus, quæ nobis eſt communis, interrogas, inſtruendus auſculta. Gothorum nec copia nec adverſitate turbaberis, quia cito ſecurus eis diſcedentibus tu deſiderata proſperitate regnabis, tantum ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum, & nunquam propriis virtutibus innitaris. Maledictus, inquit ſcriptura, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus. Diſce igitur inſidias cavere, non ponere, in lectulo quippe tuo pacifico fine transibis. Qui cum tali admonitus oraculo lætus abſcederet, perlato ſibi quod turba latrocinantium & barbari aliquos captivaſſent ex Rugis, ad virum Dei miſit protinus conſulendū, qui ſanctis eum mandatis, ne prædones ſequeretur, Domino ſibi revelante prænonuit, dicens: Si eos ſequutus fueris, occidêris, cave, ne amnem tranſeas, & inſidiis quæ tibi tribus locis paratæ ſunt, inprovida mente ſuccumbas: nam cito nuncius fidelis adveniet, qui te de his omnibus efficiet certiorem. Tunc captivorum duo ab ipſis hoſtium ſedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt, quæ à beatiſſimo viro, Chriſto ſibi revelante, erant prædicta. Igitur fruſtratis inſidiis adverſantium Flacciteus incrementis auctus proſperioribus vitam rebus tranquilliſſimis terminavit.

Caput VI.

POſt hæc autem quidam Rugus genere, per annos duodecim incredibili oſſium dolore contritus, omni caruerat incolumitate membrorum, cujus cruciatus intolerabilis, circumquaq; vicinis factus erat ipſa diuturnitate notiſſimus. Itaque nihil proficiente diverſitate remedii, tandem vidua mater ad ſanctum virum vehiculo filium deduxit impoſitum, & ante januam monaſterii projiciens deſperatum, continuatis fletibus reddi ſibi unicū filium precabatur incolumem. Sed vir Dei ſentiens à ſe magna depoſci, fletu commotus ajebat: Quid opprimor opinione fallaci, cur æſtimor poſſe, quod nequeo? Non eſt virtutis meæ præſtare

tam grandia, consilium tamen do, tanquam misericordiam consecutus à Domino. Tunc mandat mulieri, ut pauperibus aliquid pro suis viribus largiretur. Illa nihil morata, vestem qua induta erat, se velociter exuens, egenis dividere properabat. Quo audito vir Dei, fervorem ejus admirans, iterum mandat, ut suis operiretur amictibus, dicens: Cum tuus filius tecum Domino sanante perrexerit, opere vota supplebis. Igitur indicto paucorum dierum de more jejunio, fusis ad Deum precibus, illico sanavit infirmum, atque incolumem suis gressibus ambulantē remisit ad propria. Qui cum postea nundinis frequentibus interesset, stupendum miraculum cunctis videntibus exhibebat: nonnulli enim dicebant: Ecce ille, qui fuerat corporis putredine fractus: Aliis autem, quod ipse esset omninò negantibus, grata contentio nascebatur. Ex illo enim tempore, quo est reddita sanitas desperato, universa Rugorum gens ad Dei famulum frequentans cœpit gratulationis obsequium reddere, & opem suis postulare languoribus. De aliis etiam gentibus, ad quas tanti miraculi fama pervenerat, multi Christi militem videre cupiebant.

CAPUT VII.

QUA devotione etiam ante hoc factum quidam barbari, cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu diverterunt: inter quos & Odovachar, qui postea regnavit Italiæ, viliſſimo tunc habitu, juvenis statura procerus advenerat. Qui dum se, ne humile tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinasset, à viro Dei glorioſum sẽfore cognovit. Cui etiam valedicenti, Vade inquit ad Italiam, vade, viliſſimis nunc pellibus coopertus, sed multis citò plurima largiturus.

CAPUT VIII.

FElecteus quoq; Rex, qui & Fava, memorati filius Flacitei, paternam sequutus industriam, sanctum virum cœpit pro regni sui frequentare primordiis. Hunc conjux feralis & noxia nomine Gisa, semper à clementia remediis retrahebat. Hæc ergò inter cætera iniquitatis suæ contagia, etiam rebaptizare quosdam est conata Catholicos, sed ob sancti reverentiam Severini, non consentiente viro, à sacrilega quantocyus intentione defecit. Romanos tamen duris conditionibus aggravabat, quosdam etiam Danubio jubebat abduci. Nam cum quadã die in proximo à Favianis vico veniens, aliquos ad se transferri Danubio præcepisset, viliſſimi scilicet ministerii servitute damnandos, dirigens ad eam vir Dei, ut eos dimitteret, postulabat. Verum illa facibus fœminei furoris exæstuans, mandata reportari jussit asperrima, Ora, inquit, tibi serve Dei in tua cellula delitescens, liceat nobis de servis nostris ordi-

ordinare quod volumus. Hæc igitur audiens homo Dei, confido, inquit, in Domino Jesu Christo, quia necessitate compellitur explere, quod prava voluntate despexit. Velox itaq; sequuta correptio, animum prostravit arrogantis, quosdam enim aurifices barbaros, pro fabricandis regalibus ornamentis clauserat arcta custodia, ad hos filius memorati regis admodum parvulus nomine Fridericus, eodem die, quo regina servum Dei contempserat, puerili motu concitus introivit. Tunc aurifices infantis pectori gladium imposuere dicentes, quod si quis ad eos absq; juramenti præfixo ingredi conaretur, parvulum regium primitus transfigerent, & semetipsos postea trucidarent, quippe cum sibi nullam spē vitæ promitterent, macerati diuturnis ergastulis. His auditis regina crudelis & impia, vestibus dolore conscissis, talia clamabat: O serve Dei Severine, sic à Deo tuo illatæ vindicantur injuriæ? Hanc mei contemptus ultionem effusis precibus postulasti, ut in mea viscera vindicares? Itaq; multiplici contritione ac miserabili lamentatione discurrens, fatebatur se pro scelere cōtemptus, quod in servum Dei commiserat, plagæ præsentis ultione percelli; confestimq; directis equitibus veniam petitura, & Romanos, quos ea die tulerat, pro quibus rogantem contempserat, transmisit, & aurifices protinus accipientes sacramentum, ac dimittentes infantulum, pariter & ipsi dimissi sunt. His auditis reverentissimus Christi servus gratias creatori referebat immensas, qui ob hoc interdum differt vota petentium, ut fide, spe & charitate crescente, dum minora petuntur, majora concedat. Id namque egit virtus omnipotentis ac salvatoris, ut dum liberos sæva mulier subjecit servituti, servientes cogeretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, regina statim ad servum Dei properans cum marito, monstrat filium, quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens, se ejus nequaquam ultrà jussionibus obviare.

Caput IX.

MAgna quoq; Dei famulo, prophetiæ gratiâ prædito, in redimendis erat captivis industria. Studiosius etenim insistebat barbarorum ditione vexatos genuinæ restituere libertati. Interea cuidam cum conjuge liberisq; redempto, præcepit transvadere Danubium, ut hominem ignotum in nundinis quæreret barbarorum: quem in tantum divinâ revelatione didicerat, ut etiam signa staturæ, capillorumq; colorem, vultus ejus ac vestis habitus indicaret, & in quâ parte nundinarum reperturus eum foret, ostenderet, addens, ut quiquid reperta ei diceret persona, reversus sibi maturius intimaret. Profectus itaq; cuncta, sicut vir Dei prædixerat, miratus invenit. Is ergò ab eodem homine, quem reperisse se

mirabatur, interrogatus audivit dicente: Putasne possum invenire hominem, qui me ad virum Dei, cujus ubiq; fama diffunditur, quâ voluerit mercede perducat? Diu est enim, quod ipsos sanctos martyres, quorum reliquias fero, suppliciter interpello, ut à tali ministerio tandem aliquando solvar indignus, quod huc usq; non temerariâ præsumptione, sed religiosa necessitate sustinui. Tunc nuncius hominis Dei, ejus illum aspectibus præsentavit, qui debito sanctorum Gervasii & Protasii martyrum reliquias honore suscipiens, in basilicâ, quam in monasterio construxerat, collocavit officio sacerdotum. Quo in loco martyrum congregavit sanctuaria plurimorum, quæ tamen præeunte semper revelatione promeruit, sciens adversarium sæpe subrepere sub nomine sanctitatis. Episcopatus quoq; honorem ut susciperet postulatus, præfinitâ responsione concluſit, sufficere sibi dicens, quod solitudine desideratâ privatus, ad illam divinitus venisset provinciam, ut turbis tribulantium frequentibus interesset. Daturus nihilominus monachis formam, sollicitior admonebat beatorū patrum vestigiis inhærere, quibus sanctæ conversationis adquireretur instructio, adhibendamq; operam, ne is, qui parentes reliquit & sæculum, pompæ sæcularis illecebras retrorsum respiciendo cuperet, quas vitaverat, & ob hoc uxoris Loth exemplum terribile proponebat. Memorabat etiam timore Dei mortificanda esse incentiva libidinum, nec aliter superanda corporalis delectationis asseruit incendia, nisi fuissent per Dei gratiam lacrymarum fonte restincta.

Caput X.

Quidam verò nomine Maurus Basilicæ monasterii fuit æditus, quem beatus Severinus redemerat de manibus barbarorum; huic quadā die præcepit vir Dei dicens, Cave, ne hodie transgrediaris alicubi, alioquin imminenti periculo non carebis. Hic ergò contra præceptum tanti patris, sæcularis cujusdam hominis persuasu, meridie ad colligenda poma in secundo à Favianis milliario egressus, mox à barbaris Danubio transvectus est cum suo persuasore captivus. In illâ horâ vir Dei dum in cellulâ legeret, clauso repente codice, Maurum, ait, cito requirite: quo nusquam reperto, ipse quantocyus Hystri fluenta prætermeans, latrones properanter insequitur, quos vulgus Scamaros appellabat. Cujus venerandam præsentiam non ferentes, supplices, quos ceperant, reddidere captivos.

Caput XI.

Cum adhuc Norici ripensis oppida superiora constarent, & pæne nullum castellum barbarorum vitaret incursus, tam celeberrima sancti Severini flagrabat opinio, ut certatim eum ad se ca-

se castella singula pro suis munitionibus invitarent, credentes quod ejus præsentiâ nihil eis adversi eveniret. Quod non sine gratia divini muneris agebatur, ut omnes ejus monitis quasi cœlestibus terrerentur oraculis, exemploq; illius bonis operibus erudirentur. In castellum quoque, cui erat Cucullis vocabulum, devotionibus accolanis vir sanctus venerat advocatus, ubi factum grande miraculum nequeo reticere, quod tamen Marciani post presbyteri nostri, cujus ejusdem loci stupenda miracula, relatione cognovimus. Pars igitur plebis in quodam loco nefandis sacrificiis inhærebat. Quo sacrilegio comperto vir Dei, multis plebem sermonibus alloquutus, jejunium triduanum per presbyterum loci suasit indici, ac per singulas domos cereos afferre præcepit, quos propriâ manu unusquisq; parietibus affixit ecclesiæ. Tunc psalterio ex more decurso, ad horã sacrificii presbyterum & diaconum vir Dei adhortatus est, totâ cordis alacritate secum communem Dominum deprecari, quatenus ad sacrilegos discernendos lumen suæ cognitionis ostenderet. Itaq; cum multis largissimis fletibus, cumq; fixis genibus precaretur, pars maxima cereorum, quos fideles attulerant, subitò est accensa divinitus, reliqua verò eorum, qui prædictis sacrilegiis infecti fuerant, volentesq; latêre negaverant, inaccensa permansit. Tunc ergò qui eos posuerant divino declarati examine, protinus exclamantes secreta pectoris suis factionibus prodiderunt, & suorum testimonio cereorum manifestâ confessione cuncti propria sacrilegia testabantur. O clemens potentia creatoris, cereos animosq; inflammans, accensus ignis in cereis refulsit & in sensibus. Visibilis lux liquabat ceras in flammas, at invisibilis corda fatentium solvebat in lacrymas. Quis credat, amplius eos, quos sacrilegus error involverat, postea claruisse bonis operibus, quam eos, quorum cerei fuerant accensi divinitus!

Caput XII.

Alio rursus tempore in finibus ejusdem castelli, locustæ frugum consumptrices noxiis morsibus cuncta erant vastantes. Tali ergò peste perculsi, mox presbyteri cæteriq; mansores sanctum Severinum summis precibus adierunt dicentes, ut tantæ plagæ auferatur atrocitas, orationum tuarum experta suffragia postulamus, quæ magno dudum miraculo in accensis cereis multum apud Dominum valere conspeximus. Quos ille religiosius allocutus, non legistis, ait, quid auctoritas divina peccanti populo præceperit per Prophetam, Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu, & post pauca, Sanctificate, inquit, jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, & cætera quæ sequuntur, hæc explete, ut dignis operi-

operibus malitiam præsentis temporis facile evadatis; nullus à me ad agrum exeat, quasi humanâ sollicitudine locustas vetiturus, ne divina amplius indignatio provocetur. Nec mora: ergò omnibus in ecclesiam congregatis, unusquisq; in ordine suo psallebat ex more. Omnis ætas & sexus, quæ etiam voce non poterat, precem Deo fletibus offerebat, eleemosynæ fieri non cessabant, quid. quid bonorum operum præsens necessitas exigebat, sicut Dei famulus præceperat, implebatur. Omnibus ergò hujuscemodi studiis occupatis, quidam pauperrimus opus Dei cœptum deserens, ad agrum propriæ segetis invisendæ caussa, quæ perparva inter aliorum sata jacebat, egressus est, totaq; anxius die locustarum nubem impendentem, quâ potuit, exturbavit industriâ, moxq; ecclesiam communicaturus intravit; sed segetem ejus exiguam, multis vicinorum circundatam frugibus, locustarum densitas devoravit. Quibus eâ nocte ab illis finibus exterritis imperio divino, probatum est, quantum valeat fidelis oratio. Mane quippe sancti operis temerator atq; contemptor, rursus ad agrum suum malè securus egrediens, eum locustarum pernicie funditus invenit abrasum, & omnium circumquaq; sationes integras vehementer admirans, ad castellum lamentosa vociferatione revertitur, cumque id, quod acciderat, indicasset, ad hujuscemodi videndum cuncti exiêre miraculum, ubi quasi ad lineam regularem contumacis hominis segetem locustarum morsus ostenderant. Ob quam rem monendi occasionem homo Dei reperiens, docebat universos, ut omnipotenti Deo discerent obedire, cujus imperiis obtemperant & locustæ. Pauper verò prædictus flebiliter allegabat, posse se mandatis obedire de cætero, si ulla spes, quâ viveret, sibi remansisset. Tunc ergò vir Dei cæteros allocutus, justũ est, inquit, ut qui proprio supplicio humilitatis vobis & obedientiæ dedit exemplum, liberalitate vestra anni præsentis alimenta percipiat. Collatione itaq; fidelium correptus homo pauperrimus & ditatus, didicit quantum dispendii incredulitas inferat, quantumq; beneficii suis cultoribus divina conferat largitio.

Caput XIII.

ITem juxta oppidum, quod Juba appellatur, cum quadam die intrantes basilicam, æstatis tempore, solemnitatem vespere reddituri, ad accendenda luminaria ignem minime reperissent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiverunt, in tantum alterutra ferri ac petræ collisione tardantes, ut tempus vespertinę solemnitatis efflueret. At vir Dei genubus humi fixis orabat attentius. Mox igitur in conspectu trium spiritualium, qui aderant tunc, virorũ, cereus, quem idem Severinus sanctus manu tenebat, accensus est. Quo lucente, sacrificio vespertini temporis ex more

supple-

ſuppleto, gratiæ Deo referuntur in omnibus. Quod factum, licet vir memoratus hos, qui huic interfuere miraculo, celare voluerit, ſicut & multa magnalia, quæ per illum divinis ſunt effectibus celebrata, claritas tamen tantæ virtutis occultari non potuit, ſed ad magnam cæteros fidem excellenter accendit.

CAPUT XIV.

ACcidit etiam ejusdem loci quandam mulierem diutino languore vexatam jacere ſeminecem, exequiis jam paratis, cujus proximi mœſto ſilentio voces funereas quodã fidei clamore preſſerunt, & ante oſtium cellulæ ſancti viri corpus jam exanime pæne depoſuêre. Videns ergò homo Dei clauſum aditum oppoſitione lectuli, ait ad eos: Quidnam eſt, quod facere voluiſtis? Reſponderunt: Ut oratione tua vitæ reddatur exanimis. Tunc ipſe lacrymabundus exclamans ait: Quid à parvo magna depoſcitis? Cognoſco me prorſus indignum, utinam merear veniam pro meis invenire peccatis. Et illi, Credimus, inquiunt, quod ſi oraveris, reviviſcit. Tunc ſanctus Severinus fuſis illico lacrymis, in oratione proſtratus eſt, & muliere protinus reſurgente allocutus eſt eos: Nolite quidquam horum meis operibus applicare, hanc enim gratiam fervor fidei emeruit, & hoc fit in multis locis & gentibus, ut cognoſcatur, quod unus ſit Deus, faciens in cœlo & in terra prodigia, excitans perditos in ſalutem, & mortuos vitæ reſtituens. Mulier verò ſanitate percepta, opus ſacrale die tertio juxta morem provinciæ propriis cœpit manibus exercere.

CAPUT XV.

QUintanis appellabatur ſecundarum municipium Retiarum ſuper ripam Danubii ſitum, huic ex alia parte parvus fluvius Quintana nomine propinquabat. Is crebra inundatione Danubii ſuperfluentis excreſcens, nonnulla caſtelli ſpatia, quia in planum fundatum erat, occupabat. Eccleſiam etiam loci ejus manſores extra muros ex lignis habuere conſtructam, quæ pendula extenſione porrecta, defixis in altum ſtipitibus ſuſtentabatur & furculis, cui ad vicem ſoli tabularum erat levigata conjunctio, quam quoties rivus exceſſiſſet, aqua ſuperfluens occupabat. Quintanenſium itaq; fide ſanctus Severinus illuc fuerat invitatus, ubi cum tempore ſiccitatis veniſſet, interrogabat, cur tabulata nudatis obſtaculorum tegminibus apparêrent. Accolæ reſponderunt, quod frequenti fluminis alluvione, quidquid fuiſſet ſuperſtratũ, cõtinuo laberetur. At ipſe, ſternatur, inquit, ſuper tabulata in Chriſti nomine nunc pavimentũ, nam videbitis amodo fluvium cœleſti juſſione prohibitũ. Pavimento itaq; perfecto, ipſe vir Dei acceptâ ſecuri ſubter deſcendens, poſtes factâ oratione percuſſit, atq;

ad

ad aquam fluminis, venerandæ crucis expreſſo ſignaculo dixit: Non te ſinat Dominus meus Jeſus Chriſtus hoc ſignum crucis excedere. Ex illo itaq; tempore cum ex more fluvius creviſſet in cumulos, ambiſſetq́; viciniam, quam ſolebat, ita ſpatiis eccleſiæ erat inferior, ut nunquam ſancti patibuli ſignaculum, quod impreſſerat homo Dei, prorſus excederet.

CAPUT XVI.

ACcidit autem, ut caſtelli presbyter memorati admodum venerabilis, Silvinus nomine moreretur, & cum in eccleſiâ feretro poſito noctem pſallentes duxiſſent ex more pervigilem, jam creſcente diluculo, rogavit vir Dei feſſos presbyteros & diaconos univerſos parumper abſcedere, ut poſt laborem vigiliarum ſomno ſe aliquantulum recrearent. Quibus egreſſis, Dei homo oſtiarium Maternum nomine interrogat, utrum omnes, ut dixerat, abſceſſiſſent. At illo reſpondente cunctos abiiſſe, nequaquam ait, ſed latet hîc quidam. Tunc janitor eccleſiæ ſecundo perluſtrans, nullum intra eam manſiſſe teſtatur. Verum Chriſti miles Domino ſibi revelante, neſcio quis, ait, hic deliteſcit. Tertio itaque diligentius perſcrutans, quandam invenit virginem, conſecratam locis ſe occultioribus abdidiſſe, hanc ergò memoratus ſic increpavit ædituus: Cur iſtic famulo Dei poſito tuam credideris potuiſſe latêre præſentiam? At illa, pietatis, inquit, me amor talia facere perſuaſit, videns enim cunctos foras expelli, putavi mecum, quod ſervus Chriſti invocatâ divinâ majeſtate præſentem mortuum ſuſcitaret. Exeunte igitur memoratâ virgine, homo Dei cum presbytero & diacono janitoribusque duobus, in oratione curvatus poſtulavit fletu largiſſimo, ut opus ſolitæ majeſtatis divina virtus oſtenderet. Tunc oratione completâ à presbytero, ita cadaver vir beatus alloquitur: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſancte presbyter Silvine loquere cum fratribus tuis. Et ſubitò oculos defunctus aperuit. Vix verò præſentibus homo Dei tacere præ gaudio perſuaſit, & denuo ad eum: Vis, inquit, rogemus Dominum, ut te adhuc ſervis tuis in hac vitâ condonare dignetur? At ille ait: Per Dominum te conjuro, ne diutius hîc tenear, & frauder quiete perpetua, in qua me eſſe jam cernebam. Statimq́; reddita oratione quievit exanimis. Hoc autem factum ſancti Severini adjuratione ita celatum eſt, ut ante mortem ejus non potuiſſet agnoſci, ego tamen hæc, quæ retuli, Marci ſubdiaconi & Materni janitoris relatione cognovi. Nam presbyter & diaconus tanti teſtes miraculi, ante ſanctum virum, cui juraverunt nulli ſe, quod viderant, prodituros, obiiſſe noſcuntur.

CAPUT

CAPUT XVII.

TAlibus igitur beatus Severinus per Christi gratiam opulentus muneribus, captivorum etiam egenorumq; tantam curam ingenita sibi pietate susceperat, ut pæne omnes per universa oppida vel castella pauperes, ipsius industria pascerentur, quibus tam læta sollicitudine ministrabat, ut tunc se crederet tantummodo saturari, vel abundare bonis omnibus, quando videbat egentium corpora sustentari. Et cum ipse hebdomadarum continuatis jejuniis minimè frangeretur, tamen esurie miserorum se credebat afflictum. Cujus largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamvis ex duro barbarorum imperio famis angustias sustinerent, devotissimè tamen frugum suarum decimas pauperibus impendebant. Quod mandatum licet cunctis ex lege notissimum sit, tamen quasi ex ore angeli præsentis audirent, grata devotione servabant. Frigus quoque vir Dei tantum in nuditate pauperum sentiebat, siquidem specialiter à Deo perceperat, ut in frigidissima regione mirabili abstinentia castigatus, fortis & alacer permaneret. Pro decimis autem, ut diximus, dandis, quibus pauperes alerentur, Norici quoq; presbyteros missis exhortabatur epistolis. Ex qua consuetudine cum nonnullam ad eum erogandarum vestium copiam direxissent, interrogavit eos, qui venerant, si ex civitate quoque Tiburnia similis collatio mitteretur. Respondentibus etiam inde protinus affuturos, vir Dei nequaquam eos venire signavit, sed dilatam eorum oblationem prædixit barbaris offerendam. Itaque non multo post cives Tiburniæ, vario cum obsidentibus Gothis certamine dimicantes, vix initi fœderis pactione inter cætera etiam largitionem jam in unum collatam, quam mittere famulo Dei distulerant, hostibus, ut prædixerat, obtulerunt.

CAPUT XVIII.

CIves quoq; ex oppido Lauriaco crebro quondam sancti Severini exhortatione commoniti, frugum decimas pauperibus offerre distulerant. Quibus fame constrictis, jam maturitate messium flavescente, vicina subsidia monstrabantur. At ubi rubiginis improvisa corruptio frugibus nocitura comparuit, mox ad ipsum convenêre prostrati, pœnas suæ contumaciæ confitentes. Miles verò Christi, fessos verbis spiritualibus allevabat dicens: Si decimas obtulissetis pauperibus, non solum æterna mercede frueremini, verum etiam commodis posse tis abundare præsentibus: Sed quia culpam confessione propria castigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo præsens tam validè penitus non nocebit, tantum fides vestra non vacillet. Verum cives ad persolvendas ex illâ die decimas hæc promissio reddidit promptiores.

ptiores. Tunc, ut ſolebat, hortatus eſt indici jejunium, quo expleto, placidus imber deſperatæ meſſis amputavit incommoda.

Caput XIX.

PAtavis appellatur oppidum, inter utraq; flumina, Enum videlicet atq; Danubium conſtitutum, ubi beatus Severinus cellulam paucis ſolito more fundaverat, eo quod ipſe illuc ſæpius rogatus à civibus adveniret, maximè propter Alamannorum incurſus aſſiduos, quorum Rex Gibuldus ſummâ eum reverentiâ diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum deſideranter occurrit, cui ſanctus obviam, ne adventu ſuo eam civitatem prægravaret, egreſſus eſt, tantaq; conſtantiâ regem allocutus eſt, ut tremere corã eo vehementius cœperit, ſed & poſtea ſuis exercitibus indicavit, nunquam ſe nec re bellica nec aliqua formidine tanto tremore fuiſſe concuſſum. Cumq; Dei famulo daret optionem imperandi quæ vellet, rogavit doctor piiſſimus, ut ſibi potius præſtaturus, gentem ſuam à Romana vaſtatione cohiberet, & captivos, quos ſui tenuerant, gratanter abſolveret. Tunc Rex conſtituerat, ut ex ſuis aliquem dirigeret, ad id opus maturius exequendum; ſtatimq; miſſus Amantius diaconus, è veſtigio regem ſubſequitur, ejusq; pro foribus excubans, multis diebus non potuit nunciari. Cui pro re, qua directus fuerat, non peracta triſtiſſimo revertenti, apparuit quidam effigiem ſancti præferens Severini, qui eum minaci appellatione perterritum ſequi ſe juſſit. Cumq; pavens atq; concitus ſequeretur, pervenit ad januam regis, ſtatimq; dux ille prævius ex oculis mirantis evanuit. Verum regis iterum nuncius diaconum, unde eſſet, & quid ſperaret, interrogat: Ille rem breviter inſinuans, oblatis regi, receptisq; remeavit epiſtolis. Dimiſſus igitur, revexit fere ſeptuaginta captivos, inſuper promiſſionem regis gratam deferens, qua ſpopondit ſe, cum diligenter provinciam peragraverit, remiſſurum quantos in eadem reperturus fuiſſet numero captivorum. Pro qua re poſtmodum ſanctus Lucillus presbyter deſtinatus magnam miſerorum copiam à captivitate revocavit.

Caput XX.

PEr id tempus, quo Romanum conſtabat imperium, multorum milites oppidorum pro cuſtodia limitis publicis ſtipendiis alebantur. Qua conſuetudine deſinente, ſimul militares turbæ ſunt deletæ; cum milite Batavino utcumq; numero perdurante, ex eo perrexerunt quidam ad Italiam, extremum ſtipendium commilitonibus allaturi, quos interemptos à barbaris nullus agnoverat. Quadam ergò die, dum in ſua cellula legeret ſanctus Severinus, ſubito clauſo codice, cum magno cœpit lacry-

mare

mare ſuſpirio, aſtantes juvenes juſſit ad fluvium properanter excurrere, quem in illa hora humano firmabat cruore reſpergi, ſtatimq; nunciatum eſt, corpora præfatorum militum fluminis impetu ad terram fuiſſe delata.

CAPUT XXI.

PAulinus quidam ad ſanctum Severinum fama ejus latius percurrente pervenerat, hic in conſortio beati viri diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audivit ab eo, Venerabilis presbyter feſtina, quia ſcito dilectionem tuam, populorum deſideriis, ut credimus, obluctantem, dignitas epiſcopatus ornabit. Mox remeante ad patriam, ſermo in eo prædicentis impletus eſt. Nam cives Tiburniæ, quæ eſt metropolis Norici, coegerunt prædictum virum ſummi ſacerdotii ſuſcipere principatum.

CAPUT XXII.

BAſilicæ extra muros oppidi Batavini, in loco nomine Boitro trans Enum fluvium conſtitutæ, ubi cellulam paucis monachis ipſe conſtruxerat, martyrum reliquiæ quærebantur. Ingerentibus ergò ſe presbyteris, ut mitterentur ad ſanctuaria deferenda, hęc beatus Severinus monita proferebat: Quamvis cuncta mortalium opere conſtructa pereant, hæc tamen ædificia præ cæteris celerrimè relinquenda ſunt; & ideò pro reliquiis ſanctorum nullum laborem debere ſuſcipere, quia ultro ſancti Joannis eis benedictio deferetur. Interea beatum virum cives oppidi memorati ſuppliciter adierunt, ut pergeret ad Favianam Rugorum principem, mercandi eis licentiam poſtularet. Quibus ipſe, tempus, inquit, hujus oppidi appropinquavit, ut deſertum, ſicut cætera priora caſtella cultore deſtituta, remaneat. Quid ergò neceſſe eſt locis mercimonia providere, ubi ultra non poterit apparere mercator? Reſpondentibus illis, non ſe debere contemni, ſed conſueto ſublevari regimine, quidam presbyter hæc diabolico ſpiritu repletus adjecit, Perge quæſo ſancte, perge velociter, ut tuo diſceſſu parumper à jejuniis & vigiliis quieſcamus. Quo dicto, vir Dei lacrymis urgebatur ingentibus, quod in ridiculam vanitatem cunctis audientibus ſacerdos eruperat. Aperta namque ſcurrilitas latentium eſt teſtificatio delictorum. Sanctus itaq; vir, cur ita fleret, interrogatus à fratribus; Video, inquit, plagam graviſſimam nobis abſentibus huic loco protinus eventuram, & Chriſti ſacraria, quod non ſine gemitu cogor exprimere, humano ſanguine redundabunt, in tantum, ut etiam locus iſte violandus ſit, nam in baptiſterio loquebantur. Ad antiquum itaq; & omnibus majus monaſterium ſuum, juxta muros oppidi Favianis, quod centum & ultra millibus aberat, Danu-

lii navigationibus descendebat. Mox igitur eo discedente Chunimundus paucis barbaris comitatus, oppidum, ut sanctus prædixerat, Batavis invasit, ac pæne cunctis mansoribus in messe detentis, quadraginta viros oppidi, qui ad custodiam remanserant, interemit. Presbyterum quoq; illum, qui tam sacrilege contra famulum Christi in baptisterio fuerat elocutus, ad eundem locum confugientem, insequentes barbari peremerunt. Frustra enim illuc offenso Deo veritatis inimicus accessit, ubi tam imprudenter excesserat.

Caput XXIII.

IGitur sanctissimus Severinus dum in monasterio Favianis evangelium legeret, oratione suppleta consurgens, scapham sibi illico jubet præparari, & mirantibus his, qui aderant, ait: Sit nomen Domini benedictum, reliquiis beatorum martyrum oportet nos occurrere. Nec mora, transmeant Danubium, inveniunt hominem considentem in ripa ulteriore fluminis, ac multis eos precibus postulantem, ut ad servum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet, duceretur. Mox itaq; ei Christo servi demonstrato, suppliciter sancti Joannis Baptistæ reliquias obtulit, multis apud se servatas temporibus. Quas Dei servus debita veneratione suscipiens, basilicam sancti Joannis, sicut prædixerat, ultronea benedictione collata, sacravit officio sacerdotum.

Caput XXIV.

AD habitatores præterea oppidi, quod Jopia vocabatur, septuaginta & amplius à Batavis millibus disparatum, solitâ vir Dei revelatione commonitus, Moderatum nomine cantorem ecclesiæ destinavit, præcipiens, ut habitationẽ loci illius omnes sine cunctatione relinquerent, mox enim perituros fore, si contemnerent imperata. Aliis ergò de tanto præsagio dubitantibus, aliis non credentibus prorsus, iterum misit Quintasium quendam, cui lacrymans ait, Perge velocius, denuncians eis, si in hac nocte remanserint, sine dilatione capientur. Sanctum quoq; Maximum spiritualis vitæ presbyterum instantius imperat admonere, ut saltem ipse contemptoribus derelictis, properaret à cœlesti misericordiâ liberari, de quo sibi Dei famulus magnam dicebat inesse mœstitiam, ne forte salutiferum differendo mandatum, imminenti subjaceret exitio. Prædictus itaq; pergens imperata supplevit, & reliquis incredulitate nutantibus, nuncius viri Dei presbytero retinenti se, atq; hospitalitatem præbere cupienti, nullatenus acquievit. Quâ nocte Heruli insperatè protinus irruentes, oppidumq; vastantes, plurimos duxere captivos, presbyterum verò memoratum patibulo suspenderunt. Quo audito servus Dei graviter doluit prænonitus non curasse.

Caput

CAPUT XXV.

DEinde quidam de Norico, Maximinus nomine, ſervum Dei frequentare ſolitus erat. Et cum pro familiaritate quam meruerat, in monaſterio ſancti viri diebus aliquot moraretur, ejus informatur oraculis, patriam ſuam grave repente exitium ſubituram. Qui acceptis litteris ad ſanctum Paulinum Epiſcopum deſignatis, remeavit inſtantius. Igitur memoratus antiſtes litterarum tenore perſtructus, univerſas diœceſes ſive caſtella, ſcriptis propriis vehementer admonuit, ut triduano jejunio quod litteræ viri Dei ſignaverant, exitio venturæ cladis occurrerent. Quibus juſſa complentibus, terminato jejunio ecce Alamannorum copioſiſſima multitudo feraliter cuncta vaſtavit, caſtella verò nullum ſenſere periculum, quæ lorica fidelis jejunii, & laudanda cordis humilitas adverſus hoſtium ferociam fidenter armaverat.

CAPUT XXVI.

POſt hæc leproſus quidam Mediolanenſis territorii, ad ſanctum Severinum, famâ ejus invitante perrexerat, hunc ſanitatum remedia implorantem ſuppliciter, monachis ſuis indicto jejunio commendavit, qui continuo Dei gratiâ mundatus eſt. Cumq; recepta ſanitate redire ſuaderetur ad patriam ſuam, proſtravit ſe pedibus ſancti viri, petens ne ulterius ad ſua redire cogeretur, cupiens ſcilicet, ut lepram quoq; peccatorum, ſicut carnis effugeret, vitamq; in eodem loco fine laudabili terminaret. Cujus animum vir Dei vehementer admirans, paucis monachis paterna juſſione præcepit, frequentatis cum eo jejuniis in oratione continua permanere, ut Dominus ei, quæ eſſent opportuna, concederet. Tantis itaq; remediis præmunitus, intra duorum menſium ſpatium vitæ mortalis eſt compedibus abſolutus.

CAPUT XXVII.

EOdem tempore manſores oppidi Quintanenſis, creberrimis Alamannorum incurſionibus defeſſi, ſedes proprias relinquentes in Batavis oppidum migraverunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium prædictorum, qua cauſſa plus inflammati ſunt, credentes duorum populos oppidorum uno impetu prædarentur. Sed beatus Severinus orationi fortius incubans, Romanos exemplis ſalutaribus multipliciter hortabatur, prænuncians hoſtes quidem præſentis Dei auxilio ſuperandos, ſed poſt victoriam, eos, qui contemnerent ejus monita, perituros. Igitur Romani omnes ſancti viri prædictione firmati, ſpe promiſſæ victoriæ adverſus Alamannos inſtruxerunt aciem, non tam materialibus armis, quam ſancti viri orationibus præmuniti. Qua congreſſione victis ac fugientibus Alaman-

nis, vir Dei ita victores alloquitur, Filii, ne vestris viribus palmam præsentis certaminis imputetis, scientes vos Dei nunc præsidio liberatos, ut hinc parvo intervallo temporis, quasi quibusdam concessis induciis discedatis mecum. Itaq; ad oppidum Lauriacum congregati descendite. Hæc homo Dei plenus pietate commonuit. Sed Batavinis genitale solum relinquere dubitantibus, sic adjecit: Quamvis & illud oppidum, quo pergimus, ingruente barbarie sit quantocyus relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus. Talia commonentem sequuti sunt plurimi, quidam reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicunque enim ibidem contra hominis Dei interdictum manserunt, Thuringis irruentibus in eâdem hebdomade alii quidem trucidati, alii in captivitatem deducti, pœnas dedere contemptus.

Caput XXVIII.

IGitur post excidium oppidorum in superiore parte Danubii, omnem populum in Lauriacum oppidum transmigrantem, qui sancti Severini monitis paruerant, assiduis hortationibus præstruebat, ne in suâ virtute confiderent, sed orationibus & jejuniis atque eleemosynis insistentes, armis potius spiritualibus munirentur. Præterea vir Dei quadam die cunctos pauperes in unâ basilicâ statuit congregari, oleum, prout poscebat ratio, largiturus, quam speciem in illis locis difficillimam negotiatorum deferebat advectio. Igitur tamquam benedictionis accipiendæ gratiâ major egenorum turba confluxit, pretiosum quippe ibidem hujus liquoris alimentum, auxit turbam numerumq; poscentium. Tunc beatus oratione completa, signoq; crucis expresso, solitum sibi scripturæ sanctæ sermonem cunctis audientibus exprimens ait: Sit nomen Domini benedictum. Tunc cœpit oleum propriâ manu ministris implere portantibus, imitatus servus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare, sequensq; vestigia Salvatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dextræ sinistrâ nesciente fundebat. Completis itaq; vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium dum circumstantes tacitè mirarentur, unus eorum, cui nomen erat Biennius, magno timore perterritus exclamavit dicens, Domine mi, crescit hic cacabus olei, & in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, proditâ virtute, subtractus est. Cui statim Christi famulus exclamans ait: Quid fecisti frater? Obstruxisti commodum plurimorum, ignoscat tibi Dominus Jesus Christus. Sic aliquando mulier vidua debitis onerata, Helisei Prophetæ jussis instruitur, ex olei stillâ quam habebat, vasa replere quamplurima. Quod cum fecisset, &

adhuc

adhuc vasa à filiis deposceret, ubi audivit numerum defeciſſe vasorum, mox ſtetit oleum.

CAPUT XXIX.

PEr idem tempus Maximus Noricenſis, cujus fecimus ſuperius mentionem, fidei calore ſuccenſus, mediâ hyeme, qua regionis illius itinera gelu torpente clauduntur, ad beatum Severinum audaci temeritate, vel magis, ut poſtea claruit, intrepidâ devotione venire contendit, conductis plurimis comitibus, qui collo ſuo veſtes, captivis & pauperibus profuturas, quas Noricorum religioſa collatio congregaverat, bajularent, itaque profecti ad ſumma alpium cacumina pervenerunt, ubi per totam noctem nix tanta confluxit, ut eos magnæ arboris protectione vallatos, velut ingens fovea demerſos includeret. Et cum de vita ſua penitus deſperarent, vidit ductor comitum per ſoporem in effigie virum Dei, ſtantem ac dicentem ſibi: Nolite timere, pergite quo cœpiſtis. Hac verò revelatione protinus animati, cum cœpissent etiam fide magis quam greſſibus proficiſci, ſubitò divino nutu ingentis formæ urſus è latere veniens viam monſtraturus apparuit, qui ſe tempore hyemis ſpeluncis abditare conſuevit, & mox cupitum gerebat iter, & ducenta fere millia non ad ſiniſtram devians, non ad dexteram, viam demonſtravit optabilem. Tanta enim eos intercapedine præcedebat, quanta regente veſtigio ſemitam præpararet. Itaque progrediens beſtia per heremi vaſtitatem, viros, qui egenis deferebant ſolatia, non reliquit, ſed uſq; ad habitacula hominum, qua potuit, humanitate perduxit, & mox in unam partem officio divertit expleto, oſtendens tanto ducatus officio, quid homines hominibus præſtare debeant, quantumque charitatis impendere, cum deſperantibus iter beſtia ſæva monſtraverit. Igitur cum ſervo Dei nunciarentur qui venerant, ait, Ingrediantur, quibus viam, qua venirent, urſus aperuit. Quo audito illi ſtupore repleti, mirabantur enim virum Dei referre id, quod in abſentia provenerat.

CAPUT XXX.

CIves item oppidi Lauriaci, & ſuperiores transfugæ caſtellorum, ad ſuſpecta loca exploratoribus deſtinatis, hoſtes, quantum poterant, humana ſollicitudine præcavebant. Quos ſervus Dei divinitatis inſtinctu commonitus, præſaga mente præſtruxit, ut omnem paupertatis ſuæ ſufficientiam intra muros concluderent, quatenus inimicorum feralis incurſio, nihil humanitatis inveniens, ſtatim fame compulſa immania crudelitatis cœpta deſereret. Hæc per triduum conteſtatus, adveſperaſcente jam die,

Valentem nomine monachum mittens ad ſanctum Conſtantium ejusdem loci pontificem, & ad cæteros commanentes. Hac, inquit, nocte diſpoſitis per muros ex more vigiliis diſtrictius excubate, ſupervenientis hoſtis caventes inſidias. At illi nihil adverſi per exploratores ſentire ſe affirmabant. Sed Chriſti præco præmonere non deſinens, dubitantibus voce magna clamabat, eadem nocte eos aſſerens capiendos, niſi imperiis fideliter obedirent, ſæpius repetens, me, inquit, lapidate, ſi mentitus fuero. Itaq; tandem aliquando muris invigilare compulſi, expleta conſueti operis in noctis principio pſalmodia, cum celeberrimo cœpisſent vigilare concurſu, acervus fœni cominus poſitus, ex facula bajuli nolentis accenſus, lumen, non incendium reddidit civitati. Qua occaſione vociferantibus cunctis, hoſtes ſylvarum occultatione morantes, ſubito ſplendore clamoreque perterriti, putantes ſe præcognitos quieverunt, ac mane facto circumdantes civitatem & ubique diſcurrentes, cum nihil victualium reperiſſent, diripuerunt animalium gregem cujusdam hominis, qui ſervo Dei prædicente contumax, ſua fugare contempſerat, & receſſerunt. Illis autem abeuntibus cives portas egreſſi, haud procul à muris ſcalas jacentes inveniunt, quas ad urbis excidium præparantes barbari, vigilantium clamore turbati in nocte jactaverant. Quapropter memorati cives veniam à Chriſti famulo precabantur humiliter, confitentes corda ſua lapidibus eſſe duriora, qui rebus præſentibus agnoverunt in ſancto viro gratiam viguiſſe propheticam, atq; in uno impetu eſſet plebs inobediens univerſa captiva, niſi eam liberam viri Dei conſueta conſervaſſet oratio, Jacobo Apoſtolo proteſtante, Multum, inquit, valet deprecatio juſti aſſidua.

CAPUT XXXI.

FEletheus Rugorum Rex, qui & Fava, audiens cunctorum reliquias oppidorum, quę barbaricos evaſerant gladios, Lauriacū ſe per Dei famulum contuliſſe, aſſumpto veniebat exercitu, cogitans repente detentos abducere, & in oppidis ſibi tributariis atq; vicinis, (ex quibus unum acceperat Favianis) quæ à Rugis tantummodo dirimebantur Danubio, collocare. Quamobrem graviter univerſi turbati, ſanctum Severinum adiêre ſuppliciter, ut in occurſum regis egrediens, ejus animum mitigaret. Cui tota nocte feſtinans, in viceſimo ab urbe milliario matutinus occurrit. Rex ergò adventum ejus protinus expaveſcens, teſtabatur illius ſe fatigatione plurimum prægravatum, cauſſam repentinæ curſionis inquirit. Cui ſervus Dei, Pax tibi, inquit, Rex optime, Chriſti legatus advenio, ſubditis veniam precaturus. Recole gratiam, divina beneficia recordare, quibus pater tuus ſe frequen-

frequenter ſenſit adjutum. Nam cunctis regni ſui temporibus nihil me inconſulto gerere præſumebat. Qui monitis non reſiſtens ſalutaribus, crebris proſperitatibus recognovit, quanti valeret obedientis animus, quantumq; triumphatoribus proſit, ſuis non tumêre victoriis. Et Rex, inquit, hunc populum, pro quo benivolus precator accedis, non patiar Alamannorum aut Thuringorum iniquorum ſævâ deprædatione vaſtari, vel gladio trucidari, aut in ſervitio redigi, cum ſint nobis oppida & caſtella, in quibus debeant ordinari. Cui ſervus Chriſti conſtanter ita reſpondit, Nunquid arcu tuo & gladio homines iſti à prædonum vaſtatione creberrima ſunt erepti, & non potius Dei munere, ut tibi pauliſper obſequi valeant reſervatiùs? Nunc ergò Rex optime conſilium meum ne reſpuas, fidei meæ hos committe ſubjectos, ne tanti exercitus compulſione vaſtentur potius quam migrentur: Confido enim in Domino meo, quod ipſe, qui me fecit horum calamitatibus intereſſe, in ducendis eis idoneum faciet promiſſorum. His auditis, Rex modeſtis legationibus mitigatus, cum ſuo remeavit exercitu. Igitur Romani, quos in ſua ſanctus Severinus fide ſuſceperat, deſcendentes de Lauriaco pacificis diſpoſitionibus, benivolâ cum Rugis ſocietate vixerunt. Ipſe verò Favianis degens in antiquo ſuo monaſterio, nec admonere populos, nec prædicere futura ceſſabat, aſſerens univerſos in Romani ſoli provinciam abſq; ullo libertatis migraturos incommodo.

CAPUT XXXII.

HIſdem temporibus Odobagar Rex ſancto Severino familiares litteras dirigens, ſi qua ſperanda duceret, dabat ſuppliciter optionem, memor illius præſagii, quo eum expreſſerat quondam regnaturum. Tantis itaq; ſanctus alloquiis invitatus, Ambroſium quendam exulantem rogat abſolvi. Cujus Odobagar gratulabundus paruit imperatis. Quodam etiam tempore dum memoratum regem multi nobiles coram ſancto viro humana, ut fieri ſolet, adulatione laudarent, interrogat, quem regem tantis præconiis prætuliſſent, reſpondentibus Odobagarum Regem. Odobagar, inquit, interim inter tredecim & quatuordecim annos videlicet integros regnabit, finem verò regni ejus ſignificans, & his dictis adjecit, citius illos, quod ipſe prædixerat, probaturos.

CAPUT XXXIII.

AB oppidaneis Comagenſibus, apud quos primum quondam innotuerat beatus Severinus, ſuppliciter rogatus advenit. Cujus compertâ præſentiâ, unus ex optimatibus Felethei Regis filium ſuum adoleſcentem diuturno languore vexatum, cui

jam

jam parabat exequias, transjecto Danubio pedibus ejus projecit, & lacrymans, credo, inquit, homo Dei, te filio meo velocem impetrare divinitus posse sanitatem. Tunc data oratione, qui semivivus allatus fuerat, statim patre mirante surrexit, & perfecta protinus revertitur sanitate.

Caput XXXIV.

Elephantiosus quidam, Telo nomine, de longinquis regionibus sancti Severini invitatus virtutibus venit, rogans ejus orationibus mundari. Accepto itaq; ex more præcepto, jubetur Deum totius gratiæ largitorem sine cessatione lacrymabiliter exorare. Quid plura? precibus beati viri idem leprosus divina opitulatione mundatus, dum commutat mores in melius, mutare meruit & colorem, regis æterni magnalia tam suis quam plurimorum vocibus longè lateq; denuncians.

Caput XXXV.

Bonosus quoq; monachus beati Severini, barbarus genere, qui responsis ejus inhærebat, oculorum imbecillitate plurimum prægravatus, medelam sibi præstari ejus oratione poscebat, ægrè ferens adventitios & externos salutaris gratiæ sentire præsidia, sibiq; nullam remediorum opem aliquatenus exhiberi. Cui servus Dei, non tibi, inquit, expedit fili corporeis luminibus aciem habere perspicuam, & exterioris oculi clarum præferre conspectum, ora magis, ut obtutus vegetetur interior. Talibus ergò monitis informatus, dedit operam corde magis videre quam corpore, meruitq; absque ullo fastidio mirabiliter in orationibus perfici jugitate continuus, & per quadraginta fere annos in monasterii excubiis perseverans, eodem, quo conversus est, fidei calore transivit ad Dominum.

Caput XXXVI.

In loco Boitro superius memorato, quosdam tres monachos sui monasterii doctor humilis superbię fœditate respersos, dum pro suis singulos excessibus increpatos, durare in pernicie comprobasset, oravit, ut eos Dominus in adoptionem recipiens filiorum, paterno dignaretur flagello corripere. Prius ergò quam orationem effusis lacrymis terminaret, uno momento iidem monachi dæmone corripiente vexati, contumaciam suam pectorisque fastum, ac superbiam cordis miserabilibus vocibus fatebantur. Absit, ut cuiquam hoc crudele videatur aut noxium, quia traditi sunt hujusmodi Satanæ in interitum carnis, sicut docet beatus Apostolus, ut spiritus salvus sit in die Domini

nostri

noſtri Jeſu Chriſti, cum beatus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ſervum Stiliconis, auctorem falſarum epiſtolarum deprehenſum, dixerit oportere tradi Satanæ, ne talia impoſterum auderet admittere, quem eodem momento, cum adhuc ſermo eſſet in ore ſacerdotis, ſpiritus immundus arreptum cœpit diſcerpere. Severus quoq; Sulpitius refert ex relatione Poſthumiani, virum quendam magnis virtutibus ſignisq́; mirabilem, ad expellendam de corde ſuo jactantiæ vanitatem quam incurrerat, exoraſſe, ut permiſſa in ſe menſibus quinq; diaboli poteſtate, ſimilis his fieret, quos ipſe curaverat. Idem poſt pauca, Itaq; correptus à dæmone, tentus in vinculis, omnia, quæ energumeni ferre ſolent, perpeſſus, quinto demum menſe curatus eſt, non tantum à dæmone, ſed quod illi erat utilius atq; optatius, ab elationis vanitate. Prædictos itaque monachos vir Dei delegatos fratribus per dies quadraginta arduis abſtinentiæ remediis mancipavit. Quibus expletis, datâ ſuper eos oratione, à poteſtate dæmonis eruit, nec ſolùm corporis ſanitatem, ſed & mentis impertit. Quo facto ſancto viro reverentia & terror accrevit, & cæteros major diſciplinæ metus obtinuit.

Caput XXXVII.

MArcianum monachum, qui poſtea presbyter ante nos monaſterio præfuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat. Et cum dies tertius laberetur, ait fratribus, Orate chariſſimi, quia gravis hac horâ Marcianum tribulatio comprimit & Renatum, de quâ tamen citius Chriſti liberabuntur auxilio. Tunc monachi quæ ab eo dicta ſunt protinus annotantes, illis poſt menſes plurimos redeuntibus, diem horamq́; periculi quâ barbaros evaſerant, indicantibus, ſicut ſignaverant, approbaverunt.

Caput XXXVIII.

ITem beatiſſimus Severinus monacho Urſo nomine, repente præcepit quadraginta dierum diſtrictiore jejunio, venturæ calamitati, abſtinentia ciborum & lamentis occurrere, dicens: Imminet tibi corporale periculum, quod Dei præſidio parvi panis & aquæ remediis expiabis. Quadrageſimo itaq; die mortifera papula in brachio jejunantis apparuit, quam mox ad ipſum ingreſſus ſuppliciter demonſtravit. Cui ſanctus Dei famulus, Noli metuere prænunciatum tibi ante dies quadraginta diſcrimen, ſtatimq́; propria manu ſigno crucis obducto, mirantibus, qui aderant, papula lethalis evanuit. Hoc unum de domeſticis ſanitatibus narrare ſufficiat, prolixi operis faſtidium declinando. Nam ſæpius ſuorum ægritudines monachorum Chriſto ſibi revelante prænuncians, hiſdem quibus prævidebat muneribus & ſanabat.

Caput

Caput XXXIX.

A Diſcipulorum ſuorum quoq; cellulâ ſpiritualis doctor non longius habitabat, in orationibus & abſtinentia jugiter perſeverans, cum quibus tamen matutinas orationes, & propriam noctis principio pſalmodiam ſolemniter adimplebat, reliqua verò orationum tempora, in parvo complebat oratorio, quo manebat. In quibus ſæpe cœleſtibus informabatur oraculis, multa futura per Dei gratiam prædicabat, multorum etiam occulta cognoſcens, ut opus erat, proferebat in medium, & ſingulis remedia, prout poſcebat modus ægritudinis, providebat. Stratus ejus unum erat in oratorii pavimento cilicium, omni tempore ipſo quo veſtiebatur amictu, etiam dum quieſceret utebatur. Nunquam ante ſolis occaſum niſi certa ſolvit feſtivitate jejunium. Quadrageſimæ verò temporibus una per hebdomadem refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat. Aliena quaſi propria errata deflens, quibus poterat præſidiis temperabat.

Caput XL.

DEinde poſt multos agones & diuturna certamina, cum ſe beatus Severinus de hoc ſæculo tranſiturum Deo revelante ſenſiſſet, memoratum Rugorum regem Favam cum uxore ejus crudeliſſima nomine Giſa ad ſe venire commonuit. Quem cum ſalutaribus exhortatus eſſet affatibus, ut ita cum ſibi ſubjectis ageret, quo ſe jugiter cogitaret pro ſtatu regni ſui rationem Domino redditurum, aliisq; verbis intrepidè monuiſſet, protenta manu regis pectus oſtendens, reginam interrogationibus arguebat his: Hanc, inquit, animam Giſa an aurum argentumq; plus diligis? Cumq; illa maritum ſe diceret cunctis opibus anteferre, Vir Dei ſapienter: Ergò, inquit, deſine innocentes opprimere, ne illorum afflictio veſtram magis diſſipet poteſtatem, etenim tu ſæpe manſuetudinem regis convellis. At illa, Cur, inquit, nos ſic accipis ſerve Dei? Cui ipſe, Conteſtor, ait, vos ego humilis, jam profecturus ad Deum, ut ab iniquis actibus temperantes, piis mores honeſtetis operibus. Huc uſque regnum veſtrum auctore Domino proſperatum eſt, jam ex hoc vos videritis. His monitis Rex cum conjuge ſufficienter inſtructi, valedicentes ei profecti ſunt. Tunc ſanctus non deſinebat de ſuę migrationis vicinia ſuos alloqui dulcedine charitatis, quod quidē facere nec ante ceſſaverat. Scitote, inquit, fratres, ſicut filios Iſraël conſtat ereptos eſſe de terra Ægypti, ita cunctos populos terræ hujus, oportet ab injuſta barbarorum dominatione liberari. Etenim omnes cum ſuis facultatibus de his oppidis emigrantes, ad Romanam provinciam abſq; ulla ſui captivitate pervenient. Sed memētote præcepta ſancti Joſeph Patriarchæ, cujus ego vos indignus & infimus atteſtatione convenio,

venio, visitatione visitabit vos Dominus, & tolletis ossa mea hinc vobiscum, quod non mihi, sed vobis est profuturum. Hæc quippe loca nunc frequentata cultoribus, in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes æstimantes auri se quippiam reperturos etiam mortuorum sepulturas effodiant. Cujus vaticinii veritatem eventus rerum præsentium comprobavit. Levari ergò suum corpusculum pater sanctissimæ probitatis providis argumentis præcepit, ut dum generales populi transmigrationes provenissent, indivisa fratrum, quos adquisierat, congregatio proficiscens, obtentu memoriæ ejus in uno societatis vinculo permaneret.

Caput XLI.

Diem etiam, quo transiturus esset idem beatus Severinus è corpore, ante duos & amplius annos, hac significatione monstravit. Epiphaniorum die cum sanctus Lucillus presbyter abbatis sui sancti Valentini, Retiarum quondam Episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturus sollicitus intimasset, idem famulus Dei ita respondit: Si beatus Valentinus hęc tibi celebranda solemnia delegavit, ego quoq; tibi in eodem die vigiliarum mearum studia observanda migraturus è corpore derelinquo. Ille his sermonibus tremefactus, cum se magis, utpote homo decrepitus, enixius commendaret, quasi primitus transiturus, adjecit: Hoc erit, sancte presbyter, quod audisti, nec enim Domini constitutum humana voluntate præteriet.

Caput XLII.

Præterea cum Friderichus à fratre suo Rugorum Rege Fava ex paucis, quę super ripã Danubii permanserant, oppidis unũ acciperet Favianis, juxta quod sanctus Severinus, ut retuli, commanebat, & ad eum idem Friderichus ex more salutaturus accederet, cœpit ei miles Christi iter suum enixius indicare, sub contestatione hæc proloquens, Noveris me, inquit, quantocyus ad Dominum profecturum, & idcirco commonitus præcaveto, ne me discedente aliquid horum, quæ mihi commissa sunt, attaminare pertentes, & substantiam pauperum captivorumque contingas, indignationem Dei, quod absit, tali temeritate sensurus. Sed Friderichus insperatâ commonitione perculsus, cur, inquit, hac contestatione confundimur, cum non optemus tantis orbari præsidiis, & sanctæ largitioni tuæ, quæ omnibus nota est, conferre aliquid nos deceat, non auferre, quatenus solitâ, sicut & pater noster Flaccitheus, tuâ merear oratione muniri, qui experimento didicit sanctitatis tuæ meritis se fuisse semper adjutum. Et ille, qualibet, inquit, occasione meam cellulam volueris lædere, & hîc

ſtatim probabis,& in futuro ſolves,quam non opto,vindictam. Tunc Friderichus promittens ſe Chriſti famuli monita ſervaturum,remeavit ad propria. Doctor verò dulciſſimus non ceſſabat ſuos alloqui per monita diſcipulos, dicens, Confido de gratiâ Chriſti mei Jeſu,quia vobis in opere ſuo durantibus, & meæ memoriæ pacatâ ſocietate conjunctis,æternæ vitæ bona tribuet, nec ſolatia præſentium denegabit.

Caput XLIII.

NOnis itaq; Januariis cœpit tenuiter lateris dolore pulſari,quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adeſſe præcepit, quos de corpore ſuo commonens, & paternâ informatione corroborans inſtanter ac mirabiliter talia proſecutus ajebat,Filii in Chriſto chariſſimi, ſcitis quod beatus Jacob conditione mortis inſtante,filios ſuos adeſſe præcipiens,propheticæ benedictionis affatibus ſingulos quosq; remunerans, myſteriorum arcana prodidit futurorum. Nos verò infimi ac tepidi, tantæque impares pietati, hanc prærogativam noſtris uſurpare viribus non audemus, unum tamen, quod humilitati congruit, non tacebo, mittens vos ad exempla majorum, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem, Abraham namque vocatus à Domino,fide obedivit,ut exiret in locum, quem accepturus erat in poſſeſſionem, & exiit neſciens quo venturus eſſet. Hujus igitur beati patriarchæ imitamini fidem, imitamini ſanctitatem, terrenam deſpicite patriam, cœleſtem ſemper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra provenient. Video enim vos gaudiũ meum fervore ſpiritus ampliaſſe, amare juſtitiam, fraternæ charitatis vincula diligere, caſtitati operam dare, humilitatis regulam cuſtodire, hæc quantum ad hominis ſpectat intuitum, laudo confidenter & approbo. Sed orate, ut quæ humanis aſpectibus digna ſunt, æternæ diſcretionis examinatione firmentur,quia non,ſicut videt homo,videt Deus. Ille ſiquidem,ſicut divinus ſermo denunciat, omnia corda ſcrutatur, & omnium mentium cogitationes antevenit. Aſſiduis ergò precibus hoc orate,ut oculos cordis veſtri Dominus illuminet,eosq;,ſicut oravit beatus Heliſeus,aperiat, quo poſſitis agnoſcere,quanta nos circumſtent adjumenta ſanctorum,quanta fidelibus auxilia præparẽtur,Deus enim noſter ſupplicibus appropinquat. Non deſit militantibus jugis oratio,non pigeat agere pœnitentiam, quos non puduit facinus perpetrare, non pigeat lugere peccantes, ſi quomodo offenſa divini judicii lacrymarum veſtrarum inundatione placetur, quia ſpiritum contribulatum ſuum eſt dignatus vocare ſacrificium. Simus igitur corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia præcaventes,ac divinorum ſem-

per

per memores mandatorum, ſcientes non prodeſſe nobis cum humilitate veſtis nomen monachi, vocabulum religionis, ſpeciem pietatis, ſi circa obſervantiam degeneres inveniamur & reprobi. Mores igitur, filii chariſſimi, propoſito ſuſcepto conſentiant, grande nefas eſt peccata ſectari hominem ſæcularem, quanto magis monachos, qui blandimenta ſæculi quaſi atrocem beſtiam fugientes, Chriſtum cunctis affectibus prætulerunt, quorum inceſſus & habitus creditur eſſe documentum. Sed quid vos ultra demoror, filii chariſſimi, longi ſermonis affatu? Supereſt, ut beati Apoſtoli ultimâ oratione vos perſequar, ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo, & veræ gratiæ ejus, qui potens eſt conſervare vos, & dare hæreditatem in ſanctificationibus. Ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPUT XLIV.

POſt hujuſmodi igitur ædificationis alloquium, cunctos per ordinem ad oſculum ſuũ juſſit accedere, & ſacramento communionis accepto fleri ſe penitus prohibet, totumque corpus ſigno crucis extenta manu conſignans, ut pſallerent imperavit. Quibus mœroris effuſione cunctantibus, ipſe pſalmum protulit ad canendum, Laudate Dominum in ſanctis ejus, omnis ſpiritus laudet Dominum. Sextis itaque Januarii Idibus, nobis vix præ fletu reſpondentibus, in hoc verſiculo quievit in Domino. Quo ſepulto, credentes omnimodo ſeniores noſtri, quæ de transmigratione prædixerat, ſicut & multa alia, infecta præterire non poſſe, locellum ligneum paraverunt, ut cum prænunciata populi transmigratio proveniſſet, prædictoris imperata complerent.

CAPUT XLV.

FRiderichus verò beati Severini morte comperta, pauper & impius, barbarâ cupiditate ſemper immanior, veſtes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui ſceleri ſacrilegium copulans, calicem argenteum, cæteraq; altaris miniſteria præcepit auferenda. Quæ cum impoſita eſſent ſacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus ſuas manus extendere, quendam militem Avicianum nomine compulit diripere memorata. Qui quamvis invitus præcepta perficiens, mox tamen inceſſabiliter vexatus omnium membrorum tremore, dæmonio quoque corripitur. Is ergò velociter conſilio meliore correxit errata, ſuſcepto namq; profeſſionis ſanctæ propoſito, in inſulę ſolitudine armis cœleſtibus mancipatus, militiæ commutavit officium. Friderichus autem immemor conteſtationis & præſagii ſancti viri, abraſis omnibus monaſterii rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimiſit. Sed mox in

eum ultio denunciata pervenit, nam intra menſis ſpatium à Fridericho fratris filio interfectus, prædam pariter amiſit & vitam. Quapropter Rex Otachar Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis, & Fridericho fugato, patre quoque Fava capto, eum ad Italiam cum noxiâ conjuge ſupra memoratâ, videlicet Giſa transmigravit. Poſt audiens idem Odachar Friderichum ad propria revertiſſe, ſtatim fratrem ſuũ miſit cum multis exercitibus Aonulfum, ante quem denuo fugiens Friderichus, ad Theodoricum regem, qui tunc apud Novam civitatem provinciæ Meſiæ morabatur, profectus eſt, Aonulfus verò præcepto fratris admonitus, univerſos juſſit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ tamquam de domo ſervitutis Ægyptiæ, ita de quotidianâ barbarie frequentiſſimæ deprædationis educti, ſancti Severini oracula cognoverunt. Cujus præcepti non immemor venerabilis noſter presbyter Lucillus, dum univerſi per comitem Pierium compellerentur exire, præmiſſa cum monachis veſperæ pſalmodiâ, ſepulturæ locum imperat aperiri. Quo patefacto, tantæ nos ſvavitatis flagrantia omnes circumſtantes accepit, ut præ nimio gaudio atq; admiratione proſterneremur in terram; deinde humaniter æſtimantes oſſa funeris invenire disjuncta, nam annus ſextus depoſitionis ejus effluxerat, integram corporis compagem reperimus. Quo miraculo, immenſas gratias retulimus omnium conditori, quia cadaver ſancti, in quo nulla aromata fuerunt condita, cum barbâ pariter & capillis usq; ad illud tempus permanſiſſet illæſum. Linteaminibus igitur immutatis, in loculo multo jam tempore ante præparato funus includitur, carpentum trahentibus equis mox evehitur, cunctis nobiſcum provincialibus idem iter agentibus, qui oppidis ſuper ripam Danubii relictis, per diverſas Italiæ regiones varias ſuæ permigrationis ſortiti ſunt ſedes. Sancti itaq; corpuſculum ad caſtellum nomine Montem Feletem multis emenſis regionibus apportatum eſt.

CAPUT XLVI.

PEr idem tempus multi variis occupati languoribus, & nonnulli à ſpiritibus immundis oppreſſi, medelam divinæ gratiæ ſine ulla mora ſenſerunt. Tunc & mutus quidam ad id caſtellum ſuorum miſeratione perductus eſt, qui dum in oratorium, quo ſancti viri corpuſculum ſuper carrum poſitum adhuc permanebat, alacer perveniſſet, ac ſub eo clauſo oris ſui oſtio in cordis cubiculo ſupplicaret, illico lingua ejus in oratione reſoluta laudem dixit Altiſſimo. Cumq; reverſus ad hoſpitium, quo ſuſcipi conſveverat, interrogatus fuiſſet ex more, nutu ſignoq; pulſatus, & oraſſe ſe, & laudẽ Deo obtuliſſe clarâ voce reſpondit. Quo loquente pavefacti, qui eum noverant, ad oratorium cum clamore curren-

currentes, ſancto Lucillo presbytero, ſimulq; nobis, qui cum illo eramus, ignorantibus quid evenerat, indicarunt. Tunc omnes exultantes in gaudio, divinę clementię gratiarũ retulimus actiones.

CAPUT XLVII.

IGitur illuſtris fœmina Barbaria beatum Severinum, quem fama vel litteris cum ſuo quondam jugali optimè noverat, religioſa devotione venerata eſt. Quæ cum poſt obitum ejus audiens corpuſculum ſancti in Italiam multo labore perductum, & uſq; ad illud tempus terræ nullatenus commendatum, venerabilem presbyterum noſtrum Martianum, ſed & cunctam congregationem litteris frequentibus invitavit. Tunc ſancti Gelaſii ſedis Romanæ Pontificis auctoritate, & Neapolitano populo exequiis reverendis occurrente, in caſtello Locullano per manus ſancti Victoris Epiſcopi, mauſoleo, quod prædicta fœmina condidit, ex parte collocatum eſt. Qua celebritate multi languoribus diverſis afflicti, quos recenſere longum eſt, receperunt protinus ſanitatem. Inter quos quædam venerabilis ancilla Dei Proceſſa nomine, civis Neapolitana, cum graviſſimum ægritudinis pateretur incommodum, ſancti funeris provocata virtutibus, in itinere properanter occurrit, ingreſſa ſub vehiculum, quo corpus venerabile portabatur, ſtatim caruit omnium languore membrorum. Tunc & Laodicius quidam cæcus, inopinato pſallentis populi clamore perculſus, ſollicitè ſuos, quid eſſet, interrogat, reſpondentibus, quod cujusdam ſancti Severini corpus tranſiret, compunctus ad feneſtram domus, in qua manebat, ſe duci rogat, de qua poterat à ſanis eminus multitudo pſallentium atq; vehiculum ſancti corporis contemplari. Cumq; feneſtræ enixius incumberet atq; oraret, protinus proſpicit ſigillatim demonſtrans omnes notos atq; vicinos. Quo facto, cuncti, qui audierant, gratias Deo lacrymantibus gaudiis retulerunt. Marinus quoq; primicerius ſanctæ eccleſiæ Neapolitanæ cum ſanitatem poſt immaniſſimum capitis dolorem recipere non poſſet, caput vehiculo credens appoſuit, & mox à dolore liberum ſublevavit, memorq; illius beneficii, ſemper in die depoſitionis ejus occurrens, devotum ſacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat. Verum multis plura ſcientibus, ſufficiant iſta de innumeris, quæ in ingreſſu ejus geſta ſunt, beneficiorum virtutumq; retuliſſe miracula. Monaſterium igitur eodem loco conſtructum ad memoriam beati viri hactenus perſeverat, cujus meritis multi obſeſſi à dæmonibus curati ſunt, & diverſis obſtricti languoribus receperunt ac recipiunt operante Dei gratia ſanitatem: Cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

SCHOLIA IN VITAM S. SEVERINI, ab Eugippio scriptam.

AD PRÆFATIONEM.

EX *inscriptione pâret, hanc Paschasii diaconi esse, cui Eugippius Severini vitâ commentarii, sive, ut ipse loquitur, commemoratorii vice transmiserat, rogans pro illorum temporum modestiâ, ut diligenter politam, & copiosè ornatam, in litteras referre vellet : at eam Paschasius provinciam deprecatus, caussam addidit*, quia tu hæc, quæ me narrando poscebas, elocutus es simplicius, explicasti facilius, nihil adjiciendum labori vestro studio nostro credidimus. *Deceptus ergò Vigul. Hund, qui in metrop. Salisburgensi prodiderit, Paschasium diaconum scripsisse Severini vitam, ad petitionem Eugippii.*

AD PRIMUM CAPUT.

Attila Rex Hunnorum defunctus est) *Anno Christi 454. aut si forte uno alterove prius, neq; enim auctoribus admodum convenit.*

Inter filios ejus de obtinendo regno magna sunt exorta certamina) *Hæc fusius apud Jornandem de rebus Geticis*, Ut solent animi juvenum ambitu potentiæ concitari, inter successores Attilæ de regno orta contentio est, & dum inconsultè imperare cupiunt cuncti, omnes simul imperium perdidêre. Sic frequenter regna gravat plus copia quam inopia successorum. *Filiorum autem Attilæ ex innumeris uxoribus, ut hic ait*, per licentiam libidinis pæne populus fuit. *Maximus natu Ellac nomine.*

De partibus orientis) *Oriens postremis rei Romanæ temporibus triplici fere significatione acceptus, sive pro omni eo terrarum spatio, quod ad Constantinopolitanum, hoc est, orientis imperium pertinebat, sive pro parte illius imperii, quæ sub proprio Præfecto Prætorio quinq; diœceses complectebatur, sive etiam deniq; pro unâ istarum quinq; diœcesium, cui quindecim provinciæ inerant, puta Palæstina, Phœnice, Syria, & reliquæ in Notitiâ enumeratæ, ex quâ hæc divisio petita est. Isto loco si primam, eamq; maximè universalem orientis interpretationem accipimus, minimè errabimus.*

In vicinis ripensis & Pannoniorum partibus) *Liquet legendum* in vicinis Norici ripensis, *uti habet Lazius Comment. Reip. Rom. lib. 12. sect. 6. cap. 8. ubi plura Eugippii verba refert, atq; ea vocula tuto interseri poterat, nisi nobis in præfatione legem præscripsissemus, in hominum locorumq; nominibus nihil mutare. Noricum autem ripense est, quidquid ab Œno, Rætiarum & Vindelicia termino ad Pannones usque in Danubii ripâ jacet.*

Asturis) *Surius legit Casturis: ego nostram lectionem præfero, quoniam in Notitiâ sub Duce Pannoniæ primæ & Norici ripensis Austuris invenio, ubi Ortelius in thes. Asturis agnoscit. Aventinus Annal. 2. Asturum in confinio Norici ripensis & Pannoniæ oppidum tunc periisse scripsit. Cuspinianus in Austriæ descript. vitâ S Colomanni, Asturum nunc Stokerau esse. Lazius Castuns hic. paulò pòst Casturis legit. & primo quidem loco Castuns corruptè pro Augustis, secundo Casturis pro castris scriptum opinatur, ut scilicet Castra Augusta aut Augustana significentur: Sed hæc audax, & infelici nimium conatu huc detorta conjectura.*

Commagenis) *Rectius alii Comagenis, puta castris. Horum meminere Notitia & Antoninus. Multa de iis Lazius, hodie Holenburg vocari ad ripam Danubii octavo aut nono supra Viennam milliario, & ad Frisingensis Episcopi ditionem pertinere. Cuspiniano Kaumberg videbatur, quod Lazius minus probat.*

Hoc

Hoc barbarorum intrinsecus consistentium, qui cum Romanis fœdera inierant, custodia servabatur arctissima) *Quam misera & deplorata illis temporibus harum provinciarum fuerit conditio, ex isto uno fœdere satis superq; colligi poterat, nisi reliqua omnis historia in id argumentum conspiraret. Romanos verò accipio tum præsidiarios milites, tum provinciales etiam omnes.*

AD CAPUT III.

Civitatem nomine Favianis) *Surio, & Lazio Comment. lib. 12 sect. 3. c. 7. Item sæpe libris rer. Viennens. Fabianis, quam ego differentiam tanti non æstimem, notum quippe B & V. vicissim commutari. Cuspinianus Flavabis Gothico vocabulo dictam scripsit, persuasus opinor à codice parum emendato. In confesso, quod pluribus ostendit Lazius, Fabianis, truncatis extremis utrimq; syllabis, & A in E. mutatâ, Wien vulgo esse, Vindobona aliàs; Castra Fabiana dicta à cohorte fortassis Fabiâ aut Fabianâ, quam stativa ibi habuisse antiqua inscriptio indicio, castrorum inde nomine obsolescente quod adsolebat, Fabianæ, aut Fabianorum verius, solùm mansit. Quæ de reliquis clarissimæ urbis nominibus Lazius disputat, scholiorum brevitas non capit. Istud capit, ut admoneam, hunc capite de Vindobonâ egregiè dormitasse, cum retulit Severinum à Gelasio Pontif. & Justiniano Imp. in Noricum & Pannoniam ad Feletheum Heruliorum Regem missum, quod nec verum est, nec per temporum rationem esse potuit.*

De partibus Retiarum) *Rhetiarum Sur. lapides antiqui Ratiam habent; quæ posterioribus temporibus, ut ex Notitiâ est intelligere, in primam & secundam secta, plurium numero appellari cœpit.*

Eni fluminis) *Melius Oeni, quidam Æni, Oenus Ratos à Noricis distinguit, & ad Batava miscetur Danubio, ad cujus ripam Fabiana, id est, Vienna.*

AD CAPUT IV.

Mamertinum percunctatus est, tunc Tribunum, qui post Episcopus ordinatus est) *Aventinus Mamertinum & Pierium Vindelicia & Norici præsides fuisse scripsit. De Pierio post videbimus. In Mamertino hunc Eugippii locum sequutus, male prorsus interpretatus est: liquet ex Notitiâ, quod ex rerum ipsa conditione intelligi poterat, multos fuisse per provinciarum præsidia Tribunos, uti Præfectos quoque, at Præsidem unum tantum. Lazius Mamertinum primum Vienna Episcopum hinc eruit, suffragatorem nactus ut ait; librum Chronicum bene veterem; cujus ego auctoritati eo minus debeo accedere, quod profectò Eugippius, si nostrum codicem sequimur, Mamertinum Episcopum ordinatum universè dixerit, de Fabianis nihil addiderit: Sin Surianum inspicimus, hunc in modum conceptum,* Mamertinum tribunum percunctatus est, utrum aliquos secum haberet armatos, *appareat illam de Episcopo narrationem ex glossemate irrepsisse, quod credibile natum occasione Mamerti, Viennæ in Gallia Episcopi, qui hoc ævo sanctitate celebris, illis maximè supplicationibus innotuit, quæ ante diem Ascensioni Christi sacrum celebrari consuevere. Meminere ejus Gregor. Turon. hist. Franc. lib. 2. c. 34. Ado Vien. in Chron. an 396. & 452. Sidonius in epistolis aliquoties, præter etiam alios multos.*

Dicuntia) *Sur. Taguntia Vestigent regionis periti, cuinam ad secundum à Vienna milliarium fluvio alterutrum ex his nominibus conveniat.*

Ad vineas) *Lazius comment. lib. 12. sect. 6. c 9. prodit, rudera cellæ S. Severini ad Vineas supereſſe in pago Siferingâ magno milliario à Vienna dissito, sub jugo Cetii vitifero. Villam Severini Cuspinianus appellat. pulchram, populosam, vineis & hortis exultam, quam ipsemet possidebat, veneratione memoriæ S. Severini ad eam emendam impulsus.*

Monasterium haud procul à civitate) *Lazius ait, haud procul à cella cœnobii rudera conspici. Sæpe verò posthac istius monasterii mentio, interdum nudè Monasterium nonnunquam Monasterium Favianis appellatur, cap. 22.* antiquum & omnibus majus monasterium suum, juxta muros oppidi Favianis.

Burgum oppidum) *Burgum Cuspinianus Burckensdorf interpretatur, & Flaccitheum Rugorum regem ibi habitasse asserit, credo iis adductus, quæ initio proximi capitis narrantur. At ea Burgi contigisse qui constat? Et contigerint Burgi, non consequitur Flaccitheum ibi habitasse, siquidem ad Severinum advenisse dicitur. Minimè verò omnium regia civitati conveniunt,*

quæ Eugippius, verba subdit, Burgum sæpius secedebat, ut hominum declinata frequentia, quæ ad eum venire consueverat, oratione continua Deo protinus inhæreret.

AD CAPUT V.

Rugorum) *Sur. Rugiorum; quæ præferenda scriptio, cum Tacitus libro de morib. German. Rugios ad Oceanum habeat. Inde illi profecti (quamquam non omnes, mansere enim reliquiæ in semen) prope Danubium consedere, Paulus Diacon. lib. 1. de gestis Langobard. cap. 19.* (Feletheus *Rugorum Rex Flaccitei filius*) illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius separat. *Aliquot interjectis versibus, eum tractum appellat* Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur. *Jornandes, describens provincias, à populis Attilæ parentibus post ejus obitum varie discerptas & occupatas*, Rugi verò aliæq; nationes nonnullæ Biozimetas, Scandiopolim, ut incolerent, petivere. *Quæ verborum monstra quid sibi velint, ego non capio: Neq; quorundam interpretatio, Biozimetas Europæ Scythiæ populos Scandiopolim habitare, videtur exsculpi posse, ut exsculpatur, vix intelligo quid id ad Rugios.*

Flacciteus) *Sur Flacitheus, infra cap. 8. Flaciteus, cap. 42. Flaccitheus; sed nimia forsan nostra diligentia, minutas hasce differentias in barbaris nominibus annotare.*

Gothos ex inferiore Pannoniâ) *Sur. Gotthos, quod non probo. Jornandes auctor, Gothos post Attilæ mortem Romanis volentibus in Pannoniâ consedisse, sub tribus Regibus fratribus*, nam Walemir inter Scarniungam & Aquâ nigram fluvios, Theodemir juxta lacum Pellodis, Widemir inter utrosq; manebat.

AD CAPUT VII.

Odavachar) *Cap. 32. Odobagar, c. 45. Otachar, Jornandi Odovacer, Surio Odoacer, quam usu dudum receptam orthographiam, quicquid de etymo sit, sequendam existimamus. Odoacer porro Anno Christi 476. Italiæ Rex appellatus.*

AD CAPUT VIII.

Felecteus quoq; Rex qui & Fava, memorati filius Flacitei) *Sur. Feletheum, uti quoq; Eugippius infra cap. 31. Paulus Diac. c. 19 Feletheum & Fethiam, Cassiodorus in consulibus Febanum, Aventinus Filitheum, Faviam & Favianum appellat.*

AD CAPUT IX.

In nundinis quæreret barbarorum) *Nundinæ non ex consuetudine latini sermonis, sed pro vico hic pagano accipiendæ, quod scilicet Germanis* Markt *appellentur tum nundinæ, tum vici ejusmodi, Emporium Græcorum.*

AD CAPUT X.

Hystri) *Surius rectè Istri.*

Scamaros) *Sur. hoc nomen omisit, quod nec gentis alicujus, sed latrocinii, etsi vim & originem non invenio. Est in Longobard. legib tit. 1. de publicis criminibus paragr. 5.* Si quis Scaram (*ubi quidam codices Scamuram*) intra provinciam celaverit, aut annonam dederit, animæ suæ incurrat periculum. *Germanis* Schar *turba est.*

AD CAPUT XI.

Nullum castellum barbarorum vitaret incursus) *Sensus apertus, nullum ex his castellis à barbarorum incursionibus fuisse eximium. At Sur.* barbarorum intraret incursus, *quod planè rejicerem, nisi didicissem ex primo cap. eo tunc has cisdanubianas provincias miseriarum recidisse, ut interdum finitimos etiam barbaros intra munitiones recipere coactæ, quorum præsidio nihilo tutius agerent, quam ovium greges lupis in caulas admissis. Et ne quis hæc nimium miretur, an non idem exemplum publicè provinciarum fuit, in quas Imperatores Gentes & Gentiles hoc est barbaros, tutelæ nomine admisere, at illi captata occasione veteres inde dominos exegere.*

Cucullis) *Sur. Cocullis, Lazius Catullis; quæ mihi lectio vix est. ut probari possit ineptis præsertim conjecturis firmata: nam quis sit credibile, castra Catulina à Valerio Catulino dicta, quem in has oras unquam venisse nemo serio affirmare queat! Spartianus in Juliano, eum à Severo successorem Severo in*

Illy-

Illyricum destinatum quidem ait, sed frustra, quod Severus jam antea captis armis desciviſſet. Est tamen mirum, quantopere nonnullos quantumvis absurda hujus generis fabulæ delectent. Lazius hodie Tulnam esse arbitratus.

Marciani post presbyteri nostri) *Hinc Lazius ausus asserere, Marcianum ex monacho cœnobii S. Severini Fabianensium Episcopum, proximè post Mamertinum constitutum, quod profectò Eugippius non scripsit.*

AD CAPUT XIII.

Oppidum, quod Juba appellatur) *Lazius legit unâ syllabâ auctius Juvavo, & Juvaviam interpretatur, at id mihi suspectum, Eugippium enim ab initio cap. 11. ad finem usque cap. 14. res in Norico ripensi gestas scribere existimo, quo Juvavia non pertinet: deinde, si narratio cap. 24 Juvaviam spectat, nam Lazio, Aventino & multis aliis videtur, nec ego præfracte negare ausim, clarum opinor Jubam hic aliam esse, Eugippius quippe iis ibi verbis utitur quæ urbi, de quâ jam antea sermo fuerit, non satis apte conveniant. Risi Lazium, qui in montium anfractu positam collegerit, ex iis, quæ de lapidibus eliciendo igni collisis narrantur. Ego, an extet, quæq; ea sit, amplius quærendum censeo.*

AD CAPUT XIV.

Opus sacrale) *Agnoſte vulgare* fronen *ad verbum opus sacrale* Fron-Arbeit *gloſſa ſpec. Saxon. lib. 1. artic. 53.* Fronbote: heiſt der Frone aus zweyerley Urſachen. Zum erſten: Der zu ſeinem Amt ſchweren muß. Zum andern, daß er GOttes Rächer iſt. *Sacrum ergò* Fron *eſt.*

AD CAPUT XV.

Quintanis) *Anton. Quintianis, Notitia Præfectum alæ 1. Flaviæ Ratorum ibi collocat. Kuntzen Aventino & Lazio, quibus hactenus accedo: At quod cum iſtis tum Panvinius, Coloniam Auguſtam Quinctanorum id loci ſomniant, nihil plane eſt, quo nobis perſuadeant; habeat vetus lapis & Nervæ nummus hoc nomen, docendum erat, id ad Quintana iſta caſtra pertinere, nam de cætero Quintanæ, Quintianæ, Quintianum in Italia etiam fuere, & plura ejusmodi alibi vel fuere, vel certè eſſe potuere.*

Secundarum municipium Retiarum) *Non neceſſe municipiorum conditiones ex antiquitate repetere, cum proprius uſus hujus vocabuli dudum ante iſtud ſcriptum exoluerit: Municipia poſtea dicta urbes, quarum exiguitas urbis aut civitatis nomen vix ſuſtineret. Secunda Ratia (Vindelicia olim) à lacu Brigantino ad Oenum pertingebat, nec ea appellatio, ut antiquiſſima ſit, Hadriano videtur anterior. Scio alios Ratiam ſecundam, ſive, quod idem fere eſt, Vindeliciam, Lyco & Oeno definire, quorum ſententiam, etſi in primis gravi auctore Ptolemæo nixam, nos nunquam probare potuimus, ſed cauſſas in hac ſcriptionis brevitate exequi longum. Ea ex Velſeri rerum Auguſtanarum Vind libro 1. petenda.*

Fluvius Quintana nomine) *Placet Surii Quintanica, nomen enim à Quintanis derivatum.*

AD CAPUT XVI.

Caſtelli) *Cogitent, quorum inter eſt, an hæc loquutio Coloniæ conveniat.*

Caſtelli presbyter memorati admodum venerabilis, Silvinus nomine) *Lazio Silvinus, Sylvinus & Sylvius, variè enim variis locis ſcribit. Magnam autem rerum eccleſiaſticarum imperitiam oſtendit, cum Sylvinum Epiſcopum nominat, qui caſtelli presbyter, & à Severino quidem conſecratum ait, cum Severinus, uti in præfatione docuimus, Epiſcopus ipſe nunquam fuerit. Minimè omnium ferendum, quod decipiendis lectoribus maximè valet, hæc tamquam ex Eugippio hauſta, proferri. Aventinus addit, templum id loci extare, ubi Sylvinus humatus colatur.*

AD CAPUT XVII.

Oppida vel caſtella) *Obſerva Eugippium oppida & caſtella diſtinguere, nec temerè per totam hiſtoriam confuſa reperies, quod vellem Lazius & alii quidam animadvertiſſent.*

Norici) *Cum ripenſis adjectio abeſt, fere mediterraneũ Eugippio ſignificat. Noricũ univerſum circumſcribitur à Ptolemæo occaſum verſus Oeno, ſeptentrionem Danubio fluviis ortum Cetio, meridiem Carvancas montibus provinciis vero, ad occaſum Ratiâ, Germaniâ magnâ ad ſeptentrionem, ad orientem*

& meridiem Pannoniâ atq; Italiâ: Ea pars, quæ ad Danubium vergit, ripensis, reliqua mediterraneum dicta est, Posterioribus sæculis (causſam non necesse nunc exquirere) Norico nomini adjecere barbari scriptores, quidquid Bojorum ditione contineretur, eum scilicet inprimis Rætiæ secundæ tractum, qui inter Oenum & Lycum, nam Paulus Diac. scripsit lib. 3. c. 19. Noricorum liquidem provincia, quam Bajoariorum populus inhabitat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Svaviam &c. *Guntherus Ligurini lib. 2.*

——— Qua Norica lambit
Rura Lycus ———

Et sunt multa in hanc sententiam passim obvia. Sed Eugippii ævo eam consuetudinem nondum tenuisse, quin illum Norici appellationem proprie usurpasse, certum fit ex cap primum 3. ubi narrat glacie Oeni fluminis soluta rates ex Rætiis in Danubium delatas, quod fieri non poterat, si utrag; Oeni ripa Norica, deinde ex cap. 15. ubi Quintana, quæ inter Lycum & Oenum sita, secundarum Ratiarum municipium appellat.

Tiburnia) *Sur. Tigurina, Lazio Tiberina & Tiberia. Ut Surii lectionem veram præstare nolim, ita nostram & Lazianas falsas esse nihil dubito. Erroris causſas has deprehendi; cum cap. 21. Tigurina Norici metropolis dicatur, Reginoburgum autem sive Ratisſona Bojorum itidem, aut quod pro usu temporum eundem sensum habuit, Norici ducatus metropolis fuerit, sic enim appellat Otto Friſing de reb. gestis Friderici primi lib. 2. c. 6. & 28. atq; Guntherus lib. 1.*

——— hac Noricus urbe ducatus
Præcipua gaudet ———

Porrò Reginoburgum Tiburniam (Tiberinam opinor rectius) à Tiberio olim dictam, diploma Leonis III. Pont. quod apud monachos S. Emmerani est, confirmet, neutiquam visum dubitabile, Eugippium de ea loquutum esse: Leviter profectò, nam Reginoburgum inter Lycum & Oenum sita, proximum proinde scholium evincit Eugippii ætate ad Rætiam, non ad Noricum pertinuisse. Aventinus Tiburniæ nomen agnoscit, verum caput extitisse ait Norici, quod Charini, Charliones & Carni nunc possident, *non prorsus male; etsi hi populi antiquum Noricum neq; solùm, neq; soli obtinent, certum est tamen, magnam illos ejus partem obtinere. Cæterum an hæc civitas mutato nomine adhuc superstit an perierit an cum Teurniâ, cujus Plinius & Ptolemæus in Norico meminere, quidquam commune habuerit, non habeo asserere. Aventinus quidem, Tiburniæ vestigia apud Charionas supereſſe, regionis peritos affirmare ait Annal. 2. in Tiberio, Editionis Germanicæ libro item 2. interpretatur* S. Vieti in Kernten.

AD CAPUT XVIII.

Ex oppido Lauriaco) *Quidam Laureacum usurpant, & ita in antiquo lapide legi affirmant. Sæpe id nomen Anton. habet & Notitia, quæ præter classem & militare præsidium, scutariam ibi fabricam constituit. Lorch videtur Simlero, qui ad Anton. itinerarium scripsit, Ensium Lazio multis argumentis, vulgo nimirum postremas tantum Laureacensium syllabas assequente. Cum verò Noricum in duas provincias sectum, duos præsides acceperit, quod ex Notitiâ constat, Laureaci ripensis Norici Præsidem conventus egisse valde est credibile, atq; eò facit, quod æque ac Tigurina, mediterranei Norici caput, Episcopum habuit, id enim tum ex 30. Eugipii capite, tum aliunde liquet.*

AD CAPUT XIX.

Patavis appellatur oppidum) *Infra cap. 20. 22. 24 & 27. Batavis, rectè, à cohorte nempe novâ Batavorum, præsidio illic collocatâ, ut est in Notitiâ: Nunc vulgò Patavia.*

Enum) *Lege Oenum.*

Alamannorum incursus assiduos) *Alemannorum validæ per hæc tempora res, qui ultra Danubium in Germaniâ magnâ latè imperarent, & in Romanus etiam provinciis, Argentoratensi nimirum tractu, ac Rætiâ, quæ inter Brigantinum lacum & Lycum pedem fixisſent, inde tam proximos, quam longius etiam dissitos infestos haberent. At paucis post annis, à nato Christo 490. Clodoveus Francorum Rex illorum spiritus, memorabili pugna, ad Tolbiacum commissa, fregit, pars sub jugum coacti, pars se in Gothorum, qui in Italia flore-*

florebant, clientelam contulerunt, pauci priſtinum libertatis decus tuiti, aliquantiſper reſloruere: demum omnes, Gothorum exciſo regno, ſub Francorum imperium conceſſere.

Rex Gibuldus) *Cujus, quod ego ſciam, nomen alibi non extat. Gentile Alemannis fuiſſe plures habere ſimul Reges, ex Ammiano Marcellino diſtas.*

Sanctus Lucillus presbyter) *Meminit ejus iterum c. 41. & 45. Mirum quid Lazio in mentem venerit, cum hiſce omnibus locis presbyter appelletur, Epiſcopum primo Batavenſem, deinde etiam Fabianenſem dicere. Inaudierat credo Epiſcopos aliquando presbyteros dictos, verum id Severini ætate in uſu non fuit, & qua in uſu fuit neutiquam tamen conſequens, quicunque presbyteri nominantur, omnes Epiſcopos extitiſſe.*

AD CAPUT XX.

Perrexerunt quidam ad Italiam, extremum ſtipendium commilitonibus allaturi) *Auguſtinus lib. 18. de civitate Dei cap. 18 ait Raticam annonam appellari, quæ militibus in Rætiis conſtitutis ex Italia deferatur, credibile ſtipendium eadem opera delatum.*

AD CAPUT XXI.

Paulinus, &c.) *Ab hoc Epiſcoporum ſuorum catalogum auſpicantur Reginoburgenſes; omninò temere, nam ex iis, quæ ad caput decimum ſeptimum annotavimus, liquidò conſtat, Tigurinam Norici metropolim, Reginoburgum non eſſe. Conradus quidam Reginoburgenſis canonicus, qui ante ducentos annos vixit, primus iſtius ſententiæ auctor, eum cæteri, uti fit, re parum examinata ſequuti. Ne ſibi verò Reginoburgenſes, quorum beneficio Eugippium vulgamus, expuncto Paulino injuriam fieri conquerantur, genuinos duos, pro ſuppoſititio hoc uno, Epiſcopos dabimus, in illorum faſtos hactenus non relatos, Joſeppum primum, cujus iſto loco nemo meminit, Cyrinum deinde, cujus Hund. in metrop. ſub obſcurè, at is in vita S. Emmerani, quam ſcripſit, ſive Heimerammi, ut antiqui codices habent, ſub finem Joſeppum Epiſcopum deceſſorem ſuum diſertè appellat, & ex hac ipſa vita colligas Gaubaldo, qui ſub Pipino, utrumque fuiſſe ſupparem.*

Tiburniæ) *Sur. hic quoque Tigurinæ.*

AD CAPUT XXII.

Boitro) *Sur. & Lazius Bojotro. Bojodurum Ptolemæi, qui Vindelicia aſcribit, perperam, nam Norici eſt, Oeno Norici & Vindelicia limite inter Batava & Bojodurum fluente. Antonius una aut altera littera peccante Boloderum. Notitia Bojodorum. Audio rivulum ibi ſupereſſe, in cujus nomine veteris vocabuli veſtigia agnoſcas, eccleſiam item S. Severino ſacram, quæ cella, cujus hic Eugippius meminit, memoriam ſervat.*

Enum fluvium) *Sur. in contextu peſſimè Rhenum, rectè ad oram, Oenum.*

Ultrò ſancti Joannis benedictio deferetur) *Severino hæ reliquiæ, regreſſo ad magnum illud monaſterium prope Favianenſium muros, demum allatæ; promittit enim eas presbyteris & monachis, quos ſecum fugientem abduxiſſe credibile, haudquaquam Bojoduriis. Atque hoc ex ſequenti capite apparet.*

Favianam Rugorem principem) *Reſtitue Favam Rugorum.*

Monaſterium ſuum, juxta muros oppidi Favianis, quod centum & ultra millibus aberat) *Batava & Bojodorum utique ultra centum milliaria à Fabianis ſive Vindebona abſunt, Antonius circiter CC. numerat, hoc modo,*

Vindobona.
Comagenis M. P. XXX. *ſive XXIV.*
Cetio M. P. XXX. *ſive XXIV.*
Arlape M. P. XX. *ſive XXII.*
Lacu Felice M. P. XXV. *ſive XXII. ſive XXVI.*
Lauriaco M. P. XXV. *ſive XX.*
Ovilabis M. P. XVI. *ſive XXVI.*
Joviaco M. P. XXVII.
Stanaco M. P. XVIII.
Bolodero *ſive Bojoduro* M. P. XX.

Qua ratio fere iis convenit, qui hodie quadraginta milliaria Germanica plus minus conſtituunt, numeratis in ſingula quinque Romanis milliaribus.

Chuni-

Chunimundus) *Hunimundus Jornandi, Svevorum Rex, qui à Theodemiro Gotho, quem lacessierat, victus & captus, pro filio adoptatus est, neque ea tamen facilitate flexus, cum Scyris deinde, Alarico itidem Svevorum Rege, & pluribus praterea adversus Gothos conspiravit.*

Presbyterum quoq; illum, &c.) *Hunc Aventinus cur Pontificem appellet, causſam non habet, Eugippius de eo paullò etiam ante loquutus dixit, quidam presbyter, quo verbo in Episcopo usus non fuisset.*

AD CAPUT XXIV.

Oppidi quod Iopia vocabatur, septuaginta & amplius à Batavis millibus disparatum) *Pro Iopia Juvaviam legunt (ea nunc nomine mutato Salisburgum est) Lazius & Aventinus, quos sequuti Munsterus, Hund. in metrop. & alii quidam: Ego ad horum omnium auctoritatem hæreo; sed si tantilla Salisburgensis ecclesiæ accedit auctoritas, si hæc nimirum Maximum, qui post deinde sequitur, & reliquam narrationem ad se trahit, quod innuit opinor Aventinus, cum Maximum & symmystas in æde inibi olim D. Amandi, jam D. Margaritæ, humatos haberi scribit, verbum non addo.*

Moderatum nomine cantorem) *Psaltes Batavensis Aventino, mihi non constat Batavensem fuisse, quamvis eum Severinus ad oppidum LXX. amplius pass. m. à Batavis disparatum miserit. Quod verò Lazius Comment lib. 12. sect. 6. c. 9. Juvaviam agnoscit, quæ hic nobis Iopia, eodem lib. sect. 7. c. 3. Vilobiam legit, & Ovilabis interpretatur, ac Moderatum ibi Episcopum à Severino constitutum ausus asserere, uno uti videtur Eugippii verbulo, destinavit, inductus: quid tandem est, si hoc non est, suo otio, aliorum abuti patientia, neque mentem neq; frontem scribendis libris afferre?*

Sanctum quoq; Maximum spiritualis vitæ presbyterum) *Juvaviensem hinc Episcopum aut Archiepiscopum Aventinus & Lazius nunquam eruent, etsi utery, Eugippium sententiæ auctorem laudat.*

Heruli insperatè protinus irruentes) *Lazius hanc irruptionem Alemannis tribuit Gibolpho duce, levissimam suspicionem sequutus, quod cap. 19. Gibuldi facta mentio; Aventinus, Gothis, Herulis, Turogis, Alemannis, Nariscis, & aliis Germanorum nationibus Vidomaro duce, nescio qua conjectura usus, nos Eugippii Herulis (quos Germanos fuisse nemo tamen ambigat) contenti simus, & minimũ in isto genere audere, pulcherrimum existimemus. Meminit Paulus Diac. lib. 1. c. 20. edit Aug. Rudolfi Herulorum Regis, qui his temporibus, si recte conjicio, paullò inferior, tamenetsi æqualem quoque credere nihil fortasse impedit. Heruliam, sic appellat Rugiis & Longobardis propinquam fuisse idem ostendit Diaconus, atq; istud illis demum tribuit elogium:* Erant liquidem tunc Heruli bellorum usibus exercitati, multorumque jam strage notissimi. Qui **, sive ut illatum ab hoste vulnus contemnerent, nudi pugnabant, operientes solummodo corporis verecunda. *Odoacer Rugius Herulos inter auxilia habuit, ut est apud Jornandem.*

Presbyterum verò memoratum patibulo suspenderunt) *Aventinus*, Maximum in crucem agunt, amplius quinquaginta quinque cum ipso symmystas contrucidant, è rupiumque cavernis, quo fugerant, sicut adhuc monstratur, præcipites agunt. *Hæc cum ex Eugippio hausta non sint, fide ecclesiæ Salisburgensis prodita existimo.*

AD CAPUT XXV.

Maximinus) *Hic cap. 29. Maximus. Quod supra diximus, Paulinum Episcopum fuisse, non Reginoburgi, sed alicujus in Norico mediterraneo civitatis, collatione etiam hujus capitis, & capitis infra 29. sciri potest, hoc enim Paulinus Maximini Episcopus dicitur, at Maximinum in mediterraneo Norico vixisse inter ipsas quidem alpes, quisquis lecto cap. 29. dubitat, oculos & animum parum intenderit necesse est.*

Alamannorum) *Aliâ manu suprascriptum erat*, Swaba, *& sanè Alemanni Svevorum pars.*

AD CAPUT XXVII.

Eodem tempore mansores, &c.) *Hæc Aventinus contigisse prodit ante illa, quæ cap. 22. narrantur, & aliàs etiam Eugippii ordinem invertit, credo quod Eugippium qui vitam scriberet, temporum ordinem servare nihil necesse habuisse, sibi pro captu & libitu omnem historiam demutare atque rete-*

xere

xere licere putaret. Verum id sine gravi caussâ ne conandum quidem, cap. 22. Batava à Chunimundo capta & direpta narrantur, non excisa, neque barbarorum præsidio firmata, quos prædâ onustos, urbe relictâ abiisse credibile est, eam à provincialibus dein receptam ex hoc cap. apparet, & cum prior calamitas ab Alemannis, ista posterior à Thuringis, aut si forte Turcilingis, illata fuerit, urbem his captam quomodo potest ambigi?

Thuringis) *Ii longè hinc dissiti, malim Turcilingis, quos Jornandes & Paulus una cum Rugiis, Herulis & Scyris Odoacri paruisse narrant, in proximis itaq; Germaniæ trans Danubium oris coluisse videntur, quamquam novi Rhenanum & plerosq; alios Thuringos & Turcilingos pro uno eodem populo accipere. Mirari autem soleo Bojorum nomen, inter tam diversas gentes, quæ Noricum & Ratias provincias tunc infestas habuere, non commemorari. Nam quod Aventinus principio 3. Annal. asserit Suevos & Bojos communi vocabulo Alamannos vocatos, vereor paucos probare posse.*

AD CAPUT XXIX.

Maximus Noricensis) *Is, qui cap. supra 25. Maximinus.*

AD CAPUT XXX.

Ad sanctum Constantium ejusdem loci pontificem) *Aventinus Archiepiscopum appellat. Ex isto loco, & cap. 21. item 25. atq; 41. discant Lazius & reliqui, Eugippium Episcopos à presbyteris rectè scivisse distinguere.*

Hostes &c.) *Ista paullò aliter Aventinus, qui hostes Alemannos, Svevos, Nariscos, Turogos fuisse, unde rescire potuit?*

AD CAPUT XXXI.

Feletheus Rugorum Rex) *Flaccitei filius. Vide supra cap. 8.*

In oppidis sibi tributariis atque vicinis, ex quibus unum acceperat Favianis) *In oppidis provinciæ Norici & Pannoniæ, Danubio proximus, quæ transdanubianis barbaris tributa coacta pensitare. Est verò paullò obscurius id, quod sequitur:* Ex quibus unum acceperat Favianis, *& quod cap. postmodum 42. narratur, Favianis oppidum Friderico fratri à Rege Feletheo esse concessum; nam Lazii sententia, Rugios Favianis regiam constitutam habuisse, non placet, cum Eugippius Rugios etiam tunc trans Danubium habitasse ostendat, & infra cap. 45 significet, Fridericum despoliato monasterio S Severini, quod Favianis proximum, prædam trans Danubium avexisse Lucem ergò huic rei ex ipsius Eugippii capite primo, & ex scholio nostro capitis undecimi fœnerer, atq; existimem, Feletheum icto cum Romanis fœdere, præfecturam tuendi ejus oppidi, pacto stipendio recepisse, quam in fratrem postea transtulerit, siquidem amico illum in Romanos animo fuisse, ad speciem saltem, totum hoc caput comprobat.*

Thuringorum) *Forte hic quoq; melius legas Turcilingorum.*

Asserens universos in Romani soli provincias &c.) *At jam tum in Romanâ provinciâ agebant: Certè nomine tenus, re in mediâ barbariâ, barbarorum quippe inimicorum perpetuis populationibus expositi, amicorum nihilo minus perfidiam vereri cogebantur.*

AD CAPUT XXXII.

Odobagar inquit interim &c.) *Surius,* Odoacer integer erit inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet integrum regnum ejus significans. *Hæc commodam explicationem habent, Odoacer anno 476. Italiam ingressus, eam ad annum usq; 489. solus tenuit, exin, etsi ad annum 493. superfuerit, Theoderici tamen armis regnum divexatum & quodammodo consciissum est. Nostra lectio manifestò corrupta, quam repræsentavimus, quod in eâ videbamur agnoscere vestigia tum ejus prædictionis, quam Surius commemorat, tum alterius præterea de regni omninò fine, qua tamen, si qua fuit, librarii vitio nunc in litura est, sic enim propemodum legendum conjiciebamus,* integer erit inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet integer regnabit, finem verò regni ejus significans.

.....& his dictis &c.

AD CAPUT XXXIV.

Telo) *Sur. Thegio.*

AD

AD CAPUT XXXV.

Bonosus) *Sur. Bonos.*

AD CAPUT XXXVI.

Boitro) *Sur. Barotro. Vide, quæ diximus ad cap. 22.*

AD CAPUT XL.

Ut ita cum sibi subjectis ageret) *Meminit hujus orationis à Severino ad Feletheum Regem & uxorem Gisam habita Paulus Diac. lib. 1. c. 19.*

AD CAPUT XLI.

Abbatis sui sancti Valentini, Rætiarum quondam Episcopi) *Sur. Rhetiarum; quam lectionem antiqui lapides præferant, cap. 3. ostendimus. Ratiarum Episcopus appellatur hic, qui certa in Rætiis sedis Episcopus, uti ab Adone Vien. in Chron. Donatus Epiri Episcopus, qui Sozomeno & Martyrologiis Evoreæ Epiri Episcopus, à Hieronymo in Chron. Paulinus & Rhodanus Galliarum Episcopi, Gregorius Hispaniarum Episcopus, atq; eodem modo ab aliis alii alias. Valentinum autem ex Abbate Episcopum lectum videmus, & Episcopum quidem, quod liquet ex antiqua historia, quam Surius in 4. tom. retulit, Batavensem, ut mirari subeat quid illo catalogo adhuc usq; exulet Batavis pulsus, in Alpibus postea vixit, ibiq; mortuus, in castro Magiensi (Aventin° Majis habet) sepultus, inde Tassilone Duce ad Batava translatus est VII Id. Januarii obiisse ex isto capite clarum, Molanus ejus meminit in additionibus ad Usuardi martyrol. cum hac die, tum iterum IV. K. Novembr. Auctor vitæ apud Sur. Prid. Non. Aug. Credibile posteriores translationes respexisse, bis enim est translatus. Quod in Surio Batava Norico tribuuntur, ad illam rationem pertinet, quam cap. 17. explicavimus.*

AD CAPUT XLII.

Unum acciperet Favianis) *Ad cap 31. nostram de his verbis sententiam explicavimus, quæ si cui minus placet, eum sanc sensum sequatur licet, quem prima frons ostendit.*

AD CAPUT XLV.

Friderichus) *Sur. Fridericus.*

Avicianum) *Sur. Anicianum.*

Parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre) *Observavimus cap. 31. hinc videri Fridericisedem ultra Danubium fuisse, cum Faviana citra sint.*

A Fridericho fratris filio) *Regium Rugiorum stemma, qua ex Eugippio sciri potest, sic habuit, mire autem ab Irenico lib. 3. c. 14. inversum & confusum est.*

Flacciteus Rex = ...

Feleteus, qui & Fava, sive Febanus, Rex, ab Odoacre captus.	= *Gisa uxor, ab Odoacre capta.*	*Fridericus, occisus à Friderico fratris filio.*

Fridericus, patre captivo in Italiam abducto, ad Theodericum Gothum fugit.

Rex Otachar Rugis intulit bellum &c.) *Anno Christi 487. Boetio Consule, Cassiodorus,* Hoc Cos. Odoacer Febano Rege Rugorum victo captoq; potitus est. *Vetustus Chronographus, à Cuspiniano primum repertus,* Boetio unico consule, pugna facta est inter Odoacrem regem, & Febanum Regem Rugorum; & vicit Odoacer, & adduxit captivum Febanum regem sub XVII. Cal. Decembris. *Paulus Diac. lib. 1. c. 19.* Adunatis igitur Odoacar gentibus, quæ ejus ditioni parebant, id est, Turcilingis (*Basil. editio habet Turgilingis seu Turingis*) & Herulis, Rugorumq; partem, quos jam dudum possidebat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnavitq; cum Rugis, ultimaq; eos clade conficiens, Feletheum insuper eorum regem extinxit (*cæteri captum dicunt*) vastataq; omni provinciâ, Italiam repetens, copiosam secum captivorum multitudinem abduxit. *Aimonius, si tamen Aimonius est, mihi enim ex multis pannis cento consutus videtur, hanc victoriam Odoacri ante captam Italiam perperam asscribit, & ea, quæ Eugippius cap. 7. narravit, huc transfert, cap. 9. lib. 1. de gestis Franc.* His quoq; diebus Odoacer, qui Herulis aliisq; nationi-

nationibus, qui Danubii ripas incolunt, imperitabat, victoria elatus, quam Feletheo Rugorum rege bello devicto adeptus erat, Italiam à parte Pannoniorum invadere cogitabat. Cumq; fines Noricorum ingrederetur, colloquium cujusdam servi Dei nomine Severini petiit: qui his in locis monasterium sibi construxerat. A quo petitâ benedictione & impetrata, dum domum egredi vellet, & se ad limen ostii, ne caput offenderet, inclinasset (erat enim statura procerus) hæc ab eodem viro Dei audivit. Vade Odoacer vilibus nunc animantium pellibus vestitus, Italiæ Dominus mox futurus. Qua viri Dei prophetia ille audita, Italiam ingressus non ut debuit, sed ut voluit, cædibus ac rapinis cuncta vastavit. *At Odoacrem & regem & victorem vili scortea vestitum quis credat? Eugippii narratio uti verior, ita etiam est credibilior.*

Post audiens idem Odachar &c.) *Cum Feleteus anno 487. captus fuerit, ea, quæ hic narrantur, non multò post contigisse necesse, contigere enim procul dubio ante Theodorici in Italiam ingressum, is verò in annum 489. incidit.*

Aonulfum) *Sur. Onulfum, Avent. Anulfum.*

Apud Novam civitatem provinciæ Meliæ) *Sur.* Nonas civitatem provinciæ Mesiæ. *Notitia Novas & ad Novas in Pannoniâ & Mæsiâ plures habet, hæc illa Mæsia secunda est, quam Marcellinus Comes in Chron. voluit, de Theoderico itidem rege verba faciens,* ad Novensem Mœsiæ civitatem, unde advenerat remeavit, *paullò ante dixerat,* creditam sibi ripensis Daciæ partem, Mæsiæq; inferioris, cum suis satellitibus pro tempore tenuit. *Ubi creditas provincias eodem sensu interpretor, quo traditum oppidum cap. 31.*

Per Comitem Pierium) *Sur. Pigerium. Hunc inter Vindelicia & Norici Præsides refert Aventinus, quemadmodum ad cap. 4. monuimus; sed frustra, nisi Noricum & Vindeliciam rectores Comitum nomine tunc habuisse docere poterit, quod non poterit; ejusdem scilicet fidei Pierium Præsidem, & Lucillum aut Lucilium Episcopum affirmare. Cum pleraq; autem Comitum genera fuerint, uti ex Notitiâ & posteriorum Imperatorum legibus pâret, ego hic Comitem aliquem militarem aut militum, quem vocabant, accipio, qualis Bracila Comes ab Odoacre occisus, item Viator & Ovida Comites, qui Nepotem peremere, quorum Marcellinus in Chron. meminit.*

Annus sextus depositionis ejus effluxerat) *Migratio post Feleteum captum, ante motum à Theoderico bellum in annum forte 487. An. 488. incidit Severini mors sexennio anterior, in annum credo 481. aut 482. Aventinus 481. definit, Sigonio lib. 15 de an. 490. quomodo ratio constare possit, non video.*

Castellum nomine Montem Feletem) *Asterisco notavit hoc nomen Surius: Ego nihil expedio, Monte feltre Piceni Umbriæve oppidum nunc quidem est, sono qui huc alludat, at id olim Montem Feretrum aut Feretratum dictum ex Procopio & Luitprando scimus.*

AD CAPUT XLVII.

Martianum) *Sur. Marcianum. Quod Lazius Viennensem Episcopum appellat, consuetæ temeritatis est.*

Sancti Gelasii sedis Romanæ Pontificis auctoritate) *Gelasius Pontificatum an. 492. iniit, cum verò S. Severini corpus minimum quadriennio antea in Italiam venerit, quemadmodum ad 45. cap. diximus, existimare licet ad Montem Feletem interim servatum, sub Gelasio demum in Lucullanum translatum.*

In castello Locullano) *Melius Sur. Lucullano. In præfatione lectorem monuimus, meminisse Lucullani castelli Gregorium Magnum Pontif. Marcellinus scripsit Augustulum illuc in exilium ab Odoacre actum. Qua hodie appellatione utatur, quærendum, mihi verisimile fit, S. Severinum esse nomine à tutelari divo ducto, uti plerumq; contigit, id verò sive castellum sive oppidum, in Campaniâ Picentinorum, proxime Nuceriam, illustri inprimis Severinatum gente nobilitatum est.*

Laodicius) *Sur. Laodiceus.*

Marinus quoq; primicerius sanctæ ecclesiæ Neapolitanæ) *Sur. Marianus quoq; primicerius cantorum.*

ELEN-

ELENCHUS CHRONICUS.

Anni Chr.

454. *Attila mortuus est cap. 1.*
Eo tempore S. Severinus in Pannonia & vicinis regionibus versabatur.

476. *Odoacer Italiæ Rex appellatus.*
Is antequam eo proficisceretur, S. Severinum convenit.

481. aut 482. *S. Severinus VI. Id. Jan. in monasterio prope Favianensium muros obiit. cap. 44.*

487. *Odoacer Rugios vicit, Rege Feleteo capto. cap. 45.*

487. aut 488. *Odoacer Aonulfum fratrem adversus Fridericum Feletei Regis F. misit, qui eo non expectato ad Theodericum Gothum in Mæsiam profugit. Aonulfus autem Romanos in provincia agentes abduxit: qua occasione S. Severini etiam corpus eo pervenit c. 45.*

489. *Ad hunc annum Odoacer regnum in Italia solus tenuit, uti Severinus futurum prædixerat. cap 32.*
Eodem anno Theodericus Gothus Italiam ingressus est.

492. *Gelasius Pontificatum iniit. Cujus auctoritate corpus S. Severini per manus S. Victoris Neapolitani Episcopi, in castello Luculiano, mausoleo, quod Barbaria Illustris fœmina condiderat, collocatum est cap. 47.*

493. *Odoacer interiit. Theodericus Italiæ Rex ductus est.*

NAR-

NARRATIO EORUM, QUÆ CONTIGERUNT APOLLONIO TYRIO.

EX MEMBRANIS VETUSTIS.

NARRATIO
EORUM, QUÆ CON-
TIGERUNT
APOLLONIO
TYRIO.
EX MEMBRANIS VETUSTIS.

EDITORIS CENSURA.

SI quis aurum paratus & gemmas ex ſtercore legere, is demum aptus huic libello continget lector: quem nos, alia occaſione excuſsis armariis bibliothecæ SS. Udalrici & Afræ (celebre hìc Auguſtæ cœnobium eſt) forte quadam invenimus, & Apollonii allecti nomine cum avidè cœpiſſemus evolvere, ſtatim à principio apparuit, quod veteri verbo dicunt, Carbones theſaurus erant. Multa in ipſa fabula abſurdè excogitata, multa in ſermone barbarè poſita, quæ tamen quibusdam melioris interdum notæ ſtellulis diſtincta, & antiqui moris ritus q; veſtigiis nonnullis interſperſa: tanti ſanè viſa, ut, ne interciderent, editionis placuerit conſilium.

De auctore vix hoc ſolum afferimus, græcè ſcripſiſſe, nam id multis ſe aperit indiciis, unò maximè, quod Latinus interpres aliqua prioris ſermonis verba retinuit, tribunarium pro veſte ſordidâ, quæ Græcis τεῖβων eſt, ſabanum pro balneari linteo, apodixin pro ſpecimine, aporiatum pro turbato dixit. Græcum exemplar Byzantii adhuc ſupereſſe exiſtimo, quæ enim in Conſtantinopolitanâ bibliothecâ inter Manuelis Eugenici libros memoratur, Hiſtoria Apollonii ſapientiſſimi & fortiſſimi viri, cum figuris, hujus profecto Apollonii credenda eſt, cujus hìc toties ſapientia prædicatur: Sed & in catalogo Cæſareæ Viennenſis bibliothecæ, Apollonii de Tyro hiſtoriam reperio. Figuris noſter quoque codex ornatus erat, omninò Græciſſantibus, cæterum oppidò ineptis.

Interpretem Chriſtianum fuiſſe ſcias, qui Dei nomine nunquam pluriùm utatur, & quodam loco Apollonium ab angelo in ſomnis monitum narret.

Stylus, uti dixi, plerumque barbarus, sed si quid judico, neutiquam novitius, quin morienti propemodum rei Romanæ synchronus, plures namq; ejus ævi formulas eruditus lector me tacente observabit.

Quædam inter describendum obiter mutavimus, volente nimirum sententiâ, & veteri lectione adoram notatâ, quantumvis ferè apertè falsa, ne cui de nostra tamen fide querendi relinqueremus locum, quam lectori ubiq; probatam cupimus.

NARRATIO EORUM, QUÆ CONTIGERUNT APOLLONIO TYRIO.

IN civitate Antiochia fuit quidam Rex Antiochus, à quo ipsa civitas Antiochia nomen accepit. Hic accepit ex amissa conjuge filiam virginem speciosissimam, in qua nihil rerum natura erraverat, nisi quod mortalem statuerat. Quæ cum ad nubilem perveniſſet ætatem, & ſpecies pulchritudinis accreſceret, multi eam in matrimonium rogabant, cum magnâ & inæſtimabili dotis quantitate. Sed cum pater deliberaret, cui potentiſſimo filiam ſuam daret in matrimonium, neſcio quâ iniquâ concupiſcentia, crudelitatisque flammâ, in amorem filiæ ſuæ incidit, & cœpit eam amplius diligere, quam patrem oporteret. Qui dum luctatur cum furore, pugnat cum pudore, vincitur amore. Excidit illi pietas, & oblitus ſe eſſe patrem, induit conjugem. Sed cum ſævi pectoris ſui vulnus ſufferre non poſſet, quadam die prima luce evigilans, irrupit cubiculum filiæ ſuæ, & omnes longè ſecedere juſſit, quaſi cum filia ſua ſecretum colloquium habiturus. Stimulante furore libidinis, diu repugnanti filiæ ſuæ nodum virginitatis * rupit, perfectoq; ſce- * *rupit.*
lere evaſit cubiculum. Sic ſceleſti patris impietatem puella mirata, cœpit celare, ſed in pavimento coitus ſigna videntur, ubi guttæ ſanguinis ceciderunt. Cumque puella quid faceret, cogitaret, nutrix ſubitò introivit ad eam. Quam ut vidit flebili vultu, pavimentumq; roſeo rubore perfuſum, ait: Quid tibi vultus turbatus vel animus tuus? Puella ait, chara nutrix, modo hîc in cubiculo duo nobilia nomina perierunt. Nutrix ait ignorans, Domina, quare hoc dicis? Puella ait: Quia ante legitimum nuptiarum mearum diem ſævo ſcelere violata ſum. Nutrix hoc cum audiſſet atque vidiſſet, inhorruit & ait: Et quis fretus tanta audacia virginis thorum & reginæ auſus eſt violare? Puella ait, impie-

tas fecit hoc ſcelus. Nutrix ait: Cur ſtas & non indicas patri? Puella ait: Et ubi eſt pater? Si intelligis, periit nomen patris in me. Itaq; nè hoc ſcelus genitoris mei gentibus pateat, mortis mihi remedium placet. Nutrix ut audivit eam mortis remedium quærere, blando eam ſermonis colloquio revocavit, ut à propoſito ſuo recederet, & invita patris ſui voluntati ſatisfaceret, cohortatur.

Inter hæc impiiſſimus pater, cum ſimulata mente oſtenderet, ſe civibus pium genitorem, intra domeſticos parietes maritum ſe filiæ lætatur. Et ut ſemper impius filiæ thoris frueretur, ad expellendos petitores novum genus nequitiæ excogitavit. Quæſtiones verò proponebat dicens: Si quis quæſtionis meæ nodum vel ſolutionem invenerit, filiam meam in matrimonium accipiet, alioquin decollabitur. Plurimi undiq; Reges & Principes patriæ, propter incredibilem & inauditam puellæ ſpeciem, contempta morte properabant. Et ſi quis forte prudentia litterarum quæſtionis ſolutionem inveniſſet, quaſi nihil dixiſſet, decollabatur, & caput ejus ad faſtigia portæ ſuſpendebatur, ut advenientes imaginem viderent mortis, & conturbarentur, ne ad talem conditionem venirent. Et cum tales crudelitates exerceret Antiochus, interpoſito brevi temporis ſpatio, adoleſcens quidam Tyrius patriæ ſuæ princeps, locuples valde, Apollonius nomine, fidens abundantia litterarum, navigans attigit Antiochiam, ingreſſusq; ait: Ave Rex. Et Rex ut vidit, quod videre nolebat, ad juvenem ait: Salvi ſunt nupture parentes tui? Juvenis ait: Ultimum ſignaverunt diem, & addidit, Regio genere ortus filiam tuam in matrimonium peto. Rex ut audivit, quæ audire nolebat, reſpiciens ad juvenem ait: Noſti nuptiarum conditionem? Juvenis ait, novi, & ad portam vidi. Indignatus Rex ait, audi ergò quęſtionem; Scelere vehor, materna carne veſcor, quæro fratrem meum, matris meæ virum, nec invenio. Puer accepta quæſtione paullulum ſeceſſit, & cum docto pectore quæreret, luctatur cum ſapiẽtia. Dumq; ſcrutatur ſcientiam, Deo favente invenit quęſtionis ſolutionem, & reverſus ad regẽ ait: Bone Rex propoſuiſti quæſtionẽ, audi ergò ſolutionẽ: Nam quod dixiſti, ſcelere vehor, nõ es mentitus, te ipſum intuere, materna carne veſcor, filiam tuam reſpice. Rex ut audivit quæſtionis ſolutionẽ, juvenem ſolviſſe, timens ne ſcelus ſuum patefieret, irato eum vultu reſpiciens ait: Longè es juvenis à quęſtione, erras, nihil veri dicis, decollari quidem promerueras, ſed ecce habebis xxx. dierum ſpatiũ, recogita tecum, reverſus dum fueris, & quæſtionis ſolutionẽ inveneris, accipies filiam meam in matrimonium, ſin aliàs, legem agnoſces. Juvenis conturbatus, accepto commeatu navim aſcendit, tendens in patriam Tyrum. Sed poſt diſceſſum adoleſcentis, vocavit Rex diſpenſatorem ſuum Thaliarchum nomine, cui ait, Thaliarche ſecretorum meorum miniſter fidiſſime, ſcias, quia Tyrius Apollonius invenit quæſtionis meæ ſolutio-

lutionem : aſcende ergò confeſtim navim ad perſequendũ juvenem, & cum perveneris Tyrum, quære inimicum ejus, qui eum ferro vel veneno interficiat, reverſus dum fueris, præmium magnum accipies. Thaliarchus ſtatim ſumens pecuniã, ſimulq; petiit navi innocentis patriã. Apollonius verò prior attigit patriã ſuam, introivit in domum, apertoque *ſcrinio codicum ſuorum, inquiſivit omnium quæſtiones auctorum, & philoſophorum, & pæne omnium Chaldæorum. Cumq; nihil aliud inveniſſet, quam quod reperierat, ait ad ſemetipſũ: Ni fallor Antiochus Rex impio amore diligit filiam ſuam, & recogitans ſecum dixit: Quid agis Apolloni? quæſtionem regis ſolviſti, filiam non accepiſti, ideò * dilatus es, ut neceris. Continuoq; juſſit ſibi naves præparari, & eas centum millibus modiorum frumenti onerari, & multo pondere auri & argenti, & veſte copioſa, & cum paucis ſecum fidiſſimis hora noctis tertia navim aſcendit, tradiditq; ſe alto pelago. Alia verò die quæritur à civibus, & non invenitur, mœror ingens naſcitur, quod amantiſſimus princeps patriæ nuſquam comparuit, ſonat per totã civitatẽ planctus. Tantus verò amor civiũ circa eum erat, ut multo tempore tonſores ceſſarẽt, publica ſpectacula tollerentur, balnea clauderentur, nõ templa, nõ tabernas quiſquã * ingrederetur.

*Scrinio codicorum.

*dilatatus] es, ut non neceris.

*ingrediretur.

Et cum hæc Tyro agerẽtur, ſupervenit Thaliarchus, qui à rege ad necandum eum miſſus fuerat: & videns omnia clauſa, dixit cuidam puero, Indica mihi ſi vivas, ex quâ cauſſa hæc civitas in luctu moratur. Puer ait, ô hominem improbum, ſcis ne & interrogas? Ideò civitas hæc in luctu moratur, quia Apollonius princeps patriæ hujus ab Antiocho Rege regreſſus nuſquã comparuit. Tunc Thaliarchus hoc ut audivit, gaudio plenus redit ad navim, & certâ navigationis die attigit Antiochiam, ingreſſusq; ad Regem ait, Domine Rex lætare, quia Apollonius timens regni tui vires, ſubitò nuſquam comparuit. Rex ait, fugere quidem poteſt, ſed effugere non poteſt, continuoq; hujusmodi edictum propoſuit. Quicumq; * Tyrium mihi Apollonium, regni mei inimicum & contemptorem, vivum exhibuerit, accipiet quinquaginta talenta auri, qui verò caput, centum accipiet. Hoc edicto propoſito, non tantum inimici, ſed etiam amici, cupiditate ſeducti, ad perſequendum juvenem properabant. Quærebatur verò Apollonius per mare, per terras, per ſylvas, per univerſas indagines, & non inveniebatur. Tunc Rex juſſit ſibi claſſes navium præparari ad perſequendum juvenem. Sed moram facientibus, qui claſſes navium præparabant; Apollonius Tarſum devenit, & deambulans juxta littus, viſus eſt à quodam cive ſuo Hellanico nomine, qui ſupervenerat in ipſa hora, & accẽdens ad eum ait : Ave Rex Apolloni. Ille ſalutatus, fecit ut potentes facere conſueverunt, ſprevit hominem plebejum. Tunc ſenex indignatus eſt valde, & iterum ſalutavit eum, & ait, ave Apolloni, reſaluta, & noli deſpi-

*Tyrum Apollonium, & fit derisus.

cere paupertatem honestis moribus decoratã, si enim scis, cavendum est tibi, si verò nescis, moneo te, audi, forsitan quod nescis, quia proscriptus es. Cui Apollonius ait: Et quis patriæ suæ proscripsit principem? Hellanicus ait, Rex Antiochus. Apollonius ait, quâ ex caussa? Hellanicus ait: Quia quod pater est, tu esse voluisti. Apollonius ait: Et quanti me proscripsit? Hellanicus ait: Ut quicumque te illi vivum exhibuerit, quinquaginta talenta auri, qui verò caput pertulerit, centum * accipiat, atque ita moneo te, fuge in præsidium. Hæc cum dixisset Hellanicus, discessit. Tunc jussit Apollonius rogare senem, & ad se venire, & centum talenta auri ei dari, & ait: Accipe exemplum paupertatis meæ, quia meruisti, & puta te ut paullò ante dixisti, caput mihi à cervicibus amputasse, & pertulisse gaudium regi, ecce habes centum talenta auri, & puras manus à sanguine innocentis. Cui senex ait: Domine, absit à me, ut hujus rei caussa ego præmium accipiam: apud bonos homines præmio amicitia non est comparanda, & valedicens discessit. Post hæc Apollonius cum spatiatur in eodem loco supra littus, vidit hominem contra se venientem, dolentem & mœsto vultu, Strangulionem nomine. Is ut accessit ad eum, protinus ait Apollonius, Ave Strangulio, & ipse ait, Ave Domine Apolloni, & rursum ait: Quid itaque his in locis turbatâ mente versaris? Apollonius ait, proscriptum me vides * ab Antiocho. Strangulio ait, quæ est caussa? Apollonius ait, quia filiam ejus, & ut verius dixerim conjugem, in matrimonium petivi. Itaque si fieri potest, in patriâ vestrâ volo latêre. Strangulio ait, Domine Apolloni, civitas nostra pauperrima est, & non potest tuam nobilitatem sustinere: præterea duram famem, & sævam sterilitatem patimur annonæ, nec etiam civibus ulla spes salutis, sed crudelissima mors est ante oculos nostros. Apollonius ait, agite gratias Deo, qui me profugum vestris finibus applicuit. Dabo civitati vestrę centum millia frumenti modiorum, si fugam tantum celaveritis. Strangulio ut hæc audivit, prostravit se ad pedes ejus & ait, Domine Apolloni, si esurienti civitati subveneris, non solùm fugam tuam celabimus, sed si necessitas fuerit, pro tuâ salute dimicabimus. Ascendensq; Apollonius tribunal in foro, præsentibus cunctis civibus ejusdem civitatis dixit, Cives Tarsenses, quos annonæ penuria turbat & opprimit, ego Tyrius Apollonius relevabo. Credo enim vos hujus beneficii memores fugam meam celaturos, Scitote enim, non me * legibus Antiochi esse fugatum, sed vestra felicitate faciente huc sum delatus. Dabo itaq; vobis centum millia frumenti modiorum, eo pretio, quo sum in patria mercatus, octo æreis singulos modios. Audito hoc, cives Tarsenses, quod singulos modios æreis octo mercarentur, hilares effecti sunt, ac gratias agentes statim frumenta portabant.

* accipiat.

* desit, ab Antiocho.

* à legibus.

Tunc

Tunc Apollonius, ne depositâ regiâ dignitate mercatoris magis quam donatoris nomen videretur assumere, pretium, quod acceperat, ejusdem civitatis utilitatibus redonavit. Cives autem, ut tanta viderunt ejus beneficia, bigam ei in foro statuerunt, in quâ stans dextrâ manu fruges daret, sinistro pede modium calcaret, & in basc scripserunt, CIVITAS. * TARSUS. TYRIO. APOLLONIO. DONUM. DEDIT. EO. QUOD. CIVITATEM. A. SÆVA. FAME. LIBERAVERIT. *Tharsia, sta & deinceps.

Deinde interpositis paucis diebus, hortante Strangulione & Dionysiade ejus conjuge, ad Pentapolim Cyrenorum navigare proposuit, ut illîc lateret, eo quod bene firma, cum opulentiâ & tranquillitate * ageret. Igitur cum ingenti honore deducitur ad mare, & valedicens omnibus ascendit ratim. Sed tribus diebus noctibusque totidem ventis prosperis navigans, subitò mutatum est pelagus, postquam littus Tarsi reliquit. Nam paucis horis ventis concitatis, Aquilone vento Euroque instante, clauso cœlo nimia * pluvia erupit, Populus * Tyri procellâ corripitur, ratis pariter dissolvitur, Zephyri fretum perturbant, grando ac nubes tenebrosa incumbebant, flant venti fortiter, ac crebris fulminibus micantibus pelagus intonat, fit mugitus ingens, & * mortis timor cunctos occupat. Tunc unusquisque rapuit sibi tabulas mortem morantes. In illâ verò caligine tempestatis omnes perierunt. Apollonius verò unius tabulæ beneficio in Pentapolitanorum * littora est pulsus. Stans autem in littore nudus, intuens mare tranquillum, sic ait, ô pelagi fides! ô crudelitas Antiochi! facilius incidam in manus crudelissimi regis, quam patriam quæram. Quis notus huic ignoto auxilium dabit? Hæc dum loqueretur Apollonius, aspexit juvenem venientem contra se, quendam robustum piscatorem sordido sago coopertum. Cogente necessitate prostravit se ad ejus pedes, profusisque lacrymis ait, Miserere quicumque es, succurre nudo naufrago, non humilibus natalibus genito, & ut scias, cui miserearis, ego sum Tyrius Apollonius, patriæ meæ princeps. Audito nunc trophæo meæ calamitatis,* aspice, quomodo genibus tuis provolutus deprecor auxilium vitæ. Piscator ut vidit speciem juvenis, misericordiâ motus erigit illum, & duxit * intra tecta domus, posuit epulas, quas habere potuit. Et ut plenius pietati suæ satisfaceret, exuens se tribunarium in duas partes divisit, & unam dedit juveni dicens: Tolle quod habeo, & vade in civitatem, ibi invenies forsitan, qui tui misereat: si non inveneris, huc ad me revertere, paupertas quæcumque sufficiat nobis, piscemur simul. Illud tamen admoneo te, ut si quando dignitati tuæ redditus fueris, ne despicias tribunarii paupertatem.

*agerentur.

*si pluvia. & Tyria.

*mors sedula.

*littora.

*deus aspice.

*infra.

Apollo-

Apollonius ait, si non memor tui fuero, iterum naufragium patiar, nec tui similem inveniam. Et hæc dicens, demonstratâ sibi viâ ille carpens iter, portas civitatis ingreditur. Dumq; cogitaret, unde vitæ peteret auxilium, vidit per plateam puerum nudum currentem, oleo caput unctum, sabano præcinctum, ferentem ludos juveniles ad gymnasium pertinentes, voce magna clamantem & dicentem: Audite cives, audite peregrini, ingenui & servi, qui ablui vult, gymnasium patet. Audito hoc Apollonius, exuens se tribunarium ingreditur lavacrum, utitur liquore, & dum singulos intuetur, quærit parem, nec invenit. Et subito * Alcistrates Rex totius illius regionis, ingressus cum turba famulorum est. Cum Rex ludum * sphæræ cum servis suis exerceret, admisit se Apollonius Regi, & decurrentem sustulit sphæram, & subtili velocitate percussam ludenti Regi remisit. Tunc Rex suis famulis ait: Recedite, hic enim juvenis, ut suspicor, mihi comparandus est. Apollonius ut audivit se laudari, constanter accessit ad Regem, & accepto ceromate cum docta manu circum lavit ei cum subtilitate, deinde in solio gratissimè fovit, & eo exeunte, ab officio discessit. Dixitq; Rex ad amicos suos post discessum adolescentis, Juro vobis per communem salutem, melius me nunquam abluisse quam hodie, beneficio adolescentis nescio cujus: & respiciens ad unũ de famulis ait, Juvenis ille, qui mihi officium fecit, vide quis sit. At ille sequutus juvenem vidit eum sordido tribunario indutum, reversusq; ad regem ait: Juvenis ille naufragus est. Rex ait, unde scis? famulus ait: Tacente illo habitus indicat caussam. Rex ait, vade celerius & dic ei, rogat te Rex, ut venias ad cœnam. Apollonius, ut audivit acquievit, & deducente famulo pervenit ad regem. Famulus prior ingressus ad regem ait: Naufragus adest, sed propter sordidum habitum introire confunditur. Statimq; jussit eum Rex vestibus dignis indui, & ad cœnam ingredi. Ingressus Apollonius triclinium regis, contra regem assignato loco discubuit. Infertur prandium, deinde cœna regalis. Apollonius cunctis epulantibus non epulatur, sed aurum & argentum in ministerio Regis diu flens intuebatur. Tunc unus de discumbentibus ad regem ait, ni fallor juvenis iste fortunæ tuæ invidet. Rex ait, male suspicaris, nam meæ fortunæ non invidet, sed plura perdidisse testatur. Et respiciens Apollonium hilari vultu ait, Juvenis epulare nobiscum, & meliora de Deo spera.

Et dum hortaretur juvenem, subito introivit filia Regis, virgo jam adulta, deditq; osculum patri suo, deinde cunctis discumbentibus amicis. Quæ dum oscularetur singulos, reversa est ad patrẽ & ait, Bone Rex & pater optime, quis est iste juvenis, qui contra te locum honoratum tenet, & nescio quid flebili vultu dolet? Rex ait: Nam dulcis juvenis iste naufragus est, & * gymnastico mihi officio

* Alcistratii.

* Spera, sit etiam deinceps.

* gymnasio.

officio gratissimè fecit, propter quod ad cœnam vocavi illum, quis, aut unde, sit, nescio, sed si vis scire interroga eum, te decet omnia nosse, & forsitan dum cognoveris, misereberis ei. Hortante verò patre puella venit ad juvenem, & verecundo sermone ait: Licet taciturnitas tua sit tristior, generositas tamen nobilitatem ostendit, sed si molestum non est, indica mihi nomen & casus tuos. Apollonius ait: Si nomen quæris, in mare perdidi, si nobilitatem, Tyro reliqui. Et ait puella, Apertius dic, ut intelligam. Tunc Apollonius nomen suum & omnes casus exposuit, finitoq; sermonis colloquio fundere lacrymas cœpit. Quem ut vidit Rex flentem, respiciens ad filiam suam ait: Nata dulcis peccasti, dum vis nomen & casus adolescentis agnoscere, veteres ejus dolores renovasti. Ergò dulcis filia quatenus agnovisti veritatem, justum est, ut liberalitatem quasi regina ostendas. Puella ut audivit à patre ultrò promissa, quæ illi præstare volebat, respiciens ad juvenem ait: Noster es Apolloni, depone mœrorem, & quia hoc indulgentia patris mei permittit, locupletaberis. Sic Apollonius cum gemitu ac verecundia gratias egit. Tunc Rex ait filiæ suæ, defer lyram, ut cantu exhilares convivium. Puella jussit afferri sibi lyram, & cœpit cum omni dulcedine chordarum miscere sonum. Omnes laudare cœperunt & dicere, non potest melius, non potest dulcius. Inter quos solus Apollonius tacuit. Ad quem Rex ait: Apolloni, fœdam rem facis, omnes filiam meam in arte musica laudant, quare tu solus vituperas? Apollonius ait: Bone Rex, si permittis, dicam quod sentio, filia tua in artem musicam incessit, & nondum didicit. Igitur jube mihi tradi lyram, & statim scies, quod nescisti. Et ait Rex, Apolloni, video te eruditum esse in omnibus. Et jussit * illi tradi lyram, & egresso foras, corona capitis eum decoravit. Accipiensq; * Apollonius lyram introivit in triclinium, & ita stetit, ut discumbentes cum rege non Apollonium, sed Apollinem existimarent. Etenim discumbentes cum Rege dixerunt, quod nunquam melius audissent nec vidissent, & placuit homo regi & omnibus discumbentibus.

* sibi.

* deest Apollonium.

Inter hæc filia regis ut vidit juvenem omnium artium studiorumque esse cumulatum, incidit in amorem infinitum, & ait ad patrem suum, Chare genitor, permiseras mihi paullò ante, ut quidquid voluissem de tuo juveni darem. Et ait Rex, & permisi & permitto. Puella Apollonium respiciens ait, Magister Apolloni, accipe ex indulgentiâ patris mei auri ducentas, argenti libras cccc. vestemq; copiosam, servos xx. ancillas x. quibus ait, afferte quod promisi, & præsentibus amicis exponite in triclinio. Jussu reginæ illata sunt omnia, laudant omnes liberalitatem puellæ, peractoque convivio levaverunt se omnes, & valedicentes regi & reginæ discesserunt. Apollonius ait: Bone Rex miserorum

mise-

misericors, & tu regina amatrix studiorum, valete. Et respiciens famulos, quos sibi regina donaverat, ait: Attollite hæc famuli, quæ mihi donata sunt, & eamus, hospitium quæramus. Puella timens, ne amatorem perderet, tristis est facta, & respiciens ad patrem ait: Bone Rex & pater optime, placet tibi, ut Apollonius hodie ditatus abscedat, & quod illi donavimus, à malis hominibus rapiatur? Tunc Rex festinus jussit illi assignari aulam, ubi dignè quiesceret. Puella verò amore incensa inquietem habuit noctem, nec somnum oculis, nec membris cura dat quietem, primaq; luce evigilans irrupit cubiculum patris. Quam ut pater vidit, dixit: Quid est, quod præter consuetudinem tam mane evigilasti? Puella ait, hesterna studia excitaverunt me, peto itaque pater charissime, ut me tradas hospiti nostro, studiorum percipiendorum gratiâ. Rex gaudio plenus jussit ad se juvenem vocari, cui ait: Apolloni, filia mea studiorum tuorum à te artem discere cupit, itaque si desiderio parueris, & ei ostenderis studia litterarum & cætera, quæ nosti, quidquid tibi iratum mare abstulit, ego restituam. Apollonius hoc audito, docuit puellam, sicut ipse didicit. Interposito brevi tempore, cum puella non posset vulnus amoris tolerare, multâ infirmitate * membris pervictis, cœpit imbecillis jacere in thoro. Rex ut vidit filiam suam subitaneam incurrisse valetudinem, sollicitus adhibuit medicos. Qui venientes tentant venas, tangunt singulas corporis partes, nec aliquas inveniunt ægritudines.

* membra pertractans.

Post paucos dies cum Rex cum Apollonio loqueretur, tres juvenes nobilissimi, qui per longum tempus filiam suam in matrimonium petierant, regem una voce saluta verunt pariter: Quos intuens Rex ait: Quid est, quod una voce me pariter salutatis? Unus ex illis ait, petentibus nobis filiam tuam in matrimonium, tu sæpius differendo crucias, propter quod hodie simul venimus, cives tui sumus, locuplètes & bonis natalibus geniti, itaque de tribus elige, quem vis habere generũ. Rex ait, non apto tempore me interpellatis, filia mea studiis vacat, & ob amorem studiorum imbecillis jacet. Sed ne videar vos sæpius differre, scribite in *codicillis nomina vestra, & dotis quantitatẽ, quæ transmittam filię meæ, ut ipsa eligat, quem voluerit. Scripserunt illi nomina sua, & dotis quantitatem. Rex accepit codicillos & legit, signavitque & dedit Apollonio dicens: Tolle magister præter injuriam hos codicillos, & perfer discipulæ tuæ, hic enim locus te desiderat. Apollonius acceptis codicillis introivit cubiculũ. Puella ut vidit, quem diligebat, ait, Magister, quid est, quod solus introisti cubiculum? Apollonius ait: Sume hos codicillos, quos misit tibi pater tuus, & lege. Puella resignavit codicillos & legit trium nomina petitorum, perlectisque codicillis respiciens Apollonium dixit: Magi-

* codicellis, & eodem modo sæpe postea.

ster

ſter Apolloni, ita non * tibi dolet, quod ego alii nubam? Apollonius ait, imò gratulor, quod abundantia ſtudiorum docta me * docente nubis. Cui puella ait, Magiſter, magiſter, ſi me amares, doleres. Hæc dicens reſcripſit & ſignavit codicillos, tradiditque Apollonio, ut eos regi deferret; ſcripſerat autem hæc: Rex & pater optime, quoniam clementia tua permiſit mihi, ut reſcribam, reſcribo: Illum volo conjugem naufragum, fortuna deceptum, & ſi mireris facti, quod pudica virgo tam imprudenter ſcripſit, quæ indicare non potui, per ceram mandavi, quæ ruborem non habet. Rex perlectis codicillis ignorans, quem naufragum diceret, reſpiciens ad juvenes ait: Quis veſtrûm naufragium paſſus eſt? Unus ex illis nomine Andronius dixit: Ego ſum paſſus naufragiũ. Alius ex illis ait, tace, morbus te conſumat, nec ſalvus nec ſanus ſis, cum ſciam te coætaneum meum mecum litteris eruditum, portum civitatis nunquã exiſſe, ubi naufragium feciſti? Rex cum non inveniſſet, quis eorum naufragium feciſſet, reſpiciens Apollonium ait, tolle codicillos & lege, poteſt enim fieri, quod ego non novi, tu intelligas, qui præſens fuiſti. Apollonius acceptis codicillis velociter perlegit, & ut ſenſit ſe amari, erubuit. Cui Rex ait, Apolloni, inveniſti naufragum? Apollonius ait: Bone Rex, ſi permittis, inveni. Et his dictis videns Rex Apollonii faciem rubere, intellexit & ait: Quod filia mea concupivit, votum meum eſt. Et reſpiciens Rex tres juvenes ait: Certè dico vobis, cum nubendi tempus fuerit, mittã ad vos, & dimiſit eos à ſe. Ipſe verò introivit ſolus ad filiam ſuam & ait, quem tibi elegiſti conjugem? Illa autem proſtravit ſe ad pedes patris ſui & ait: Pater chariſſime, quia cupis audire deſiderium natæ tuæ, illum volo & amo naufragum Apollonium magiſtrum meum, cui me ſi non tradideris, amiſiſti filiam. Itaq; cum Rex lacrymas filiæ ſuæ ſufferre non poſſet, erigit eam à terra & alloquitur dicens, nata dulcis, noli de aliqua re cogitare, quia talem concupiſti, quem & ego, ut * eum vidi, cui & amando factus ſum pater, diem ergò nuptiarum ſine mora conſtituam. Poſtera die vocantur amici vicinarum urbium ditionis regni ejus, quibus conſidentibus ait: Amici, qua ex cauſſa vos vocaverim, diſcite, ut ſciatis: Vult filia mea * nubere Apollonio Tyrio præceptori ſuo, peto itaq;, ut omnium ſit lætitia, quia filia mea prudenti viro ſociatur. Hæc igitur dicens diem conſtituit nuptiarum. Numerantur dies, & convivia prolixa tenduntur, celebranturq; nuptiæ regiæ dignitatis. Interpoſitis autem diebus & menſibus, cum haberet puella ſexto jam menſe ventriculum deformatum, Rex Apollonius dum ambularet in littore juncta ſibi puella, vidit navim ſpecioſam, & dum utriq; laudarent, cognovit eam Apollonius eſſe de patria ſua, & converſus ad nauclerum ait: Dic mihi, ſi valeas, unde venis? gubernator ait, à

* tu.
* debuit.
* enim vidi quod.
* nubi.

Tyro, Apollonius ait, patriam meam nominasti, gubernator ait, ergò Tyrius es tu? Apollonius ait, ut dicis, gubernator ait: Noras aliquem patriæ illius principem Apollonium nomine? Apollonius ait, quasi me ipsum, gubernator ait, peto, ubicumque illum videris, ut gaudeat & exultet, quia Rex Antiochus fulmine percussus arsit cum nata sua, opes autem regni Antiochi Apollonio reservantur. Apollonius ut hoc audivit, gaudio plenus ad conjugem suam ait: Quod aliquando mihi naufrago credidisti, modo probasti, peto itaque, ut me abire permittas ad regnum percipiendum. Illa ut audivit, profusis lacrymis ait, Chare conjux, si alicubi in longinquo itinere esses constitutus, ad partum meum festinare debueras, at nunc cum sis præsens, disponis me relinquere? Sed si hoc velis, pariter navigemus: & veniens ad patrem ait, Chare genitor, lætare & gaude, quia sæviſſimus Rex Antiochus, cum filia concumbens, Dei fulmine percussus est, opes autem & diadema ejus compari meo reservantur, permitte me navigare cum viro meo. Rex autem exhilaratus naves jubet produci in littus, & omnibus bonis impleri, præterea nutricem ejus nomine Ligoridem, & obstetricem propter partum ejus, simul navigare præcepit. Et data proficiscendi copiâ deduxit eos ad littus, osculaturq́; filiam & generum, & ventum eis optat. Ascenderunt naves cum multâ familiâ multoq́; apparatu, & vento prospero flante navigant. Qui dum per aliquantos dies totidemq́; noctes Austris flantibus * pelago detinerentur, septimo mense, cogente infirmitate enixa est Lucinâ favente puella; sed secundis ventis mox euntibus, coagulato sanguine concluſoque spiritu effecta est sicut mortua. Quod cum videret familia, exclamavit voce magna & ululatu. Concurrit Apollonius & conjugem suam vidit exanimem jacentem, & scidit à pectore vestes, unguibus primas adolescentiæ genas discerpsit, & profusis fletibus jactavit se super corpus ejus & ait, Chara conjux, Alcistratis regis filia, quid respondebo patri tuo pro te, qui me naufragum & egenum susceptit? Et cum hæc dixisset, introivit ad eum gubernator & ait, Domine tu pietatis causſā facis, sed mortuum corpus navis sufferre non valet, jube hoc corpus in pelagus mitti, ut possimus evadere. Apollonius dictū hoc indignè ferens ait ad eum: Quid narras pessime hominū? Placet tibi ut hoc corpus mittam, quod naufragum me & egenum susceptit? Erant autē ex servis ejus fabri navales, quibus convocatis jubet consecari & conpaginari tabulas, rimas & foramina bitumine liniri præcepit, & facere loculum, & charta plumbea intus posita obturari jussit. Perfecto loculo, regalibus ornamentis exornat puellam, & in loculo posuit, & xx. * sestertia auri ad caput ejus posuit, & dedit osculum funeri, fundens super eam lacrymas. Tunc infantē

jussit

* pil pelago.

* sestertias, uti & postea semper.

jussit tolli & diligenter nutriri, ut haberet in malis suis jucundum solatium, & pro filia neptem regi ostenderet. Et jussit loculum mitti in mare cum magno fletu. Tertia verò die unda maris ejecit loculum ad littus Ephesiorum, non longè à prædio cujusdam medici * Chæremonis nomine, qui cum discipulis suis eâdem die in littore ambularet. Tunc vidit loculum effusis fluctibus jacentem ad oram maris, & ait servis suis, tollite hunc loculum cum omni diligentia, & ad villam perferte. Quod cum ita fecissent servi, medicus leniter aperiens vidit puellam, regalibus ornamentis decoratam, & speciosam valde, & in falsa morte jacentem, obstupuit & ait: Quas putamus lacrymas hanc puellam parentibus suis reliquisse? Et vidit subtus caput ejus pecuniam positam, & sub pecunia chartulam scriptam, & ait, perquiramus, quid desiderat aut mandat dolor: * quod cum resignasset, invenit titulum scriptum: Quicumque hunc loculum inveneris, habes xx. sestertia auri, peto ut x. habeas, x. funeri impendas, hoc enim corpus multas lacrymas reliquit parentibus, & dolores amaros: quod si aliud feceris, quam quod dolor exposcit, ultimum diem incidas, nec sit, qui corpus tuum sepulturæ commendet. Perlectis autem chartulis ad servos, ait, præstemus corpori, quod dolor exposcit, juro vobis per spem vitę meæ, in hoc funere amplius me erogaturum, quam dolor imperat. Continuò jubet instrui rogum; sed cum rogus ædificatur atque componitur, supervenit discipulus medici, aspectu adolescens, & quantum ad ingenium pertinet senex. Hic cum corpus speciosum super rogum vidisset positum, * intuitus magister eum, ait: Bene venisti, hæc enim hora expectavit te, tolle ampullam unguenti, & quod supremum est, defunctæ beneficio, superfunde sepulturæ. Venit juvenis ad corpus puellæ, detraxit à pectore vestes, * fudit unguenti liquorem, tractans manu corpus omne; præcordia vivere sensit & obstupuit, pulpat venas & indicia rimatur narium, labia labiis probat, sensit vitam cum morte luctantem, & ait ad servos suos, supponite faculas per quatuor angulos, lenteque & temperatè supponite. Quo facto, sanguis ille, qui coagulaverat, liquefactus est. Quod ut vidit juvenis, ait magistro, puella, quam dicis mortuam esse, vivit, & ut facilius mihi possis credere, experimento satisfaciam. His dictis tulit puellam, & in cubiculum suum, posuit, calefaciens oleum madefecit lanam, & posuit super pectus ejus, sanguis verò ille, qui intus coagulatus fuerat, accepto tepore liquefactus est, cœpitque spiritus per medullas descendere, venis itaque patefactis aperuit oculos, & recipiens spiritum leniebat verbum, lentoque sermone ait: Quisquis es, ne contingas me aliter, quam oportet tangere regis filiam, regisq; uxorem. Juvenis ut vidit, quia magistrum fallebat, gaudio plenus ait ad

* Cerimonis.

* quos.

* intuitus magistrum.

* fundit.

* accipe. * apodixin eum, Magiſter * incipe diſcipuli tui * apodixin præclaram laudare. Et introivit magiſter cubiculum, & vidit puellam vivam, & ait diſcipulo ſuo, probo artem, laudo prudentiam, miror diligentiam, & audi diſcipule, nolo te artis tuæ eſſe ingratum, accipe mercedem, hæc enim puella multam pecuniam ſecum attulit: & juſſit eam ſalubribus veſci cibis, & fomentis optimis recreari. Poſt paucos dies ut cognovit eam genere regio ortam eſſe, adhibitis amicis filiam ſibi adoptavit, & ut rogabatur ab ea cum lacrymis, ne ab aliquo contingeretur, inter ſacerdotes Dianæ templi eam cum fœminis miſit, ubi inviolabiliter ſervaretur.

Inter hæc Apollonius dum navigat cum ingenti luctu, gubernante Deo applicuit Tarſo, & deſcendens à rati petiit domũ Strangulionis & Dionyſiadis. Quos cũ ſalutaſſet, omnes caſus ſuos expoſuit eis dolenter, dicens: Quantum in amiſſa conjuge flebam, tantum in reſervata mihi filia conſolabar; & intuens Strangulionem & Dionyſiadem ait ad eos, Sanctiſſimi hoſpites, poſt amiſſam conjugem, regnum, quod mihi ſervatur, accipere nolo, neque ad ſocerum revertar, cui in mari perdidi filiam, ſed agam potius opera mercatoris, ideoq; vobis commendo filiam meam, ut cum * Philanitatis. filia veſtra * Philomatia nomine nutriatur. Quam ut bono animo ſuſcipiatis, peto, ut patriæ veſtræ nomine agnominetis Tarſiam, præterea nutricem uxoris meę Ligoridem nomine, cura ſua puellam cuſtodire volo. Hæc dicens tradidit Strangulioni infantem, deditq; aurum & argentum veſtesq; copioſas, & juravit neq; barbam neq; capillos nec ungues tonſurum, niſi prius filiam ſuam dediſſet nuptum. At illi ſtupentes, quod tam graviter juraverat, cum magna diligentia educaturos ſe puellam repromittunt. Apollonius autem navim aſcendit, altumq; pelagus petens, ignotas & longinquas terras petiit Ægypti regiones. Interea puella Tarſia expleto quinquennio traditur liberalibus ſtudiis, una cum Philomatiâ filia eorum coætanea ſua, & docebantur grandi ingenio. * adjutorio. Cumq; ad XIV. annos veniſſet, reverſa de * auditorio invenit nutricem ſuam Ligoridem, ſubitaneam valetudinem incurriſſe, & ſedens juxta eam cauſſas infirmitatis plorat. Cui nutrix, audi nutriculæ morientis verba ſuprema, domina Tarſia, hæc pectori tuo commenda: Interrogo namque te, quem tibi putas patrem aut matrem vel patriam? Puella ait, patriam Tarſum, patrẽ Strangulionem, matrem Dionyſiadem. Nutrix ingemuit & ait: Audi ſtemmata & originem natalium tuorum, ut ſcias, quid poſt mortem meam agere debeas. Eſt tibi pater nomine Apollonius, & * Lucina Alciſtratis. mater * Alciſtratis regis filia, quæ cum te enixa eſt, ſtatim præcluſo ſpiritu ultimum diem deſignavit, quam pater tuus Apollonius, effecto loculo, cum ornamentis regalibus in mare miſit, & XX. ſeſtertia auri poſuit ſub caput ejus, ut ubicumque fuiſſet devoluta

luta * ipsa sepulta fuisset. Navis quoq; luctantibus ventis cum patre tuo lugente, & te in cunabulis posita, pervenit ad hanc civitatem. His ergò hospitibus Strangulioni & Dionysiadi una mecum te commendavit Tyrius Apollonius pater tuus, votumq; fecit, nec capillos nec ungues detonsurum, nisi prius te nuptum tradiderit. Nunc ergò moneo, ut si post mortem meam hospites tui, quos parentes tuos appellas, aliquam forte tibi injuriam fecerint, ascende in forum, & ibi invenies statuam patris tui stantem, apprehende illam & proclama, filia ejus sum, cujus est statua. Cives verò memores beneficiorum patris tui, injuriam tuam vindicabunt. Cui Tarsia, chara nutrix, Deum testor, quia si forte aliquis humanus casus evenisset, antequam hæc mihi dixisses, ego penit? non scirem, unde essem. Et cum hæc invicem loquuntur, nutrix emisit spiritum. Tarsia verò corpus nutricis suæ sepelivit, atq; die annuo lugebat. Post depositò luctu, induit priorem dignitatem; petiit scholas ad studia liberalia reversa; non prius sumebat cibum, quam nutricis monumentum introisset, & ferens ampullam vini ingrediebatur, & ibi manes parentum suorum invocabat. Et cum hæc agerentur, quadam die Dionysiades cum filiâ suâ Philomatiâ & Tarsiâ transibat per publicum: videntes omnes cives speciem Tarsiæ & ornamentum dixerunt, felix pater, cujus filia Tarsia est, illa verò quæ adhæret ei, turpis est & dedecus. Dionysiades ut audivit Tarsiam laudari, suam filiam vituperari, versa in insaniam furoris, sola sedens secum cogitavit, Pater ejus, ex quo hinc profectus est, habet annos XIV. non venit ad recipiendam filiã suã, nec litteras misit, reor, quod mortuus sit, nutrix ejus * decessit, neminem habeo æmulum, tollam eam de medio, & ornamentis ejus filiam meam ornabo. Et hæc cogitans, nunciatur ei villicus venisse de villâ, nomine Theophilus. Quem convocans ait: Si cupis libertatem cum præmio accipere, tolle Tarsiam de medio. Villicus ait, quid peccavit innocens virgo? Scelerata est, ait, jam mihi negare non potes, fac quod jubeo, si negligis sententiam meã, me tibi scias iratam. Villicus ait, qualiter, domina, hoc fieri potest? At illa, consuetudo illi est, mox ut venerit de scholis, nõ prius sumere cibum, quam nutricis suę monumentum introierit, ibi te cum pugione * acutissimo paratũ inveniat, * crines ex occulto comprehendens à vertice astringe & interfice, & corpus ejus mitte in mare, cum adveneris, & de facto nunciaveris, libertatem cum præmio accipies. Villicus tulit pugionem, & latere suo celans intuetur cœlum & ait: Ego non merui libertatem, nisi per sanguinis effusionem innocentis virginis? Et gemens & flens ibat ad monumentum, & ibi latêre cœpit. Puella autem rediens de scholâ tulit ampullam vini, & ingressa in monumentum casus suos exponebat: & dum invocat manes parentum, villicus impetũ fecit,

* ipsa filii fuisset.

* discessit.

* altissimo.

* cujus.

& apprehendens crines puellæ jactavit eam in terram, dum autē vult percutere, ait ad eum Tarsia, ô Theophile, quid peccavi, ut in manu tuâ moriar? Cui villicus ait, tu nihil peccasti, sed pater tuus, qui te cum magnâ pecuniâ & ornamentis regiis reliquit. Cui puella ait, peto Domine, ut si nulla spes est vitæ meæ, permittas mihi Deum testari. Villicus, testare, & Deus ipse scit, me coactum facere hoc scelus. Sed cum precatur, apparuerunt piratæ, & videntes puellam sub jugo mortis stare, hominem armatum volentem percutere eam, clamaverunt, Parce, crudelissime barbare, hæc nostra præda, non tua victima est. At ille ut talia audivit, fugiens post monumentum latuit in littore maris. Piratæ verò raptâ virgine petunt mare. Villicus rediit ad dominam suam, & ait: Quod jussisti, factum scias: tu verò propter civium curiositatem ad præsens indue lugubrem vestem, sicut & ego, & falsis lacrymis dicamus eam stomachi dolore fuisse imbecillem, & prope suburbanos exitus fuisse defunctam. Strangulio ut audivit, tremor & stupor cepit eum, atq; ita dixit: Equidem da & mihi vestes lugubres, ut lugeam, quia tali *sceleri sum junctus. Heu quid faciam! Cum *Apollonium suscepissem, & civitatem à periculo mortis & famis *ille eripuisset, *hanc quasi suam ingressus est civitatem. Propter hanc naufragium pertulit, bona perdidit, exitium & penuriam perpessus est. Adeò verò restitutum est ei malum pro bono, filiam suam, quam nobis commisit bonâ fide nutriendam, *cui nomen caussa nostri amoris imposuit nostrę civitatis, scelesta & sæva lea devoravit. Heu cæcatus sum, Lugeam puellam innocentem & me, qui junctus sum ad pessimam venenosamq; serpentem: & in cœlum oculos elevans ait, Deus tu scis, quia purus sum à sanguine Tarsiæ, & requiras in Dionysiade, & intuens Dionysiadem ait: Quomodo suffocasti filiam regis, inimica Dei, hominumq; opprobrium? Dionysiades induit se & filiam suam lugubres vestes, falsasq; lacrymas fundunt, & unito populo, ad cives clamavit & ait: Cives charissimi, ideò ad vos clamamus, quia spes oculorum nostrorum Tarsia, quam bene à nobis educatam scitis, dolore subitò defuncta est, & nobis cruciatus & amaros fletus reliquit, quam dignè sepelire facimus. Tunc pergunt cives ubi figuratum erat, & pro meritis fabricant loculum ex ære *collato, & scripserunt DII. MANES. CIVES. TARSIÆ. VIRGINI. PRO. BENEFICIIS. PATRIS. EJUS. SEPULCHRUM. EX. AERE. *COLLATO. FECERUNT. Igitur qui Tarsiam rapuerant, advenerunt in civitatem Mitylenen. Deponitur illa inter cætera mancipia venalis. Audiens eam leno infaustissimus, mollis & impurus & dives, contendere cœpit; ut emeret eam. Sed Athenagoras princeps ejusdem civitatis, nobilem & sapientem & pulchram cernens puellam, obtulit x. sester-

*sceleri.
*cum suscepiss.
*deest ille.
*& hanc.
*cujus.
*collatum.
*collatum.

tia

tia auri. Leno ait : Ego dabo xx. Athenagoras dixit, ego xxx. Leno, ego xl. Athenagoras l. Leno, lx. Athenagoras lxx. Leno octoginta, Athenagoras xc. Leno : Ego in præsenti c. sestertia auri, & ait, si quis amplius, x. dabo super. Athenagoras ait : Ego si hîc cum lenone contendere voluero , ut unam emam, plures venditurus sum, permittam eum emere, & cum eam prostituerit, in lupanar intrabo prior ad eam, & eripiam nodum virginitatis, & erit mihi, sicut emerim eam. Quid plura ? Advertitur in salutatorium, ubi * leno habuit Priapum aureum ex gemmis, & ait, Adora præsentissimum numen ; at illa : Nunquam tale numen adoravi, & ait : Domine nunquid civis Lampsacenus es tu ? Leno ait : Quare ? At illa, quia cives Lampsaceni Priapum colunt. Leno ait, nescis misera, quia in domum lenonis avari incurristi ? Puella ait, prosternens se ad pedes ejus : Miserere, Domine, virginitatis meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi titulo. Cui leno ait, nescis, quia apud lenonem & tortorem nec preces nec lacrymæ valent ? Et vocavit villicum puellarum & ait, Ancilla, quæ præsens est, exornetur diligenter, & scribatur ei titulus : Quicumque Tarsiam deviolaverit, mediam libram dabit, postea ad singulos solidos populo patebit. Villicus fecit, quod jussum fuerat. * A lenone tertia die, antecedente turba cum symphoniacis deducitur ad lupanar. Sed Athenagoras princeps civitatis primum ingreditur velato capite. Introivit cellam & assedit. Et adveniens Tarsia procidit ad pedes ejus, & ait : Miserere mei Domine, per juventutem tuam & per Deum te adjuro, ne velis me violare, contine impudicam libidinem tuam, audi casus infelicitatis meæ, & originis meæ stemmata considera. Cui cum universos casus suos exposuisset, princeps confusus & pietate plenus ait ei : Erige te, scimus fortunæ vicissitudines & casus, homines enim sumus : habeo & ego filiam tibi similem, de quâ similes casus metuo. Hæc dicens, dedit ei xl. aureos dicens, ecce habes amplius, quam virginitatis tuæ propositum sit, dic advenientibus similiter, quousq; liberêris. Puella profusis lacrymis ait : Ego pietati tuæ gratias ago, & * rogo, ne alicui narres, quæ à me audisti. Athenagoras ait, si narravero, filia mea, cum ad talem venerit ætatem, similem * casum patiatur, & cum lacrymis discessit. Cui exeunti obvius ejus collega ait : Quomodo tibi convenit cum puellâ ? Athenagoras ait, non potuit melius, erat enim tristis. Exeunte Athenagora intrat juvenis, & puella more solito ostium clausit. Cui juvenis ait, quantum tibi dedit juvenis ille ? Puella, xl. aureos. Juvenis ait, accipe integram libram auri. Athenagoras audivit & ait, quanto plus dabis, tanto plus plorabit. Puella ut accepit nummos, procidit ad pedes ejus, & casus suos indicavit. Aporiatus juvenis ait, Domina alleva te, homines sumus, casibus subjacemus. Hæc di-

* deest leno.

* cum lenone.

* deest rogo.

* deest casum.

cens exiit. Vidit itaq; Athenagoram ridentem, & ait illi, Magnus homo es, non habes, cui lacrymas propines, nisi mihi? Et jurabant ne hæc verba cuiquam proderent, & cœperunt aliorum eventum expectare, * insidiantes per occultum aspectum: omnes qui introibant dantes pecuniam flentes exibant. Postea * puella obtulit lenoni pecuniam dicens: Ecce pretium virginitatis meæ. Leno ait, vide, ut tantas quotidie pecunias afferas. Alterâ die item ait ad eum, ecce pretium virginitatis meæ, quam lacrymis & precibus custodio. Iratus leno, audito quod virgo mansisset, vocat villicum puellarum & ait: Duc eam ad te, & eripe nodum virginitatis, si virgo tantum, quantum mulier * offeret? Cumque eam villicus duxisset in cubiculum, dixit ad eam, dic mihi, adhuc virgo es? At illa, quam diu Deus vult, virgo sum. Villicus ait, unde tantam attulisti pecuniam? Puella ait, lacrymis profusis, exponens omnes casus meos, rogavi homines ut misererentur virginitatis meæ, & prosternens se pedibus ejus ait: Miserere mi Domine, subveni captivæ regis filiæ, ne violes me. At ille, nimiū avarus est leno ille, nescio, si possis virgo manere. At illa, studiis liberalibus erudita sum, & in lyra possum modulari, duc me in forum, ibi facundiam meam poteris audire, proponam quæstiones populo, * propositas solvam, & hac arte quotidie pecunias applicabo. Quod fecit villicus, & omnis populus cucurrit ad virginem videndam. At illa aggreditur facundiam studiorum, quæstiones sibi proponi jubet, & acceptas cum multo favore solvit. Tunc ingens clamor populi circa eam excrevit, ut multa pecunia ei ab omnibus daretur. Athenagoras verò illam integrâ virginitate ut unicam filiam custodiebat, ita ut eam villico donis multis commendaret. Cum hæc Mitylene agerentur, venit Apollonius decimo quarto anno jam transacto, ad domum Strangulionis & Dionysiadis in civitatem Tarsum. Quem cū vidisset Strangulio, perrexit rapido cursu, dixitq; Dionysiadi uxori suæ, certè dixeras Apollonium naufragium fecisse, ecce venit ad repetendā filiam suam, quid dicturi sumus patri de filia? Et illa dixit, miser conjux, confiteor, nostram cum diligerem, perdidi alienam: accepi, verò consilium, ut veste lugubri induerer, fictas funderem lacrymas, & dicerem in villâ suburbanâ periisse Tarsiam, cum nos ipse viderit tali habitu, credet nobis. Cum hæc ita diceret, introivit Apollonius, ut verò vidit eos lugubri indutos, ait: Fidelissimi hospites mei, quid in adventu meo tam longas funditis lacrymas? aut certè istæ lacrymæ non sunt vestræ, sed meæ. Scelesta mulier cum mœrore expressit lacrymas, & ait: Utinam ad aures tuas alius pertulisset, & non ego, aut conjux meus, nam Tarsia filia tua subito dolore stomachi defecit. Apollonius hoc audiens, totum corpus suum contremuit, diuque defixus stetit, tandem resumpto spiritu intu-

* insidiantibus.
* puella.
* offeret.
* propositas solvit.

intuens mulierem ait: Dionyſiades, ſi filia mea, ut dicis, mortua eſt, nunquid & pecunia ac veſtes, ſimulq; ornamenta perierunt? Sceleſta ait, ex parte ſunt, ex parte perierũt: tunc aliqua ex eis proferuntur, dixeruntq; Apollonio: Crede nobis, quia credidimus, ut filiam invenires; & ut ſcias nos non eſſe mentitos, habemus teſtimonium, cives enim noſtri memores beneficiorum tuorum, in proximo littore ex ære * collato filiæ monumentum fecęrunt, quod potes videre. Apollonius credens eam defunctam, ad famulos ait: Tollite hæc famuli & ferte ad navim, ego vadam ad filiæ meæ monumentum. Et ubi venit, legens titulos, CIVES. TARSENSES. TARSIÆ. APOLLONII. FILIÆ. OB. BENEFICIUM. EJUS. MONUMENTUM. EX. AERE. * COLLATO. DEDERUNT, Perlectis titulis ſtupente mente conſtitit, & dum ſe non flere miraretur, maledicens oculis ait: O crudeles oculi, potuiſtis titulum filiæ meę cernere, non potuiſtis lacrymas fundere! Et veniens ad navim, famulis ſuis ait, projicite me quæſo in ſentinam navis, cupio enim in undis exhalare ſpiritũ. Et dum proſperis navigat ventis Tyrum reverſurus, ſubitò mutatum eſt pelagus, & per diverſa maris diſcrimina naves jactabantur. Omnibus autem Deum rogantibus, ad Mitylenem civitatẽ venerunt. Gubernator cum omnibus dedit plauſum. Apollonius ait, quis ſonus hilaritatis aures meas percutit? Gubernator ait, gaude Domine, quia hodie Neptunalia celebrantur. Apollonius ingemuit & ait: Ergò omnes diem feſtum celebrent præter me. Tunc vocavit diſpenſatorem ſuum, & ait illi: Ne nõ lugens, ſed avarus, videar, ſufficiat famulis meis ad pœnam, quod tam infelicẽ ſortiti ſunt Dominum, dona x. aureos, & emant, ſi quid volunt, & diem feſtũ celebrent, me autem veto à quocumq; vocari, quod ſi quis fecerit, crura illi frangi jubebo. Diſpẽſator itaq; emit neceſſaria, & rediit ad navim. Cum igitur inter omnes navis Apollonii honoratior foret, & cum * diem feſtum magno convivio melius cæteris * celebrarent nautæ Apollonii, Athenagoras, qui Tarſiam diligebat ut filiam, deambulabat in littore, viditq; navim Apollonii, & ait: Amici, ecce illa navis mihi placet, quã video paratã. Nautæ ut audiunt ſuã navim laudari, dicunt: Invitamus te, princeps magnifice, ſi dignaris. Athenagoras aſcendit navim, & libenti animo diſcubuit, poſuitque x. aureos in menſa, & ait: Ecce, ne fruſtra me invitaveritis. Omnes dixerunt, bene accipis nos Domine. Videns autem Athenagoras omnes unanimiter diſcumbentes ait: Quis Dominus eſt navis? Et ait gubernator, Dominus navis in luctu moratur, jacet in tenebris ſub ſentinâ navis, & mori deſtinat, in mari conjugem perdidit, & in terris filiam. Athenagoras ait ad unum de ſervis Ardalium nomine, dabo tibi duos aureos, tantum deſcende, & dic ei, rogat te Athenagoras princeps civitatis hujus, procede de

* collatum.

* collatum.

*abeſt, diem feſtum. * celebrat.

tenebris

tenebris ad lucem. Juvenis ait, non possum aureis mea crura reparare, quære alium, quia jussit, ut quicumque eum appellaverit, crura ejus frangantur. Athenagoras ait, hanc legem vobis constituit, non mihi, quem ignorat, ego ad eum descendam, dicite, quomodo vocatur. Et dixerunt famuli, Apollonius. Athenagoras audito hoc nomine ait intra se, & Tarsia patrem appellavit Apollonium. Tunc pueris demonstrantibus pervenit ad eum. Quem ut vidit barbâ capite squallidum, & in tenebris jacentem, * submissa voce dixit: Ave Apolloni. Apollonius ut audivit, putans se ab aliquo servorum appellari, turbulento vultu respiciens, vidit ignotum sibi hominem, mœstum & decorum, furorem silentio texit. Athenagoras ait: Scio, te mirari, quod ignotus te appellavi, disce, quia princeps sum hujus civitatis, Athenagoras nomine, descendi in littus ad naves contuendas, inter cæteras vidi navim tuam decenter ornatam, & amavi aspectum ejus, dum aspicio, invitatus sum à nautis tuis, ascendi & libenti animo discubui, inquisivi Dominum navis, quem dixerunt in luctu grandi esse, quod & video. Prodest ergò, quod veni ad te, procede de tenebris ad lucem, discumbe paullisper, spero autem, quia dabit tibi Deus post hunc ingentem luctum amplius gaudium. Apollonius levavit caput & ait: Quisquis es, Domine, vade in pace, ego autem non sum dignus epulari, & amplius vivere nolo. Athenagoras confusus, ascendit in superiora navis & dixit, non potui persuadere Domino vestro, ut vel ad lucē exiret, quid faciam, ut eum revocem à proposito mortis, & ait ad unum de pueris suis: Vade ad lenonem & roga eum, ut mittat ad me Tarsiam, habet enim sapientiam & sermonem suavem, potest eum forsitan exhortari, ne talis taliter moriatur. Leno cum audisset, permisit eam. Venit igitur puella ad navim, ad quam ait Athenagoras, veni ad me Tarsia domina, hic necessaria est ars studiorum tuorum, ut consoleris Dominum navis in tenebris sedentem, atque horteris, provoces eum exire ad lucem, lugentem conjugem & filiam, hæc est causa pietatis, pro qua Deus propitius est hominibus. Accede ad eum, & suade ei venire ad lucem, forsitan per nos Deus vult eum vivere; si enim poteris facere, dabo tibi xxx. sestertia argenti & totidem auri, & xxx. dies redimam te à lenone. Puella hæc audiens constanter ad hominem descendit, & mira voce salutavit eum dicens: Salve, quicumque es, salve & lætare, non enim ad te consolandum polluta venit, sed innocens virgo, quæ virginitatem suam inter naufragia & castitatem inviolatam *conservavit. Tunc in carminibus cœpit modulatâ voce cantare:

* submissa.

* conservabi.

Per sordes gradior, sed sordium conscia non sum,
Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Corri-

Corripit & raptor gladii ferientis abictu:
Tradita lenoni non ſum violata pudore.
Vulnera ceſſaſſent animi, lacrymæque deeſſent,
Nulla etenim melior, ſi noſſem certa parentes,
Unica regalis generis ſum ſtirpe creata:
Ipſa jubente Deo lætari credo aliquando.
Fige modo lacrymas, curam diſſolve moleſtam,
Redde polo faciem, mentemque ad ſydera tolle.
Nam Deus eſt hominum plaſmator, rector & auctor,
Non ſinet has lacrymas caſſo finire labore.

Ad hæc Apollonius levavit oculos, & ut vidit puellam ingemuit, & ait: Heu mihi miſero, contra pietatem quam diu luctabor! Erigens ſe Apollonius reſedit & ait: Gratias ago prudentiæ tuæ, & nobilitati hanc vicem rependo, ut memor tui ſim ſi quando lætari licet, & regni mei viribus levabo: Forſitan, ut dicis, regio genere orta es, natalibus parentum tuorum repræſentaberis. Nunc accipe centum aureos, & ac ſi me in lucem reduxeris, læta diſcede, noli me appellare, recente enim luctu renovatâ calamitate tabeſco. Puella acceptis aureis abire cœpit: & ait ad eam Athenagoras, quo vadis Tarſia? ſine effectu laboraſti? non potuiſti facere miſericordiam, ac ſubvenire homini interficienti ſe? Et ait Tarſia, omnia, quæcumque potui, feci, & datis mihi centum aureis abire rogavit, & ait renovati ſe luctus dolore cruciari. Athenagoras ait, dabo tibi ducentos, deſcende, redde, quod dedit, & dic: Salutem tuam, non pecuniam quæro. Deſcendens Tarſia ſedit juxta eum & ait: Si in iſto ſqualore & in tenebris permanere deſtinaſti, permitte me tecum ſermonem miſcere: Si ergò parabolarum mearum nodos * ſolveris, vadam, ſin aliâs, refundam tibi pecuniam & abſcedam. Tunc Apollonius, ne reciperet pecuniam, ſed etiam puellæ prudentes ſermones audiret, ait, licet in malis meis nulla mihi cura ſuppetat niſi flendi & lugendi, tamen ne ornamento lætitiæ caream, quod interrogatura es *, breviter interroga & abſcede, peto enim ut fletibus meis ſpatium tribuas. Et ait Tarſia:

* abſolveris.

* deſs breviter interroga &.

Eſt domus in terris quæ nobis clauſa reſultat,
Ipſa domus reſonat, tacitus ſed non ſonat hoſpes:
Ambo tamen currunt, hoſpes ſimul & domus una.

Et ait, ſi rex es, ut dicis, convenit te nihil eſſe prudentius, ſolve quæſtionem. Et ait Apollonius: Ut ſcias me non eſſe mentitum, domus quæ in terris reſonat, unda eſt, hoſpes tacitus, piſcis eſt, qui cum domo ſuâ currit. Et ait Tarſia:

Longa feror velox formoſæ filia ſylvæ,
Innumerâ pariter comitum ſtipante catervâ:
Curro vias multas, veſtigia nulla relinquo.

Apollo-

Apollonius ait: O si licitum esset, ostenderem tibi, quæ tu ignoras: tamen respondebo quæstionibus tuis, miror te tam tenera ætate mirifica prudentia esse imbutam, namq; arbor stipata catervis, vias multas currens, & vestigia nulla relinquens, navis est. Et * Tarsia addidit:

* deest Tarsia.

Per totas ædes innoxius introit ignis,
Est calor in medio magnus, quem nemo removit:
Non est nuda domus, nudus sed convenit hospes,
Si luctum * ponas, insons * intrabis in ignes.

* poneres. * instrares.

Apollonius ait, intrarem balneum, ubi hinc inde flammæ per tabulas surgunt, nuda domus, in qua nihil intus est, nudus hospes convenit, nudus sudabit. Cum hæc & his similia diceret, puella misit se super Apollonium, & distractis manibus eum amplexabatur dicens: Quid me tantis malis affligis, exaudi vocem deprecantis, respice virginem, talis prudentiæ virum mori nefarium est: Si conjugem desideras, Deus tibi restituet, si filiam, salvam & incolumem invenies. Et tenens eum conabatur trahere. Apollonius in iracundiam versus, surrexit & Tarsiam calce percussit. Impulsa virgo cecidit, & genæ ejus ruptæ sunt, cœpitq; sanguis effluere. Conturbata virgo cœpit flere & dixit: O ardua cœlorum potestas! tu * me tantæ calamitatis angustiis ab ipsis nativitatis meæ exordiis fatigas, nam ut nata sum inter fluctus & procellas, mater mea doloribus constricta periit, & mortuæ sepultura negata est in terra, ornata à patre meo dimissaq; in loculo cum xx. sestertiis auri, Neptuno tradita est. Ego infelix Strangulioni & Dionysiadæ impiissimis hominibus à patre commissa, cum ornamentis & regalibus vestibus, usque ad necem superveni, per invidiam jussa sum puniri à servo eorum ac occîdi. Tandem * cum ferro intra jugulum prope condito, ut Deum testarer, postulassem, piratis supervenientibus sum rapta, & in hunc locum deducta. Deus reddet me Apollonio patri meo. Apollonius audiens hęc signa, exclamavit voce magna & ait: O Domine misericors, qui conspicis cœlum & abyssum, & omnium secreta patefacis! Et hæc dicens, cecidit super amplexus Tarsiæ, & vehementius clamavit dicens: Currite famuli, currite amici, anxietati meę finem imponite. Audito clamore famuli cucurrerunt, cucurrit etiã inter illos Athenagoras princeps, & descendentibus illis in navim, invenerunt flentem super collum filiæ suæ, & dicentem: Ecce filia mea, quam lugeo. Tunc erigens se Apollonius, projectis vestibus lugubribus, indutus est vestibus mundissimis. Cui filia narravit, quomodo à lenone comparata, in lupanari posita est. Audiens hæc Athenagoras, timens ne alii filiam in matrimonium daret, misit statim se ad pedes Apollonii dicens: Adjuro te per Deum vivum, qui te patrem filiæ restituit, ne alii des filiam tuam nisi mihi: sum enim prin-

* me pater tanta.

* ejus. * cum intra jugulum ut.

princeps hujus civitatis, mea ope virgo permansit,& me ducente patrem agnovit. Cui Apollonius ait : Ego huic tantæ pietati & bonitati non possum esse contrarius, imò opto, quia votum vovi, non me depositurum luctum , nisi filiam meam nuptum tradidero , hoc enim restat, ut filiam meam vindicem à lenone,quem sustinuit inimicum. His auditis Athenagoras citò cucurrit ad curiam, & convocatis civibus dixit : Ne pereat civitas propter unum impium, sciatis Apollonium regem ad hoc venisse, ecce classes navium properant grandi cum exercitu, eversurus civitatem lenonis ob impietatem, quia Tarsiam filiam suam in lupanari constituit. Mox,ut dictum est, concursus factus est & tanta commotio populi, ut nec viri nec fœminæ remanerent, quin concurrerent ad Apollonium regem. Et dixit Athenagoras : Ut liberetur civitas, deducatur ad eum leno. Vinctis ergò manibus post tergum deducitur leno. Apollonius regiâ veste indutus, tonso capite & omni squallore depositο, diadema imposuit,tribunal ascendit, civibusq; audientibus ait : Vidistis Tarsiam à patre suo hodie cognitam , quam cupidissimus leno ad vos despoliandos usq; hodie depressit. Ut ergò pietati vestræ plenius gratias referam , filiæ meæ procurate vindictam. Omnes unâ voce dixerunt : Leno vivus ardeat, & divitiæ ejus puellæ dentur. Adducitur leno protinus,& igni traditur arsurus. Tarsia ait villico , dono tibi libertatem , quia beneficio tuo & civium virgo permansi, & donavit ei ducentos aureos & libertatem : libertatem verò cunctis puellis coram se præsentatis * donavit, & dixit , & quidquid de corpore vestro hactenus servistis , ex hoc liberæ estote. Erigens etiam se Apollonius ad populum loquitur dicens : Gratias pietati vestræ refero venerandi & piissimi cives, quibus longa fides pietatem præbuit, & quietis salutem exhibuit , nunc ergò tribuo vobis auri pondera quinquaginta. Quod cum in præsenti fieret, fuderunt ei statuam ingentem, & in base scripserunt,

* perdonavit.

TYRIO. APOLLONIO
RESTAURATORI
DOMUUM. NOSTRARUM
ET. TARSIAE
SANCTISSIMAE. FILIAE
EJUS. VIRGINI.

Tunc intra paucos dies Apollonius tradidit filiam suam in conjugium Athenagoræ,cum ingenti lætitiâ totius civitatis. Et cum eodem navigans inde cum suis omnibus , volens per Tarsum proficiscendo redire ad patriam suam , in somnis admonitus est

per angelum, ut Epheſum deſcenderet, & intraret templum Epheſiorum cum filiâ & genero ſuo, ibiſque omnes caſus ſuos exponeret, quos paſſus eſſet, poſtea veniret Tarſum, & vindicaret innocentem filiam ſuam. Apollonius expergefactus, indicavit hæc omnia genero & filiæ ſuæ. Et illi dixerunt, fac, quod tibi videtur. Tunc juſſit gubernatori tendere Epheſum. Qui cum deſcendiſſet ratem cum ſuis, templum petiit, ubi conjux ſua inter ſacerdotes principatum tenebat. Rogavit, ut aperiretur ſibi ſacrarium; dicitur prius ſacerdoti: Venit quidam neſcio quis, cum filiâ & genero ſuo & nimiis donis, & petit ſibi aperiri ſacrarium. Hoc audito, Alciſtratis *regis filia gemmis regalibus ornavit caput, & veſtivit ſe veſte purpureâ, venitque ſtipata catervis, erat enim effigie decora, & ob nimium caſtitatis amorem, aſſerebant omnes nullam tam gratam eſſe virgini. Quam videns Apollonius cum filiâ ſuâ & genero, miſit ſe ad pedes ejus, tantus enim ſplendor ejus pulchritudinis imminebat, ut ipſa eſſe Diana videntibus putaretur. Aperto itaque ſacrario, obtulit multa munera pretioſa, & poſt hæc cœpit Apollonius dicere: Ego ab adoleſcentia Rex natus, Tyrius Apollonius nominatus, cum ad omnem ſcientiam perveniſſem, regis iniqui Antiochi quæſtionem exſolvi, ut ejus filiam acciperem, ſed ille fœdiſſimâ ſorde ſauciatus eſt, ita ut *cui pater fuerat conſtitutus per naturam, ei fieret conjux per impietatem: nam & me conabatur occidere. Quem dum fugio, naufragus ad Cyrenem à rege Alciſtrate gratiſſimè ſuſceptus, in tantum benevolentiam ejus ſum expertus, ut filiam ejus mererer accipere. Deinde mortuo Antiocho, cum properarem ad regnum percipiendum, ipſa mecum comitante, hanc filiam meam, quam coram te magna Dea Diana repræſentari juſſiſti, angeli juſſu, poſtquam in navi peperit, ſpiritum emiſit. Quam ego regio habitu indui, & cum xx. ſeſtertiis auri, in loculo clauſam in mare miſi, ut inventa dignè ſepeliretur. Et hanc filiam meam nutriendam nequiſſimis hominibus commendavi, & ſuperiores Ægypti partes petii. Quartodecimo autem anno adveniens, ut filiam meam expeterem, dixerunt eam eſſe defunctam. Et dum credidi, vivo in luctu in lugubribus veſtibus, & mori cupiens, mihi filia mea reddita eſt. Cum hæc & his ſimilia narraret, Alciſtratis * filia, uxor ipſius, levavit ſe, & rapuit eum in amplexum. Apollonius autem repulit eam à ſe, at illa cum lacrymis dicebat: Ego ſum conjux tua, Alciſtratis regis filia, & tu es Tyrius Apollonius, tu es meus magiſter, qui me docuiſti, tu es qui me à patre Alciſtrate accepiſti, tu es, quem naufragum adamavi, non cauſſa libidinis ſed ſapientiæ, & ait ad eum, ubi eſt filia mea? Et ipſe oſtendens ei Tarſiam dixit,

*deeſt regia filia.

*deeſt cui.

*deeſt filia.

dixit, hæc eſt filia, quam vides. Tunc reſonat in tota Epheſo, Tyrium Apollonium regem uxorem * ſuam in templo offerentem cognoviſſe, fit lætitia ingens in tota civitate Epheſiorum. Ipſe verò aſcendit navim cum uxore & genero & filia, revertens ad patriam ſuam. Veniens igitur Tyrius Apollonius Antiochiam regnum ſibi reſervatum recepit, & pergens Tyrum conſtituit in loco ſuo Athenagoram generum ſuum. Deinde cum ipſo genero & filia ſua, & cum exercitu regio veniens Tarſum, juſſit comprehendi Dionyſiadem & Strangulionem, & duci ante ſe, & coram omnibus civibus ait: Beatiſſimi cives Tarſenſes, nunquid Apollonius Tyrius alicui veſtrum extitit ingratus? Et omnes dixerunt: Te regem & patrem patriæ omnes diximus, pro te mori libenter optamus, hoc ſtatua à nobis facta teſtatur. Et ait Apollonius, Commendavi * filiam meam Strangulioni & Dionyſiadi uxori ejus, & eam mihi reddere noluerunt. Infelix mulier ait: Bone Domine, nunquid non tu ipſe titulum monumenti ejus legiſti? Apollonius juſſit venire Tarſiam in præſentiam civium, & revelata facie Tarſia maledixit mulieri, Dionyſiades ave, ſaluto te Tarſia ab inferis revocata. Infelix mulier toto corpore contremuit, cives mirantur & gaudent: Et juſſit Tarſia venire villicum, cui ait, Theophile, ut poſſit tibi ignoſci, clarâ voce reſponde, quis me tibi interficiendam obligavit? Villicus ait, Dionyſiades domina mea. Tunc cives rapuerunt Strangulionem & Dionyſiadem, extra civitatem trahentes lapidaverunt, volentes & Theophilum occidere, ſed interventu Tarſiæ non tangitur, quæ ait, niſi ad teſtandum mihi ſpatium dediſſet, modo mea pietas illum non defenderet, quem manu miſſum abire præcepit. Infelicem filiam occiſorum etiam Tarſia depulit. Apollonius dedit munera ad reſtaurandam civitatem, & moratus eſt ibi menſibus ſex. Navigans inde Pentapolim civitatem, curiam ingreditur ad Alciſtratem regem gaudens. In ultimo ſenectutis rex vidit filiam ſuam, & neptem cum marito ſuo, integer annis. Poſt hæc moritur perfectâ ætate, in manibus eorum dimittens hæreditatem regni ſui Apollonio, in medietatem filiæ ſuæ.

* ſuam Alciſtratem.

* hanc filiam.

Omnibus his peractis, dum ambularet Apollonius juxta mare, vidit piſcatorem, à quo naufragus fuerat ſuſceptus, juſſitq; eum apprehendere & ad palatium duci. Videns piſcator à militibus ſe comprehendi, putavit occidi. Ingreſſus Apollonius juſſit eum adduci ad ſe, & ait: Hic eſt paranymphus meus, qui mihi naufrago opem dedit, & ad civitatem venire oſtendit, & dixit ei: Ego ſum Apollonius Tyrius, cui dimidium tribuiſti tribunarium, & donavit ei CC. ſeſtertia argenti, & ſervos & ancillas, &

fecit eum Comitem ſuum, uſque dum vixit. Hellanicus verò, qui de Antiocho nunciavit, obtulit ſe Apollonio, & procidens ad pedes ejus ait, Domine, memor eſto Hellanici ſervi tui, Apollonius apprehenſa manu Hellanici, erexit eum, fecitque divitem, & ornavit Comitem. His expletis genuit Apollonius de conjuge ſua filium, quem in loco avi ſui Alciſtratis conſtituit regem. Vixit verò Apollonius cum conjuge ſua annos LXXIV. & tenuit regnum Antiochiæ & Tyri & Cyrenenſium. Quietè vixit & feliciter. Caſus ſuos ipſe deſcripſit, duo volumina perfecit, unum in templo Epheſiorum, alterum in ſuâ bibliothecâ collocavit.

Explicit feliciter.

FRAG-

FRAGMENTA TABULÆ ANTIQUÆ,

IN QUIS

ALIQUOT PER ROM. Provincias Itinera.

Ex Peutingerorum bibliotheca.

Edente, & explicante

MARCO VELSERO
Matthæi F. Aug. Vind.

FRAGMENTA
TABULÆ ANTIQUÆ
IN QUIS
ALIQUOT PER ROM.
Provincias Iuncta.
[illegible]
[illegible]
MARCO VELSERO
Maximo Reg. Vind.

Digitized

VIRO ILL. ET NOBILI

JACOBO CURTIO

A

SENFTENAU,

S. R. I.

PROCANCELLARIO

Marcus Velſerus

S.

T tibi hanc expoſitionem inſcriberem Vir Ill. multa me impulere. Mitto externa. Intra te ſunt: Virtus etiam ignotis non ignota: Prudentia à natura indita, præſtantiſſimarum diſciplinarum doctrina, & maximarum rerum uſu exculta: Auctoritas tanta, quantam neceſſe fuit excellentem virtutem, & eruditam prudentiam conſequi: Amor & ſtudium in elegantiores litteras vehemens adeò, ut profecto in incredibili diverſiſſimorum negotiorum mole planè ſit incredibile. Impulere iſta: Perpulit mirifica humanitas, qua una reliqua illa ita exornas, ut ſingula per ſe magna, maxima & præclariſſima perficias. Hanc omnium ore celebrem, ut ante annos viginti coram cognoſcerem, melior mihi fortuna indulſit. Neque me ejus exinde oblivio cepit, aut erit, ut in poſterum capiat. Fatebor tamen proximis diebus illuſtriorem ſolito ob oculos verſatam:

Cum intellexi tam diuturno decurſo tempore, tibi non modo recentem memoriam, ſed ex veteri conſuetudine propenſam adhuc in res noſtras voluntatem conſtare. Cui gratiam referendi quoniam quam aliam rationem ineam non video: Hanc tabellam, AMORIS, OBSERVANTIÆ, GRATITUDINIS MONUMENTUM, tuo nomini dicatam pendere patieris: Ego lætus lubens merito (ut habet vetus formula) conſecro. Vale,

Auguſtæ Vindelic.

PRÆFATIO
IN FRAGMENTA TABULÆ ITINERARIÆ ANTIQUÆ.

Meminit B. Rhenanus in libris rerum Germanicar. aliquoties tabulæ antiquæ, quam apud Chunradum Peutingerum amicum ſuum Auguſtæ viderit: Chartam provincialem, itinerariam, militarem, diverſis locis appellat: Ait ſub ultimis Imperatoribus depictam, à Celte in quadam bibliotheca repertam eſſe, planè veterem. Ex ea cum teſtimonia nonnulla produxiſſet, plerosq; illius videndæ deſiderio vehementi incendit. Exiſtimabant homines eruditi, hoc finium regundorum judice, qui omnem exceptionem ſuperaret, multas tantum non immortales geographorum diſſenſiones componi, multos inextricabiles in hiſtoricorum libris nodos ſolvi poſſe. Verum Peutingerus, dum vixit, tabulam non emiſit; neque illa eo mortuo, quod mihi conſtet, in cujusquam conſpectum venit, quamvis ſæpius diligenter quæſita. Inventa ſunt autem, inter reliqua litteraria cimelia, ſchedæ duæ, quas ex tabula iſta delineatas appareret: ita ut altera, altroverſum plus ſpatii exprimeret, neutra totum autographum referret, quod certis indiciis liquet. Hæ cum ad manus meas perveniſſent, committendum non exiſtimavi, ut publico invideret. Vulgavi itaq; ea fide, quæ alicui nimia videri poſſit (nam maxima minima pari diligentia exprimenda curavi, etiam errores manifeſtos, in explicationibus, quàm in ſchedis, corrigere malui.) Sed profecto, reddendis antiquis monumentis nemo ſatis religioſus eſt, qui ſuperſtitioſus haberi metuit. Editionis conſilium non eſt, cur pluribus commendem: Sive autographum periit, ſive deliteſcit, aliquando lucem viſurum (quod ominari placet) interim fragmentis hiſce frui, gratiæ apponent docti omnes, certò ſcio. Explicationem addere viſum neceſſariò. Non quod de illis rebus hariolandum ſit, quæ nullis veſtigiis indagari poſſunt, qualia pleraque nomina nunc primum in lucem rediviva, quæ ferè intacta transmitto: ſed quod mihi attentè cogitanti nonnulla in mentem venerint, quæ tum in univerſum, tum per partes monita, lectores eo

labore videbantur levare. Et periculum fuerit, si schedas nudas emitterem, ne permulti, quibus illæ jam usui erunt, vix inspectas abjicerent, tædium non laturi corrigendi, quæ à descriptoribus errata, commodè explicandi, quæ ab auctore inconcinnius posita, confirmandi, quæ in speciem dubia incerta, annotandi denique, si qui ab autographo errores viderentur. Nam aut ego fallor, aut his ipsis salebris impeditus Peutingerus, quo nemo antiquitatis studia promovit cupidius, ab editione abstinuit. Monebo itaque non pauca paucis, sine ostentatione, sine insectatione. Cur enim aut mihi nimis placeam, si his ducibus viam tenuero, aut aliorum elevem diligentiam, si illis destituti, in tam densis antiquitatis tenebris interdum aberravere? Quidquid hujus, profecto neque iis fraudi, neque mihi laudi erit: Quam adeò non capto, ut me uberrimos fructus percepisse existimaturus sim, si commentatione ista schedarum inspectoribus aliquam lucem prætulero. Dicam autem primo loco, quæ de auctore, de tabula, de schedis, de lineis, & numeris mea sententia: Ad singulorum deinde locorum nomina accedam.

Auctorem geographiæ imperitum, mathematicas litteras in universum non doctum fuisse, necessariò fatendum, res enim loquitur: Cum neque provinciarum circumscriptiones, & figuræ, neque littorum extremitates, neque fluviorum decursus, neque locorum intervalla geographicis canonibus respondeant. Inde fit, ut non temere suspicer, hæc in turbido castrensi, potius quam erudito scholarum pulvere nata, manu Metatoris alicujus descripta esse. Metatores sunt Vegetio lib. 2. cap. 7. qui præcedentes locum eligunt castris: *eum deinde mensores militibus ad podismum dimetiuntur. Verum usus obtinuit, ut Metatores dicantur, etiam qui in civitatibus diversoria, & hospitia designant. Ita Cod. lib. 2. tit. 8. l. 3. & 5. lib. 12. tit. 19. l. 9. tit. 41. l. 1. 2. 5. 9. & 11. Domus attributæ Metata, per totum hunc postremum titulum. Metatoribus autem necessaria cognitio Itinerum, Trajectuum, Civitatum, Interstitiorum: Et quæ multa præterea ad id institutum pertinent. Nam mihi dubium nullum est, designandæ itinerum rationi Metatores à ducibus consilio adhibitos. Exempli caussa producamus Lampridii verba ex Alexand. Severo:* Itinerum autem dies publicè proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: Illa die, illa hora ab urbe sum exiturus, & si dii voluerint, in prima mansione mansurus. Deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda. *Hujuscemodi edicta non nisi à perito Metatore instrui poterant, qui mansiones, earum-*

rumq; intervalla, magnitudinem, & annonæ copiam in numerato haberet, quo præscriberet, quanta exercitus pars in unaquaque commodè manere posset. Et ea apud me verisimillima est opinio: Itinerarium provinciarum, quod Ant. Aug. tribuitur, cujus auctoritate persæpe usuri sumus, à Metatoribus originem ducere. Nam id, quod Lampridius edictum appellat, à D. Ambrosio serm. 5. in psalm. 118. Itinerarium dicitur. Placet totum locum exscribere, mirè enim ad institutum nostrum facit. Miles qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluptuaria captat compendia, ne recedat à signis: Sed Itinerarium ab imperatore accipit, & custodit illud; præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, ut inveniat commeatuum sibi parata subsidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit; quia Imperator his jubet hæc præparari omnia, qui sequuntur, nec dextra nec sinistra à præscripto itinere declinant. Meritoque non deficit, qui Imperatorem sequitur suum, moderatè enim ambulat, quia Imperator non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile considerat: Ideò & stativas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die, eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur. Et ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniatur, quæ quasi Regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur. Hanc legem esse præscriptam, Christo ducente, sanctis commeantibus, recognoscas velim. Profecti sunt enim & patres nostri de terra Ægypti, per longa spatia terrarum, quorum stativæ omnes, mansionesque descriptæ sunt, donec Cades, id est, ad sanctorum terram perveniretur. *Vides, quis itinerarii usus, qui etiam ab aliis est observatus. Verum enimvero, quoniam*

> Segnius irritatnt animum demissa per aurem,
> Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus, & quæ
> Ipse sibi tradit spectator.

Hinc credibile, libellos itinerarios quandoque delineatis tabulis explicatos; quo nimirum itinerum, & mansionum constitutio in tabulis uno intuitu sub imperatorum oculos veniret. Neque id nulla de caussa, quando hæc in primis Imperatoribus cura curanda. Fuerit exercitus Lugduno Batavorum, Noviomagum movendus, ob magnitudinem, vel alia quavis occasione divi-

dividendus : Multum intererat hanc cognitionem oculis præcipere, binas esse vias, quæ illo ducant, dexteriorem sex mansionibus distinctam, dextro flumine, sinisteriorem novem mansionum, lævo flumine uti, huic ultra alveum hosticum, illi pacatum esse. Et nostram tabulam huic fini paratam. non dubiè innuunt dicta hactenus : Clarius adhuc ostendunt lineæ viarum, numeri spatiorum indices : & quod illæ tantum mansiones expressæ, quæ in vias delineatas incidunt, præteritis aliis non obscuri nominis urbibus. Quorum nihil commisisset auctor, si ipsas provincias, non certa in provinciis itinera describenda sumpsisset. At privatum institutum respexit, Metatorem non geographum præstitit. Idq; vel idcirco animadvertendum, ne antiquitatis nomine decepti, tabulæ auctoritatem, quam auctor non petit, non meretur, tribuamus. Si quis enim hinc eum usum sperat, quē ex geographicis pinacibus diligentissimè & scientissimè confectis, fallitur: si quis item hanc delineationem Ant. itinerario, & nudis mansionum nominibus in eo perscriptis, nihil præstare judicat, non minus errat : Commodissimè sentit, qui medium locum tabulæ tribuit : Ejuscemodi sibi descriptionem promittens, cujusmodi ab homine illarum disciplinarum, quas initio diximus, rudi, proficisci potuit.

Magnitudinem ex fragmentis ita æstimo, ut mihi persuadeam, tabulam integram, totius Occidentalis imperii præcipua itinera complexam. Nimis certè in aperto est, perexiguam partem in nostris apographis reliquam, multo maximam desiderari. Rhenanus satis ostendit, Rhenum ab ostiis ad fontem usque descriptum : at ex schedis, illa quæ in hanc partem se longius porrigit, Coloniam Trajanam non excedit. Franciscus Irenicus meminit Itinerarii cujusdam Augustani, quod ab Ant. itinerario differat : ego elenchum ex hac tabula exscriptum significari interpretor : in quo, præter pleraque ad Rhenum urbes, contineantur Danubianæ omnes, quascumque antiquitas vidit. Nomina multarum, quæ in Rhætiis, Norico, Pannoniis sitæ, describit, Sirmium usque. In schedis supersunt reliquiæ itinerum per Galliam, Britanniam, Hispaniam, & Africam. Jam ergò : Cum Rhætiæ ad Italiam, Noricum, & Pannoniæ ad Illyricum pertinuerint : Occidentale autem imperium, ex quo Constantius, & Galerius rempublicam divisere (primi inquit Orosius) Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, & Illyrici partem comprehenderit : Fit, ut ex singulis hujus imperii partibus vestigia ad indicinam reliqua sint : Ideoq; non magnopere dubitandum existimem, ea quoque, quæ inter tam miserè discerpta membra

membra media, in autographo expressa esse. Eo gravior, & acerbior tam insignis monumenti jactura accidit : quod cum Ant. & Notitia provinciarum conjunctum, incredibile quantum ad omnem antiquam historiam illustrandam, & restituendam subsidium afferre poterat.

In ætate conjicienda assentior Rhenano, qui de ultimis Imperatoribus sensit. Sunt plura ei rei argumenta, Unum afferam : Francicum nomen, quod in priori scheda extat, serò Romanis cognitum, ante Trebellium & Vopiscum à nemine in litteras relatum, & falluntur egregiè, qui Ciceronem ejus meminisse asseverant : Uti etiam in errore versantur, qui manifestarium glossema recipiunt in Josepho, ex Hebræo verso, lib. 5. cap. 42. Herodis interfuisse funeri satellites Germanos & Gallos, qui sint Francigenæ. Ultimos autem Imperatores capio, non qui postremi imperatorio nomine in occidente usi, sed qui postremo provinciarum, quarum hic itinera, potiti. Ad quam rationem, dicam obsoleto verbo, postremorum postremissimi censendi Theodosius major, ejusq; filii. Neque fieri potest, ut ista descriptio Theodosio & filiis sit recentior. Theodosio enim mortuo, barbari pleraque provincias mox sub Honorio & Arcadio, alias non multo post in potestatem redegere. Quod certis historiarum testimoniis consignatum. Cum verò nemo suspicaturus sit, Romanos itinera per provincias à barbaris jam occupatas descripsisse, omninò conficitur, quod posuimus.

Ex schedis, ea, quam primo loco damus, venustè & eleganter, altera rudiusculè, & negligenter descripta erat. Atque hac non difficulter caruissemus, si, quæ continet, in priori omnia expressa, & si locorum nomina clara, firma fuissent, neque alterius lectionis collatione eguissent : Verum, præterquam quod quædam Galliæ, Hispaniæ & Africæ itinera in priori non extant : Conferenda etiam in reliquis erat scripturæ ratio. Hæc in plerisque incredibiliter depravata, sive ipsius tabulæ, sive descriptorum, sive utrorumque vitio. Nam in tabula quædam errata esse, cur negemus ? Sed alia à descriptoribus vulnera addita, significat in primis schedarum dissensio : Quæ faciliorem veniam meretur, quod originem ducere videatur ex litteris in autographo obscuris & dubiis, vetustate exolescentibus. Nos his explicandis & restituendis, quam fieri poterit, diligentissimam operam navabimus.

Linea-

Linearum ductus, quibus ſtationes aut manſiones (ſunt ea ſolennia Metatoribus nomina) conjunguntur, Vias publicas exprimunt; quas Conſulares, Prætorias & Militares appellabant. Dig. lib. 43. tit. 8. l. 2. Publicas vias dicimus, quas Græci ΒΑΣΙΛΙΚΑΣ, noſtri Prætorias, alii Conſulares appellant. *Militares dicuntur lib. c. tit. 7. l. 3. Ubi earum uſus deſcribitur:* Viæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. *Quas ſingulas exitus ſpecies in noſtris ſchedis obſervabis. Publicæ autem non omnes his nominibus comprehenſæ. Ait Ulpianus lege, quam priorem adduximus*: Quæ poſt conſularem excipiunt, in villas, vel alias colonias ducentes, putem etiam ipſas publicas eſſe. *Verum ego in ſchedis nullam non conſularem, aut quod idem eſt, militarem delineatam opinor. Haſce tribus modis munitas reperio: Sive ſtratis lapidibus, ſive intecta glarea, ſive congeſtis terreis aggeribus. Dig. lib. 43. tit. 11. l. 1.* Neque latiorem, neque longiorem, neque altiorem, neque humiliorem viam, ſub nomine refectionis, is, qui interdicit, poteſt facere: vel in viam terrenam glaream injicere, aut ſternere viam lapide, quæ terrena ſit, vel contra lapide ſtratam terrenam facere. *Quamquam Iſidorus viam terrenam, cum ea, quæ lapidibus ſtrata, videtur conjungere, cum ait, Aggerem eſſe mediæ ſtratæ eminentiam, coacervatis lapidibus ſtratam, ab aggere, ideſt, coacervatione dictam, quam hiſtorici viam militarem dicant. Abſolutè autem viæ publicæ, Aggeres. Ammianus Marcell. lib. 19.* tamquam itinerario aggere, vel ſuperpoſito ponte complanatum ſpatium. *Et 21. de Juliano*, Morarum impatiens, percurſis aggeribus publicis, Succos, nemine auſo reſiſtere, præſidiis occupavit.

Curatores porro viæ accipiebant: Quos ab Auguſto excogitatos Suetonius innuit cap. 37. At Pomponius l. 2. de Orig. juris, initium longè altius repetit. Illud etiam obſervavi, interdum ſingulis viis ſingulos curatores datos, ut ex multis lapidibus conſtat: Interdum unum hominem multarum viarum curam geſſiſſe. Fidem facit marmor, quod Auximi ſupereſt, in quo C. Oppius CUR. VIAR. CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE. CIMINAE. TRIUM. TRAIANARUM. ET. AMERINÆ. *Per redemptores muniebantur, uti Siculus Flaccus ſcripſit. Rei quandoque ad has munitiones condemnabantur, quod ex Suetonii Cajo cap. 27. colliges. Lapideis columellis diſtinguebantur, quibus milliarium numerus adſcriptus, unde nomen accepere; in vetuſta inſcript.* MILLIARES.

LAPI-

LAPIDES. RESTITUTI. *Etiam Imperatorum nomina addita, quod horum jussu munirentur : Nummi Augusti fornicibus, quadrigis, & trophæis insignes,* QUOD. VIAE. MUN. SUNT. *Sidonius in propempt.*

> Antiquus tibi nec teratur agger,
> Cujus per spatium satis vetustis
> Nomen Cæsareum viret columnis.

Multa extant in hanc sententiam auctorum loca, & certissimi testes lapidei cippi, qui reliqui. Ex iis interstitia locorum itinerariis adnotabantur. Et hoc ipsum sibi numeri in schedis volunt. Quorum tamen nos perraro rationem inire potuimus, adeò cum Ant. itinerario non coincidunt, cum quo uno conferre licebat. Cujus rei culpam non omnem in exscriptorum negligentiam rejicio. Etsi hæc mirum quantum sibi indulsit, tamen multæ præterea differentiæ caussæ accedere potuere. Ipsa dies pleraque immutat : Aliqua itinera contrahuntur novis inventis compendiis. Producuntur alia, necessariis de caussis ambagibus additis. Deinde, numeri Ant. semper mansionem, quæ proximè antecessit, respiciunt, schedarum fortassis non item : Cum etiam in cippis observem aliquando numeros à splendida aliqua colonia, per centum passuum millia, & eo amplius continuari, neglectis intermediis oppidis minoris nominis ; exemplo est cippus haud procul Oeniponte, Severo & filiis inscriptus, in quo numeri ad Augustam Vindelicorum, longè dissitam referuntur. VIAS. ET. PONTES. REST. AB. AUG. MIL. PASS. CX. *Demum, quæ in libello certo ordine perscripta, ea in tabula tam ad anteriora, quam ad posteriora referre, quin & dextrorsum aut sinistrorsum trahere nihil vetat, & duplex numerus quibusdam mansionibus additus, indicio est illas diversa itinera respicere. Quibus omnibus rationibus hæc conjectatio valde obscura atque impedita redditur : Et si mihi divinationem rei tam incertæ sumam, meo merito ridiculus habear. Aliis eam palmam lubens cedo.*

Ne quid præteream, moneo in posteriori schedæ itinerum lineas omnes, & hæc nomina, CREPSTINI. NAMAVI. Fl. Renus. Fl. Batabus. Osini. Fl. Riger. ICAMPENSES. *rubrica descripta, intervalla numeris Romanis, quæ in priori barbaris characteribus, notata esse. An ad autographi fidem, non asseveraverim; quamquam de numeris minus ambigo. Quomodo enim barbaros characteres referret autographum, cum*

cum nullus dum tunc temporis eorum uſus eſſet ? Verum prioris ſchedæ deſcriptor hac in re ſcribendi compendium ſequi maluit : Nos, uti in ſchedis invenimus, ita reddidimus : Rubricam non niſi atramento exprimere potuimus. Sed ecce prior ſcheda in manibus.

SCHE-

PRIORIS SCHEDÆ EXPLICATIO.

PARTITIO ET ORDO. Cap. I.

SCHEDAM *aptè dividimus in partes Britanniæ, Barbarici, Bataviæ, Belgicæ, Lugdunensis & Aquitaniæ. Ordinem interdum ex Ant. mutuamur; cum illo destituimur, normam certam habemus nullam. Itinera etiam nonnulla ob intermedia flumina incidere, & in diversa capita referre coacti fuimus.*

BRITANNICA. Cap. II.

EXtrema *Britanniæ, quæ Galliæ objecta, describuntur, nomine non expresso. In iis hæc loca,*

AD MUM. 22. *Scheda posterior,* AD MUM. XX. *Nullam lucem præferunt geographi, neque ego hariolus: Quid si* AD MUNICIPIUM. *Cujus nomen proprium vix inveniemus in tanta ignoratione priscorum fœderum, & cujusque urbis privata conditione. Ex Ant. tamen quispiam* Ventam Icinorum *suspicetur. Camdenus vestigia aliquot Romanarum viarum per Britanniam supereſſe prodit, ex quibus fortassis in re præsenti conjecturam cum hic tum alibi capere liceat.*

SIMOMAGI. 15. *Scheda post.* SINOMAGI. *Ant.* Sitomagi. *Semel dico, me restituendis iis nominibus, quæ cum uno Ant. conferre licuit, operam non lusurum. Cum Ant. codicem nihilo castigatiorem his schedis habeamus, non erat, cur in alterutram partem conjecturis propenderemus. Vetera etiam recentibus conferre abstinuimus: Quod in nominibus jamdudum notis, aliorum labore, qui ante nos scripserunt, & vulgo leguntur, abuti nollemus, certiora, quæ proferremus, non haberemus: In illis verò, quæ ex his primum schedis in lucem prodeunt, periculosum videretur homini peregrino, qui illas provincias præsens nunquam aspexisset, tenuibus conjecturis (cujuscemmodi fere tota ista divinatio)*

SCHEDA PRIOR.

nimium confidere. Neque tamen dissimulavimus, si quando in explicationem valde probabilem incidimus.

AD CŌVECĪN. 15. *Sch. post.* CONVETRONI. *Ant.* Combretovio, *aut* Combretonio.

AD ANSAM. *Consentit Ant. Sch. post. perperam*, AD ANSANI.

CAMULODUNO. 5. *Ant.* Camoloduno. *Ptolemæo* Camudolanum *in Trinoantibus. Alia à* Camuloduno *Brigantium. Lipsius in Tacitum profert lapidem, qui* Camaloduni *præferat.*

CAUNONIO. 8. *Ant.* Canonio.

BAROMACI. 12. *Descriptorem oculos parum intendisse, B. loco S. accepisse, priores litteras in lituris delitescere, &* CAESAROMACI *pro* Cæsaromagi *restituendum esse contenderim. Suadet Ant. qui præter primam mansionem, reliquum iter iisdem stationibus, numeris diversis describit. Itinere à Venta Icinorum Londinio,* Ant.

Ant.	*Scheda.*
A Venta Icinorum,	Ad Mum. 22.
Sitomago M.P.XXXI.	Simomagi. 15.
Combretovio M.P. XXII.	Ad Covecin. 15.
Ad Anſam M.P.XV.	Ad Anſam
Camoloduno M.P. VI.	Camuloduno. 5.
Canonio M.P.IX.	Caunonio. 8.
Cæſaromago M.P. XII.	Baromaci. 12.

Ordinem, quem ſequutus ſum, ab eodem Ant. didici. Nam poſtrema tria nomina in ſcheda ita accipieuda, ac ſi obverſa lineæ, quæ ab Anſa deſcendit (eſt via militaris, exitum habens ad alteram militarem, quæ ad mare ducit) primis litteris in eam inciderent: Qua ratione, Camuloduno Caunonium, & Baromacum, ſive verius Cæſaromagum, poſteriora; quæ aliâs, contra quam res eſt, Camulodunum antecederent.

Fluvius

Digitized by Google

Fluvius, qui in utraque scheda sine nomine sequitur, Thamesis est. Meminit ejus Cæsar 5. belli Gallici.

MADUS. 17. *Est in Notitia* Adurnum, *littoris Saxonici in Britannia locus: Ubi* Præpositus numeri exploratorum, *Ortelius* Madurnum *in membraneo codice legi annotavit, quod nomen ad nostrum videtur alludere: Sed in Notit. portus adscriptus, nostrum mediterraneum oppidum fuisse apparet. An* Noviomagus *Ant. aut Ptol.* Neomagus, *ut priores litteræ perierint, G in D versa sit?*

ROIBIS. 7. *Scheda post.* RORILUS. *Quid si Ant.* Durobrovis, Dubobrus, aut Durobius? *Nam unum idem nomen variè apud hunc legitur. Et fieri potuit, ut primâ syllabâ extritâ, reliqua contractè scripta descriptorem fefellerint. Itineris ordo convenit.*

DUROLEVO. 7. *Confirmat Ant. Ideo in post. sch.*

BUROLEVO. *erratum videtur.*

DURAVERUS. *S. post.* DUROAVERUS. *Ant.* Duror Verno, & Duraruenno. *Ptolemæi* Daruenum *videtur.*

DUBRIS. *Ita Notitia, à qua* Præpositus militum Tungricanorum *ibi constituitur Ant.* Ad portum Dubris.

RAVIPIS. *S. post.* RATUPIS. *Ant.* Ad portum Ritupis, *vel* ad portum Ritupium. *Ptolemæo* Rutupiæ. *Quæ vera lectio. Sic Ammiano Marcellino 20. & 27. atque aliis multis. Notitiæ* Rutupis & Ruttupis, *ubi* Præpositus legionis secundæ Augustæ. *Sed placet simplex T. plerisque testimoniis, etiam poëtarum. Lucanus 6.*

------- Rutupináve littora fervent. *Auson. parent. 8.*

------- tellus, quem Rutupina tegit. *Item 18.*

Præside lætatus, quo Rutupinus ager. *Et de urbibus 6.*

Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

Quibus locis Rutupinum pro Britannico accipio. Ita apud Juvenalem Sat. 4. --- Rutupinóve edita fundo

Ostrea --- *non nisi in universum Britannica, quæ nunc quoque in deliciis. Poëtæ appellationis caussam nacti, quod qui in Britanniam navigabant, fere Rutupias solebant appellere: Erat enim eò frequens ex Gallia trajectus, qui nunc Dubrim est, uti cognosci potest ex Marcellini locis, quæ indicavimus, & ex itinerario maritimo, in quo à portu Gesoriacensi Rutupias usque* CCCCL. *stadia notantur. Sed jam Ant. conferamus. Itinere à Vallo ad portum Ritupis,*

Ant.	*Scheda.*
Durobrovis M. P. IX.	Roibis. 7.
Durolevo M. P. XVI. Al. XIII.	Durolevo. 7.
Duror Verno M. P. XII.	Duraverus.
	Dubris.

Ad

Ad portum Ritupis M. P. XII.	Ravipis.

Mox alio itinere à Londinio ad portum Dubris.

Dubobrus M. P. XXVII.	Roibis. 7.
	Durolevo. 7.
Duraruenno M. P. XV. Al. XXV.	Duraverus.
Ad portum Dubris M. P. XIV.	Dubris.

Præteriit hîc Ant. Durolevum. Ne miremur, si quandoque mansiones in schedis interjectæ, quas ille non habet: Ipsemet iisdem itineribus nonnullas aliâs annotavit, aliâs omisit.

LEMAVIO. *Ant.* Lemanis. *Notitiæ* Lemannis, *quo loco* Præpositus numeri Turnacensium. *Ant. huc itidem, ut ad portum Dubrimi, ter designat per Durobrium; & Duraruennum. Est* Novus portus *Ptolemæi, quod acutè observavit Camdenus.*

RIDUMO. 15. *Rectius post. S.* RIDUNO. *Prima syllaba periit, est enim* Muriduno *Ant. quod ille mansioni* Scadum Nunniorum, *aut* Iscadum Nunniorum *(utroque modo corruptè habet) bis proximè anteponit. Lemanis autem portus à Muriduno, & Isca multo plus distat, quam scheda præferat.*

ISCADUMNOMORUM. *S. post.* ISCADUMNONIORUM. *Ant. lectiones indicavimus. Ex nostris, posterior genuina, si nomen diffindimus,* Isca *enim apud Ptolemæum* Dumnoniorum *urbs.*

Insula, quæ inter Britannicum & Gallicum littus descripta, in S post. omissa, Vectis aut Vecta est. Cujus meminere Plinius, Suetonius, Ptolemæus, Eutropius. Plinius insigni errore inter Britanniam & Hyberniam collocavit. Noster etiam nonnihil peccavit: Cum mediam statuerit eam, quæ à Gallia maximè dissita, Britanniæ proxima est. Litteras ascriptas,

A. ALLAME. NASENUR. *assequi non potui, neque satis perspectum habeo, an ad insulam omnes pertineant: Si tamen ita est, crediderim certa loca, non ipsum insulæ nomen exprimere, Vectam enim posterioribus seculis nomen non mutasse, indicio est Panegyricus Maximiano dictus.* Medenam *olim in ea emporium fuisse scribit Ortelius ex Nevyllio.*

BARBARICA. Cap. III.

BArbari Romanis dicebantur, quicumque Romano imperio non parebant; eorum solum Barbaricum, aut Barbaria: Quam appellationem hîc sequimur.

SCHEDA POSTERIOR

Romani autem Imperii limes, inter Gallos & Germanos, Rhenus: quod multis & certis teſtimoniis liquet. Non ſum neſcius, Romana arma ſæpe ultra Rhenum prolata, caſtella interdum in hoſtico ſtatuta: ſed fere infelicibus auſpiciis, quæ multo conditorum ſanguine expiata, neque Rhenus propterea limitis nomen amiſit. Et quamdiu ſolidus, uno alveo labitur, Romanam barbaramq; ripam non dubiè diſtinguebat. Ex quo diviſus (haud procul à mari, inquit Mela, apud principium Batavici agri Tacitus: quod ſpatium Plinius C. Cæſar LXXX. paſſuum millibus definit) non admodum conſtanter conſtitui poteſt, quis diſtinctis temporibus, ex adverſis alveis limitis loco fuerit. Ut Romanorum Barbarorúmve res prævaluere, ita variatum. At nos, cum omnia ad illam ætatem referamus, qua tabulam delineatam diximus, vetuſtiora excutere nihil opus habemus. Imperante Theodoſio, & aliquot ante Theodoſium principibus, extrema Romani juris erat Batavia (quamquam poſſeſſione à Francis ſæpius turbatâ & interruptâ) quidquid ultra Bataviam Barbaris cedebat.

Rhenum conſtat ante ductam à Druſo foſſam (novi & immenſi operis vocat Suetonius in principio Claudii) duobus tantum oſtiis, quibus Bataviam circumſcribebat, in Oceanum fluxiſſe, poſtea occaſione Druſianæ foſſæ tertium additum, orientem ſolem verſus. Illud non minus certum eſt, medium alveum, cui læva Bataviæ inſula, & quem privati Bataviæ ſcriptores jam dudum obſtructum tradunt, Rheni nomen conſtanter retinuiſſe, reliquos duos (occidentalem & orientalem Ptolemæi exemplo vocare licebit) aliis atque aliis nominibus appellatos. Id Plinius vidit lib. 4. c. 15. cum deſcriptis extimis oſtiis, ſubjunxit: Medio inter hæc ore, modicum nomini ſuo cuſtodiens alveum. *Atque hæc nominum diverſitas in cauſa fuit, cur plerique auctores, alterutro laterum oſtio neglecto (medium omnes retinuere) duplicem Rhenum prodiderint. Mela occidentale oſtium, Tacitus Annal. 2. orientale præteriit. Quamquam de Tacito aliter ſenſit Junius in Batavia, ſed non ad Taciti mentem. Aſinius etiam Quadratus apud Strabonem lib. 4. duobus tantum oſtiis in mare ferri ſcripſit. Ita Auſonius,*

--- Dicére Bicornis,

Claudianus,

--- Te Cimbrica Tethys
Diviſum bifido conſumit Rhene meatu.

& Virgilius,

--- Rhenuſq; bicornis.

Imò

Imò Æthicus Rhenum absolute Bicornium vocavit, duobus locis, qui tamen valde luxati: sic panegyrista quidam ad Constantinum: Nostri greges flumine Bicorni mersantur. *Et si rectè ex panegyristis, Ammiano, Zosimo, observo, tertii orientalis ostii non facile post Diocletianum ratio habita: Rheni nomine, aut solus medius alveus, cui in nostris schedis* FL'. RENUS, *pro Fluvius Rhenus ascribitur, expressus: aut cum medio, alter occidentalis, de quo pluribus agemus proximo capite. Non quidem, ut ego sentio, ignoratione tertii orientalis ostii: quomodo enim ad eundem scopulum omnes impingerent? sed sive quod Barbarica negligerent, Romana tantum describerent: sive potius quod tertius alveus in lacus & paludes effundatur, quibus ita absorbetur, ut non tam Rhenus, quam lacus & paludes illæ in Oceanum videantur fluere. Certè Claudianus hoc non ignoravit, cum eodem versu bifidos Rheni tractus, & ora paludibus intermorientia conjunxit, Paneg. 1. in Stil. laudes,*

Ad bifidos tractus, & juncta paludibus ora.

Ammianus lib. 28. solùm medium alveum significat de Valentiniano Imp. verba faciens, Rhenum omnem a Rhætiarum exordio, adusque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat. *Nam neque de occidentali, qui inter Gallos & Batavos in pacato, nec de orientali, qui inter barbaros in alieno solo fluebat, capiendus est. Paneg. Maximiano & Constantino dictus, narrat Constantium Chlorum multa Francorum millia, qui Bataviam aliasque cis Rhenum provincias invaserunt, interfeciſſe. Si ad plura Rheni ostia respicias, Batavia interjecta neque ulterior, neq; citerior rectè dici poterit. Latinus Pacatus ad Theodosium:* Quæ Rhenus aut Vacalis vidit, aggrediar. *Ubi vides Vacalim, quod est occidentale ostium, à Rheno distingui. At Zosimus duos Rheni alveos non obscurè denotat, ut tamen medium & occidentalem intelligat, ad orientalem nequaquam trahendus, lib. 3.* Quam *(Bataviam)* divisus Rhenus insulam efficit. *Neque aliter Maximiani panegyrista,* Divortio sui Rhenus amplectitur, *Et plura sunt in hanc sententiam passim obvia, quæ non colligo.*

Porro orientalem alveum (Plinio etiam septemtrionalis) Mela Flevo, *Plinius* Flevum, *Servius in Virgilium* Jambal *appellat; nisi nomen apud Servium corruptum, ut suspicari lubet, cum ejus nullum alibi extet vestigium. Is per occasionem Drusianæ fossæ natus, incidebat in lacus, quorum Tacitus, Plinius, Mela meminere; distinctè præ reliquis, Mela:* Ad dextram primo angustus & sui similis, post ripis longè ac latè recedentibus, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque

rumque Fluvius emittitur. *Lacus isti à posterioribus scriptoribus, qui Rhenum hactenus non extendêre, paludum nomine sæpius appellati: Vidimus in Claudiani versu, & paullò post pluribus docebimus: Hi in suprema parte nostræ schedæ, nullo adjecto nomine exprimuntur. Haud prorsus ad speciem, quam Mela describit, fateor, sed jam dixi, quid ab auctoris diligentia in hisce rebus sperandum, cum pleraque rudi penicillo adumbrare satis habeat. Accedit, quod post Melæ ætatem tum reliqui Rheni meatus, tum præcipuè hic orientalis, magnopere immutatus: Adeò, ut frequentibus eluvionibus, lacus & paludes omnes, demum in unum maris sinum abierint: Eâ magnitudine, quæ Meridionalis maris nomen hodie sustineat, Lipsius ad Tacitum notavit. Fossam autem Drusianam, quæ in schedâ non expressa, Junius scripsit supra Arenacum (quo nomine* Arnheim *intelligit) ductam, appellationemq; manere: Et Ortelius in veteris Belgii typo sic delineavit. Nos fidem habebimus hominibus doctis, locorum peritis.*

Nunc populos considerabimus, qui inter orientale & medium Rheni ostium siti. Plinius scriptum reliquit: In Rheno ipso prope C. M. passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula, & Cannunefates, & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumque sternuntur inter Helium ac Flevum. *Jam cum constet, Batavos omne spatium inter medium & occidentale ostium occupasse: Consequens est, reliqua nomina ad interamnium, de quo quærimus, pertinuisse. Verum ista vetera. Posterioribus seculis pleraque mutata, Validissimæ fuere his ipsis locis Francorum res. Video quosdam Frisios inter Francos & Batavos statuisse: quod ego, quamvis permulti aliter sentiant, non abnuo quandoque verum esse potuisse: Sed id perspicuum, post Diocletianum, sive Frisii patrio solo cesserint, sive (quod mihi magis arridet) in Francicum nomen concesserint, Francos Bataviæ proximos fuisse, ut solo Rheno (medium alveum intelligo) distinguerentur. Quod Panegyrici scriptores non semel ostendunt. Ita etiam in schedâ* FRANCI *notati. In archetypo Rhenanus* FRANCIA *legit. Quæ unius litterulæ adjectio observationem meretur, ob eam causam, quam posteà aperiam. Et Franci quidem longè lateq; ultra orientalem Rheni alveum, & ultra nostræ schedæ limites imperitabant. Quin multò ante, quam ad Rhenum accederent, in ulterioribus illis regionibus habitasse, docent qui gentis origines investigavere, & ego facile adducor credere Panegyrici verbis:* Quid loquor rursus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed à propriis ex origine suis sedibus atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas. *Ac cum lacunosum sive paludosum illum Rheni alveum utrimque attingerent: Non mirum, si paludes nominen-*



tur fere semper, ubicumque Francorum mentio incidit. Vopiscus in Probo: Franci inviis strati plaudibus. *Sidonius de Narb.* Francorum & penitissimas paludes.

Omnium planissime Procopius lib. 1. belli Gothici: In oceanum Rhenus immittit. Paludes præterea hisce in locis non paucæ, ubi primitus Germani, gens barbara, habitabant, nec magni tum primum momenti viri, qui Franci nunc vocitantur. *Hinc denique fabella nata de antiquissimis Francorum sedibus ad Mæotidem paludem. At verò, uti in hoc latus lati porrectiq; Francorum limites, ita etiam secus Rheni ripam Oceanum usque pertingebant.*

gebant. Quâ occasione usi piraticæ incubuere, ut Ammianus & Eutropius significant: & in panegyricis legimus Hispanias & Britannias eorum incursionibus afflictas. Et cum ad hanc rationem Franciæ tribuendum sit, quidquid in nostra scheda ultra Rhenum jacet, liquidò apparet, cur auctor reliquorum populorum, non regionum nomina, Franciæ contra regionis, quæ hos populos omnes comprehenderet, non populi, nomen ascripserit. Atque hæc illa Francia est, quam Nazarius Constantinum alloquens, sub barbariæ nomine his verbis describit: Jacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa Barbaria: per se ipsa potens natio, & post Roma-

Romanam magnitudinem in terris ſecunda. *Cujus populos non omnes origine Francos dixerim, plerique jure belli in victorum nomen tranſiere: Quod obiter moneo.*

CHACI. *Rhenanus* CHAUCI. *neque mihi dubium, ita legi in autographo. Quidam auctores* Caucos *aut* Cauchos, *Claudianus* Chaycos, *Lucanus, uti videtur,* Caicos, *nomine triſyllabo appellavere. In ſitu deſcribendo etiam variatum. Spartianus in Didio Juliano ſcripſit, Albim fluvium accoluiſſe. Ptolemæus in duo genera dividit, Majores inter Albim, & Viſurgim, Minores inter Viſurgim & Amaſium poſuit. Plinius cum noſtra ſcheda conſentit, ſedem enim inter Rheni alveos tribuit.*

VAPLIVARII. *Rhenanus legit,* VAPLUARII. *Quam differentiam in nomine barbaro non magni æſtimem. Majoris momenti illud, Prima litera V. omninò rejicienda, ex reliquis una leviter transmutanda, &* APSIVARII, *aut* APSVARII, *legendum videtur. Mirè enim affines l & ſ in minutis characteribus. Apſivarii autem ſunt, quos Marcellinus* Anſuarios, Anſibarios *Tacitus,* Amſivarios *Iſidorus vocat, ut ego lego, locus enim corruptus,* Samſi, Variquadi, Tungri, *lectiones variant, mihi liquet reſtituendum,* Amſivari, Quadi, Tungri. *Hos Notitia proximè ad ſchedam accedens* Ampſivarios *appellat. Ab illis hos agros ſub Nerone occupatos diſcimus ex 13. Annal. Taciti. Et quamquam ab Avito iterum exactos, juventutem cæſam, imbellem ætatem in prædam diviſam narret, tamen reliquias gentis, propagando ſemini ſuperfuiſſe Marcellinus argumento eſt, cum pacem à Juliano datam ſcribit Francis, quos Anſuarios vocant; ubi nonnullis Atthuarii placent. Sub imperatoribus inter auxilia Palatina meruiſſe Notitia ſignificat. Anſibarios autem Chaucis proximos fuiſſe, nemo dubitare poteſt, qui Tacitum legit. An iidem cum Angrivariis, variè diſputatum eſt, à me ſententiam ferri nihil opus.*

CRHEPSTINI. *S. poſt.* CREPSTINI. *Rhenanus* CHREPSTINI. *Ut indignemur delineatorum oſcitantiam & temeritatem, in trajiciendis litteris, neque miremur paulò ante* CHACI VAP. *pro* CHAVCIAP. *ſcriptum. Cæterum Chrepſtinorum nomen mihi nunquam auditum, nunquam lectum, cui neque explicando neque corrigendo ſim. Significavit quidem mihi V. C. Vido Pancirola, quem honoris cauſſa nomino, in Notitia ſub Duce Britanniæ Equites Criſpinianos legi, qui ex his populis videri poſſint; verum meus codex Criſpianos habet: Et neſcio, an credibilius ſit nomen à Criſpo Cæſare duxiſſe: Eo modo quo Conſtantiaci, Honoriani, Valentinianenſes, Gratianenſes.*

CHAMAVI QUI ERPRANCI. *Sch. poſt. malè* NAMAVI. *C. extritâ, N. pro H. ſubſtitutâ. Rhenanus,* CHAMAVI QUI ELPRANCI. *Cujus auctoritas perſuaſit Ortelio, (quem ego non tam*

Regi-

Regium geographum, quam Regem geographorum appellare soleo) ut huic populo in veteris Belgii tabula locum daret. Chamavis quidem rectè: Elprancicum autem monstrum nominis, uti Vaplivarium, facile eliminaturos confido, quibus hæc lucubratio in manus venerit. Tacito & Marcellino Chamavi, *Ausonio* Camaves, *Ptolemæo* Camani, *nisi librarii imponant,* Clamasi *corruptè Panegyrico, quod notat Lipsius & Ortelius. Eos in hac vicinià habitasse planum fit ex Tacito & Marcellino. Ego ad Francos pertinuisse ajo. Auctorem, qui totidem verbis asseveret, ne fallam, nullum habeo: Verum id ex Franciæ descriptione, quam protulimus, conficitur. Accedit Marcellinus, si rectè capio: Scripserat lib. 17. Francos, quos Salios appellant, à Juliano Cæs. invasos; subjungit,* Chamavos itidem ausos similia adortus, eadem celeritate cecidit. *Aut egregiè fallor, aut Francos Salios, & Francos Chamavos hisce verbis distinctos voluit. Si quis Ausonii ex Mosella versum opponet,*

Accedent vires, quas Francia, quasque Camaves,
Germanique tremant------

Ubi Camaves extra Franciam videtur constituere, frustra erit: Cur enim non eâdem opera, ex iisdem versibus Francos Germanos neget? Deinde, cui unquam dubium fuit, Salios Francos esse? tamen Sidonius alia Franco, alia Salio tribuit,

------Francusque natatu,
Sauromatæ clypeo Salius, pede------

In quorum explicatione ad figuratas loquutiones confugimus. Nulla ergò religione præpeditus, Franciæ Chamavos restituo: Et in scheda CHAMAVI QUI ET FRANCI *corrigo.*

BATAVICA. Cap. IV.

B. P. *& consonantem V. litteras affines esse, P. & V. sæpius loco B. scribi, jam olim à grammaticis observatum. Ejus generis in lapidibus,* Pleps. Apsens. Probincia. Serbus. *pro* Plebs, Absens, Provincia. Servus. *Ex eodem capite in schedis* PATAVIA. FL^9. PATABUS. *aut* BATABUS. *pro* Batavia. Fluvius Batavus.

Bataviam autem insulam esse, quam duo Rheni alvei, medius & occidentalis circumscribant, antea diximus, & quæ ad medium pertinent, planè explicavimus.

Occidentalis, cum nonnumquam Rhenus appellatus sit, varia etiam præterea nomina accepit. Helium, Vahalim, *aut* Vacalim, *aut* Walim, *&* Mosam *dictum reperio. A scheda* Batavi *nomen accedit. Helii solus Plinius meminit, neque caussam ejus appellationis, quam tradam, habeo. Vahalis & Mosæ meminere plerique omnes. Mosa ex monte Vogeso profluens, priusquam*

Oceano illabatur, ait Cæſar, parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Walis, inſulam efficit Batavorum. *Hinc Rheni, Vahalis, & Moſæ nomina confuſa. Moſa autem infra Noviomagum Vahalim recipit: quæ ſupra ſunt, quæq; Vahalis alveo excluduntur, ad reliquam Belgicam ſpectant, ad Bataviam non ſpectant. Sed hic Vahalis decurſus, & in Moſam illapſus, in ſcheda non exprimitur. Et nos, quidquid inter Rhenum & Moſam, hoc uno capite abſolvemus, ita enim viſum commodiſſimum.*

Batavus fluvius eo modo dicitur, quo Tuſcus amnis à Virgilio non ſemel. Et ſimei judicii res ſit, exiſtimem eam appellatio-

nem

nem à vulgo & militibus potiſſimum fluxiſſe, ob trajectum in Bataviam. In libris certè nullibi extat. Ut hac etiam in parte firmetur opinio, quam de tabulæ auctore concepi.

Itinera duo per Bataviam deſcribuntur: Utrumque Lugduno Noviomagum, alterum uſque Trajanam coloniam pertingit. Sunt in iis pleraque nomina, quorum cæteroquin nec veſtigium ſupereſt. Ideò Batavi plurimum his ſchedis debituri, quarum prælatâ face, non paucas antiquarias inſulæ tenebras illuſtraturi ſunt.

LUGDUNO. 2. *Sic Ant. qui Germaniarum caput, hoc eſt initium, vocat. Primum enim ab Oceani littore oppidum duobus tan-*

tantum passuum millibus dissitum, quod ascriptus numerus significat. Ptolemæo Lugodunum.

PRETOR IV. AGRIPPINE. 3. *Castigatior post.* S. PRAETOR IV. AGRIPPINAE. *Tacitus Annal.* 12. Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppido Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.

Ego eandem ambitionem in coloniæ & hujus Prætorii nomine valuisse sentio: neque enim valde ambigo, Prætorium, etiam ad Agrippinam Germanici F. pertinere. Certo fortassis consilio Bataviam ostentationi delegit, imperiosa & sagax mulier, quo apud illam gentem venerationem augeret, ex qua Augustorum Augustarumq; corporis custodes. Reliquiæ in Romæoburgo supereſſe videntur. Situs convenit: Et nomen Romanam antiquitatem præfert. Junius c. 18. Batavicæ historiæ ostendit, ante annos LXXX. *refossis fundamentis, varia antiquitatis monumenta id loci esse eruta: præter imbrices litteratos, & figlina opera, etiam ærea signa, atque argentea numismata, quin & prægrandem gemmam: quæ fidem faciunt, aliquid supra militare præsidium ibi stetisse. Adde Corn. Aurelium, is à Romanis scholam addiscendis latinis litteris ibidem constitutam scripsit: Cujus etiam Bonav. Vulcanius meminit. Etsi ego sine gravi, & antiqui auctoris testimonio, nihil hujus meo periculo assertum velim. Ab aliis Telonium Rom. dictum animadverto.*

Ad hoc Prætorium revocanda est cædes virginum Britannicarum, quam ab Hunnis Coloniæ Agrippinæ patratam, famâ ex nominis errore orta, proditum. Id Gaufredi Asaphensis vetusti scriptoris fragmentum suadet, quod Cæsar Baronius, omnis antiquitatis peritissimus, & restituendæ præcipuè ecclesiasticæ historiæ natus, ex Vaticana bibliotheca dedit, nos huc transferemus. Cum Maximus *(qui Gratiano imperium & vitam ademit)* proximas Gallias invasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam provinciam, uberes glebas, Britannicis militibus novæ coloniæ tribuit ac divisit. Unde & eidem provinciæ comparatum est nomen *(meam fidem hic non interposuerim)* ut minor Britannia diceretur. Quo verò eorum etiam posteritati consuleret, ex magnæ Britanniæ insula singulis uxores quæri jussit: singulis militibus singulæ virgines ex gentilibus suis sunt in matrimonium postulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus post Maximum, dux Connanus, unus ex Britanniæ regulis, cui paris nobilitatis conjunx designata est, filia Dionoci Regis Cornubiæ, nomine Ursula. Londini itaque cunctis coactis, invitæ licet, patrium solum, charosque suos relinquentes, imponuntur navigiis: dumque regionem Armoricorum cogitant

nautæ,

nautæ, mox sæva procella naves impulit in Germanicum littus. Ubi dum essent Melga Pictorum, & Gaunus (*Sigeberto Gnamus*) Hunnorum piratæ, qui comparata classe, icto fœdere cum Gratiano Imp. adversus Maximum, ut vel hac arte eum à cœptis deturbarent, cum ad infestandam Britanniam tenderent, in has ad littus jactatas virginum naves incidentes, sic in Britannas virgines, ut in hostes grassati sunt, ut vim inferendi illorum pudicitiæ consilium caperent. Quæ omnes hortatu Ursulæ, mortem durissimam potius oppetere, ac gladiis obtruncari, Christiana constantia decreverunt, quam ignominiosum quid pati. Cumque ea persisterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutatâ, cum aliò properarent, ne longiori mora distinerentur, singulas crudelissimè trucidarunt: Indeque in Britanniam navigarunt, nactamque eam militibus vacuam aggressi: Sed confestim missis illuc à Maximo duabus militum legionibus, inde pulsi solverunt in Hiberniam. *Habes narrationem illustrem, quæ multorum frivolis conjecturis hactenus miserè lancinata est. Nam quod diserti homines dicendo efficiunt, ut res incertas, dubias, falsas etiam & temerè confictas, elegantibus verborum coloribus circumvestitas, pro certis & firmis persuadeant: Ejus in his ipsis, & in multis præterea martyrum actis, quorundam scriptorum infantiâ & inscitiâ contrarium accidit. Cum temporum rationem, hominum, locorum, dignitatum nomina permutent, pleraque inepta ex vulgi rumusculis hausta assuant, fit ut gravissimas historias lectorum ludibrio exponant, & in fabularum opinionem traducant. Non negaverim Virginum historiæ id quoque incommodi accessisse, quod Gratiani reverentia, cui Melga & Gaunus militarunt, diu pressa serò in litteras relata est. Imperitè autem, quisquis auctor fuit, quod Hunnorum & Agrippinæ nomen inaudisset, ad Athilam & Coloniam Agrippinæ rettulit, magno temporum & locorum errore. Ad tempus quod pertinet, Gratiani & Maximi ævum perspicuè ex Gaufrido intelligimus: Ad locum, Germanicum littus. Lindanus apud Baronium, Æstuaria Germanica ad Rheni ostia, me approbante interpretatur. Sed ea Coloniam usque pertingere cui fidem faciat? Profecto qui schedas nostras semel inspexerit: Prætorium Agrippinæ longè rectius accipi, fateatur necesse est. Et si jam tunc temporis Romæoburgum à provincialibus vocabatur (quod quidem non valde affirmo verum tamen esse nihil impedit) probabilis erit conjectura, hinc opinionem de Romana peregrinatione natam. Nam Bonna ex Veronæ nomine fluxit: Cum virgines Veronam primum appulisse antiqua historia narret: Et Verona in hoc littore, urbs opulenta & florens steterit. Quod Hadr. Iunius, atque Suffridus lib. primo de Frisiis observavere. An &*

Alamanni
Nemetes
Vangiones
Triboci
Treueri
Mediomatrici
Cenomani
Nemetes
Nabarni
Sequani
Helvetii
Rauraci
Germania
Rhenus
Lacus Brigantinus
Lacus Curiensis
Mesiates
Insubres
Vindelicia
Rhætia
Italia
Gallia
Ins. Corsica
Ins. Sardinia
Ins. Elba
Ins. Gorgon
Ins. Capraria
Ins. Planasia
Ins. Ilva
Ins. Æthalia
Ins. Igilium
Ins. Glanum
Ins. Stœchades
Ins. Lero
Ins. Lerina
Ins. Lissa
Ins. Pomegue
Ins. Ratonneau
Ins. Pharus
Ins. Maiorica
Ins. Minorica
Ins. Ebusus
Ins. Formentera
Ins. Cabrera
Ins. Dragonera
Ins. Pantellaria
Ins. Melita
Ins. Gaulos
Ins. Cossura
Ins. Lampedusa
Ins. Linosa
Ins. Cercina
Ins. Cercinitis
Ins. Meninx
Ins. Cercinna
Ins. Cercinitis

Armatausi.
Media.
TRVMPLI.
REGI.
Fl. Vmbro.
SENGAVNI.
Fl. Macra
Fl. Hadra.
Fl. Rigonis
Fl. Vmbro.
Inf. Corsica.
Inf. Pisana.
Inf. Cimiterie.
Inf. Marcss.
Ad gallinas
Ad lapidem Baiam
Ad rubras
Ad calcis
Ad germani
Ad Pedum
Ad Scrobem
Ad Sorbum
Ad Vadum
Ad Vrsum
Ad Vrsum
Ad Vrs

CASTRA HERCULIS. 8. *Horum meminit Ammianus Marcellinus lib. 18. Cum ſeptem civitates, quæ ad Rhenum ſitæ, à Juliano Cæſare receptas narrat, eas adverſo flumine hoc ordine enumerat*, Caſtra Herculis, Quadriburgum, Triceſimæ, Niveſio, Bonna, Antenacum, & Bingio. *Rhenanus rer. germanic. lib. 3. pro Triceſimis Utriceſium recipit, atque Utrechtum videri ſcribit, inſigni topographiæ errore. Batavia autem hactenus, quod ante monuimus.*

NOVIOMAGI. 10. *Rhenanus legit* NOVIOMAGUS. *Ortelius Noviomagium Neomagiũ & Numagam ſcribi annotavit: Cujus nominis permultas Germaniæ, Galliæ, Britanniæ civitates enumerat. Hæc inter primas clara. In qua Notitia* Præf. Letorum Batavorum Contraginenſium *conſtituit. Iunius lapidem laudat, in quo* NEOMA.

ARENACIO. 6. *Ant. hoc itinere* Herenatium, *alio* Aranatio *ſcripſit, legionis* X. *alam ſtativa ibi habuiſſe annotavit. Tacitus hiſt. 5.* Arenacum, Batavodurum, Grines, Vadamque *modicos vicos appellat, Arenaci Decimam legionem oppugnatam narrat. Qui Herenatium & Aranatium diſtinguunt ab invicem, collatione ſchedæ cum Ant. perſpicuè refelluntur. Itidem illi quibus Aranatium aut Arenacum* Arnhem *eſt. Quo exemplo diſcamus licet nominum affinitati in explicanda veteri chorographia non temerè fidendum eſſe.*

BURGINACIO. 5. *Rhenanus*, BURGIANTIUM. *Ant. ſemel cum ſcheda conſentit, iterum modicè diſſentit*, Burcinatium, *& leg.* VI. *alam ibi collocat.*

COLŌ. TRA. *Rhenanus, cui tabulam integram videre contigit*, COLONIA TRAIANA. XI. *non dubio numerorum errore, ſi ad Burginacium referas. Ant. M. P. V. aſcripſit. Aſſentior Pighio, qui in Hercule Prodicio multis oſtendit, præſertim ex Ant. & Ptolemæo, Caſtra legionis* XXX. *Ulpiæ ibi fuiſſe: Etſi alii aliter. Diverſa eſt Ptolemæi* Legio Trajana, *ad Rhenum prope Mocontiacum. In autographo Rhenanus ſignificat adverſo flumine ſequi*, VETERA. XIII. ASCIBURGIUM, XIV. NOVESIUM. XVI. AGRIPPINA. *In Veteribus vereor ne numeri parum correcti, ſi quidem ad Trajanam Coloniam ſpectant. Nam certis argumentis mihi veriſimile fit, quod Pighius valde contendit, Trajanam aut Ulpia Veteribus fuiſſe vicina, fere conjuncta. Et conjicio Trajanum in eum locum Coloniam deduxiſſe, quem Tacitus 4. hiſt. de Veteribus verba faciens deſcribit*: Vallum muroſque firmabant, ſubverſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipii extructa. *Operæ pretium verò totum hoc iter ab Ant. & auctore noſtro conferre. Numeri proximè conveniunt, ut non aliâs: Si in noſtris ſummam colligas, quæ ob plures interpoſitas manſiones, in minutiores partes ſecta.*

Ant.

Ant.	*Scheda.*
A Lugduno.	Lugduno. 2.
	Prætorium Agrippinæ. 3.
	Matilone. 5.
Albimanis M. P. X.	Albamanis. 2.
	Nigro pullo. 5.
Trajecto M. P. XVII.	Lauri. 12.
Manaritio M. P. XV.	Fletione. 16.
	Levefano. 8.
Carvone M. P. XXII.	Carvone. 13.
	Castra Herculis. 8.
	Noviomagi. 10.
Herenatio M. P. XXII.	Arenatio. 6.
Burginacio M. P. VI.	Burginatio. 5.
Colonia Trajana M. P. V.	Colo. Tra.

Altero itinere Lugduno Noviomagum cum Ant. duce destituamur, minus etiam lucis schedis afferre poterimus. Prima à Lugduno mansio,

FORO ADRIANI. 17. *sive ut post. S. habet,* FORUM HADRIANI. XII. *Non exscribam, quæ alii de Foris generatim. Huic Hadrianus nomen indidisse videtur, cum in Galliam & Germaniam profectus (ut Spartianus ait) Britanniam petiit, atque iterum in Galliam regressus est. Homo gloriæ & honoris cupidissimus, quod Dio notavit, plerasque civitates à suo nomine dictas voluit. A Spartiano exempla petas licet. In Batavis privatam forsan caussam spectavit, gentis fortitudinem scilicet. Nam miraculi vice fuit, Batavum equitatum illo imperante Danubium transnatasse armatum, ut barbari obstupefacti pacem peterent. Circumferuntur in hanc sententiam ipsius Hadriani carmina de Sorano Batavo.*

FLENIO. 18. *Caveas is* Flevum *Taciti in Frisiis, aut* Philæum *sive* Phleum *Germaniæ apud Ptolemæum accipere.*

TABLIS. 12. *Nihil, quod ad explicandum afferam, habeo. Nam quod Scaldim Ptolemæus* Tabudam, *nonnulli malè* Tabul, *aut* Tabulam *appellavere, nihil huc pertinere potest.*

CASPINGIO. 18. *An nomen paullò inconcinnius, corruptum videbitur, ut priores tres litteræ sejungendæ, Castellum significent?*

GRIMIBUS. 6. *Num Grinnes Taciti? Nequaquam. Cum Tacitus non obscurè significet, eum vicum extra Batavorum insulam stetisse.*

AD DUODECIMUM. 18. *Nominis ratio in aperto. Ejusmodi apud Ant.* Ad Decimum. Ad Septimum decimum. Ad

Rhætia
VANDVLIA
Vincia.
Fl. Cleusis.
Fl. Paula
Fl. Sabatum
Fl. Arnno
Fl. Albinia
Fl. Vmbro
Fl. Ilex
Fl. Meduacum
Fl. Tiliaburte
Fl. Tuaro
Pons Hercul.
Inf. Herculis
Inf. Pontus
Sena Gallica
Ad Aquilonia
Ad Lucullanum
Ad Mercurium
Ad Medias
Ad Aquas Caseni
Ad Majores
Ad Nonas
Ad Nonas
Ad Nonas



toribus mutatum, quantum quidem ex Ammiano Marcellino, Notitia provinciarum, Itinerario Ant. ac libello civitatum Galliæ colligere potui. Quorum aliquos auctore nostro non multo antiquiores, aliquos ejus ipsius ævi esse, verisimilis suspicio. Hinc sequitur necessariò, flumen, quod in schedis inter Belgicam & Lugdunensem, nullo annotato nomine delineatum, pro SEQUANA habendum. Neque sanè video, quid ex posteriori S. ad repugnandum dici queat. In priori, non nego quædam ultra flumen descripta (nobis in Belgica constitutis sermo est) quæ constanti auctorum consensu citra Sequanam posita. Suessiones sive Vessones,

Bel-

Belgicæ populum, eoq; citra Sequanam colere, nemo unquam dubitavit : At in scheda Aug. suessor. *ultra fluvium. Quæ cum considero, auctorem nostrum culpa difficulter libero, nisi ad ruditatem, qua per omnem hanc descriptionem usus, confugiamus : Nam si fluvium, qui unus continuus expressus est, ita distinguimus, ut partim Sequanam, partim verò Isaram, aut Oisam, qui à Sequana paullò infra Parisiorum urbem recipitur, referat, non inconcinnè Suessionum situi conveniet : Cum inter Veromanduos & Suessiones non quidem Sequana, verùm Oisa fluat. Sed fortassis simplicius & rectius facturi sumus, si auctoris errorem fateamur. Montes ad fluvii fontem delineati, Vogesum significare videntur. Cæterum, quod præterito capite feci, ut explicarem omnia, quæ in Scheda Bataviæ nomine comprehensa, etiamsi re ipsa ad Bataviam non spectarent, eadem ratione in Belgica & Lugdunensi, atque Aquitania, auctoris divisionem præ meo sensu sequendam existimo.*

Osisinu. *Post. S.* Osini. *Plinius* Oromansacos *pago, qui Gessoriacus vocatur, junctos scribit ; Verùm id nomen nimi-opere à nostro differt ; Hic* Osisini *aut* Osismii *significantur ; De quibus mox dicemus.*

Veneti. 10. *Strabo lib. 4. Osismios & Venetos inter Belgas numerat.* Post dictas gentes Belgæ sunt, ad Oceanum pertinentes. De his Veneti navali pugna cum Cæsare congressi sunt. *Et paucis interjectis*, post Venetos sunt Osismii. *At sciendum, Strabonem longè majus terrarum spatium Belgis tribuere, quàm ab alio quoquam factum sit, ait enim eodem libro :* Primam laudem Belgis tribuunt, divisis in XV. gentes, quæ habitant inter Rhenum & Ligerim. *Ex illorum sententia, qui Sequanam Belgicæ terminum posuere, quorum auctoritatem schedarum auctor saltem ex parte sequitur, fieri non potest, ut vel Osismorum vel Venetorum gentes Belgicæ tribuantur. Cæsar etenim, ut nemo alius obstet, nimis disertè repugnat. Quid ergò ? Mansiones quandoq; à præsidiariis militibus nomen accipiebant. Unum aut alterum exemplum pro multis sit,* Castra Germanorum *in Mauritania Cæsariensi Ptolemæus habet,* Batava *in Rætis Notitia provinc. Ita Venetorum & Osismorum præsidia, extra patrium solum, ubi à geographis describuntur, in isto littore fuisse dico. Juvat Notitiæ auctoritas; Quæ sub dispositione Ducis tractus Armoricani & Nervicani ponit* Præfectum militum Maurorum Venetorum, Venetis : Præfectum militum Maurorum Osismiacorum Osismiis, *hi alio loco corruptè* Mauri Sismiaci. *Neq; commodè sensurus est, qui* Venetis *&* Osismiis, *de utriusq; gentis regione, potius quam de præsidiis ita appellatis interpretabitur. Armoricanum autem & Nervicanum limitem, extendi* per Aquitaniam primam & secun-

& ſecundam, Senoniam, Secundam Lugdunenſem & Tertiam, *ex Notitia quidem cognoſcimus: Belgicum littus ad eundem pertinuiſſe D. Paulinus epiſt. 2. ad Victricium locuples teſtis eſt, utitur enim Morinorum & Nervici littoris nomine promiſcuè*: In terra Morinorum ſitu orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus. *Et non adeò multis interjectis*: In remotiſſimo Nervici littoris tractu. *Quibus verbis diſtineor Joſ. Scaligero viro magno & docto ſubſcribere. Is Auſon. lect. lib. 2. c. 6. & 14. Ebruicanum pro Nervicano tractu in Notitia reſtituit. Quod ſcilicet à Nerviis Nervianus dicendus fuerit, nequaquam Nervicanus: & quod Nervii remotiſſimi ab Aquitania, in Belgis cenſeantur. At de nomine tenue eſt argumentum, cum in Notitia derivationes longè ineptiores, pro temporum barbarie ſupersint. De ſitu, Remoti quidem Belgæ à priſcis Armoricis, ſed neſcio, an item à poſterioribus. Illud interim ſcio ex Eutropii lib. 9. Carauſium apud Bononiam ſimul tractui Belgicæ & Armoricæ tuendo præfuiſſe, hoc eſt, ut ego interpretor, eum Armoricani & Nervicani tractus fuiſſe ducem. Procopius etiam belli Gothici lib. 1. Arborichos Francis finitimos fuiſſe oſtendit; quo loco Joan. Tilius, cujus permagna apud me eſt auctoritas, Armoricos intelligit; Abodriti profectò, quos mallet Divæus, accipi nullo modo poſſunt. Quomodo enim Abodritis Procopii verba conveniant*: Cum cætera Gallia atque item Hiſpania jampridem Romanis parebant. *Et mox*: Erant autem Arborichi Romanorum tunc milites. *Arborichi ergò aut Armorici, aut privatus populus exiſtimandus. Nec valde mirum eſt (ſi rectè obſervavit Tilius, & ante eum nonnulli, Arboricam priſca Gallorum lingua Maritimam ſignificare) id nomen ex Aquitania, ubi Cæſar Armoricas civitates conſtituit, per omnia Gallici Oceani littora proſerpſiſſe.*

GESOGIACO QUOD NUNC BONONIA. *Pejus poſt. S.* GESOGIACO QD NC BOVILLA. *Rhenanus*, GESSORIACO QUOD NUNC BONONIA. *Quæ vera lectio. Sequutus eam Joſ. Scaliger ex Rhenani fide, Auſon. lect. lib. 1. c. 23. Idem nomen in Ant. itinerario inquinatum*: A portu Geſorigenſi. *Alio loco*, Geſoriaco. *In itinerario maritimo*, A portu Geſorigiagenſi. *In Maximiani panegyrico*, Geſorigia. Geſoriacum Morinorum navale *apud Ptolemæum. Id diverſum eſſe à portu Iccio, Icio aut Itio, nondum mihi certis & manifeſtis argumentis planum fit: Et ſi quæ plerorumq; ſit ſententia, video: Immò Cæſare & Strabone potius perſuadeor unum eundem locum credere. Cùm primum Cæſar in Britanniam trajicere ſtatuiſſet, lib. 4 belli Gall.* Cum omnibus copiis in Morinos proficiſcitur, quod inde erat breviſſimus in Britanniam trajectus. *Anno ſequenti, cum hanc expeditionem denuo tentaret lib. 5.* Omnes ad portum Iccium convenire jubet.

Quo ex portu commodissimum in Britanniam trajectum esse cognoverat, circiter millium passuum xxx. transmissum à continenti. *At Plinius certè eundem locum significat, cum lib. 4. c. 16. à Gessoriaco, Morinorum gentis littore, proximum in Britanniam trajectum esse scribit (quamquam in passuum numero dissentit à Cesare nonnihil largius Dion lib. 39.) & posteriores etiã Imperatores fere à Gessoriaco aut Bononia, quæ synonyma esse ex schedis discimus, in Britanniam trajecere. De Claudio narrat Sueton. c. 17. Et Mela, quem sub Claudio scripsisse existimant, Gessoriacum notissimũ portum appellat. De Maximiano, panegyricus paullo ante laudatus. De*

Lupi-



Lupicino Duce sub Juliano Cæsare Ammianus lib. 20. De Theodosio idem Ammian. lib. 27. De Constantino, qui sub Honorio Imperator dictus, & ex Britannia Bononiam trajecit, Zosim. lib. 6. atq; Sozomen. lib. 9. c. 11. quamquam hic corruptè Burboniam habet. Cur ergò Gesforiacum diversum à portu Iccio, unde Cæsar brevissimum & commodissimum trajectum esse scribit (quod ad illorum temporum opinionem referas) existimem ? Maximopere cum Strabo, cujus auctoritate plurimum moveor , prodiderit lib. 4. apud Morinos Menapiorum conterminos , esse Itium , quo navali D. Cæsar usus in Britanniam transmittens , atque Ptole-

mæus

mæus Gesſoriacum Morinorum navale appellet. Neq; ſane credendum ſit, duo Romanorum navalia in Morinis extitiſſe. Cauſſam autem diverſæ appellationis non difficulter ex Ptolemæo aſſequimur; Is Itium promontorium Gesſoriaco navali propinquum poſuit, inde à promontorio, uti fit, portui nomen inditum. Quò tempore Bononiæ nomen acceperit, perſpectum non habeo. Eutropius in narratione de Carauſio, uti vidimus, panegyriſta Conſtantini in patris Conſtantii laude ejus meminit. Forſan à bene ominantibus militibus origine ducta nam Leg. XXVI. ſtativa ibi habuiſſe Ant. auctor eſt. Scio, à quibuſdam Geſſoriacum navale à portu Geſſoriaco diſtingui; Sed næ illi nodum in ſcirpo quærunt. Ego non hæc tantum, quæ enumeravi, Navale & Portum Geſſoriacum, Navale & Portum Iccium, atque Bononiam: Sed præterea Portum Morinorum Britannicum, cujus meminit Plinius lib. 4. c. 23. in idem recidere exiſtimo, Britannicum enim nomen, à frequenti trajectu ex ea inſula, inditum. Quod porrò Scaliger Pagum Geſſoriacum ſatis magnum agri modum interpretatur, non abnuo; Verùm interim idem nomen alicui ejus agri oppido convenire poſſe quis neget, tot paſſim hujus generis extantibus exemplis? Maximiani panegyriſta de Geſſorigia dubitare nos non patitur: Cum obſidionem magni & miri operis, & obſeſſorum pertinaciam muris confiſam explicat. Schedæ itaque verba, GESSORIACO QUOD NUNC BONONIA, *ſimpliciſſimè accipimus. Et ſi verò Bononiæ nomen invaluit, quod tot teſtimoniis productis liquet, Geſſoriaci tamen non penitus obſoleviſſe, ex Ant. colligimus.*

CASTELLO MENAPIO &c. 12. *Ita etiam poſt.* S. CASTELLUM MENAPIORUM. *Conſentit Ant. in nomen, cognomine non addito. Verùm contra quam ſchedæ locum inter Geſſoriacum & Taruannam, ille inter Taruannam & Bagacum tribuit. Errore librariorum, ut mihi quidem videtur. Quem ex ipſo Ant. corrigimus. Habet is in itinere Geſſoriaco Bagacum,*

A portu Geſorigenſi
Taruenna M. P. XVIII.
Caſtello M. P. IX.
Vitoviacum M. P. XVI.
Tornacum M. P. XVI.

Eſt inter Caſtellum & Tornacum bina ſpatia, ſingula M. P. XVI. *in unum collata M. P.* XXXII. *Mox alio itinere, Caſtello per compendium Tornacum,*

A Caſtello
Minariacum M. P. XI.
Tornacum M. P. XXVII.

Quæ conficiunt M. P. XXXVIII. *At cum iter per compendium utique altero illo fuerit brevius, non ineptè conjicimus Ant. in priori*

Caſtel-

Castellum Tarvannæ præposuisse, ut summæ M. P. XVIII. *accrescant, & M. P.* L. *colligantur : quæ ratio posterius compendiarium iter M. P.* XII. *excedit : Cum aliâs longius à breviore (quod fieri neutiquam potest) M. P.* VI. *superaretur. Vidit hoc Simlerus, & in compendiario itinere annotavit, quosdam inter Minariacum & Tornacum M. P.* XXVII. *signare, uti nos fecimus, alios M. P.* X. *demere, ut totum iter M. P.* XXVIII. *constet, & longiori (id M. P.* XXXII. *esse vidimus) cedat M. P.* IV. *Verùm hanc correctionem neque priores editiones, quas Divæus sequutus, neque res ipsa admittit. Nam cum Ant. itinere Castello Coloniam, inter Minariacum & Camaracum M. P.* XXXIII. *describat,*

Menariacum.
Nimetacum M. P. XIX.
Camaracum M. P. XIV.

Compertum autem sit Tornacum & Camaracum fere æqualibus spatiis à Tarvanna distare : Consequens fit, etiam interstitia à Tornaco & Camaraco Minariacum, quæ prima post Taravannam mansio, non immensum differre, & si inter Camaracum & Minariacum M. P. XXXIII. *sanè inter Tornacum & Minariacum facilius M. P.* XXVII. *quam M. P.* XVII. *admittimus. Quamquam non est, cur isto argumentorum circuitu valde opus habeamus. Ant. litem disertis verbis dirimit : Eo quod plus spatii à Castello Nimetacum & Camaracum, quam à Tarvanna ascribit. In hoc enim id, de quo quærimus, prorsus recidit. Itinere Castello Coloniam,*

A Castello
Menariacum M. P. XI.
Nemetacum M. P. XIX.
Camaracum M. P. XIV.

Qui numeri collecti M. P. XLIV. *efficiunt. Itinere Tarvanna Durocortorum,*

A Tarvanna
Nemetacum M. P. XXII.
Camaracum M. P. XIV.

Hi conficiunt M. P. XXXVI. *Quæ cum se ita habeant : Quis porrò ambiget, num Ant. Castellum ante Tarvannam, num verò post eam posuerit ? Corrumpendo autem Ant. Ptolemæus fuit. Is cum Mosam non suo loco descripserit : Videtur Castellum ad Mosam inter Tarvannam & Baganum collocasse. Meminit Ammianus Marcellinus lib. 17. oppidi Castelli, quod fluvius Mosa præterlambit, estq; idipsum, quod Ptolemæus rettulit. Verùm à nostro & Ant. differre, nemo harum regionum tam ignarus est, qui ex intervallo à Gesforiaco & Tarvanna ad Mosam, possit intelligere. Utrumque ad Menapios pertinuisse, nihil impedit, cum Menapiorum latissimi fuerint fines. Et nescio quid, præter tenues conjecturas, sequuti*

sint, qui Ant. Castellum Morinis tribuêre : Nos ex schedis Menapiis vindicamus ; Quam in rem aptè observavit Divæus ex Gandensium cœnobiorum archivis, etiam posteriori seculo, cum Franci rerum in Gallia potirentur, Menapiscum pagum à Scaldis ripa, ad Morinorum fines, haud procul Tarvanna extendi solitum. Quod ideò moneo, ne miremur, cum Bononia & Tarvanna Morinorum fuerint, qua ratione Castellum intermedium Menapiis possit tribui, fit enim persæpe, ut qui in confinio diversorum populorum iter habet, vicissim ad utriusque gentis oppida divertat.

TER-

TERVANNA. 22. *Ant.* Tarvenna. *Ptol.* Tarvanna.

VIROVMO. 11. *Ant.* Viroviacum.

TURNÆO. 12. *Reſtitue*, TURNACO. *Ant.* Tornacum. *Videtur in libello provinc. Galliæ*, Civ. Turiacenſium, *Belgicæ ſecundæ. In Notitia eſt*, Procurat. Cynegii Tornacenſis Belgicæ ſecundæ.

PONTES CALDIS. 10, *Legendum* PONTE SCALDIS. *Ant.* Ponti Scaldis.

BACA CONERVIO. 12. *Facilis correctio*, BAGACO NERVIORUM. *Ita Ant. habet. Ptolemæus* Baganum, *in quibusdam codi-*

codicibus Bajacum, *vel* Bavacum. *Qui hodie Tornacum dici opinantur, schedâ & Ant. itinerario apertè refelluntur; Item illorum solidis argumentis est explosa sententia, qui Cæsaris Belgium interpretati. Id non negaverim, Bagacum in Belgio constitutum esse. De Nerviorum gente mox aliqua. Iam totum hoc iter cum Ant. conferamus.*

Ant.	*Scheda.*
A portu Geforigensi	Gessoriaco, quod nunc Bononia.
	Castello Menapiorum. 12.
Tarvenna M. P. XVIII.	Tervanna. 22.
Castello M. P. IX.	
Viroviacum M. P. XVI.	Viroumo. 11.
Tornacum M. P. XVI.	Turnaco. 12.
Ponti Scaldis M. P. XII.	Pontes caldis. 10.
Bagacum M. P. XII.	Baga conervio. 12.

Reliquias viarum militarium his locis superesse, partim saxis grandibus, partim silice minuto & glarea stratas, intellexi ex Ortelii & Vivianii itinerario.

VOGOBOGIACO. 16. *Lege* VOGOBORGIACO.

BEMMICO VICO. 43. *Restitue* GEMINIACO. *Notitia inter legiones Comitatenses*, Geminiacenses.

PERNACO. *Has tres mansiones paullò aliter nominat Ant. itinere à Castello Agrippinam, inter Bagacum & Advacam vel Advaticum Tungrorum,*

Vodgoriacum M. P. XII. *Al.* Vodogoriacum.

Geminiacum M. P. X.

Perniciacum M. P. XXII. *Al.* Perviciacum. *Al.* Perticiacum. *Longè petita, neq; ad meum gustum est conjectura Simleri, de Præsidiensibus, qui in Notitia cum Magistro Equitum Galliarum.*

Supra hoc iter, scheda quatuor nomina habet in via, quæ à Noviomago descendit,

CEUDUM. 22.

BLARIACO. 12.

CATVALIUM. 14.

FERESNE. 16. *Ad quæ, cum omnia mihi pariter ignota sint, nihil, quod notem, habeo. Cur enim lectorum otio abutar, ut ad* CEUDUM *&* CATVALIUM, *de Ceutronibus sive Centronibus & Catuacis planissimas nugas congeram?*

Infra Vogoborgiacum iter est, quod Bagaco Durocortum ducit, hisce mansionibus distinctum,

11. DURONUM. 10. *Sic Ant.*

VIRONUM. 13. *Ant.* Verbinum. *Divæus ait ad Veromanduos pertinere.*

NINTICACI. 9. *Ant.* Minaticum.

AUXENA.

AUXENA. 10. *Ant. itinere Durocortoro Divodurum*, Auxuenna *vel* Axuenna. *Itinere Bagaco Durocordorum corruptè* Muenna: *Quod nomen hinc licet corrigere. Meminit Cæsar 2. de bello Gallico fluminis Axonæ, in extremis Rhemorum finibus, ab eo nomen oppido inditum credibile est.*

DUROCORTO. *Ant.* Durocortoro & Durocordoro. *Cæsar lib. 6.* Durocortum Rhemorum. *Ptolemæus* Durocottorum. *Strabo lib. 4.* Inter istas gentes Rhemi nobilissimi sunt, & eorum urbs primaria Duricortora maximè incolitur, & Romanorum præfectis hospitium præbet. *Totum iter ex Ant. subjicimus.*

Ant.	*Scheda.*
A Bagaco Nerviorum	Bacà conerio.
Duronum M. P. XII.	Duronum. 10.
Verbinum M. P. X.	Vironum. 13.
Catusiacum M. P. VI.	
Minaticum M. P. VII.	Ninticaci. 9.
Muenna M. P. VIII. *Al.* XVIII.	Auxenna. 10.
Durocordoro M. P. X.	Durocorto.

RERVI *qui in extrema scheda, pro* NERVIIS *positi. Nervios maximè feros inter Belgas haberi Cæsar tradit. Ab iis Atrebates, Veromanduos, Ambianos, Treviros, Senones, Rhemos & Eburones contingi, ex eodem Cæsare & Strabone colligimus. Quæ fidem faciunt, latissimis finibus usos esse. Eo etiam Cæsar pertinet, cum scribit, Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, Gordunos sub illorum imperio fuisse.*

Jam si Belgicam à capite repetimus, proxime Gesforiacum aut Bononiam, sequuntur in itinere Augustam Suess. nomina septem, quæ à nemine alio, quod sciam, relata.

GRAVINV.

LUCCOMAGI. 7. *post* S. LINTOMAGI.

ADULLIA. 11. *Numeri barbari undecim significant, in post. S. numeri Roman.* 11. *duo.*

DUROICO REGV. 14.

10. SETUCIS. 10.

RODIUM. 9.

JURA. 16. *Habent Cæsar, Plinius & Ptolemæus Juram aut Jurassum montem, sed qui ad hanc mansionem nihil pertineat.*

NEMETACO. 14. *Ant.* Nemetacum & Nimetacum, *Cum aliis itineribus, tum Tarvenna Tornacum. Videtur* Metacum *Ptolemæi, quod nonnulli codices* Rigiacum & Origiacum *appellant. Divæus pro* Nemetocerna *Cæsaris accipit.*

ERMANACO. 40.
HERMONACUM. 8. } *Ant. unam tantum mansionem inter Nemetacum & Bagacum habet*, Camaracum *scilicet. An ea in scheda Ermanacum sit, nondum statuo.*

13. TEUCERA. 12. *Istud etiam nomen, uti priora duo, schedæ debemus.*

SAMMAROBRUIA. 31. *Corrige* SAMAROBRINA, *ex Cæsaris aliquot locis, & Cicerone ad Trebatium lib. 7. ep. 11. 12. 16. Ant. promiscuè* Samarobrina, Samarabriva, Samarabriga, *Ptolemæus* Samarobriga.

AUG. VIRO MUDUOR. 25. *Ant.* Augusta Veromanduorum, *Ptolemæo* Rhomanduorum. *Ant. inter Nemetacum & Augustam habet Camaracum, Scheda Ermanacum.*

RATUMAGUS. 8. Latomagus *Ant. Nostro affinitas inter* L. *&* R. *non semel imposuit.*

RITU-



RITUMAGUS. 12. *Ant.* Rotomago & Ratomago, *Ptolemæo* Rhatomagus *in Subanectis, aut Ubanectis, ut Latini codices præferunt. Græcos Nervios habere monet Ortelius.*

MEDIOLANO AURERCOR. 12. *Lege* AULERCORUM *ex Ant. cui inter Ratomagum & Mediolanum* Yggade *eſt, aut* Uggade. *Ptolemæus triplices* Aulercos, *ſive* Aulircios *(ut illi vocare uſus) numerat*: Aulircios Diaulitas, Aulircios Cenomanos, Aulircios Eburaicos, *omnes in Lugdunenſi Gallia, & in Eburaicis* Mediolanum. *Plinius duplices in Lugdunenſi* Aulercos, *qui cognominantur* Eburones, *& qui* Cenomanni. *At quidam ex Cæſare*

Cæsare Autercos in Belgica constituunt : Qua de re mihi (verum fatebor) non admodum liquet. Et incertus feror an de Mediolano litem secundum schedam, an secundum Ptolemæi tabulas dare sit æquius. Eo maximè, quod de Sequanæ delineatione jam antea scrupulum injecerim. Illud ex Ant. itinere, quod inferius dabimus, apparet, Mediolani nomen in scheda, inter Ritumagum & Durocassium, non alieno loco positum. Si quid erratum, in Sequanæ cursu erratum esse. Nisi malumus ad utramq; Sequanæ ripam duplex Mediolanum stetisse. Uti his ipsis locis apud Ptolemæum duplex Rothomagus. Aliâs minimum octo diversas urbes Mediolani nomine apud geographos reperire est.

LUGDUNENSIA. Cap. VI.

Lugdunensis à Belgica iis terminis distinguitur, quibus diximus. Ab Aquitania olim Garumna, uti Cæsar scripsit, & qui eum sequuti Mela atque Plinius. Augustum autem populos, qui inter Ligerim & Garumnam, Aquitaniæ addidisse, Strabo refert, & Ptolemæus ita in tabulas rettulit. Idem posterioribus temporibus obtinuisse, ostendit libellus provinciarum Galliæ, qui Cadurcos, inter Ligerim & Garumnam positos, Aquitaniæ ascribit. Æthicus etiam & Vib. Sequester id apertè confirmant. Hinc apud me oppidò certum, pro eo, quod in utraque scheda FL⁹. RIGER. *substituendum* FL⁹. LIGER. *quo pacto, decurtato nomine Ligerim appellabant. Tibullus lib. 1. eleg. 7.*

Carnoti & flavi cærula lympha Liger. *Auson. edyll. 9.*

Non tibi se Liger anteferet --- *fortassis & Lucanus lib. 1.*

Et nunc tonse Liger --- *Quamvis alii in Lucano* Ligur. *Quod verò auctorem nostrum, in Sequanæ descriptione, dubiè & timidè defendere ausi fuimus, idem quin de Ligeri faciamus, errore ejus manifesto impedimur. Et certè nescio quid causæ subesse interpreter, cur in fluminum delineatione lapsus sit potissimum : Ne à transcriptoribus erratum existimem, schedarum consensu prohibeor. Illud interdum cogito : An fortassis itinera ab auctore nudè in tabulas relata, ab alio deinde aliquo fluviorum descriptiones additæ sint. Sed quidquid caussæ, error in propatulo est. Eo loco, vel non multum diverso, quo in schedis* Fl. Riger *in mare descendit, Ptolemæus Erium (Cænalis* Ferium *agnoscit) descripsit, prope* Dariorigum *nimirum. Ligeris deinde ostia meridiem versus, post* Brivatem portum, *qui in scheda* Portu namnetu *videtur, unde Strabo scripsit,* Ligeris inter Pictones & Nannetas effluit.

ALAMA. 7. *Post. S.* ALANNA. *Restitue* ALAUNA *ex Ant. In adversa Britannia est Ptolemæo fluvius* Alaunus, Alaunius, *aut* Halænus.

CORUCIA CONNV. 21. *Post. S.* CROUCIA CONNUM *Ptolemæi* Crociatonum, *Ant.* Caracotino.

AUGUSTODURO. 24. *S. post.* AUGUSTUDURO. *Diversum ab Augustoduno Æduorum.*

ARÆGENUE. *Post. S.* ARARGENUE. *fortassis Ptolemæi* Ingena.

NUDIONNU. *Videtur* Noviomagum *Ant. inter Breviodorum & Condate. Cum Novioduno Cæsaris in Suessionum finibus non confundendum.*

JULIO BONA. 18. *Consentiunt Ptolemæus & Ant. Nisi quod Ptolemæus locum alieniorem tribuit.*

BREVODURO. 20. *Ant.* Breviodurum, Breviodorum, *aut* Brigaodorum. *Brevoduro Mediolanum Aulercorum, de quo præterito capite loquuti sumus; Mediolano Condate rectam viam duxisse, schedæ lineæ ostendunt: Sed hoc itinere flumen bis trajiciendum erat, id qui declinare cupiebant, Brevoduro Nudionnum aut Noviomagū, inde Condate pergebant, ut ex Ant. cognoscimus.*

CONDATE. 10. *Ita Ant. Aut Ptolemæus in situ valde erravit, aut ejus* Condate *diversum est.*

DUROCASSIO. 13. Durocasis *Ant. Cui in itinere Juliobona Durocasim rectè cum scheda convenit, præterquam quod Mediolani loco Noviomagum habet, ea de caussa quam diximus.*

Ant.	*Scheda.*
A Juliobona,	Juliobona. 18.
Breviodorum M. P. XVII.	Brevoduro. 20.
Noviomagum M P. XVII.	Mediolano Aurercorum. 12.
Condate M. P. XXIV.	Condate. 10.
Durocasis M. P. X.	Durocassio. 13.

MURICUM. *Mendum suspicor in prima littera, atque* AURICUM *legendum, pro* Autrico *Ptolemæi. Verùm si quorundam evincit opinio, Autricum eandem urbem cum Antissiodoro esse, manum sustineo, cum mihi satis constet, Muricum nostrum Antissiodori locum occupare non posse. Ant. itinere Rotomago Luteciam, habet post Ratomagum, Yggade, Mediolanum Aulercorum, Durocasim, Diudurum, inde Luteciam.*

CASARAMAGO. *Restitue* CÆSAROMAGO. *Etsi in scheda nonnihil dissidet à proxima linea, cui* Petrumuiaco *ascriptum, ad eam tamen pertinet, & quidem ante Petrumviacum occurrere Ant. nos docet, quod scheda non satis fidè exprimit.*

PETRUVIACO. 15. *Petromantalium aut Petromantalum Ant. Is itinere Caracotino Augustobonam sic habet.*

Ant.	*Scheda.*
A Caracotino	Coruci connu. 21.
Juliobona M. P. X.	Juliobona. 18.

Loium M. P. VI.

Latomago M. P. XIV.	Ratumagus. 8.
Rotomago M. P. VIIII.	Ritumagus. 12.
Petromantalum M. P. XVI.	Petru viaco. 15.

BURUS ARA. 15. *Ant.* Briva Isare, *aut* Isaræ. *Sic autem*

Ant.	*Scheda.*
A Cæsaromago	Casaromago.
Petromantalium M. P. XVII.	Petru viaco 15.
Briva Isare M. P. XIV.	Burusara, 15.
Luticiam M. P. XV.	

Aug.

MANIRATE
Saurica
Tanasis. Galatie.
Nysaeus
Flum. Tanais qui dividit Asiam et Europam.
Fossa facta p servos scutar.
LACVS MEOTIDIS.
ROXVLANI.
SARMATE.
Sarmat. deserti.
Hebrus
SINVS AVXINVS.
Thera
Bustica
Sgillum
Plateae
Thanais
Fl. Tanais
BYZANTINI.
Constantinopolis
Adjutus
Cero
Perinthus
Melantiana
Regio
Hieron
Maesura
Bithus
Heraclea
Apros
Syrallo
SINVS HERACLEOTICVS.
Cyzicos
Marmora
Colla
Aecivm Mare.
Insula
Cantana
Liso
Ledana
Lissia
Balacrae
Cyrene
Asclepij
Montes Cyrenei.
Agabis
Hi montes subjacent paludi simili Meotidi p quam Nilus transit.
Fl. Nilus qui dividit Asiam et Libiam.
NVS APTIS.
CVS NILVDICVS.
Hieracampus
Spelaea
Syene
Ombos
Tentira
Lato
Chrysopolis
Calcedonia
Insula
SINVS NIC
Insula Antiochia
Insula Acratas
Insula
Prometios
Cyzico
Ida.
Auido
Dardano
Ilio
Alexandr
Insula Chios
Arcadia
Insula
Blevia
Hiera
Cnesos
Cnemaphos
Lictus
Dionis
Syros
Dio
Lampsac
Proconnesus
Insula
Lemnos
Chios
Delos
Lesbos
Mitylene
Pergamus
Phocaea
Erythrae
Zephirus
Hiera
Lampsacus
Sestos
Abydus
Callipolis
Aphrodisium
Carina
Cria
Cnidos
Rhodos
Patara
Myra
Andriace
Cauno
Phaselis
Olympus
Corycus
Sidera
Melanippe
Chamaetum
Bruum
Saldoba
Cabacea
Myrsinus
Aoris
Hermaea
Teagma
Nimphaeum
Thessalonica
Thessalonica
Thessalonica

Ex Ant.	*Scheda.*
A Samarabrivas	Sammaro bruia. 31.
Carmiliaca M. P. XI.	Setucis. 10. *aut* Rodiū. 9.
Cæsaromago M. P. XIII.	Casaromago.
Litanobrige M. P. XVIII.	
Augustomago M. P. III.	Aūg. mag°. 16.
Suessonas M. P. XII. *al.* XXIII.	Aūg. Suessorum. 21.

Ex itinere Tarovenna Durocortorum has etiam mansiones conferamus, quarum pleræq; priori capite explicatæ.

Ant.	*Scheda.*
A Tarovenna.	Tervanna. 22.
Nemetacum M. P. XXII.	Nemetaco. 14.
Camaracum M. P. XIV.	Ermanaco. 40.
Augusta Veromanduorum M. P. XVIII. *al.* XII.	Aūg. viromuduorum. 25.
Conta Aginnum M. P. XIII.	
Augusta Suessonum M. P. XII.	Aūg. Suessorum. 21.
Fines M. P. XIII.	
Durocortoro M. P. XII.	Durocorto.

Nunc retro redeundum, ad ea quæ in Lugdunensi supersunt. Mari proxima est mansio,

CORIALLE. 29. *post. S.* CORIALLO.

COSEDIA. 9. *post. S.* COSEBIA. *Ant.* Consedie *vel* Cosedia.

LEGEDIA. 48. *post S.* LESEDIA. XLIX.

CONDATE. 16. *Ita Ant. Plura fuere hujus nominis oppida per Galliam & Britanniam.*

SIPIA. *Hujus, & proximè sequentis mansionis nemo præterea meminit.*

REGINEA. 14. *post. S* REGINCA.

FANO MART. 25. *Consentit Ant. Quæ Ortelius de Fano mantis, aut Fano Martis ex Notitia, & Sanctorum historiis collegit, ad hanc mansionem nihil spectant, cum Belgicam respiciant.*

BESOCRIBATE. 45. *S. post.* GESOCRIBATE.

VORGIV. 24. *S. post.* VORGIĀ. *Videtur* Vorganium *aut* Vargonium *Ptolemæi.*

SVLI. 20. *post. S.* SVLIM. *Et quoniam ab Ant. iter Ala una Condate describitur: Id hic cum Scheda conferamus, etsi in schedis hac via linea nulla ducta est.*

Ant.	*Scheda.*
Ab Alauna	Alama. 7.
Consedie M. P. XX.	Cosedia. 19.
Fano Martis M. P. XXXII.	Fano Martis. 25.

Ad

Ad fines M.P. XXVII.
Condate M.P. XIX. Condate. 16.

Ubi non frustra admoneo, illos, qui hæc loca omnia in Belgica constituunt, quod fecerunt viri docti, Ant. non optimos codices sequuti, valde falli: Et quod necessario sequitur, in explicatione nominum ad nostri temporis rationem, mirè errare. Cujus erroris indicationem his schedis debemus.

AQUITANICA. Cap. VII.

AQuitania *ad occidentem solem mare attingit. Reliquos ejus limites, qui in scheda non expressi, nihil persequi necesse. Mare Plinio & Ptolemæo* Oceanus Gallicus, *aut* Aquitanicus: *Æthico & Orosio*, SINUS AQUITANICUS, *uti etiam posterior scheda scribit, nam* AGUITANICUS *in priori, correctionem postulat. De sinus verò specie geographorum pinaces consule, Schedis ne fidem habeas.*

CADURCI. *Hos populos habet Cæsar, Strabo, Ptolemæus. Strabo & Ptolemæus disertè inter Ligerim & Garumnam constituunt.*

CONBARISTUM. 16. *A Condate & Sipia huc iter est. Conbaristi autem meminit nullus.*

JULIOMAGO. 17. *Ptolemæo etiam* Juliomagus.

DARCORTTURA. 20. *post. S.* BARTORITUM. *Ptolemæo* Darioritum *aut* Dariorigum.

DURECIE. 29. *post. S.* DURETIE.

PORTUNAMNETU. 18. *Namnetum portus.* Nannetes *habet Cæsar & Strabo. Ptolemæus* Namnetas *in mediterraneis procul à mari collocat. Si ad hos respexit, falsò. Hic verò portus* Brivatis portus *Ptolemæi videtur, uti dixi.*

SEGORA. 33. *Ptolemæo*, Secor portus.

LEMUNO. *Ptolemæo*, Limunum.

POSTERIORIS SCHEDÆ EXPLICATIO.

PARTITIO. Cap. I.

PLERAQUE *hujus schedæ, quod cum priori convenirent, jam antea sumus exequuti: Britannica nimirum, Barbarica, Belgica, Lugdunensia, & Aquitanica nonnulla: ea hic repetere non est animus. Supersunt Aquitanica alia, Hispanica, & Africana, quæ totidem capitibus absolvemus.*

AQUITANICA. Cap. II.

AQuitania *versus meridiem ad Pyrenæos montes pertinet. Horum perpetua juga in scheda expressa: quidquid ultra ea, ad Hispaniam spectat.*

In illa Aquitaniæ parte, quam nunc describimus, cui etiam Narbonensis Galliæ portio accensa, duo flumina delineata sunt, nullis additis nominibus. Primum, quod sinui Aquitanico in schedapropius, videtur Canentelus *Ptolemæi, Ausonius in Mosella* Carantonum *appellat. Alterum* Garumna *est, cujus Cæsar, Strabo, Mela, Plinius, Ausonius, Sidonius & Ptolemæus meminere, quamvis in quibusdam Ptolemæi codicibus perperam* Garyna *scribitur. At verò cum non modo Carantonus & Garumna, sed etiam Carantonus & Ligeris, quodammodo paralleli sint respectu Pyrenæorum montium, uti Strabo lib. 4. tradit, & certum sit hosce*

tres

tres fluvios, omnes eodem littore versus occidentem solem in Aquitanicum Oceanum effluere, apparet, quam nulla auctori nostro cura fuerit, tum in regionum, tum in fluminum descriptione veritatem assequi: Utpote qui habuerit satis, itinerum rationem, mansionum nomina, ordinem atq; interstitia annotare: Ac in fluviis neq; fontes, neque ostia, neque in decursu flexus, verùm id spectarit unum, ut ostenderet, quæ urbes eorum alveis ab invicem distinguerentur. Eum ferè in modum quo Notitia Nilum in Ægypto & Thebaide Jordanem in Palæstina, Tigrim & Euphratem in Mesopotomia, Danubium in Scythia expressit. Quamvis noster hac

ipsv

ipsa in re sæpius aberravit ; Nisi in alium quempiam culpam conjicere malumus, uti jam antea innuimus.

BURDIGALO. IX. *Lege* BURDIGALA. *Urbs plurimorum geographorum & historicorum monumentis nota. Quidam* Burdegalam, Burdigalliam, *libellus provinc. Galliæ*, Metrop. civ. Bordegalensium. *Sed in eam, quam probavimus, lectionem fere omnes consentiunt. Ausonius de urbibus 13.*

Burdigala est natale solum -----
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem,
Diligo Burdigalam -----

Et sæpissimè alibi. Est autem caput Biturigum Vivisco rum, impositum paludi marinæ, quam Garumnæ ostium efficit, *ut Strabo scribit. Neque in ea Garumnæ ripa, qua nomen scriptum, sed in adversa sita. In qua etiam Ptolemæus constituit. Neque fortassis aliter præferret tabula, si extaret integra : Nam sæpe fit, ut geographi pro chartæ spatio in una fluminis ripa urbem delineent, ex adverso nomen describant.*

BLAVIA. XXII. *Ant.* Blanuto, Blauuto, *aut* Blavio. *Notitia* Blabia, *ubi* præfectus militum Carronensium. *Ausonius epist. 10. ex Scaligeri editione* Militarem Blaviam *vocavit.*

LAMNUM. XIII. *Ant.* Tamnum.

MEDIOLANO SANCON. XVI. *Restitue* SANTON. Mediolanum Santonum *habent Ant. Strabo, Ptolemæus, Ausonius, alii. Libellus provinc.* Civ. Sanctonum.

AVEDONACO. VIII. *Ant.* Aunedonacum. *Videtur* Ducona *Ptolemæi, quibusdam* Doveona.

BRIGIOSUM. XII. *Nihil de hac mansione apud alios invenio.*

RARAUM. XVI. *Ant.* Rauranum. *Ita Paulino epist. 3. ad Ausonium,*

Rauranum Ausonias huc deveniſſe curules.

ubi quidam Raraunum, *quidam perperam* Romanum. *Conferamus Ant. in itinere Burdigala Augustodunum.*

Ant.	*Scheda.*
A Burdigala,	Burdigalo. IX.
Blanuto M. P. XIX.	Blavia. XXII.
Tamnum M. P. XVI.	Lamnum. XIII.
Novio regum M. P. XII.	
Mediolanum Santonum M. P. XV.	Mediolano Sãcon. XVI.
Aunedonacum M. P. XVI.	Avedonaco. VIII.
	Brigiosum. XII.
Rauranum M. P. XX.	Raraum. XVI.

Lomounum M. P. XXI. *deinde in Ant. sequitur, quod in priori S. Lemuno est. Atque hoc loco utraque scheda committitur.*

Alte-

Alterius itineris à Burdigala prima mansio est, ARATREDO XVIII. *Videtur* Anderidum *Ptolemæi in Tabulis Aquitanicis.*

CORTERATE. *Hoc nomen non memini præterea legere.*

CONDATE. X. *Non satis perspectum habeo an in hoc itinere censendum sit. Indicavi antea, nomen Condate sæpius per Britanniam & Galliam occurrere. De portu Condate prope Burdigalam Ausonius epist. 5.*

Unus Domnotini te à littore perferet æstus,
Condatem ad portum, si modo deproperes.

Rectius fortasse accipimus Condatinum vicum, de quo Paulinus ad Auson. epist. 3.

In Condatino dicêris degere vico.

Nisi portus & vicus idem sit, quod Eliæ Vineto videtur.

SARRUM. XX. *Istud etiam nomen mihi ignotum.*

VESONNA. XIV. *Alia à* Vesuna *Ant. quod ex itineris ratione liquet. Facilius cum Ptolemæi descriptione conveniat.*

SERMAMCOMAGO. XII. *Quid sit, adhuc quæro.*

CASSINOMAGO. XVII. Videtur Cassinogilum, *cujus Ivo & Floriacensis in Aquitania meminere, Ortelio teste: Floriacensis inter flumina* Droch & Warumnam *constituit: prioris nomen mihi obscurum est, posterius Garumnam significat. Cassinogili villæ Regiæ bis mentionem facit auctor antiquus, qui vitam Ludovici Pii Imp. scripsit, à P. Pithœo emissus, & ostendit haud procul à Garumna abfuisse.*

AUSTRITO. XIIII. *Hic quoque mihi tenebræ.*

Tertio itinere sequitur primo loco post Burdigalam.

SERIONE. XX. *Ant.* Sirione.

VESUBIO. *Ant.* Ussubium.

FINES. XV. *Ant. consentit.*

AGINNUM. VI. *Quamquam mihi non admodum liquet, an hi numeri ad Aginni nomen pertineant. Meminere Aginni Ant. Ptolemæus, Ausonius. In libello provinc. Galliæ est* Civ. Agennensium.

EXCISIUM. *Ant.* Excisum.

BROLINDV̄. *Hujus mansionis loco Ant. est* Travectus *vel* Trajectus. *Intelligimus Brolindi fuisse Trajectum, Garumnæ fortassis, etsi scheda eum non exprimat, sed ego conjecturam ex Finei Gallica tabula capio.*

BIBONA. *Huc incidit Ant.* Vesuna *aut* Vesunna. *Num noster, num verò Ant. rectius scripserit, quî ego divinem? Indicabo tamen, Vesunæ nomen mihi jam antea, conferenti Ant. cum Ptolemæi tabulis, suspectum fuisse. Ant. porrò in itinere Burdigala Argantomago sic habet.*

Ex Ant.	*Scheda.*
A Burdigala	Burdigalo. IX.
Sirione M. P. XV.	Serione. XX.
Uſſubium M. P. XX.	Veſubio.
Fines M. P. XXIV.	Fines. XV.
Aginnum M. P. XV. *Al.* XII.	Aginnum. VI.
Exciſum M. P. XIIII.	Exciſium.
Traveƈtus M. P. XXI.	Brolindu.
Veſunna M. P. XVIII.	Bibona.

XV. CLUSA. X. *Videtur* Clauſecia, *cujus meminit Sidonius epiſt.*

epist. lib. 5. Et si Ortelius pro eo nomine ex antiquo codice claudus etiam *legit. Puto ad Pyrenæi fauces pertinuisse. Notum est castella faucibus imposita posteriori ævo* Clausas, Clusas, *atque etiam* Clausuras *appellata.*

BESINO, XII. *Ant.* Bersino *aut Belsino.*

CLIBERRE. XV. *Ant.* Clembertum *aut* Climberrum.

CASINOMAGO. XIX. Salomaco *Ant. fortassis, in itinere ab Aquis Terrebellicis Burdigalam; Ut prima syllaba apud Ant. perierit, reliquæ luxatæ sint, utrumq; non raro accidit. Fortassis hodie* Causalion. *Si quis etiam quæ de Cassinogilo supra adduximus, huc revocanda judicaverit, non valde contenderim.*

TOLOSA.

TOLOSA. *Fateor, diu in hoc nomine hæsitavi. Ne clarissimam Tectosagum urbem interpretarer, locorum ratio impediebat. Suspicatus sum aliquando Losam Ant. esse. Is enim in itinere ab Asturica Burdigalam, inter Summum Pyrenæum & Burdigalam eam mansionẽ habet, quod nostræ convenire vides, & fieri potuit, ut in Ant. priores duæ litteræ exciderint. Sed neque sic quoque itineris ordo satis constabat. Itaq; tandem mihi persuasi necessario, Tolosam nostram ab utraque differre, neque ejus cæteroquin memoriam exstare. Id ne cui incredibile videretur, observavi haud ita procul aliam etiam Tolosam in Cantabris, ad flumen ejusdem nominis, quam nonnullæ geographicæ tabulæ Tolosettam appellant.*

LACTORA. *Ant.* Lactura. *libello princ.* Lastoracium *vel* Lasturacium. Lectorium & Lactorium *Golzio in thes. ex vetustis inscript.* Lactoratium *agnoscit Scaliger, & producit inscriptionem, quæ meminerit* CIVITATIS. LACTORATEN. *Nomen adhuc retinet. Ant. iter ab Agenno Lugdunum Convenarum aut Cuquenorum describit: Et cum Lugdunum à Clusa nostra haud procul abfuerit, fit, ut easdem cum scheda mansiones habeat, eo tantum differens, quod Lacturâ rectâ Climberrum pergit, Tolosa & Cassinomago omissis.*

Ant.	*Scheda.*
Ab Agenno	Aginnum.
Lactura M. P. XV.	Lactora.
	Tolosa.
	Casinomago. XIX.
Clembertum M. P. XV.	Cliberre. XV.
Bersino M. P. X.	Besino. XII.
Lugduno M. P. XXIV.	XV. Clusa. X.

Tolosam inter & Bibonam duæ mansiones describuntur,

FINE. *Et*

COSA. XX. *De quibus nihil compertum habeo, nisi Cosa Ptolemæi & Ausonii* Cossium *sit.*

Reliquæ item à Tolosa mansiones obscuræ sunt,

BUDINO.

BUROMAGI. *An* Bormannici *Plinii lib. 3. c. 4.?*

SARCASSIONE. XII. *Huic lucem dabimus unius litteræ immutatione,* CARCASSIONE, Carcassum, Carcasonem, Carcasionem, *Plinius, Ptolemæus & Procopius variè appellant.*

AQUIS. *Ptolemæo* Aquæ Augustæ *in Tarbellis, Ant.* Aquæ Terrebellicæ.

HISPANICA. Cap. III.

HIspania Pyrenæos montes Septentrionem versus habet; ad ortum mediterraneum mare, quod in scheda, suppresso nomine, expres-

expressum. Hinc perspicuum fit, Pirenæos parallelorum rationem ad littus nequaquam habere, uti S. præfert. Verùm auctor ostensum voluit, Pyrenæos Galliam ab Hispania distinguere: Iter, quod describit, ad Mediterraneum sive Balearicum mare pertinere: Quæ inter montes & mare symmetria esset, neutiquam curavit.

VOCONI. XX. *Ant.* Aquæ Voconis. *Dubito an* Aquæ Calidæ *Ptolemæi sint, ut Ortelius sensit.*

GERUNDA. XII. *Consentiunt Ant. Plinius, Ptolemæus.*

SENVIANA. *Ant.* Cinniana.

LUNCURIA. XII. *Ant. & Ptolemæo latinè loquenti* Juncaria. *Ortelius in Græco codice* ἰυγκαρία *observavit. Ait urbem mediterraneam esse Hispaniæ Tarraconensis, hodie* Junquera. *Ego in tabulis geographicis* Jonqueras *ad littus reperio.*

BECLANA. IV. *Videtur* Deciana *Ptolemæi.*

IN SUMMO PYRENEO. V. *Sic Ant. Puto plura Pyrenæi juga, & proinde plures etiam mansiones hoc nomen habuisse*

PROMONT. *Promontorium Pyrenæi, à quo Hispaniam incipere Plinius scripsit. Veneris templo insigne, ex Strabone & Ptolemæo. Ant. iter à summo Pyrenæo retro ad Aquas Voconis sic describit.*

Ant.	*Scheda.*
Summo Pyreneo M.P. V.	In summo Pyreneo. V.
	Beclana.
Juncaria M.P. XVI.	Luncuria. XII.
Cinniana M.P. XV.	Senviana.
	Gerunda. XII.
Aquis Voconis M. XIV. *Al.* XXIV.	Voconi. XX.

Gerundæ nomen, quòd Ant. hic omisit, alio itinere, Mediolano ad leg. VII. *geminam, proximè post Juncariam posuit.*

AFRICANA. Cap. IV.

PRimò *pars oræ Mauritaniæ Cæsariensis ad mare mediterraneum describitur. Insula sine nomine, una illarum est, quas multas habet hoc pelagus, fortassis* Balearis major.

Deinde, iter à Castris Tamaununam, cujus certum locum nondum constituere potui.

Tertiò, est à Præsidio ad oculum marium, Africæ propriæ pars. At hæc tria itinera sein scheda nullo certo ordine respiciunt, sed singula per se consideranda. Nam qui postremum iter valde mediterraneum, & cum primo parallelum esse existimabit, uti scheda præfert, erret necesse est. Ego conjicio hæc recto, & suo ordine in autographo descripta, pro schedarum spatio perturbatè enotata esse.

RUSIBRICARI. *Ant.* Rusubbicari. *Ptolemæo* Rusicibar.

MATIDIE. XXII. *lego* MATIDIÆ. *differt ab Ant.* Pactianis

Matidiæ. *Quam ille mansionem hoc eodem littore inter Igilgilem coloniam & Chulli municipium constituit. Cognomen* Pactianis *fortassis ad differentiæ notam additum. Nostra videtur incidere in* Modungam *Ptolemæi. An* ΜΑΤΤΑΙΑΝΟΠΟΛΙΣ, *cujus meminit Golzius in thesauro ex Trajani nummo? Duplicem autem Matidiam fuisse, in notis ad inscriptiones Augustanas primus ostendi. Hæc ad majorem pertinere existimo, quæ Augusta dicta, post mortem in Divas relata est.*

CISSI MUNICIPIO. XII. *Ant.* Cisi municipium. *Ptolemæo* Cisse *aut* Cissa.

Rusuc-

RUSUCCURŪ COLON. XVIII. *Si tamen numeri huc pertinent, Ant.* Rusuccuro colonia. *Ptolemæi codices non uno modo habent. Ortelius* Rhusuncoræ *agnoscit.* Rusucurium *Plinio, ait civitate honoratum à Claudio.*

LOMIVIO. *Ant.* Lomnium municipium, Jomnium & Jonium *ambiguè. Ptolemæo* Jomnium. *Ant. primo per Africam itinere, mansiones istas hoc ordine posuit.*

Ant.	*Scheda.*
Rusubbicari M. P. XXIV.	Rusibricari.
	Matidie. XXII.

Cisi

Cisi municipium M. P. XII. *Al.* XV.	Cissi municipio. XII.
Rusuccuro colonia M. P. XII.	Rusuccurū Colon. XVIII.
Lomnium municipium M. P. XVII.	Lomivio.

TIGISI. *Ant. hanc primam mansionem habet itinere Rusuccuro Saldim, & cum M. P. XII. ascribat, suspicor etiam in scheda numeros* XII. *qui non nihil dissident, huc retrahendos. Ptolemæo* Tigis. *Etsi de situ Ptolemæo Ant. & schedæ non convenit.*

MONS. *Cui nullum præterea proprium nomen ascriptum, forsan* Byren *Ptolemæi. Ortelius Græcè* Heren *legit.*

ICAMPENSES. *populi mihi nunquam auditi, Quid si prima littera* I, *extrema fuit alicujus nominis quod periit, ut reliqua,* Campenses, *significent gentem, quæ campos coleret, quod fortassis alii ejusdem nominis montani: Latinius,* Campestres.

CASTRA. XX. *Plura per Mauritaniam castra proferre possim ex Ant. Notitia, Ptolemæo: quæ verò hic significentur, constituere non possim.*

GALAXIA. *An* Gala *aut* Cala *Ant. ? An* Galapha *Ptolemæi? Nam Galapham à Gala differre certus sum, etsi aliter Simlerus. An* Gales Ammoniæ vicus, *cujus meminit Optatus Milevitanus?*

EQUELRETO. *Aliquot in Africa urbes ab equis dictæ. Et quidem in interiori* Hipponacram, *Equi arcem, Diodorus refert lib.* 20. Hippagretam *quidam appellavere. Ego suspicor in scheda nomen ad latinum sonum flexum, in Equelretum abiisse, corruptè.*

LEMELLI PSIDIŪ. VI. *Hoc præsidium Optatus Milevitanus lib.* 2. *Castellum Lemellen se appellat, ubi Primosus episcopus.*

TAMASTANI MUNICIPIUM. X. *Golzius meminit* TAMAΣITΩN *ex nummo, qui fortasse ad hoc municipium pertinuit.*

TAMAUNUNA MUNICIPIUM ET CASTELLUM. XXV. *fortassis* Tamulluma, *cujus mentio apud Victorem Uticensem lib.* 2.

PRÆSIDIUM. L. *Videtur incidere in* Onellabam *Ant.*

SALINAS. *Orosius* Salinarum lacum *in Africa nominat. Puto Ant. esse* ad Aquas.

NAUBONENS. XVI. *Cogitandum an* N *separanda* Novis *significent, Reliqua corruptè scripta sint pro* Aquilonens. *Ant. bis fere locis habet* Novis Aquilonis, *sive* Aquilianis, *sive* Novili Aquilianis: *Scriptura enim vacillat.*

VACCIS. XVII. *Sallustius de bello Jugurth.* Oppidum Numidarum nomine Vacca, forum rerum venalium, totius regni maximè celebratum. *Videtur* Avacaria *vel* Avicaria. *Ant. Ineptè pro* A Vacaria.

XXV. TUBONIS. *Ant.* Tuburbo minus, *ut ego existimo.*

ADOCULUM MARIUM. XI. XVIII. *Ant. inter Tuburbo*

& Car-

& Carthaginem Cigisam *posuit. Cæterum itinere ab Hippone Regio Carthaginem sic cum scheda convenit.*

Ant.	*Scheda.*
Onellaba M. P. L.	Præsidium, L.
Ad Aquas M. P. XXV.	Salinas.
Simitu Colonia M. P. V.	
Bulla Regia M. P. VII.	
Novis Aquilonis M. P. XXXIII.	Naubonens. XVI.
Vico Augusti M. P. XVI.	
A Vacaria M. P. XXX.	Vaccis. XVII.
Tuburbo minus M. P. XVI.	XXV. Tubonis.
Cigisa M. P. XXXVIII. *Al.* XXVIII.	Ad oculum marium.
Carthagine M. P. XVIII.	XL. XVIII.

Exposui, quæ ad Schedarum interpretationem pertinere visa. Hoc verò loco mihi testandum existimo, si ipsius tabulæ autographum aliquando in nostras manus pervenerit, cum ex eo multo certiores & uberiores fructus percipi posse cognitum habeam, me illius vulgandi laborem non invitum subiturum. Interea temporis fragmentis hisce uti frui Reipub. litterariæ per nos liceat, Ut vel hinc cognoscamus, quam multa in his studiis ignorentur.

TESTIMONIA B. RHENANI, GER. NOVIOMAGI, ET FR. IRENICI, QUÆ AD HANC TABULAM PERTINENT.

Beatus Rhenanus Rerum Germanic. lib. 3. de Gessoriaco.

DE hoc variæ sunt conjecturæ, sed tollit omnem nobis ambiguitatem charta militaris, quam apud Chunradum Peutingerum nostrum Augustæ vidimus. In qua sic scriptum, Gessoriaco, quod nunc Bononia. Maritimam autem Bononiam intelligit.

G. G. N. *in hist. Batavica.*

GORCHEMUM, non procul à castris Herculis, una cum pagis aliquot vicinis, vetus nomen hodie retinet. Ager enim Herculis dicitur, Batavicè, Dat landt van Arckel. Horum castrorum fit mentio in charta illa vetustissima, quæ itinera Romanorum militum, ex provinciis nonnullis, depicta continet. Hanc mihi ostendit Clariss. Vir D. Chuonradus Peutingerus U. J. Doctor, Patricius ac Cancellarius nobilis Augustæ Vindelicorum,

Digitized by Go

qui ſecundus à Celte cognomine ſuo, poëtâ laureato, patriam ſuam, totamque Germaniam illuſtrare cœpit.

Franciſcus Irenicus Germaniæ Exegeſos lib. 9. c. 6.

Bingum **Bingen**/ Hujus meminit Tacitus, Ptolemæus, Ant. & Itinerarium Auguſtanum. * Sacarbantia **S. Pulten** / hujus loci Ant. ac Itin. Auguſt. fecere mentionem. * Savaria **Stein an der Angern** / non **Gretz** / ut quidam volunt, Ant. Ptolemæo ac Itinerario Auguſtano teſtantibus. *Artobrigam **Lechſgmind**/ à Ptolemæo ac Itiner. Auguſt. dici perſuaſiſſimum habeo, non Ratiſpo-

Ratisponam. Teutoburgum Seva, ubi ingreditur fluvius Daros in Danubium, de eo loco Ptolemæus Ant. & Itiner. Augustanum. * Sirmium Agria, apud Ant, & Itiner. Augustanum,

Libro eodem c. 7.

Pervenit nuper ad nos itinerarium quoddam, ut antiquum, ita festivissimum, quod Augustanum vocabant, ubi repertum fuisse dixerunt. In quo civitates Danubianæ continebantur, quascumque vetustas viderat. Hujus igitur vocabula quædam urbibus Germanicis imposita, licet obscurissima, habita ratione ac sup-

ac ſupputatione, ita luci protulimus. **Regelſpurg** primitus Rhegino ab ipſo dicitur. Patavium verò Caſtellum Bolodurum. **Lambach** præterea monaſterium non longè à flumine Drao, Ovilia ab eo appellatur, ab Antonini vero itinerario Ovilabis. Carnunto præterea Peternel eſſe juxta Namburgum conjectavimus. Taurinum ſimul ab ipſo Mœſiam ſuperiorem nominari putamus. Vetomanis quoque penes eum **Pettau** valuit, vel locus non longè à Petavione; licet paulò poſt, ubi Pannoniam ſuperiorem deſcribit, Petavionis meminerit. Vindoniſſam inde **Kingsfeld** ſignificare videtur. Seleſtadium verò nunc Hellum, nunc Helvetum nuncupavit, cujus vocabuli & Ant. meminit. Pontes præterea Saroi **Sarbruck**. Argentaria **Colmar**: Tabernis **Zabern**: Matricorum **Metz**: Argentorace Argentinã: Aventicum **Habelſpurg**: Juvaviam Saltzburgam: Solidurnum **Solodurn** conjectura optima ab ipſo dici vidimus: quorum vocabulorum uſus tam apud Ptolemæum quam Ant. frequens eſt. Nomina præterea civitatum collegit, quæ & noſtri ſeculi rigorem ſervant. Veluti ſunt Colonia, Argentorace, Juliacum, Flevio, Noveſum, Bingium, Aſciburgum, Noviomagum, Auguſta Trevirorum, Auguſta Rauricorum, Confluentia, Bonna, Rigomagus, Moguntiacum, Bregetomagum, Auguſta Lyci, Aris Flavis, Lacus Bigrantinus, Sirmium, Murſa, Ponte Druſi, Brigantia, Ulmo: Et reliquarum urbium appellationes, quæ cuilibet privato conſtant. Quæ ideò adduximus, ut earum antiquitatem exigeremus, & has totius Germaniæ vetuſtiſſimas faceremus. Reliqua in illo itinerario ſepoſita, ſucceſſoribus noſtris relinquamus.

Hæc de itinerario Auguſtano ex Irenico enotavi, quod mihi perſuaſum ſit (uti in præfatione indicavi) integrum illud itinerarium ex autographo noſtræ tabulæ eſſe concinnatum.

Congruens credidimus monere, & indicium facere, integras omnes ſequentium tabularum partes, aliquot poſt annos reperias demum, nec temerario editionis honore vulgatas eſſe: Propterea velut quodam nexu continens opus in unum contulimus junximusque, ut, quid interſit, inter has & illas ſchedas, juſtus earundem æſtimator ſuo judicio conjecturæque committeret.

NOBI-

NOBILISSIMO VIRO

MARCO VELSERO,

R. P. AUGUSTANÆ SEPTEMVIRO

JOANNES MORETUS TYPOGRAPHUS ANTVERP.

S. P. D.

HANC TABULAM, Vir Nobiliſſime, non mittimus ad te, ſed remittimus, aquam ſcilicet è tuo fonte. Tu eam ad ORTELIUM noſtrum (heu, nuper cum dolore litteratorum defunctum) deſcriptam miſeras, tuâ curâ inter PEUTINGERI ſchedas repertam & erutam: ideoque jure ad te redit. Ipſe ORTELIUS, haud procul à fato, ita mihi mandaverat: & mea ſanè voluntas & tui cultus eôdem ducebant. Accipies igitur privatam olim tuam, nunc publicam per te omnium TABULAM: & ſi gratum carumque defunctum habuiſti, quæſo, ut etiam hoc poſtremum ab eo munus. ANTVERPIÆ è Typographejo noſtro. KAL. DECEMB. CIↃ. IↃ. XCVIII.

DISSERTATIO ANONYMA.

SPECTATORI S.

TABULAM damus, ex qua MARCUS VELSERUS Auguſtanæ Reip. VII. Vir, perpauca olim, quæ tum comparebant ſchidia, magno eorum applauſu vulgavit, quibus interiores litteræ ſeriò cordi. Integram pollicitus, ſi autographum aliquando in manus veniſſet: latebat enim & periiſſe erat ſuſpicio. Audiit FORTUNA OBSEQUENS, Velſerus voti damnatus eſt. Ad quem nuncium ABRAHAMUS ORTELIUS lætitia exiliens, quod per annos amplius viginti omnibus veſtigiis fruſtra indagaſſet, ſibi editionis provinciam depoposcit. Et verò æquum bonum viſum, tanto candidato reliquos petitores concedere; primus ſe Welſerus facilem præbuit, fidem quam publico obſtrinxerat, curaſſe interpretatus, ſi per ORTELIUM ſolveret. Cum homo ſeptuagenario major, cui plus animi plusque in rem communem ſtudii, quàm vitæ ſuperfuit, operi ad finem decurrenti immoritur. Moriens--non ille oblitus amorum, Joanni Moreto Veteri amico teſtamento legat, qui perficiendo, pietatem quam defuncti judicio debuit, præſtitit.

Velserus de tabulæ auctore, ætate, usu, aliis, ad schedas præfatus est, quæ nobis probantur. Addimus: Auctorem Christianum fuisse id vel ex S.Petri nomine,& iis,quæ de Moise Israelitisque tradidit, intelligi. Magnitudinem tabulæ, præter Occidentis imperium tum æstimari non potuisse, nunc constare hoc amplius, complexam orbem universum, quâ illo nimirum ævo cognitus,inter HERCULIS COLUMNAS & ALEXANDRI ARAS, ab extremo Occidente in Orientis ultima. Et apparere sanè omnia, nisi quod initiò Columnas versus, pauxilla quædam Britanniæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Africæ exciderint. Circum circa MARE ire, olim ATLANTICUM nomine. De Itinerariis tabulis,esse apud *Vegetium lib.3.c.6.* quæ legi etiam mereantur, & cogitandum videri, an provinciarum memoria, cujus P. Victor in Basilica Antoniniana regione circi Flaminii meminit,eò pertineat. De Viarum stratura,apud *Galenum* esse, *Methodi lib.9. c.8.*

Explicando, Velserum imitari erat animus, sed vastum sese & longum ostendit negotium, non unius tantùm hominis industriam exercere natum,neque protrahenda per eum colorem doctorum desideria.

Porrò si hæc quoque scire referat: Autographum membranaceum est, pelliculis accuratè conglutinatis, latum pedem Augustanum unum circiter, longum ultra viginti duos: scalptori ad istam mensuram contrahere visum commodius. Litteræ in eo charactere Longobardico, quem cælo difficulter efformes: Scalptor Romanas reddidit. Cætera fidem coluit, sanctè integrè, ut in permultis, quantumvis certis testatisque erroribus corrigendis, sibi nunquam quidquam permiserit, ab exemplari sciens volens nusquam abiverit. Nec scienti nec volenti, quin oculos ingeniumque maximè intendenti, id interdum usu venire potuisse, neque ego dubito, neque quisquam, cui hoc genus mediæ ætatis scriptiones cognitæ, in quibus litteras vi & pronunciatione diversas omninò, figura plerumque non est internoscere. Tu vale, bone Spectator boneque Lector, & fruere monumento,cui utut crebris nævis respersо, nihil par & nihil secundum ex antiquitate reliquum supereſt.

Instar

Instar additamenti integrum hoc *Cap. XXIII. ex Petri Bertii lib. 1. Rer. German.* consultò & de industria adscripsimus; quoniam *sex prope segmenta priora* quam apertissimè planissimeque inibi explicantur.

TAbula Peutingeriana, cujus editioni immortuus est Geographorum nostri ævi Princeps Abrahamus Ortelius, non ad artem Mathematicorum exacta gradibusque accommodata, quales Ptolemaicæ, sed Itineraria tantum, adnotatis ubique locorum intervallis. Tales convolutas habebant olim apud se belli Duces, quibus itinera sua dirigebant: Itaque in his non latitudinum aut longitudinum ratio ex tabularum fundo ac dimensione peti debet, collata cum regionibus, sed ex numeris adscriptis. Confunduntur enim mundi cardines, neque ulla habetur ratio Ortus, Occasus, Septentrionis, Austri: viarum tantum spatia signantur & intervalla. Quod de Itinerariis Tabulis dixi, indicat manifestè Vegetius, libro tertio cap. 6. de re militari. Ejus hæc sunt verba: Ideoque omni cura, omnique diligentia providere debet Dux, ne proficiscens patiatur incursum, sed facile ac sine damno repellat illatum. Primum itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissimè debet habere perscripta: ita ut locorum intervalla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate perdiscat: compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret: usque eo, ut solertiores Duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, ut non solum consilo mentis, verum aspectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis ac locorum gnaris, separatim debet universa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Vidit autem Peutingerianam jam olim B. Rhenanus, qui ejus quoque in libris suis rerum Germanicarum mentionem facit, de Francis agens, his verbis. *In charta Provinciali quam apud Conradum Peutingerum amicum nostrum Augustæ vidimus, sub ultimis Impp. depictam, & à Celte in quadam Bibliotheca repertam, planè veterem, sic leguntur hæc oppida ab ostiis Rheni ascendendo, Carvo* XIII. *Castra Herculis* VIII. *Noviomagus* VI. *Burginatium* V. *Colonia Trajana* XL. *Vetera* XIII. *Asciburgum* XIIII. *Novesium* XVI. *Agrippina supra Rhenum fluvium, quem linea protracta designat in dextero latere. Et à parte Germaniæ hoc vocabulum est adscriptum litteris majusculis*

Beatus Rhenanus Rer. Germ. lib. 1.

F R A N C I A.

versus ostia Rheni verò, hæc nomina leguntur, CHAMAVI *QUIELFRANCI. * CHAUCI. VAPLUARII

*QUIELFRANCI. *Item* * CHAUCIVAPLAURII.

Item (litteris inter has interjectis,) CHREPSTINI. *Unde manifeste liquet, quod nos hic adstruimus, in Tenctterorum loca, qui Rheno tantum ab Ubiis discernebantur, ut Tacitus inquit, & testatur in Commentariis Cæsar, demigrasse Francos.* Et rursum alibi. *In charta itineraria illa, quæ est apud Chunradum Peutingerum, trans Rhenum supra Tenedonem, Juliomagum, Brigobannem, & Aras Flavias, nemus est depictum cum arboribus, & adscriptum majusculis literis*

SYLVA MARTIANA

Et supra hæc verba,

ALAMANNIA

In latere vero è regione Borbetomagi & Brocomagi superadditum,

SVEVIA

Sed posuit in latere pictor ille quod trans sylvam melius locasset, ni vetuisset angustia membranæ, & Germanica velut aliena duxisset modicè attingenda, provincias tantum describens. Eandem Tabulam designat Rhenanus nomine Cartæ Theodosianæ, quum scribit. *Antiquissimus Tubonorum vicus est Helellum, quemadmodum in charta Theodosiana legitur.* Fuit autem Celtes iste, cujus mentionem facit Rhenanus, natione Francus, rei Geographicæ peritissimus, cujus quoque edidit epitomam, cum libro singulari de situ Germaniæ, & altero de situ Noribergæ: claruit autem Anno 1370. sub Maximiliano Imperatore. Tabula ipsa in membranis erat descripta, charactere Longobardico, schedis accuratè conglutinatis, lata pedem Augustanum unum circiter; longa ultra viginti duos. Eam Moretus Antwerpiæ æri incisam vulgavit paullò contractiorem, ex qua nos ista expressimus. Ad Rheni latus dexterum nullum vides iter notatum: quod argumentum est, tabulam tum factam, quum nulla adhuc ibi essent itinera, aut quum adhuc essent Romanis ignota. A Rheno ad littus usque maris Oceani Germania magna est, quam claudit Oceanus Septentrionalis. In Germania Transrhenana statim ad Rheni ostia spectantur sparsæ variè litteræ, quas B. Rhenanus, ut potuit, digessit; nos putamus legendum CHAUCI. AMPSIVARII. Et rursum, CHERUSCI. Et, CHAMAVI, QUI ET FRANCI. A Lugduno quoque usque ad Fanum Levæ leguntur litteræ, quæ connexæ efficiunt PATAVIA: significatur autem eum esse tractum Batavorum in Gallia Belgica. Vera enim & Transrhenana Germania hîc non describitur, neque ulla in ea ponitur urbs, aut mansio. Quocirca operam ludunt, qui ob vocabulorum litterarumq; vicinitatem referunt loca quædam ripæ Gallicæ ad ripam Germanicam, quod à multis factum in Arenacio, Grinnibus,

An. 1598.

bus, vadaque constat, quæ putarunt esse **Arnhem/Rhenen/Wageningen**/ eo locorum positu, quo nunc cernuntur. Præstat dicere, vel Rheni alveum mutatum esse, vel oppida ista ex ripa Gallica in Germanicam esse translata. Itinera igitur Germaniæ superioris & inferioris, ad lævam Rheni ripam hæc sunt.

I. Itinera ab ostio Rheni usque Noviomagum.

Lugdunum,	Leyden.
Prætorium Agrippinæ,	Roomburgk.
Matilo,	Coudekerck / quod olim Kirckwerba dictum fuit: Rhenus ei quondam fuit Septentrionalis.
Albamanis, Albiniana,	Alphen.
Niger pullus,	..... ubi nunc Woerden.

Fuit insigne diversorii: Talia in Mœsia, ad scrofulas, ad mulam, & in Sarmatia Caput bubali.

Lauri,	.....
Fletio,	Vleuten.
Levæ Fanum,	Leewen.
Carvo,	Grave Simlero, quod non probo: forte Cellern.
Castra Herculis	.....
Noviomagus,	Nimwegen.

Hic nulla mentio fit Trajectus, quod nunc est Utrecht/ Ammiano Utricesium.

Alio itinere.

Lugdunum,	Leyden.
Forum Adriani,	Voorburgh.
Flenium,	Delft.
Tabli,	Alblaß.
Caspingium,	Giessen.
Grinnnes,	Non est Rhenen: nisi alveus Rheni probetur transpositus.
Ad Duodecimum,	.....
Noviomagus,	Nimwegen.

Sequitur fl. Patabus, qui proculdubio est Mosa. Batavus verò dicitur à Batavis.

A castello Menapiorum ad Baganum Nerviorum.

Castellum Menapiorum,	Kessel.	
*Virioviacum,	Werweke.	*Virobiacum.
Turnacum,	Dornicke.	
Pons Scaldis,	*Conde.	*Condé.
Baganum Nerviorum,	Bavay.	

Idem alio itinere.

Castellum Menapiorum,	Kessel.
Tervanna,	Terwanen.
Nemetacum,	Arras.
Camaracum,	Cambray.
Hermomacum,	.....
Baganum Nerviorum,	Bavay.

A castello Menapiorum Augustam usq; Suessonum.

Castellum Menapiorum,	Kessel.
Tervanna,	Tervanen.
Temera,	Tieure.
Sammarobrina,	Amiens.
Augusta Veromanduorum,	S. Quintin, vel potius Vermand Abaye.
Augusta Suessonum,	Soisson.

Vel

Sammarobrina,	Amiens.
Setucis,	. . . . .
Rodium,	Roye.
Lura,	. . . . .
Augusta Suessonum,	Soisson.

Vel

Luttomagi,	Estaple vel Monstreul.
Adlullia,	* Argoules.
* Argoulles. Duroicum Regum,	Rue.
Semeis,	. . . . .
Rodium,	Roye.
Lyra,	. . . . .
Augusta Suessonum,	Soisson.

II. A Noviomago ad Confluentes.

Super Rhenum legitur FRANCIA, ut significetur, veteres Francorum sedes à Lævæ fano ad Asciburgum usque porrectas fuisse, sed in ripa Germanica, tametsi postea ad Mœnum usq; sese extenderint. Vox *Bructuri, indicat Bructerorum regionem. *Burcburi. Posteriores eos vocant Boructuarios, exstatq; inter Duisburgium & Werdam oppidum **Brouck** ejusdem originis. Hæc in Germania magna. In Cisrhenana occurrunt ista.

Noviomagum,	Nimwegen.

Arenatium, aliis Arenacum, non est Arnheim: nam hoc est in ripa Germanica: Arenatium in Gallica, nisi Rhenus alveum mutarit.

Burginatium,	Kranenburg.
Colonia Trajana,	Kelle.
* Santen. Vetera castra,	Zante.
Asciburgium,	Aßburg.
Novesium,	Nuys.
Agrippinensis Colonia,	Keulen.
Bonna,	Bonne.
Rigomagus,	Reinnegen.
Confluentes,	Coblentz.

A Noviomago Coloniam per Atuacam.

Noviomagum,	Nieumegen.
Cevelum,	Grave.
* Blariacum * Blatiacum,	Blerick.
* Catuallii. * Catavillium,	. . . . .
Feresne,	Maseyck.
Atuaca,	Mastricht.
Cortovallium,	Aken.
Juliacum,	Gulick.
Agrippina,	Keulen.

A Colonia Treveros.

Colonia;	Keulen.
Marcomagus,	idē cum Marcoduro, Durē.
Icorigium,	Ruyt.
* Pallescheid. Ausana,	Palleschied.
Beda,	Bidburg.
Augusta Trevirorum,	Triers.

III. A Confluentibus usque Argentuariam.

In Germania Magna ad ripam Rheni dexteram legitur, SVEVIA, quæ Taciti ævo, nondum exortis Alemannis, longe admodum

dum lateque extensa fuit, sicut ante diximus. Postea verò discrimen inter Suevos & Allemannos fieri cœpit. Etsi enim è Svevis orti sint Allemanni, tamen crescente potentia distincti sunt populis & finibus. Sed cur Svevos Francis viciniores posuit Allemannis? Crediderim voluisse autorem Tabulæ Suevos Allemannis interiores facere, ut inter ipsos & Rhenum Allemanni interjecti essent, sed exclusum spatio, quod arctissimum esse res indicat, posuisse eos ad latus majusculo tamen charactere; ut significaret ipsos Alemannis etiam majores ac potentiores esse. Hodie Suevi utramque Danubii ripam occupant.

Confluentes,	Coblentz.
Bodobrica,	Boppart.
Vosavia,	Oberwesel.
Bingium,	Bingen.
Moguntiacum,	Mentz.
Boncomica,	Oppenheim.
Borbetomagus,	Worms.
Noviomagus,	Speyer.
Tabernæ,	Rhein-Zabern.
Saletio,	Zeltz.
Brocomagus,	Bruomat.
Argentoratum,	Straßburg.
Helellum.	Ell.

Vicus est hodie ignobilis, ad Elli fluminis ripã, quem pauculi piscatores, pauciores incolunt agricolæ: sed nullus est in vicinia locus, in quo plus antiquitatum spectetur. Muris templi inserta sunt simulacra Mercurii, Dianæ, & aliorum Deorum. Sæpe etiam agricolæ vomeres suos impingunt in testudines subterraneas. Numismata ærea, argentea, aurea, sæpe erui narrant. Neq; est dubium quin hiberna illic fuerint Romanorum. Si in notitia Imperii recensitæ essent dispositiones Comitis Argentoratensis, qui Duci Moguntiacensi subditus fuit, plusculum lucis huic tractui accederet. Porrò ad Helullum ferunt excitatum à mortuis Maternũ, admoto ipsi scipione B. Petri à Valerio & Euchario, ipsius in diffundendo Evangelio collegis: quum accepissent hæc ab Apostolo mandata: *Hoc scipione defuncti Materni corpus contingite, hæc verba apprecati, ut* IN NOMINE IESV CHRISTI RESURGAT.

Argentuaria.	Horburg.

Vernaculum nomen post eversionem hibernorum Romanorum factum est à Germanis: ac verisimile est initio dictum **Argeburg**/ voce semilatina, semigermanica: ex qua postea adjecta adspiratione factum est **Horburg**. Sicut Argentoratum à via decumana, per quam Allemanni cum Attila, profecti sunt, quæq; adhuc nomen servat, die **Straß**/ dictum fuit **Straßburg**.

Ab Augusta Trevirorum Moguntiacum.

Augusta Trevirorum,	Trier.
Noviomagus,	Nuntag/ pagus circa Bergkastel.
Belgium,	Baldenaw.

Dumnum,	Thann.
Bingium,	Bingen.
Moguntiacus,	Mentz.

Ab Augusta Trevirorum Argentoratum.

Augusta Trevirorum,	Trier.
Noviomagum,	Numagen.
Decem pagi,	Douse, in Lothar.

Meminit horum Ammianus in actis Juliani.

Pons Saravi,	Sarpruck.
Tabernæ,	Berg-Zabern.
Argentoratum,	Straßburg.

IV. Ab Argentuaria Vemaniam.

Addexteram Rheni ripam legitur.

ALAMANIA.

angusto admodum inter littus & characteres istos spatio : ut intelligas, Svevos Allemannis Orientem versus oppositos. Inter Allemannos & Rhenum depicti sunt montes cum silvis, additæque litteræ,

SILVAMARCIANA

Hodie Silvam hanc vocant **Schwartzwald** / vel silvam nigram; est autem Hercyniæ pars : Ptolemæus vocat Helvetiorum eremum, Ἑλουητίων ἔρημον. Suspicor Germanis primis olim dictam, ut & hodie multis locis, **Hartzwald**. Est autē **Hartz** / resina, **Wald** verò silva : in his enim silvis plurimum ex arboribus resinæ colligitur. Ex Germanica voce alii Hartziniam, alii Orciniam teste Cæsare, alii Herciniam, alii Martianam fecere.

Ab Argentorato ad Aras Flavias : qua itur Augustam Vindelicûm.

Helle um,	Hell.
Argentuaria,	Horburg.
Campete,	Kamps.
Arialbinum,	Pantzenheim.

Est in Sequanis hodie pagus proxime Othamer. Multa in eo antiquitatis monumenta eruuntur.

Augusta Rauracûm,	Augst.
Vindonissa,	Windisch.

Inde transmisso Rheno,

Tenedo,	. . . . .
Juliomagus,	Pfullendorff.
Brigobannis,	. . . . .
Aræ Flaviæ,	Nordling.

Ptolemæo Βωμοὶ Φλαούιοι.

Ab Augusta Rauracûm ad Vemaniam, qua itur Augustam Vindelicorum.

Augusta Rauracorum,	Augst.
Ad fines,	Pfin.
Arbor felix,	Arbon.
Brigantium,	Bregnitz.
Ad Rhenum,	. . . . .
Vemania,	Wangen.

Antonino Nemavia. Vide pag. 192.

Viaca,	. . . . .

Puto esse Ptolemæi Vianam, Græcè ipsi dicitur Οὐιανὰ οὐίανα.

Augusta Vindelicum,	Augspurg.

V. A fon-

V. A fonte Danubii usque ad Germanicum.

In Tabula Peutingeriana ad lævam Danubii ripam legitur

ARMALAUSI

Quorum extra hanc tabulam nusquam terrarum fit mentio. Ego ignorantiam hic ingenuè profiteri malo, quam imprudenter divinare. Bene qui conjiciet, hunc vatem perhibebo optimũ.

Aræ Flaviæ,	Nordling.
Samulocenis,	❁ ✿

Forte ea est quæ Ptolemæo dicitur Alcimoennis ἀλκιμοεννὶς. Obstat hoc unicum, quod Ptolemæus eam in Germania Magna ponat, ultra Danubium, noster iste in Rhetia, ad dexteram fluminis ripam. x Rhetia.

Grinario,	Guaringen.
Clarenna,	Nam.
Ad Lunam,	✿ ❁
Aquilea,	❁ ✿

Alia hæc est ab ea, quæ ad mare Hadriaticum sita est.

Opie,	❁ ❁
Septemiacum,	❁ ❁
Losodica,	✿ ❁
Medianæ,	❁ ❁
Iciniacum,	✿ ✿
Buricianæ,	Burchaym.
* Vitonianæ,	Winten *Vetoniana
Germanicum,	Foburg/Cluverio.

Ab Arbore Felice per Angustam Vindelicorum usq; ad Oenum.

Arbor Felix,	Arbona,
Brigantium,	Bregnitz.
Ad Rhenum,	. . . . .
Vemania,	Memmingen.

Vide quæ ad Antonini itinerarium notavimus p. 191.

Viacu,	. . . . .
Augusta Vindelicorum,	Augspurg.

Hic iter lævorsum per Pomonem deflectit ad Lunam, via quæ ducit Gemimacum.

Rapæ,	Sconge.
Navoris,	. . . . .
Cambodunum,	Freysing.

Ptolemæo est καμβόδουνον: qui inter Lycum & Ænum illud locat. Quantum igitur à vero aberrant qui Kempten esse putant? cujus situs est haud procul ab Augusta Rauracorum, accenseturq; Algojæ, oppidum imprimis celebre monasterio, quod ibi fieri fecit Hildegardis Caroli Magni uxor. Enimvero ab Augusta sequenti Danubium labentem non occurrit ea, quæ nunc dicitur Campidonia, sed Monachium vel Frisinga: harum igitur est alterutra. Joannes Aventinus putat hodie vocari Bargen. Vide eruditam Vindeliciæ Tabulam ab ipso Landshuti editam.

Escon,	. . . . .
Abodiacum,	Happing.
Urusa,	. . . . .
Bratananium,	. . . . .
Isuniscа,	Isen.

Antonino Isiriscа est. Vide pag. 192.

Ad Ænum,

Haud dubie ad flumen fuit, etsi nullum tabula habeat depictum.

VI. A Germanico ad Arelate.

Ad lævam Danubii ripam Oceanũ versus leguntur hæc verba,

MAR-

MARCOMANNI Et infra majore littera VANDULI Marcomannorũ meminere Paterculus, Tacitus, Dio, Ptolemęus, Capitolinus, Lampridius, Vopiſcus, Eutropius, Victor, *Marcomannis Quadisq́*, inquit Tacitus, *uſq; ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorũ, nobile Marobodui & Tudri genus: jam & externos patiuntur*. Capitolinus autor eſt, eos, cum turbarent in limite Romano, bello petitos fuiſſe à Marco Antonino, Pannoniasq́; ab ipſo victis Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, & Quadis ſervitio liberatas. Hodie Moravos eos vocant. VANDALI, qui & Vindeli & Winili ſupra Bojohæmum & Marcomannos habitarunt, ſedibus ſuis complexi plures populos, Gothones, Herulos, Longobardos, Theuringos, Anglos. Cis Danubium locantur, *Germanicum, Ceſenſium, Aruſena, Reginum*. Liber Notitiæ in Mœſia prima ponit Reginam. Sorviodurum, forte Sorviodunum, ſed diverſum longè ab eo, quod Antoninus in Anglia nominat. *Petrenſes, Caſtellum, Bolodurum*, Ptolemæus Κάστρον agnoſcit in Vindelicia ad Danubium: Antoninus Boloderum vocat, Liber Notitiæ Bojodurum, ponitq́; in Pannonia prima vel Norico Ripenſi. Lazius putat poſtea dictum Pataviam à Batavorum cohorte: Tabula noſtra ſitum ejus indicat, qua * Juvarius fluvius, quem Juvanum vocat Antoninus, in Danubium ſe exonerat. Ultra eum ponitur *Ovilia*, quæ eſt ipſiſſima Antonini Ovilabis in itinere, quod Juvaviam ducit. Propius ad Danubium ponitur *Marinianium*, quod Antoninꝰ Marinianas vocat, Liber Notitiæ Mariniana; Marcellinus Caſtra Marciana; ſuntq́; in Pannonia, Lazius hodie vocari ait **Marpburg**. *Blaboriciacum*, *Elegium*, *ad pontes Iſes*, *Arelate*: quorum locorum ſitum fatemur nos neſcire: niſi quod Ptolemæus Aredaten ponat in Noricis. Jam repetito novo itinere ducit nos tabula *à Ponte Æni, Bedajum*, cujus in itinerario Antonini mẽtio facta eſt: ſequitur vero fluvius *Aſeſias*, eoq́; transmiſſo *Artobriga*, Ptolemæo Ἀρτόβριγα, qui eam facit Vindeliciæ urbem. Hodie vocatur **Veltenburg**/ quaſi arx Vindelicorum. Hanc excipit *Juvavia*, de qua diximus, tum *Tarnantonis*, *Laciacæ*, *Tergolape*, & ſæpius dicta *Ovilabis*, tum *Ventonianæ*, *Tutaſtio*, *Ernolatio*, de quibus divinandum eſt. Porro, quæ in Tabula ſequuntur, non duxi operæ eſſe depingere. Satis fuerit noſſe, in Germania Transdanubiana legi.

*Juvarus.

QUADI. Et litteris interſparſis LUTUGI Quados Ptolemæus quoq; & Arrianus & Tacitus ponunt in Germania, vicinos Marcomannis. Utrosq; Auguſtus Danubiũ transgreſſos in ſuas ſedes expulit. Zoſimus Bataviam quoq; à Quadis occupatam autor eſt. Lutugi nuſquam gentium leguntur: Ptolemæꝰ Lingas nominat & Lutos, qui Omani, aliosq́;, qui Buri dicti ſunt. Ac fieri poteſt, ut iidem populi intelligantur. Poſſent videri eſſe Sileſii ob viciniam Marcomannorum & Quadorum. Loca

memo-

memorabilia ſunt, *Vindobona, Æquinoctium, Carnuntum, Scarabantia, Sabaria, Arrabo, Brigantium, Aquincum, Vetuſavo, Siſcia,* de quibus ad Antonini itinerarium diximus. Infra Vindobonam legitur NORICO,

quo ſignificatur, Norico mediterraneo & Ripenſi priora loca cõtineri, nam poſteriora pleraq; pertinent ad Pannoniam ſuperiorẽ, itaq; diſertè legitur, PANNONIA SUPERIOR. Adduntur autem prioribus Murſa minor & Murſa major, aliaque non magni momenti loca. Conſpicitur quoque, vicinior Iſtriæ, Emona, & fluvius Savo, & * Patavio oppidum. * Petavio.

Supra hæc omnia ultra Danubiũ in Germania magna legitur

DUR

exeſis litteris antecedentibus & conſequentibus, nec dubium eſt, quin ſignificati ſint *Hermun* DURI, quos Tacitus aliiq; vicinos faciunt Marcomannis & Quadis. Infra hæc ſparguntur in longum hæ litteræ, MEDIA PROVI ut intelligatur, PROVINCIA quæ inter Noricum & Pannoniam interjecta eſt, vel quæ inter has ipſas & Liburniam jacet. Supra Pannoniam ſuperiorem inter Danubium & Oceanum in Germania transamnana legitur, SARMATE VAGI

Cis Danubium verò PANNONIA INFERIOR

Oppida ponuntur, *Tuttoburgo,* quod eſt Teutoburgium, *Cornacum, Cuccium, Sirmium, Baſſianæ.* Tum ad Oceanum

SOLITUDINES SARMATARUM

Cis Danubium legitur, MESIA SUPERIOR

Et ponuntur oppida, *Taurunum, Confluentes, Singidunum, Tricornium, Mons Aureus,* de quo ad Antoninum quędã notavimus, ſi modo hic idem eſt cum illo; Ego ſane diverſum puto, neq; aliter pronunciabit, quisquis ſeriem & itinera Antonini cum iſtis contulerit. Sequitur poſtea minore littera

MESIA INFERIOR.

Et ſupra hæc ultra Danubium,

AMAXOBII SARMATÆ

Videntur autem ab hoc inde loco etiam ultra Danubium caſtella fuiſſe & oppida Romanorum: ponuntur enim *Arcidava, Centumputea, Berſovia, Ahibis, Caput bubali, Tiviſco, Tierva, ad medium, Prætorio, ad Pannonios, Gaganis, Maſclianis, Tiviſco, Agnaniæ, Ponte Auguſti, Sarmategte,* quod ego eſſe ſuſpicor, Sarmatæ Getæ, aliæq; ſtationes complures.

MANTISSA.

ANdreas *Schottus,* in præfatione ſua, ad *Hier. Suritæ,* Hiſpani doctiſſimi editionẽ, quæ Coloniæ Agrippinæ a. 1609. adornata, Antonii, ſive Antonini Auguſti Itinerarium complectitur, ſummis extollit laudibus Tabulas haſce Militares, quas Vir ille Celeberrimus, *Marcus Velſerus,* Reip. Auguſtanæ Septem-Vir, ex *Conr. Peutingeri* bibliotheca in lucem protraxit, & ſcholiis notisq; illuſtravit: Easdem verò Geographorum princeps, *Ortelius,* æri curavit incidi, & edi typis *Joh. Moreti.* Cum his, Schotto judice, nihil ex antiquis monumentis, quæ extant, conferri, ne dum præferri poteſt. Qua re motus ipſe

Ber-

Bertius, editioni junxit *Ptolemæi*, ceu ultimum ac verum venerandæ antiquitatis indicium; observante ac monente id ipsum Viro Illustri, *Wilh. Burtono*, Legum Baccalaureo, qui admirandæ eruditionis promus condus, perfectissimos sanè in *Antonini Itinerarium*, in Itinera XV. ex editione Aldina, Suritana, & Simleriana diligenter divisum, commentarios, Anglicè scriptos, Londini a. 1658. emisit. Vegetii locum rursus iterumq; repetit, quem integrum dare, ut autumo, haut erit dividiæ: *Primum*, inquit homo Romanus, *itineraria omnium regionum, quibus bellum geritur, plen sime debet habere perscripta; ita ut locorum intervalla, non solùm passuum numero, sed & viarum qualitate, perdiscat: Compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret: Usque eò, ut solertiores duces* Itineraria *provinciarum, in quibus necessitas gerebatur, non tantùm annotata, sed etiam picta habuisse firmentur; ut non solùm consilio mentis, verùm etiam aspectu oculorum viam profecturis eligerent.* Lib. III. de Re Milit. cap. 6. Nec ovum ovo similius, neq; lac lacti, quàm insignis illa Ambrosii, non multò post florentis Episcopi, pericope; quam Burtono etiam, semper meliora monenti, jure ac merito suo debemus. *Miles, qui ingreditur iter*, ait, *viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat a signo; sed* Itinerarium *ab Imperatore accipit, & custodit illud: Præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaq; via conficit iter, ut inveniat commeatuum parata sibi subsidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit; quia Imperator iis jubet hæc præparari omnia: Qui sequuntur, nec dextra, nec sinistra, a præscripto itinere declinant; meritoq; non deficit, qui Imperatorem suum sequitur. Moderatè enim ambulat, quia Imperator, non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile, considerat: Ideò & stativa ordinat, triduò ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies. si aquis abundant, commercio frequentantur; & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniatur, quæ quasi regalis eligitur; in qua fessis exercitibus requies ministratur.* Serm. V. in Ps. 118. ex Hilario. Quid multa? Itinerarium *Mansiones*, sive *Stationes* veteribus denotat; unde Ammianus: *Itinerarium sonare litnos jubet.* lib. XXIV. Hist. Quapropter & Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, de itineribus Israëlitarum ex Ægypto verba faciens, vocat *Catalogum omnium mansionum, per quas de Ægypto egrediens populus, pervenit usq. ad fluenta Jordanis.* Velut ex abundanti id quoq; innuimus, præeunte Burtono, tabulas Peutingerianas nihil aliud continere, nisi descriptionem stationum civitatumq;, ex Antonini & Ptolemæi Geographia collectarũ. Nec illud negligendum autumo, auctorem Itinerarii illius, quod forsan auctoritate Antonini Pii confecerat, iter suum ab ipsis *Britanniis* auspicatum fuisse; uti hoc loco extrema *Britanniæ* statim ab initio describuntur: Quamobrem *Robertus* (qui ab Ortelio, in Synonymis geographicis, perperam *Johannes* nominatur) *Talbot*, Oxonienſis Studiosus, & Norwicensis tandem Canonicus, regnante Henrico VIII. annotationes eruditissimas in id ipsum Britannicæ insulæ Itinerarium, quod Antonini vocant, singulari concinnavit industria; tanquam *Antiquarius præstabilis*, quo eundem nomine dignatur Cajus lib. II. Antiqq. Cantabr.

GERH. JOH. VOSSIUS

Lib. de Scientiis Mathem. Cap. XLIII. §. 9.

NUnc solùm clarissimi & amicissimi olim Viri, *Pauli Merulæ*, judicium apponam, partim de Itinerario *Antonino Cæsari* tributo, quod alii volunt esse *Julii Oratoris*, alii *Æthici Istri*; partim de *Tabula*, quam *Peutingerianam* nuncupant, quia primò ex illustri Peutingerorum familia producta sit in lucem. Verba *Merulæ* sunt ista, præfatione ea, quam Cosmographiæ suæ præmisit: *Nec satis caret mendis Antonini, vel cujuscunq. censendum, Itinerarium; in quo emaculando, suoq; nitori restituendo, egregiam posuerunt operam, cùm alii, tum vel maximè* Abrahamus Ortelius, *vir monstris ex terrarum orbe emoliendis planè natus*, & Hieronymus Surita, Cæsaraugustanus; *quo in hoc argumento Hispania neminem habuit feliciorem. Hinc factum, quod majore cum fructu illud usurparim; commissum cum amplissima tabula itineraria, quæ ductu* Joannis Moreti, *diligentissimi typographi, auspiciis Viri nobi-* „ *lissimi,* Marci Velseri, *II. Viri Reip Augustanæ, ex illustri Peutingerorum bibliotheca in lucem* „ *prodiit. Plus habet illa in recessu quam frons pollicetur. Licet infinita ibi sint depravata, & tur-* „ *batorii ordinis; tamen comparata cum Antoninianis (quibus & hinc medicina non semel per-* „ *me petita) nullo negotio possunt corrigi, & ad sua revocari castra: quod non infeliciter à me fa-* „ *ctum in Gallia Italiaq; res ipsa docebit. Prodiit hæc tabula ab Occidentali Oceano per Con-* „ *tinentis totius longitudinem, ad Orientalem usq; singula notans loca, nec non locorum, indu-* „ *stria stupenda, distantias, & intervalla. Tota complectitur, quantus quantus est, Antoninum;* „ *alterumq; tantùm, & amplius apponit: Si civitates, urbes, oppida, pagi, fluvii, aliaq; talia, dili-* „ *genter examinantur, digna certè, quæ sedulis doctorum, non magistellulorum, manibus te-* „ *rantur.*

MARCI

MARCI VELSERI
EPISTOLÆ
AD
VIROS ILLUSTRES.

MARCI VELSERI EPISTOLÆ

AD JOSEPHUM SCALIGERUM.

EX

BIBLIOTHECA HEINSIANA.

I.

SAlve, mi Hœſcheli. Præter quod proximè coram monui, ſalutem meis verbis V. Ill. Joſepho Scaligero aſcriberes, illiusque ingenium & doctrinam apud me in admiratione eſſe fidem faceres. Nunc etiam velim, ratione, quæ ſibi commodiſſima videbitur, ex eo intelligas, quibus potiſſimùm argumentis motus fuerit, ut verba Kalendarii Romani a. d. VI. K. Apr. HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT, ad Auguſtum referenda, exiſtimaret; nam ego quidem Cæſari patri ſemper tribui, quod in ea eſſem ſententia, Alexandriam à patre hoc die, à filio K. Auguſti aut ſextilibus, ut tum adhuc temporis appellabantur, captam; & meminiſti, opinor, multa à nobis in hanc rem libro ſecundo rerum Auguſtanarum dicta, quibus nunc plura fortaſſe poſſim ſuperaddere, ſed nihil neceſſe. Tu, quæſo, quod peto, mihi præſta; Veritatem bona fide agnoſcere, & ſi quid prius erratum, retractare paratus ſum. Vale.

Jam conſignatis literis, hanc à Velſero ſchedam accepi; qua mittenda non ingratum me A. T. facturum putavi: de quæſtione per ocium reſpondere, vir magne, haud dedignaberis.

II.

Salve Vir Illuſtris,

LEgi, quæ tibi viſum, *de quæſtione Alexandrina*, ad communem amicum ſcribere ; aſperſa etiam honeſtiſſima nominis noſtri mentione : Et ſentio, me utraque de cauſa multum debere. Utinam referendæ gratiæ ſim aliquando. Interim animo iſto tibi ſatisfieri patieris. Qui quis in te ſit, quid dicam? Sciunt, qui me norunt, imò qui ſemel alloquuti ſunt, cujusmodi non nemo ex veſtris apud nos oris, redux ſermones noſtros referre potuit. Eos in os iterare, nihil opinor attinet; & ego à vulgari iſta verborum concinnitate natura ſum paullò alienior. In quæſtione quod erat, ſeriò affirmo, me, tua primùm auctoritate permotum, nutare incipere; & propè eſſe, ut defectionem à priori opinione ſpectem, niſi obſtent ea ipſa rationum auctoritatumque momenta, quæ me initio ad illam amplectendam induxerunt, & nunc ferè renitentem retinent. Capita, fuſius pertractata libris rerum Auguſtanarum, quos ex nundinis accipies, hîc enumerabo: Videri *Alexandriam* in Octavii poteſtatem veniſſe haud dubiè K. Sextilib. Quod Oroſius, quem auctor hiſtoriæ miſcellæ ſequitur, ſcriptum reliquerit, his K. claſſem Antonii ad Octavium transiiſſe; & verò ex Plutarcho manifeſtum ſit, quo die claſſis defecit, Alexandriam eſſe captam : Neque contemnendum Oroſium, ut ſolus eſſet. Sed eodem pertinere S. C. verba de ſextili in Auguſtum mutato apud Macrobium : *Quod Ægyptus hoc menſe in poteſtatem Pop. Rom. redacta:* Et Suetonii, etſi obſcurius ; *Quia hoc ſibi & primus Conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent.* Alexandrinam Ræticamque interpretabar.

Itaque in faſtis municipalibus, quos Petrus Apianus primus vulgavit, BELLUM ALEXANDRINUM, inter K. Jul. & Eid. Septembr. quibus Ciceronis filius Conſul ſuffectus, notatum. Et eſſe apud Plinium, his Idibus Auguſtum à Senatu obſidionali corona donatum. Apud Plutarchum, Senatum Antonii ſtatuas Cicerone filio Conſule evertiſſe. Omninò aptè ad iſtam temporum rationem, haud item ad VI. K. April. Accedere Marianum Scotum & Sigebertum, ſi iis ſuffragii jus in hac curia, qui Antonium & Cleopatram K. Aug. victos eſſe palam profiteantur, Alexandria nimirum capta. Nam neque hunc locum, nec ſuperiores alios, Actiacam pugnam attingere, quæ IV. Non. Septembr. commiſſa.

Ad Julium ergò patrem Kalendarii verba pertinere eſſe probabile. Hunc initio Octobris in Ægyptum veniſſe, mox bellum motum, quod ut quinque ſex menſes duraverit, Martio finiri potuerit; aſſentiente Svetonio, geſtum eſſe neque loco neque tempore æquo, ſed hyeme anni. Quomodo tam *Capta*, quam *Recepta* rectè dicatur, exemplis explicare conatus ſum, certè Alexandriæ

& Ægy-

& Ægypti una ratio est; at tum Julii tum Augusti nummi, ÆGYPTO CAPTA inscripti, visuntur.

Et quid sit, quod Hirtius scripsit, *Cæsar Ægypto atq; Alexandria potitus, quam Cæsarem utramque sive cepisse sive recepisse?* Utra victoria clarior & Kalendario dignior, nihil disputo, neque ii gradus à Kalendarii auctore observati, quidquid caussæ. Exemplo, Hispalim notavit, quam multa contra longè pulcherrima Julii opera præteriens, quorum Hispalis nec umbram referat. Hæc sunt argumenta, Vir Illustris, ad quæ hæreo, & quorum te judicem capio. Tu priori beneficio magnum cumulum admetieris, si sententiam de singulis distinctè perscripseris; ut Minerval privatim emerearis, ab homine, qui tibi publicè debere lubens fatetur atq; profitetur. Quod per virtutem humanitatemq; tuam te orans, me exoraturum confido: Patent nimirum Musarum fores.

Si quid vicissim, quod in rem tuam, tuorum sit, sciero, potero, non solùm officio, sed & ambitioni meæ propemodum, satisfacere meminero. Vale. Augustæ Vind. v. Id. Sept. A. M. DIIC.

Vide Scalig. Lib. II. ep. 143.

III.

ETsi nihil erat, quod scriberem, de nihilo visum ad te scribere; ut conjecturam caperes, quanti tuam de me existimationem faciam. Legi in litteris, quas ad Hœschelium nostrum nuper dedisti, te superioribus diebus alias mihi inscriptas misisse; eæ verò tot jam mensibus nunquam sunt redditæ, ne me cessatorem, responsum procrastinare suspiceris. Tu vide, cui credideris, & quæso ubi ubi latentes erue; quamquam enim intuta istic itinera, & iræ in dies recrudescunt, innocentes jugulatas non opinor. Cl. Clusium salvere velim: Et Merulam item, quem responsum trahere spero, quod de explicanda itineraria tabula cogitet; tu si nutantem tua auctoritate eo impellas, rem te imprimis dignam, illi honorificam, publico utilem facias: Si vinci omninò non potest, circumspice, cui porro tanta provincia demandetur. Vale, Vir Illustris, & amare perseverа. Augustæ Vind. XI. K. Majas Anno sesqui millesimo undecentesimo.

IV.

JOh. Jacobus Heinzelius, cognatus meus, filios istic habet; quibus aditum ad te, me quodammodo sequestro, faciliorem futurum existimat. Cum litteras eo nomine peteret, nihil fallo, titillavit me ambitiunculæ cujusdam sensus; placebat hoc credi, me aliquo apud te loco esse, itaque statim assensus, calamum arripui. Tuum est, adolescentes eo vultu complecti, ut commendationem nostram sibi profuisse sentiant; quo fiet, ut de opinione, quam ego tantopere affecto, nihil decedat; quin indies accrescat plu-

plurimum. Id verò te per humanitatem tuam, per amorem mutuum, per & ipſam iſtam, quam dixi, ambitiunculam, enixè rogo, neq; plura addo, ne verborum prolixitati præ humanitate tua, quam appello, videar confidere.

Scaligerianum neſcio quid novum ex proximis nundinis amici promittunt, neſcio quam certi: Interim effecere ſanè, ut nos deſiderio incredibiliter torqueant. Vale, Vir Illuſtris, & me tui obſervantiſſimum amare perge, ſic ſaltem, dum vivimus; nam quod ſemel innuebas, te effecturum, ut tuæ in me propenſionis etiam apud poſteros extet memoria, vereor, ne improbiuſculum ſit exigere. Clariſſimi Merula & Cluſius ſalveant; ab utroq; reſponſum exſpectamus, ſed ab illo jam ætatem. Auguſtæ Vind. VII. Kal. Septembr. An. M DIC.

V.

LItteræ illæ tuæ, menſe Januario ſcriptæ, quas dudum periiſſe ſuſpicabamur, tandem comparuere; neſcio à quo, aut unde redditæ. Hoc ſcio, diuturnam moram nihil illis dempſiſſe gratiæ; quin eo chariores viſas, quod etiam in amicis ſolet, quos aliquando pro mortuis luximus, cum ſuperſtites intuemur. In poſterum ſi quando placebit ſcribere, litteræ Antverpiam aut Amſterodamum miſſæ tutò ad nos perferentur; & ſi quidem Amſterodamum eliges: eam enim civitatem earundem partium commodiorem futuram opinor, aut Johanni Hungero, aut cuicumque mercatori Germano rectè curandæ tradentur; Antverpiæ ſive Matthæo & Davidi Langiis, ſive tabellariorum præfecto Carolo Taſſio: Nam te à ſcriptione abſtinere, quod non habeas, cui tutò litteras committas, ſanè nolim. Quam mihi proba ea, quæ in libris rerum Auguſtanarum notaſti, inde conjecturam facias, quod oræ mei libri omnia aſcripſi, & me tibi immenſum debere liberrimè profitear; qui tibi ab rebus tuis tantum velis eſſe otii, ut meis legendis & obſervandis vaces; Nam quod id libenter à te fieri, ob fructum, quem inde haurias, ſcribis, nimis ineptè me amem, ſi à judicio potius proficiſci, quam humanitatis tuæ ſchema eſſe exiſtimem. Ut *Auſonium de Urbibus* paullò aliter quam tu, & de *Conſulatu Romano* propriè caperem, illud etiam in cauſſà fuit, *ſellæ quòd curulis* meminit, quam neſcio an minutis iſtis provincialibus Conſulibus rectè tribuamus. De *Catomo*, quæ te fuſius diſputaturum & teſtimoniis veterum muniturũ ſignificas, lubens viſurus ſum, & perbonam certè naves operam eo modo explicando qui hactenus multorum ingenia exercuit. Cum commentarium *in Afræ paßionem* ſcriberem, me illud inter prima perplexum reddidit, quod eam vocem variè uſurpari animadvertebam; tot nimirum modis; *Cathomo*, aut *Catomo*, *eum ſuſpendi & verberari fecit. Juſſit miniſtris infantem in catomo levari & cædere. A Valeriano*

leriano judice catomis cæsus. Jussit eam flagellari & catomis cædi per officium curatoris. Cumq; catomaretur corpus ejus. Catomis te cædi jubeam. In epistola ad Hœschelium de antiquitate tabulæ itinerariæ quærebas: Eam in exemplo, quo nos usi sumus, propter creberrimos & crassissimos errores, summam præstare vix ausim; etsi aspectu talis est. Primum verò autographum concinnatum existimabam Theodosio juniore imperante, Consulatu ejus decimo quinto. Causlam hujus sententiæ cognosces, si ineptissimum & mendosissimum libellum *de mensura orbis terræ*, à *Dicuil* nescio quo *Hiberno*, monacho, opinor, conscriptum; quem Merulæ misimus, legere voles; cui rei animum valde obfirmes oportet. Sed omninò inde est haurire, cujus alibi neque vola neque vestigium extat, ut saltem mea memoria est, Theodosii jussu orbem terrarum descriptum--*ter quinis aperit cum fascibus annum*: De xv. Consulatu accipiebam, quæ ratio hanc gloriam necessario Theodosio nepoti tribueret. Nunc inter scribendum in mentem venit, quod & *Dicuil* sensit, ea circumlocutione decimum quintum etiam imperii annum Theodosii majoris potuisse designari, quod multis modis longè est credibilius, ejusq; Merulam, cui de juniore scripsi, velim admoneri. Octavus versus mihi de pictura istius tabulæ planè visus loqui: Quamquam nisi vobis auctoribus, nihil omnium horum velim affirmatum. Quæ amicus quidam meus de *Tolisto-Boiis* commentus an commentatus est, in scheda leges, Casaubono non displicuisse visa; sed tuam omninò sententiam exspectamus, quo judice ea conjectura aut statura aut casura est. Vale Vir Illustris, & me amare perge. Augustæ Vind. Kal. Septembr. An. MDIC.

P.S. Cum ante octo annos *commentarium in nonnullas hujus tabulæ schedas* scriberem, quem nescio an videris, illis Theodosii majoris & filiorum ætatem ascripsi, nullo tunc testimonio, solis conjecturis nixus.

V. b

SEd magna vis hominum, viginti admodum millia, priusquam Brennus Græciæ solum contingeret, seditione in Dardanis orta, à reliquo exercitu abruperant, secessioneq; facta in Thraciam averterant. Ii *Tolistobogii*, *Trocmi*, & *Tectosages* fuisse memorantur, Lomnorio & Lutario regulis. *Tolistobogiorum* longum contortuplicatumq; nomen est, & cum à ducis appellatione tractum Strabo scriptum reliquerit, etiam, alicubi prodiderit, nullos in tota Gallia citra ultrave Alpes Tolistobogios populos reperiri; unde Asiatici originem duxisse credendi sint; quam tamen hinc manifestè traxerint, prope est, ut liquere pronunciem, primores syllabas ad ducem privatim pertinere, *Bogiorum* & *Bojorum* de cetero tam nullo discrimine, ut unam eam eandem gentem esse, ne mo-

ne monendum quidem videatur. Neque longè Appianus atq; Stephanus abeunt, qui *Toliſtobios* vocaverunt, aut Ptolemæus, qui *Toliſtobogos*, ut Stephanus tamen *Toliſtobogios* ab Eratoſthene dictos eſſe annotaverit. Et quando nulla in aſſerendo eximio gentis ornamento auxilia ſpernenda, neq; graviſſimum teſtimonium ſpernendum eſt, Carolus Sigonius, homo noſtræ ætatis inprimis certus & diligens, obſervavit veteres libros, quorum præcipua debet eſſe auctoritas, *Toliſtobojorum* vocabulum totidem prorſus litteris planè & explicatè exaratum præferre. Quin illud tandem nonnihil eſt, quod *Bojos* & *Tectoſages* conterminos ad Hercyniam coluiſſe, nos anteriore libro oſtendimus; & quod Polybius circa paludem Lychnidiam in Illyrico Bojorum meminit, ad ipſam prope Dardaniam; quos non video, cur non reliquias exiſtimem eorum, qui longius inde profecti, gentile nomen, aſcita ducis appellatione, adauxerint. Quamquam & vernacula quoque nominis origo excogitari poterat: cum enim *Doll* ſive *Toll* ferocem & prope furentem, *Tolliſt* & *Tolliſte* ferociſſimum atq; ferociſſimos ſignificet, me verum ſcribere ſermonis periti ſciunt; quantum abeſt, ut ferociſſimi Celtarum *Boij*, quod ex Appiano ſupra attulimus, *Tolliſte-Boij*, & paullò inde mollius *Toliſto-Boij* fuerint appellati? Confido, conjecturam amatores reperire poſſe; nobis tamen calida, illa altera ex Strabone viſa potior. Sed utrovis modo, ad Bojos profectò pertinent, nihilominus quam aut Oſtro-Gothi aut Veſo-Gothi Gothorum nomine cenſeantur.

Toliſto-Boij ergò ſociiq; populi &c.

Toliſto-Boij *Æolida* atq; *Joniam* ſortiti ſunt: Horum urbes à Ptolemæo referuntur *Gerna*, *Peſſinus*, *Vindi*, *Andrus*, *Vegiſtum*, *Tolaſta* vicus, ducis credo Toliſti monumentum: à Strabone *Blucium* additur, quod Cicero *Lucejum* appellavit & *Pejum*, à Memnone Tabia.

VI.

ITáne ante menſes tres copiosè ad me ſcripſiſti? At ego poſt eas, quas III. Eid. Febr. dederas, præter nunc poſtremas tuas iſtas, nullas vidi. Omnium aliarum rerum detrimenta ferre poſſum, litteris tuis, mi Scaliger, carere non poſſum. Inveſtiga, ubi lateant: cogita, cui credideris; ſi tamen planè nobis perierunt, & exemplum apud te ſupereſt, ab amanuenſe deſcriptum mitte. In Chronicis Euſebianis utinam te juvare poſſem, ut volenti eſſet; codicem quidem alienum mſ. utendum domi habeo, ſed prorſus mendoſiſſimum, quem tamen certis de cauſſis melioris notæ libri apographum ſuſpicor. Videbo, an eo conferendo operæ pretium fieri poſſit: Et plagas alibi quoq; per amicos diſponam. Quicquid erit, ſcies. Hœſchelius, ſi quid præterea ad Photium obſervas,

vas,avidè exſpectat, & quidem quam primùm ; nam ex nundinis ſerum : cum Photius jamdudum exituriat, & nundinis proſtaturus ſit. Merula (cui,quas ipſi inſcriptas mitto, trades) reſcripſit ; ſed longè certè aliter,quàm volebam. Si quid vos, deinde ad nos vultis, ſcis per Hungerum Amſterodamenſem rectè poſſe: Ego nunc feſtinus aliò avocor. Vale,& amare perge ; tum quoque nos magneticis obſervationibus,de quibus neſcio quid inaudire videmur, bea: ut iſtud quoque huic ſæculo ornamentum, immortali cum tua gloria,accreſcat. Auguſtæ Vindel. VI. Id. Novembr. An. M. DC.

VIII.

EUſebium, de quo nuper, tua cauſſa diligentius inſpexi : Mendoſum, imò mendoſiſſimum eſſe, ſatis ſciebam. Suſpicabar interim, fieri poſſe, ut ex melioris notæ codice deſcriptus, nos quibusdam aliquando veſtigiis ad veritatis cubilia deduceret. Ut verò oculos admovi propiùs, hæc quoque ſpes fugit. Omni tibi aſſeveratione confirmo, nullam auri micam ex tam magno ſtercoris acervo legi poſſe. Non ergò viſum, operam conferendo ludere. M. Freherus indicem manuſcriptorum ad nos miſit, in quo primo loco, Chronicorum Euſebii duo exempla poſita ; quanti pretii, ſanè neſcio : Ab humaniſſimo tamen viro utenda petas,cenſeo. Nam ego,ut id quamprimum ſcires, referre putavi ; ea cauſſa fuit,cur ſtatim reſcriberem. Hœſchelius de Photianis gratias habet, quem ultra proximas nundinas tergiverſari non patiemur. Epiſtolæ tuæ,quæ nobis periit, ſi exemplum miſeris,gratum facies. Miror Hungherum,hominem in primis diligentem, adde mercatorem, quorum præcipua in litteris curandis fides eſſe ſolet, hîc nobis defuiſſe. Quid de Merula ad itinerariam tabulam ſperandum, ſcire diſcupio ; ægrè enim illud monumentum jacere fero. Interim & Merula & Cluſius & Meurſius amantiſſimè ſalveant. De Scaligeris Boicis Meliſſus nonnulla petit,quæ ad ipſum curabuntur. Vale. Auguſtæ Vind. Idib. Decembr. An. MDC.

IX.

LItteras, quas te nudius ſextus ſcripſiſſe ſcribis, nondum accepi ; vide, cui credideris. Alteris VI. Kal. Decembr. datis, reſpondeo. Nihil iſto ambitu opus, mi Scaliger, ego tibi quacumque in re, quandocumque potero, ſemper libens gratificaturus ſum : Tu porrò,quid poſſim,diſpice. *Gregorium monachum*, ex publica bibliotheca ſumptum, domi habeo, & mittendi occaſionem exſpecto, quæ extra nundinarum tempus, infrequens eſſe ſolet, hyeme præſertim, fluminibus gelu conſtrictis: Diligentiæ profectò non parcam,quo voti quam primùm compos fias. Apage autem fidejuſſores : Ut ego ullîus fidei præ tua credam ? Iti-

nerum me tantum pericula, quæ isto tractu magna, sollicitum habent: sed tanti est. Codex *mediam, imò prope infimam antiquitatem* præfert, chartaceus, quod ex catalogo scire potuisti; alicubi lacunosus, præsertim à principio. Nuper in *rhapsodias* quasdam *rerum Francicarum* incidi, quibus præfigebatur *libellus chronicus, suppresso auctoris nomine*, sed qui se scribere testetur, Anno XIII. Alexandri Severi, post passionem Christi CCVI. cum verò passionem in annum ætatis trigesimum referat, fit ut decimus tertius Alexandri, in annum à Christo nato CCXXXVI. incidat. Librum monstrosè corruptum, vix tibi futurum usui suspicabar; itaq; apographum non visum mittere. Vale Augustæ Vind. XIV. Kal. Jan. Anno MDCI. *Merulæ* quæso insta, ut nundinis *Cosmographorum* specimem omninò mittat.

X.

DUdum puto ad te scripsi, spem à Frehero factam, duorum Eusebii codicum; quorum unus membraneus, melioris ævi & manus: Nescio an adhuc videris, an is fortasse ipse, cujus exspectatione editionem sustineri significas. Utut sit, nolim per hunc colorem desideria nostra protrahi; nam quod in mora nihil detrimenti fore ais, mihi longè secus videtur: & si à luculentissimo & elegantissimo codice quidquam ornamenti laboribus tuis accessurum est, id malim omne in secundas curas rejici, quam nos tot bonis vel horula tardius frui. In *Vulcanii Glossario* nos nundinarum catalogi fefellere; id verò non ultra autumnum differendum suspicor, aut multorum convitio vapulabit. *Procopio* interim quid fit? cui prope est, ut Hœschelius animum adjiciat, Boici codicis fiducia, & subsidiorum, quæ ab amicis, te inprimis sperat; nisi quod veretur, ne falcem in alienam messem. Operæ pretium itaque sit, significare, quo loco Vulcaniani labores? quid de iis sive sperandum sive desperandum? vix enim ferendum, rem litterariam isto auctore diutius carere. *Photium* vidisti haud dubiè. Hœschelius in notis festinationem vehementer excusat. De *Boica gentis Scaligeræ familia*, quædam ad Melissum misi, quæ ad te puto perlata. *Gruteriano operi* Plantinianos typographos frustra opto; incredibiles labores vir optimus affecto corpore, &, ut videtur, animo exhaurit: Nos etiam, quas potuimus, symbolas contulimus. Vale Vir Illustris, & amantem redama. Augustæ Vind. XVII. K. Jun. An. MDCI.

XI.

POst eas, quas tu mense Martio dedisti, nihil vestrum vidi. Alii, quæ nollem, narrant; nec Eusebii tui spem esse nundinis proximis, neque eorum fortasse quæ in *geographicis* molitur *Merula*. At ego incredibili utriusque operis desiderio incensus, fateor, perculsus sum; neque sustinere me potui, quin tibi significarem, simul precarer atque adeò obtestarer, ne nobis salivam frustra move-

moveritis. Quid enim si eo usque trahendum, quo addi nihil queat, satius fuerat, ne incipere quidem: Id enim fiet nunquam. Secundis nimirum etiam curis relinquendum aliquid. *Hœschelii Phrynichum* videbitis.

Chrysostomi homiliæ adversus Iudæos sequentur, una auctiores. Minutus labor. Ego, ut *Procopio* manum admoveat, urgeo; & animus non abhorret. Sed de Vulcanio adhuc excipit; neque ego profectò vellem meo hortatu & consilio doctissimi viri laboribus injuriam fieri. Sed quid si Vulcanius, quando tot jam annos moratur, hanc cogitationem deposuit, Procopio hoc colore æternum carebimus? Quid ergò nobis hîc quoque sperandum, quid desperandum, fac sciam. Et nos litteris interdum tuis non indignos existima. Vale. Salutem Clariss. Merulæ & Clusio ascribo. Augustæ Vind. Non. Septembr. An. MDCI.

XII.

FReherus mihi bonitatem sui codicis ita commendare est solitus, ut tibi narranti facile fidem habeam; & gratularer sanè, te eum ante editionem nactum, nisi tibi hoc ipso laborem duplicatum viderem. Quod istud, mi Scaliger, tam ardens in rem communem est studium, ut integrum iterum Eusebium tua manu sustinueris describere, & quidem eo tempore, quo molestam & ærumnabilem operam inscriptionum indicibus impendebas? Ita me Deus amet, quod ego sacramentum non temerè soleo adhibere, ut ad utrumque obstupui, & subiit animum cogitatio, quo cæteros exemplum istud vocaret. Sed typographis quàm irascar, non credas. Si nostrorum hîc ea esset elegantia, quam tuæ lucubrationes merentur, certè non dubitarem evocare exemplar, correctionis laborem ipse subiturus; prænimis enim barbarum sit facinus, istos qui præsentario lucro omnia metiuntur, publicam utilitatem diutius morari. Id in Batavia, & quidem Lugduni, fieri omninò posse, præterquam tibi, affirmanti credidissem nemini. *Hœschelius*, quid illi de *Procopio* auctor sis, ad huc exspectat. Etsi ad *Vulcanium* scribo, non visum hoc caput tangere, quod quo animo accepturus esset, non satis scirem; tu nimirum per occasionem exquires, &, cum commodum erit, significabis: Omnibus enim modis cavebimus, hominem rectissimè de litteris merentem, ulla ratione offendere. Sed si Hœschelius cessat, *Casaubonus* Procopium daturus est. Vale V. Illustris & in amore persta. Litterulas ad amicos, quæso cura; ne enim disparatæ perirent, huic fasciculo inclusi. Augustæ Vind. VII. Id. Novembr. An. MDCI.

XIII.

NUdius tertius verebar, ne difficilis & lenta occasio *Syncelli* mittendi, hoc maximè anni tempore, desideria tua morare-

tur. At ea se insperatò obtulit. Tu quæso fac, quam primum erit redditus, sciam; incerta enim itinerum, quin me sollicitum habeant, fieri non potest. Tum, ut intra quintum aut sextum mensem ad nos redeat, cura; in eam enim rem fidem nostris obligavi, quod per Francofurtenses nundinas commodè poterit. Si Merulæ persuadebis, ut specimen operis, quod molitur, conjungat, Syncellus eo sanè comitatu gratior & acceptior huc redibit. In Eusebio tuo disputationem de anno & die captæ ab Augusto Alexandriæ, accuratissimè tractatam & enucleatam exspecto. Vale. Augustæ Vind. XII. K. Decembr. An. MDCI.

XIV.

LItteræ XIII. K. Decembr. à te scriptæ, via Heidelbergensi tandem comparuere. Quibus quod respondeam unum est, occasionem *Gregorii Monachi* mittendi oblatam, citius quam speraſsem. Biduò aut triduò postquam scripsi, viam iniit, ut ante exitum Februarii, Deo volente, omninò apud vos futurus sit. Cujus me statim certiorem facias, rogo; tum ut tutò redeat cures: Nostram enim fidem Reipublicæ oppigneravimus. Quoties Eusebium inspicio, toties novæ editionis crescit desiderium. Dousæ inscriptas litteras tradas peto; gratias agunt pro honore, quem mihi nec merenti nec exspectanti in annalibus habuit. Vale. Augustæ Vind. Postr. K. Jan. Anni MDCII. quem tibi felicem opto.

XV.

ALterum Georgii exemplum ex bibliotheca Bojorum Principis nactus sum; quod, quoniam Hœschelio præ nostro probatur, recta mitterem, si per ejus Dominum liceret. Nunc unum restat, si cubi in nostro in locum aut corruptum, aut suspicioſum, aut mancum incides, ut ejus nos admoneas, consulturos Boicum istum codicem, si quid inde auxilii. Vale. Augustæ Vind. X. K. Febr. An. MDCII.

XVI.

NIc. Fabricius, elegantis ingenii adolescens, ex Narbonensi Gallia, admiratione virtutis & doctrinæ ductus, tum occasione nixus, quam ex ipso intelliges, amicitiam tuam ambit. His suffragatoribus, etsi commendatione nulla opus esse intelligebam, petenti tamen, tria verba negare non debui. Unum est, quod te moneo, hominem mihi nunquam visum, magnoperè à me amari: Cætera, causſam ipse suam aget rectius. Vale. Et cum Gregorium accipies, significa. Augustæ Vind. III. K. Feb. An. MDCII.

XVI.

SYngelum te accepisse confido. Revertenti, si, quod commodo tuo fiat, hæc enim mihi est perpetua in iis quæ ab amicis peto cautio, si ergò redeunti comites adjunxeris, *liturgias Gregorii*

gorii, Cyrilli & Ignatii, quas Ægyptiaca lingua conſcriptas, cum Arabica interpretatione apud te eſſe, ex lib. VII. de Emend. temp. didici, mirum quàm mihi gratum facies; quamq; ego tibi eo nomine debiturus ſum. Quod te nunc ſtatim ſcire volui, ne remiſſo in nundinas Syngelo, occaſio periret. Nic. Fabricius, qui te in oculis fert, ut tibi ſalutem aſcriberem, poſtremis ſuis iterum monuit: Tu, quæſo, amicis iſtic meis verbis nuntia. Vale. Auguſtæ Vind. x. K. Mart. An. MDCII.

XVIII.

IX. Kàl. Martii & Non. ad me ſcripſiſti; utramque epiſtolam accepi. *Procopius* ex nundinis comparebit, quem Hœſchelius avidè exſpectat. Etſi enim aliud ex *Boica* bibliotheca exemplar nactus eſt, quod *Vulcaniano* præſtare, experimento fragmenti Jornandi adjecti conjicit, utrumque tamen conferre refert. Georgium te accepiſſe, confido; Hungerus enim Amſterodamo dudum curaſſe ſignificat: Nunc quoniam nundinarum tempus exiit, cum eo, quantum voles, uſus fueris, ad Hungerum, ſive Caſparum Quingettum Amſterodamum remittas licet, mihi inſcriptum; utervis cum fide curabit. De indice inſcriptionum, ita me Deus benè amet, miſeret me tui; ita laborem ærumnabilem eſſe ſcio. Sed tanto nimirum magis tibi omnes debebimus, qui boni publici reſpectu, te huc quoque non dedignatus fueris demittere. A Fabricio hoc ipſo temporis momento Scaligeriana iſta ceimelia cum litteris accepi, quæ Francofurtum ad Raphelengios tibi tradenda viſum mittere. Vale, & Clariſſimos Cluſium, Vulcanium & Meurſium ſalvere jube. A Douſa nihil reſponſi accepi. Auguſtæ Vind. IV. Id. April. An. MDCII.

XIX.

PRimum Procopius rectè redditus eſt, de quo Hœſchelium conjectura non fefellit; Boicum enim codicem multis ſpatiis ſequitur: Speramus tamen fore, ubi utriusque collatio uſui eſſe poſſit. Tum Georgium quoque monachum recepi, quem ego ad vos perveniſſe nondum intellexeram; eo magis reducem miratus, nec cauſſam ſatis diſputo, niſi quod exemplar ex Regis Galliarum bibliotheca ad vos allatum, iſtud ſupervacaneum feciſſe videri ſuſpicor. Erat verò cum Georgio liturgiarum libellus, de quo valdè te amo. Sed quænam eſt, quęſo, *Æthiopica illa lingua vetus*, quę Græca tam multa admixta habet? An ita vulgò, an in ſacris tantũ, quod opinor credibilius? Porrò libello nõ invitus aliquamdiu carebis, donec eum ab amico, cui ejus uſum gratificor, recipiam. Quod nec Procopium, nec Georgium & liturgias, ulla à te epiſtola comitaretur, valdè mihi mirum videri; cum præſertim minimum tribus meis reſponſum debeas: Fac corrigas, & ſi aliud nihil, ſaltem ſciam, quo loco Euſebius, quando eum nobis polliceri

ceri debeamus? In nundinas litteras Fabricii ad te, cum nummis aliquot Scaligerianis miſi, Chriſtophoro Raphelengio inſcriptas, quęm jam antea obiiſſe, poſtea reſcivi: A reliquis tamen Raphelengianis omnia rectè curata confido. Vale, & amicos iſtic ſalvere jube. Auguſtæ Vind. Kal. Maji An. MDCII.

XX.

SErius binis tuis reſpondeo, nulla mea culpa: ſed epiſtolam excuſationibus fruſtra impleam. De Georgio nihil nunc miri narras. Imò cum petebas, ſeriò inter nos mirabamur, ego & Hœſchelius, quî tibi uſui futurus eſſet ſcriptor, in quo, *præter ſimpliciſſimam ruditatem, nihil* agnoſceremus. Venetiis venales proſtant *quinquaginta* circiter *codices Græci manuſcripti*, reliquiæ, quantum quibusdam indiciis ſuſpicor, *Victorianæ bibliothecæ*; quos mediocri nos pretio præſtinaturos ſpero; Inter eos eſt, *Georgii Syncelli Chronicon uſque ad Diocletiani tempora*, legitimus nimirum germani Syncelli partus, niſi ſpe decipimur: Verum nihil tibi jam eo opus, qui Regium ex Gallia exemplar habeas. Euſebium te iterum deſcribere, & quidem poſt ærumnabilem illum indicis laborem, ita me Deus benè amet, ut pænè indignor, *Vix Priamus tanti.*--- Nos tibi tamen eo magis debebimus. *Liturgias à Maronita Latinè redditas*, Roma ſcribunt, & ſpem eſſe, lacunas expleri poſſe, auxilio codicis integrioris, qui apud neſcio quem ibi repertus; interim libellus tuus cum cura aſſervatur. Quid Merulæ coſmographicis fiat, diu eſt, quod ſcire cupio; tum illud præſertim, qua mea noxa ego paginam adhuc nullam videndam exorare potuerim, cum primus tamen tomus ante duos tres totos annos integer ſit editus. A quo tempore cum ipſum Merulam, tum te quoque non ſemel, opinor, appellavi; non tantum fruſtrà, ſed etiam ſine reſponſo. At certè nihil decedebat inde operi; ſi aliquid acceſſurum fuiſſe dicam, tumidus videar, & vos rideatis, ſed immeritò; nam pumilio quoque in gigantis humeros ſublatus, gigante longius proſpiciat. *Margunius*, ſub finem ſuperioris menſis, Venetiis obiit. Bibliothecam græcam *monachis Cretenſibus*, Creta enim illi patria, legavit. Et præſagus inſtantis fati, paullò ante mortem novem ciſtas libris oppletas eo miſit. Hœſchelius de Procopio non mutat, cui cis paucos dies manum admovebit; dum charta moratur, minutum quiddam theologicum dedit, quod ex nundinis videbis. Vale. Auguſtæ Vind. Prid. K. Aug. An. MDCII.

An *manicare*, quo verbo *Lucæ interpretem* uſum eſſe noſti, Latinitatem antiquiori aliquo teſtimonio probare poſſet, amicus quidam meus quærebat; ſi quod occurrit, ne indicare, quæſo, gravêris. Clariſſimis Cluſio, Vulcanio, Meurſio multam ſalutem.

N. Douſæ

N. Douſæ etiam, à quo ad litteras quas, per te ante multos menſes miſi, nihil unquam accepi.

XXI.

EGo mihi pæne ipſi ſubiraſcor, cujus frigore, ſi verum fatendum, factum eſt, ut emptio codicum manuſcriptorum Græcorum Venetiis adhuc pendeat. Nunc poſtquam tuas accepi, ut Syncellum tibi cordi eſſe intellexi, ſtatim ad meos ſcribo; quamquam illi nuper ſignificarunt, venditorem licitatorem appoſuiſſe, Venetum Patricium, rem quovis pretio quamprimum conficiant, & Syncelli codicem quam celerrimè huc curent. Qui ſi is erit, quem ſperamus, ſiq; te operæ pretium ex eo facturum apparebit, recta iſtuc ibit: ſin aliter, ſcies tamen. Interim vide, an indicandum cenſeas, qua parte *Regius* codex *mutilus* ſit, quo nobis quantò iſte integrior, certius conſtare poſſit. Sed ſi me amas, mi Scaliger, ſi quid deinceps à nobis voles, ne precatores alios allega; cui enim tandem plus in me meaq; omnia, quam tibi uni licere exiſtimas. Codex liturgicus nondum rediit, verum diligenter aſſervari ſcribunt. De *Raderi Martiale*, itanè ſeriò, & ex animi tui ſententia? *Magnus liber eſt*, noſti quod ſequitur. Ut ut ſit, homo fiducia Scaligeriani judicii ſe non capit. Ex nundinis Boica mea ad te venient, duplici exemplo, quorum alterum Merulæ, cui litteræ his incluſæ inſcriptæ ſunt, tradi velim. Miraberis opinor. Cogita, potenter rogare, Principem, potentem, vicinum, amicum. Ego certè tam molli fronte ſum, ut negare non ſuſtinuerim.

—— facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita,
Submiſſa placidè blandiloquens oratio.

Unum moneo, cum Dejotarum, & neſcio quos alios, inter Bojos leges, ne prius riſu diſrumparis, quàm conjecturæ momenta expenderis, quæ Caſaubonum patronum habent; ſine quo nobis nunquam tantum permiſiſſemus. Vale. Auguſtæ Vind. Prid. Id. Septembr. An. MDCII.

XXII.

SCum ex Italia miſſus ſit nobis, Heros Illuſtris, Codex ille Syncelli; ne idem, quod antea, culpa admittatur, viſum eſt illius & principium & finem ad te curare; unde conjicias, utrum ἄνθρακες ἀνὶ θησαυρῶν. Illius igitur hæc eſt epigraphe, Γεωργίου, ἐυλαβεςάτου μοναχοῦ ἢ συγκέλλου γεγονότ☉ Ταραςίου ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Κωνσανλινυπόλεως, σύνταξις ἤτοι χρονογραφία ἐν ἐπιτόμῳ, ἀπὸ τῆς βασιλείας Ιουλίου καίσαρ☉ ῥωμαίων, ἔτους ἀπὸ κλίσεως κόσμου ευχδ'. μέχρι τ βασιλείας τοῦ πρώτου ἔτους Διοκλητιανοῦ, κόσμου ἔτει ϛψοζ'. Initium, Πομπηί☉

Digitized by Google

πτι@ πολιορκια λαβὼν τὰ ἱερὰ σόλυμα, Αεισοβουλον μὲν δέσμιον σὺν τοῖς παισὶν Αλεξάνδρῳ καὶ Αντιγόνῳ καλεῖχεν ἐς Ρῶμην ἀπιὼν, * θεαμβεύσων κ᾽ ἄλλων ἐθνῶν βασιλεῖς κ᾽ ἡγεμόνας. Ἐχανῷ ὃ τῷ τότου ἀδελφῷ τὴν ἀρχιερωσύνην ἐγχείρισας, ὑποφόρους ἔταξε Ῥωμαίοις ἰουδαίους. κ᾽ Κικέρων ὁ ῥήτωρ κ᾽ συγκλητικὸς ὢν ἐπὶ ῥωμαίοις ἤκμαζεν. οὗτ@ καθεῖλεν * καθ᾽ ἕλλησπα, κ᾽ Κέθηγον, κ᾽ Λέντυλλον, συνομοσαμένους κ᾽ τῆς συγκλήτου. Πομπήι@ ἐλθὼν εἰς Ῥώμην, κ᾽ θεαμβεύσας ἐπὶ νίκαις πολλαῖς, ἐνοῦται φιλίᾳ Γαΐῳ Ἰουλίῳ Καίσαρι. Finis, τὸν δὴ οὖν παύλου, σὺν κ᾽ τ῀ πίστεως ὀρθοδοξίᾳ, τ῀ ἐπισκοπῆς ἀποπεπλωκότ@: Δόμνος ὡς ἔοικεν, τὴν λῃτουργίαν τ῀ καὶ Αντιόχου ἐκκλησίας διεδέξατο. ἀλλὰ γὰ μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ παύλου τ῀ τῆς ἐκκλησίας ὄικου θελήσαντος: βασιλεὺς ἐπευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα πρὸ τούτ τοῦ πραιτίου * διηλλάξεν, τοῦτο νεῖμαι προστάττων τὸν ὄικον, ὅις κ᾽ τὴν ἰταλίαν κ᾽ τὴν ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπέστελλεν. οὕτω δῆτα ὁ προδηλωθεὶς ἀνὴρ μ᾽ τ῀ ἐκάστης αἰχμῆς ὑπὸ τ῀ κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τ῀ ἐκκλησίας. Hinc ſequitur, Θεοφάνους ἁμαρτωλοῦ κ᾽ ἡγεμόνος τοῦ ἀγράφου κ᾽ ὁμολογητοῦ χρονογραφία, ἐτῶν φκή. ἀρχομένη ἀπὸ πρώτου ἔτους Διοκλητιανοῦ, ἕως δευτέρου ἔτους Μιχαὴλ κ᾽ Θεοφυλάκτου υἱ῀ αὐτ῀. τουτέστιν. ἀπὸ τοῦ ἑψόμ ἔτους τοῦ κόσμου, ἕως ἔτους ςτέ κατὰ τοὺς ἀλεξανδρεῖς, κατὰ δ᾽ ῥωμαίους ςτκά. Hic *Theophanes* profitetur, ſibi hoc oneris ſive laboris eſſe impoſitum, ut, quæ per fata *Georgius* Monachus *Syncellus* pertexere non potuerit, ipſe abſolveret. Qui duo Chronographi habentur etiam eodem juncti volumine, Heidelbergæ; ut ex alterutra Bibliotheca tuum poſſit deſiderium expleri. Nam in noſtro codice Syncelli numeros alicubi deſidero annorum. Cæterùm rectè conjeciſti, Eclogas πρεσβείων πέρι prelo jam ſubjectas eſſe: verùm ex iis codicibus, qui χθὲς κ᾽ πρώην exarati, pluribus mendis ſcatent. Corrigo quę poſſum, cętera tibi, Caſaubono, veſtrumque ſimilibus caſtiganda relicturus. Velim mihi ſignificare ne graveris, cum quo codice m. ſ. prima pagina Procopii tui cœpta ſit conferri; colligo enim ex pauculis iſtis perquam bonum illum eſſe, certè Bavarico reſpondentem. Quid porrò fieri cupias, ex proximis tuis facilè cognoſcemus. Ex nundinis accipies Iſagogen Adriani cum literis. Benè vale, Vir eximie, atq; à magnifico noſtro Dn. Velſero pl. ſalve. 13. Kal. Octobr. A. S. N. 1602. Auguſtæ Vind. A. T. O.

David Hœſchelius.

Quæ

* θριαμβεύσας.

* καθιλίναν.

* διήλλαξεν.

QUæ ſit ratio Veneti codicis, ex Hœſchelio intelliges. Cum verò ante quam multos menſes ſignificaveris, Syncellum, quem quæris, ab Adamo incipere; meritò ſuſpicatus ſum, noſtrum hunc vel planè alium, vel certè maxima ſui parte mutilum eſſe, in quo quippe omnis *ab Adamo ad Pompejum* hiſtoria deſideretur. Miſſionem itaque ſuſtinere viſum, cum hac cauſſa, quod mihi præſertim veriſimile fieret te integrando Euſebio antiquiſſima quæque, quæ hinc abſunt, maxime cupere; tum quod ſimile exemplar in Palatina bibliotheca haberi, ex Frehero intelligam, cujus tibi volenti propior erit copia: Noſtrum chartaceum eſt, à manu non antiquiſſima, quæ tamen centum annos ſuperare videatur; de Palatino in hoc genere nihil habeo affirmare. Sed ſi noſtrum adhuc omninò deſideras, verbo mone; nam ego tibi non in tantilla tantum re, ſed in omnibus, quæ unquam potero, ita gratificari cupio; ut, quicquid erit, animo certè meo nunquam ſatisfacturus ſim. Clariſſimos, meique amantiſſimos quæſo viros, Cluſium, Merulam, Vulcanium, Meurſium noſtris verbis ſalvere jube. Merulæ, quæ ille menſe Majo miſit, nusquam comparent, ut ea periiſſe, neutiquam videatur dubitabile. Vale. Auguſtæ Vind. Poſtrid. Kal. Octobr. nam quid Hœſchelio XIII. Kal. ſcribenti in mentem venerit, neſcio. Anno MDCII.

Tuus
MARCUS VELSERUS.

XXIII.

Salve Vir Illuſtris,

ET perſuaſum habe, tuum de Syncello deſiderium mihi ſeriò curæ eſſe, quantum fieri poſſit maximè, ut profectò monitore non egeam. Pro iis quæ de verbo *manicare* annotaſti, gratias habeo. Nunc iſtas ad Merulam cures velim, cujus Cosmographica, quatenus adhuc edidit, dudum ad me miſſa, periiſſe, ægerrimè fero. Vale. Auguſtæ Vind. XIV. Kal. Octobr. An. MDCII.

XXIV.

JAm omnes mihi Gregorij, omnes Syncelli ſenio; poſtquam nos ſpes iterum deſtituit. Benè, quod tu benignè & humaniter interpretaris, me nihil eorum denegaſſe, quæ in noſtra poteſtate fuerint. Sic habet profectò, nec mutabo in poſterum. Itaque de libellis Arabicis, me omnem lapidem moturum ſcito; tantum ut editi ſint, eruemus amicorum opera. Interim Euſebium nobis concinnabis, cujus videndi deſiderio me acriter torqueri, cum ſæpè ſcripſi, tum tute facilè conjecturam capias. Diſpice, an Syncellum quoque in lucem proferre operæ; ne ſi quis caſus Francicum etiam exemplum inter-

vertat, laudatiſſimo aùctore omni poſteritati carendum ſit; quæ ſanè mutilum & corruptum legere, quam eo carere malit. Neſcio, an non Euſebio tuo magnum inde momentum; quod ſi probas, lacunam à Valeriano ad Probum ex noſtro codice moniti ſupplebimus. Boica Raphelengiis Francofurti tradita opinor; ut perierint, jactura ſit, propter quam veſtem non mutes. Hœſchelius Procopio manum nondum admovit: adeò multæ interjectæ moræ. Poſtremò *Deuxippi, Priſci, Petri, Eunapii, Menandri, Malchi, legationum eclogæ* interceſſere, quæ nundinis comparebunt. Quid vos iſtic de *ſtella in pectore cygni*, ab anni præteriti exitu, obſervata, valdè ſcire cupimus. Ad Clavium, cum eum tanti à te fieri videam, de illa nuper retuli. Vale, Vir Illuſtris, ab homine tui amantiſſimo. Auguſtæ Vind. XVIII. Kal. Decembr. An. MDCII.

Litterulas amicis ſcriptas, quæſo, cures.

XXV.

NEque an ego ſcripſerim, neque an tu reſcripſeris, ſatis memini, quis videatur auctor, quem Ingolſtadienſes *tomo ſecundo antiquæ lectionis* nuper in collectione chronica dederunt, qui ſe anno XIII. Alexandri, poſt Chriſti paſſionem CCVI. (Chriſtum autem ætatis XXX. paſſum aſſeverat) ſcripſiſſe, ſemel atque iterum teſtatur. Quæſo ſi quid vel hariolationis habes, ſignifica. Vellem nomina & numeros librarii tolerabiliter corrupiſſent, libellum ſanè non prorſus contemneremus. Neſcio, an tua ſcire interſit; mihi viſum, poſt proximas ad te datas litteras, catalogum Cæſareæ Viennenſis bibliothecæ, in quo, Georgii Syncelli Syntagma Chronicum *ab Adam ad Alexium Comnenum*. Etſi hujus te Simlerus etiam admonere potuit. Vide quid velis, quid jubeas, quid ego poſſim; aut ſi te negotii lentitudo deterret. Vale. Auguſtæ Vind. XII. Kal. Decembr. An. MDCII.

XXVI.

EX Italia amicus ad me ſcribit, ab *Arnoldo Pontaſo*, Vaſatenſi Epiſcopo, *Chronica Euſebii, Hieronymi, Proſperi*, Burdigalæ edi, emendatione bis mille errorum promiſſa. Quod quanquam tibi iſtic dudum innotuiſſe oportuit, tamen per me quoque ſignificandum exiſtimavi. Prelum jam fervere, primum in Italia folium viſum, amicus addebat. Vale. Auguſtæ Vind. V. Kal. Decembr. An. MDCII.

XXVII.

SERÒ fuere redditæ litteræ, quas tu Idib. Decembr. dederas. De libellis Arabicis, me dudum ſcripſiſſe, memini, quod nunc præterea addam, non habeo. Certè voluntas tibi gratificandi neque defuit, neque in poſterum deerit; ita de me es meritus. In Boicis bonas horas te malè collocare nolim, ad guſtum duæ

tres

tres pagellæ ſuffecerint. Ad *Toliſto-Boios* ſi perveniſti, quid conjecturæ videatur, ſcire aveam; an meliori ſaltem loco quam Becanicas habendam cenſeas: quod profectò velim, ut ſolicitus parentum in liberos amor eſt. Syncelli, quod petis, deſcriptum mitto, manu fideli, ſi minus eleganti; & additæ notæ iis, quæ vitiata videbantur, ne tu autographi errores librario tribueres. Si ergò Euſebium hæc una remora ſuſtinuit, nunc fauſta alite prodeat licet; & vix certè eſt, ut eum nobis diutius impune debere poſſis. Schema etiam ſtellæ, ſive novæ, ſive nuper certè obſervatæ, mitto; de qua vos nihil iſtic inaudiſſe, impensè miror, cum Batavi nautæ primi ejus obſervatores apud nos ferantur. Clavius nihil adhuc reſpondit; itaque nec Romæ adhuc obſervatam ſuſpicor. Vale. Auguſtæ Vind. XI, Kal. Jan. An. MDCIII.

XXVIII.

ME officio non defuiſſe, ſcheda tibi dicet, quam his litteris incluſi. Sed hîc quoque fortuna noverca; ne, quod unum maximè in votis erat, in tantilla etiam re tibi poſſem gratificari. Scripſerat amicus meus priori epiſtola, *Colloquium Muſulmannicum* decem aureis indicari; neque pretium deterruiſſet, ſed nunc hanc etiam ſpem, qua nihil videbatur certius, decollaſſe vides. Cum reſponſum ad aliquot ſuperiores meas accepero, uberiores à me exſpecta. Vale. Auguſtæ Vind. Kal. Jan. Ineunte An. MDCIII. quem tibi felicem precor.

XXIX.

LAciniam Syncelli, quam miſi, te dudum accepiſſe exiſtimo; ut per eam ſtaturum non ſit, quin Euſebius vel proximis nundinis prodeat. Nunc excerpta *Kalendarij veteris* affero, ab homine bonarum litterarum amante communicata. Autographum nondum videre licuit, quod ut quamprimum contingat, omni ope enitar; etſi enim nihil præterea in eo non vulgare, & hæc cum fide enotata eſſe aſſeveret; ego tamen meis oculis, quam aliorum verbis malo credere. Interim docebis nos, mi Scaliger, quid monſtra ſibi pleraque verborum velint, ſub quibus myſteria latere neutiquam ſanè dubito; ſed ut myſtagogo, qui ad ea levato velo introducat, opus habeam. Nam in paucis dilucebat. De Idibus Martiis Ovidius dubitare non patiebatur, *Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ.* XIII. Kal. April. Peluſia ſuſpicabar, quod Kalendarium vetus ruſticum, Iſidis navigium menſe Martio habet. V. Non. Julij. *Fugato Licinio*, ad Licinij fugam pertinet, quæ in eum diem incidit; quod ex Theod. Cod. l. 1. de Veteranis confirmari poteſt. Prid. Id. Aug. *Lychnapſia.* Idibus *Natalem Dianæ* Martialis diſertè tribuit. Si in his ipſis aberramus, dirige. Reliqua monſtra tu unus Her-

cules conficies. Et profecto debes nobis eam, pro indicio, gratiam. Clariſſimo Merulæ multam ſalutem, cujus ſecundum miſſum nihilo magis, quàm primum accepi, ut jam ſpes nulla ſit, ejus laboribus ante promiſcuum vulgus frui poſſe, quod utinam ex nundinis fiat. Optimum etiam Cluſium ſalvere jubeo. Vale. Auguſtæ Vind. XIV. Kal. April. An. MDCIII.

XXX.

LIturgiæ Elkupticæ Roma nondum redierunt, quod tamen brevi futurum ſpem faciunt; verſæ enim jam ſunt ab adoleſcente Maronita, lacunis expletis, ope alterius codicis, quem habet Ægyptius neſcio quis in Pontificiâ familia. Moram, quæſo, fer æquo animo, quam ego ſi tam diuturnam fore animo prævidere potuiſſem, librum profectò Romam nunquam miſiſſem. *Pſelli libellum* ab Hœſchelio accipies, *interpretis Xylandri* manu commendatiorem. De ſtella valdè adhuc hæremus; ſi nova non eſt, quî factum, ut eam nemo veterum, ne recentiorum quidem antehac quisquam obſervaverit; id enim propemodum aſſeverare poſſe videmur, cum nemo in litteras retulerit. Itaque muſſant adhuc harum rerum peritiſſimi diligentiſſimique, neque ego reperi, qui quid in utramvis partem ſentiret, liberè auderet promere. Euſebio moram non nocere, facilè perſuades; eam verò nobis permoleſtam eſſe, tu viciſſim credas velim: Si nos itaque amas, manum aliquando, quæſo, de tabula. Nunquam tibi pro re ſatis explicem, quam amicum illum inprimis, à quo Kalendarii excerpta nuper miſi, hæc exſpectatio torqueat atque adeò cruciet. Vale, & ſi quis nos iſtic amat, ſalvere jube. Auguſtæ Vind. IX. Kal. Majas Anno MDCIII.

XXXI.

PHilippus Gundelius Viennæ Auſtriæ anno, opinor, MDXIII. *faſtos Ovidianos* edidit; quibus *Kalendarium*, quod quærimus, & cujus excerpta ad te miſi, adjunxit, deſcriptum ex Joan. Cuſpiniani codice antiquo. Hoc nuper admodum reſcivi, editionem nondum nanciſci potui; ſed omnibus veſtigiis inquiro, quod tu item facies. De autographo etiam, quamquam vel nulla vel exigua admodum ſpes eſt, curam non depono: Tecum enim prorſus ſentio, negotium non negligendum eſſe. Sed ſi autographum omninò periit, fieri non poteſt, quin editionis Gundelianæ exempla alicubi ſuperſint. Interim querimur tot veterum ſcriptorum monumenta non extare, cum iſtud intra nonageſimum annum interciderit. *Giraldum* & *Junium* eo uſos conſtat, ſive integrum, ſive excerpta tantùm habuere. Verùm hæc litterarum peſtis eſt, cum, quæ parum intelligimus, publico prodere veremur; adverſus inſcitiam ipſi noſtram teſtimonium

monium quodammodo dicturi. Amico illi, de quo nuper, Eusebium ad sequentes nundinas exspectare, longum videtur. Vale. Augustæ Vind. Prid. K. Majas. An. MDCIII.

XXXII.

AMicus meus, magni nominis medicus, homo eleganter doctus, cujus rei tibi hæc narratio fidem faciet, cum nescio quid *in Hippocratis epidemicorum libros* dudum moliatur, eum inspiciundi codicis Græci manuscripti cupido incessit. Quem quod nullibi certiùs, quàm aut apud Batavos, aut in Gallia reperiendum crederet, institit, ut ad Scaligerum adque Casaubonum scriberem. Vides publicam caussam agi, cum ejus privata laude, qui librum suppeditaturus est, conjunctam. Itaque plura non addo, ne toties mihi compertam humanitatem tuam in dubium revocare videar. Tantum moneo, nos sive pretio præstinaturos librum, quod tibi cumque pro ejus antiquitate & fide æquum videbitur; sive si domino venalis non est, ut prece etiam usum ad aliquot menses impetremus, magni beneficii loco habituros. Si hujus nihil neque apud te, neque apud Vulcanium, neque inter Byzantinas G. Dousæ reliquias, neque apud quenquam alium amicorum est, id quoq;, quæso, fac sciam. Liturgiæ Roma reduces, salvæ scilicet & incolumes, occasionem tutò istuc commeandi quærunt. Vale. Augustæ Vind. XIII. K. Decembr. MDCIII.

Non si Eusebii nomen omnibus epistolis non ascribimus, nos moram æquo animo ferre interpretêris.

XXXIII.

GRatias tibi de indicio Hippocratei codicis, evangelia, de nuncio Eusebianæ editionis debeo. Si quis dubius in epidemiorum libris amico illi meo locus incidet; Casaubonus, qua est humanitate, collationis laborem non defugiet. Sed in Eusebio, vis me seriò impudentem esse? Postquam lentitudinem typographi & operis molem incusas, suspicor finem autumnales nundinas spectare: Itaque audebo petere, ut his vernalibus folia, quotquot absoluta erunt, non gravatè communices. Dicat aliquis, mi Scaliger, te hoc cum humanitati tuæ, tum amori meo debere, sed tamen negare, per me quidem, liberrimum est; rectè enim vos Galli, quantum memini, vernaculo proverbio audaci flagitatori audacem negatorem opponitis. Liturgias *Elkupticas* per mercatores misi. Hœschelius *Origenem adversus Celsum* absolvit, nunc Latinum interpretem adjicit. *Theophanes* item, & Chronica, quibus *fasti Siculi Græci*, quos Sylburgius dedit, interjecti, interpretem reperiunt. Merulæ Cosmographia quando tandem lucem aspiciet? Vale. Augustæ Vind. XII. K. Febr. An. MDCIV.

XXXIV.

XXXIV.

PHilippus *Pigafetta* has Roma *inſcriptiones* mittit, tibi curandas; Ut magno operi, quod à te elaborari inaudiit, neque à Grutero jam editum eſſe reſcivit, inſereretur. Feci lubens, etſi hoc quidem fine fruſtrà. *Recens inventas* eſſe addit, & cum fide deſcriptas marmorarii erroribus non diſſimulatis. FRUNITA & SCELERATA, peregrino ſenſu, obſervationem merentur: Euſebii tui exſpectatio nos vehementer torquet. Vale. Auguſtæ Vind. Cineralibus, An. MDCIV.

XXXV.

PRæter quas Idib. Junii dediſti, ego nudius ſextus demum accepi; nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum, ſaltem à menſibus octo. Itaque binasillas, ſcriptas ſtatim poſt Liturgias redditas, intercidiſſe dubium non eſt. Sed miror, cui credas; aut cur non via Amſtelrodamenſi, ſive ad Caſparum Quingettam, ſive ad Hanſum Hungerum mittas. Ego binis, quibus te quid de Liturgiarum interpretatione ſentires, aperuiſſe ſignificas, ægrè careo: Nam quod nunc quoque innuis, nullas ex altero codice lacunas expletas eſſe, quin quædam tui omiſſa eſſe, quædam præpoſterè vertiſſe interpretem, mihi & inexſpectatum valdè, & permirum accidit. Si non pigebit diſtinctiùs perſcribere, valdè te amabo. Unum compertò ſcio, Maronitam interpretem crebrò ad *Gabrielem Negib* in Vaticanum commeaſſe, per collationis ſpeciem. Benè de Euſebio nuncias, ſi enim ante Junii initium duplici prælo admotus fuit, facilè conjecturam capio, fieri non poſſe, quin proximis tandem nundinis ſitim noſtram expleat. Feliciter. Burdigalenſis an in ſpongiam? Nos quidem nihil ejus vidimus. Quid Merula, ceſſat in magno illo opere? quod, verè fatendum, melius eſt jacere, quam ab occupato pertexi. Hœſchelius, præter ſalutem, nihil habebat, quod ſcriberet; nuper officio functus. Druſii Syracidem dudum vidit, in quo, quod inter nos ſit, plura ſe Hebraicæ quàm Græcæ litteraturæ veſtigia deprehendiſſe exiſtimat. Vale, Auguſtę Vind. III. Non. Septembr. An. MDCIV.

XXXVI.

MAgnam eſſe exſpectationem Euſebiani operis, ſæpè ex me intellexiſti. Ejus rei teſtem cito caput epiſtolæ, quod viſum ſubſcribere, ex libris amici cujusdam mei, hominis horum ſtudiorum amantis, excerptum. Id verò, ſi ſatis candorem tuum novi, eo animo, quo à me mittitur, accipies; neque ingenua libertate offendêris.

Scaligeri in chronicon Euſebii lucubrationes, non aliter exſpecto, quàm qui longam ſitim avet explere. Utinam vir ille, acri & igneo præditus ingenio, ad duo habuiſſet reſpectum, in vitæ Chriſti annis ritè ordinandis. Unum eſt, declaratio

ratio Apostolicæ sedis, nomine Victoris Papæ, mille super & quadringentos ante annos in Synodo Cæsarienſi facta, qua passus dicitur Dominus 23. Martii, & resurrexisse 25. Qua data semel hypothesi, nulla vel ab Archimede, vel ab Euclide afferri magis dilucida potest demonstratio; digito indicans annum Julianum 76. Dionysianum 31. Cyclo Solis XII. & Lunæ XIII. Indict. 4. Tiberio V. & Ælio Sejano Coss. quadragesimo ante excisam Hierosolymam anno, 37. ante cædem Principum Apostolorum, 35. ante initium belli Judaici, trigesimo ante necem Jacobi minoris, anno 7. Neronis. Superstite tum adhuc Sejano, qui eodem illo anno sui Consulatus, XV. Kal. Novemb. in pœnam peccati, quo in Senatu divinitatem Christi, qui jam tum resurrexerat, obstinatissimè impugnaverat, miserabiliter periit. Horum singula, ut alia præteream innumera, irrefragabili apodixi annum delineant mortis & anastasis Salvatoris. Asseruntur verò à S. Hieronymo plusquam decem in locis, ab Epiphanio in septem, Clemente Alex. Eusebio, Tertulliano, Lactantio, Julio Africano, Apollinari, Cyrillo Alex. Philastrio, Severo Sulpitio, S. Augustino, Irenæo, Joan. Chrysostomo, Paulo Orosio, & aliis; quos si persequar, dabitur infinitum. Quod si aliqui ex istis interdum ab hoc calculo, atque adeò à seipsis & veritate dissideant, non ob id falsa veris fidem derogant. Quare si illam collibitum fuisset insistere viam, quam à suis calcatam majoribus, nostri pariter majores tritam nobis reliquere, per universum Christi hodœporicon ultro citroque, non aliter atque Thesei aut Ariadnæ filo, per gyrum atque ambages Dædalei labyrinthi, liber se usque quaque progressus & regressus obtulisset. Juvisset ad hoc quoque illud alterum, si præter Evangelistas in consilium adhibuisset Josephum, Josippum, Hegesippum, Dionem, Macrobium, aliosque plures, ex quorum certissima testificatione constat vita abiisse Herodem ante Pascha anni 43. Juliani, quo Coss. erant Lentulus & Messalinus, quo itidem anno Cajus Cæsar Iti præfuit Archelai & Antipæ, integra tum adhuc fama *Juliæ* filiæ Augusti, in cujus honorem Philippus, initio mox terrarchiæ, patriam Petri & Andreæ, *Bethsaida*, *Iuliada* nuncupavit. Quo rursus anno, quinto die ante suum excessum, Herodes Antipatrum, & cum illo bimulos occidit Ephratæos, juxta tempus ortus Stellæ & Messiæ; juxta itidem vaticinium Isaiæ cap. 7. & 8. ubi prædicitur Rex ille, cujus erunt spolia Samariæ, & Rex item Damasci, vita & regno exuendi in ætate Christi infantili, antequam per ætatem nomen patris edere possit aut matris. Quod in Herode & Obodam Regibus adimple-

impletum. Obodam porrò Rex Damasci, teste Josepho, in fata concessit paullò ante Herodem ; quando Saturninus census egit, quibus compaginatus est verus Emmanuel. Hæc paucis dici possunt, sed paucis defendi non possunt ac constabiliri. Ego indicare tantum volui, tametsi non sim nescius, veritatem paucis comprehensam, non tueri splendorem suum ac dignitatem. Utinam ista Scaliger, & Illustrissimus scriptor Annalium considerassent: Nunquam ille Christum dixisset passum nunc 79. anno Juliano, ut habet prima editio; nunc 78. ut secunda: Neque hic Christum mortuum asseruisset 78. anno Juliano, 34. Dionysiano; cum annus 34. Dionysianus, uti probè novit Scaliger, sit octogesimus annus Julianus. Denique neuter Christi ortum signasset 43. Juliano, quo tempore jam mortuus erat Herodes. Hæc amicus meus, quæ etsi non magno tibi fortasse erunt usui, libuit tamen communicare; tu in optimam partem interpretaberis. Vale. Augustæ Vind. IV. Id. Novembr. An. MDCIV.

XXXVII.

SItientes fontem petunt : Ut primùm nummum, cujus ectypon vides, nactus sum, statim ad te ire visum; quod ejus interpretationem sive à te exspectandam, sive planissimè desperandam esse censerem. Nos quidem aut Triballorum, aut Bulgarorum, aut nescio quos alios ejus oræ Crales, qui Constantinopolitanos Imperatores hactenus imitati fuerint, pertinere, suspicabamur; sed suspicabamur tantùm: Quid enim constitueremus, qui partis aversæ ne unum quidem apicem agnosceremus? Adversa, nisi vehementer fallor, Constantinopolitanam viciniam loquitur. De Eusebio quando nos exhilarabis? Ultra nundinas diem produci jam nullâ ratione patiemur. Hœschelius, chartæ penuria, Procopio manus necdum admovit: Ea est litterarum & litteratorum miseria, ut ad hujusmodi etiam remoras hærere necesse habeant. Vale. Augustæ Vind. Non. Jan. Anni MDCV. quem tibi felicem precor.

XXXVIII.

QUæ est ista Lugdunum & Amstelrodamum inter Charybdis, cujus ingluvies tot nobis, ab aliquot jam annis, hausit litteras? quidquid enim ultrò citroque periit, omne tantillo tractu interceptum esse certum habeo ; cùm Amstelrodamo litteras huc rectè & tutò perferri hebdomadatim experiamur. Neque fefellit Hungerus, cum tibi affirmavit, Liturgias in manus meas perveniisse; dudum enim, ante menses minimùm tres opinor, accepi, & statim rescripsi, actis prolixè gratiis ; quas etsi nunc quoque repeto, scio me tamen verbis cum labore à te impenso, paria facere non posse. De re ipsa memini, me scripsisse, qui sibi arbi-

trium

trium ſumat, Arabici ſermonis peritiam neceſſariò profiteri debere; cujus ego ne unum quidem apicem diſtinctè intelligam; ſed eſſe nonnulla inter correctiones, tantæ probabilitatis, imò veritatis ſpecie, ut in quantavis Arabicæ linguæ ignorantia, tamen Latina rectè à te reſtituta eſſe, aſſerere neutiquam dubitem. Hæc litterarum ſumma, quas poſt Kal. Decembr. quibus tuas dediſti, ad te perveniſſe, non deſpero; cum tuarum exemplo fieri potuerit, ut ad tertium menſem in itinere hæſerint: Procopianam cauſſam Hœſchelius aget, qui, quam nos ſperare jubeat, ex ſcheda etiam intelliges. Quod judicium de Chronologo liberrimè perſcripſeris, amo te; & verum tibi fatebor, hoc ipſo deſiderium Euſebii tui in dies magis acuis; neque ſatis ſcio quomodo ferendo futurus ſim, ſi ultra nundinas, quod abominor, differas. Conjicio, te de Boico Cancellario ſuſpicari: fruſtra; Cancellarius enim à Chronologo iſto fortaſſe magis adhuc, quam tu diſſentit. Non diu eſt, cum hic ſe mihi inſinuavit, & propediem in publicum prodibit, niſi conjectura decipior, Francofurtenſi mercatu: tum certius experiemur quid tanto hiatu dignum laturus ſit. Vale. Auguſtæ Vind. XIV. K. Mart. An. MDCV.

XXXIX.

MIrum, quam nos deſiderium Euſebii tui exerceat; eò quidem acrius, quò longiorem ſpem poſtremis litteris feciſti. Meminiſſe enim potes, te ſcripſiſſe, fruſtra tam citò exſpectari, nondum ad dimidium perventum eſſe, operas quæſtus ſui cauſſa plerumque alia interjicere. Prope erat, ut ad petitionem ſemel negatam redirem; ſi nundinis toto opere excludereris, ſaltem ne partem in guſtum invideres. Sed vicit pudor, &, ſi verum dicendum eſt, hoc potentior modeſtiæ magiſter, iteratæ repulſæ metus. Itaque, quando in hanc partem te obfirmaſti, & coronis omninò exſpectanda eſt, quod proximè conſequitur, impetrari patieris; ut extra etiam nundinas, librum à prælo adhuc calentem & madentem, Amſtelrodamenſi via ſtatim ad me mittas. Ingenioſum ſcriptum, funebrem Douſæ laudationem, ante aliquot menſes accepi, neſcio an auctoris miſſu; litteræ enim nullæ adjunctæ erant: Eò gratias agere abſtinui, ne ineptè aberrarem. Muſicum iſtic bellum gliſcere, mihi, ſupra quam facile credas, ægrè eſt. Utinam vel pugnantium manus continere, vel certè calamorum loliginem eluere, ego poſſim. Hœſchelius Origenem abſolvit. Procopio manus admovit, lentas typographi culpa. Vale à tui amante. Aug. Vind. Prid. Non. Jul. An. MDCV.

XL.

NEceſſitas quam pertinax regnum tenet? Huic ergò nos quoque parebimus. Quando ratum, firmum, fixum tibi eſſe video, Euſebii conſpectum per partes non indulgere; id eò nobis

sanè ægrius, quòd, quæ est alterius typographi lentitudo, coronidem ne proximis quidem nundinis securo animo sperare licet. Sed obdurabimus, & feremus, quod mutare in nostra manu situm non est. Tu vicissim fac fides tibi constet, qui me primum omnium Eusebium ex fornace calentem accepturum, fueris pollicitus. Præstare tantò magis debes, quanto impensius desiderium singulis litteris acuis. De amphitheatro piget scribere, & sunt omnium judicia in medio; etiam eorum, quos tu minimè suspiceris. Casaubonus certè nuper in hæc verba ad me scripsit, *Fronto Ducæus, vir eruditissimus & modestissimus, cum superioribus diebus ad me venisset, librum illum & libri auctorem abominatus, non unius, sed plurium facinorosorum hominum opus esse confirmabat.* Sed ego nunc temporis angustiis, & occupationum multitudine impedior, ne compluscula, quæ animo in hac caussa obversantur, subjungam. Nonnulla in Putschii sinum, cum quo multus & suavis, per aliquot dies, quos apud nos agit, de te sermo, effudi. Roserii ineptissimas adversus me nugas vidisti? Quas ego, Casauboni, Thuani, Bongarsii, aliorum consilia sequutus, silentio splendidè contemnendas censeo. Vale. Augustæ Vind. VII. K. Novembris. An. MDCV.

XLI.

MOnumenta *gentis Scaligeræ* quæ vides, Veronâ à *Cæsare Nichesola*, homine mei amantissimo, tibi transmittenda accepi; neque quî id commodius, quam per nundinas fieri posset, reperi. Eæ nisi nobis Eusebium, tanto jam tempore exspectatum, repræsentabunt, in amœnæ accident: Sed speremus, quod juvat. Erant, quæ præterea scriberem; sed me podagra ab aliquot diebus lecto affixit, & decumbens hæc scribo; nosti autem opinor pedum manuumq; in hac caussa consensū, cum illi odiosè otiantur, quam istæ longis scriptionibus exarandis parum promptæ esse soleant. Putschium nostrum pulchra & præclara minantem, in ætatis flore succisum, quam dolui? sed hac lege homines nascimur. Valdè velim exstare editionem novam auctorum, de limitibus agrorum; quæ nisi apud vos prodeat, ubi codices manuscriptos esse ajunt, quid aliunde sperem non habeo. Vale. Augustæ Vind. VI. Id. April. An. MDCVI.

XLII.

VAndermylius ad me scripsit, Eusebium tuum cis paucos dies absolvendum, fortè ante exitum hujus mensis. Quod si sic est, & tu promissi memor, in sententia manes, quæso, quam primum ad Casparum Quingettum mercatorem Amstelrodamensem mitte; is cum fide ad me curabit: Et ego aspectu operis maximè cupiti, ante nundinas fruar. Cujus rei spem omnem deposueram, conspecto proximo catalogo; sed Vandermylii litteræ

iterum

iterum erexere. Hœschelii Procopius nundinis prostabit. Casaubono me Polybium membranaceum ex Boica bibliotheca impetraturum propè confido; optimæ notæ esse asseverant, qui diligenter inspexere. Pro Vulcanii Cyrillo quorundam fores adhuc frustrà pulsavimus; nec tamen desistimus. Vale. Augustæ Vind. Prid. K. Jun. An. MDCVI.

XLIII.

ORator ad vos venio, ait ille in Comœdia, sinite exorator ut siem. Eusebii multi apud nos cupitores, rara adhuc sunt exemplaria: inde fit, ut meum, quod tu misisti, jam non meum sit; ita crebrò ejus usum amicis cogor concedere. Horum unus, quod in prolegomenis hæc verba legerit: *Disertè extat in parapegmate incerti auctoris, interprete Nic. Leonico, quod fastis Ovidianis prætexi solet: sed falsò attribuitur Ptolemæo: Nam aliud Ptolemæi Græcum longè huic dissimile, penes nos habemus.* Cùm hæc, inquam, legerit, & me nihil non apud te posse sibi persuadeat, desiderio Kalendarii Ptolemaici Græci genuini incensus, vehementer institit, ut apographum à te impetrarem. Puto paucarum pagellarum rem esse: Vide itaque, quid tibi faciendum censeas: Etsi enim amico magnopere gratificari cupio, tamen nihil præter commodum tuum volo: Sed magna in humanitate tua spes est. Vale. Augustæ Vind. XV. K. Nov. An. MDCVI.

XLIV.

NIsi tu joco quereris, ego quod seriò mirer, habeo; quid tribus meis epistolis factum sit, quas ab autumnalibus nundinis ad te scribere, & homini expertæ fidei Casparo Quingetto Amstelrodamensi, omnes commendare memini. Itáne fieri potest, ut iis itineribus misellæ periclitatæ fuerint; quibus millenæ aliæ quotidiè tutò commeant? Vandermylij ergo operam experiamur, feliciori spero successu; quod is se ante mensis hujus exitum, ipsum ad vos cogitare scripserit. Francofurto nonnihil litterarij mercimonij allatum vidimus, cetera in dies expectamus; etsi profectò inter ea, quæ allata sunt, jam quæ nollemus, vidimus: sed utinam coram colloquendi facultas esset. Quod Vulcanium strenuè in Procopio laborare significas, beasti Hœschelium; & est sanè auctor dignus, in quo Agathiæ interpres nervos intendat. De patris in animalium historiam curis, tu quidem salivam moves; sed omnis spes intercidit, postquam te vestris Catonibus non contentum esse, alios typographos quærere ostendis. Quid satis est, cui Roma parum? quæ officina satisfaciat, cui Plantiniana sordet? nam de Bassoniana tecum propemodum sentio. Operis de emendatione temporum utriusque editionis ea majestas, ut cui Raphelengij domi sunt, foris typographum circumspicere non debeat. Vale. Aug. Vind. VI. Id. Jun. An. MDCVII.

P. S. *Nicheſolæ* velim ſignifices, te monumenta Scaligeriana dudum accepiſſe, ne fides mea laboret; nuper enim quid iis factum ſit, quod litteram nullam unquam à te acceperit, quæſivit. Vandermylio in eo, quod meo nomine à te petet, ne te difficilem præbeas, rogo.

XLV.

QUid Praga de cœli facie ad me perſcribatur, in ſcheda leges; noſtri hic Mathematici ſomniculoſiores, nihil hujus adhuc obſervarunt, ſed obſervabunt, à me moniti: quid veſtri ſentiant, fac, quæſo, ſciam. Procopium te ex nundinis accepiſſe, ſpero: Mirè adhuc ſterilis ille labor Hœſchelio, niſi longior mora grandius fœnus coquit. Verum pauci Græca intelligunt, & ut non intelligentes, ament, prope ſtultum ſit petere. Heinſius ſi ad vos redijt inſta, quantum potes, ut verſioni manus admoveat; ne ineptus interpres, quod futurum prævideo, eam ſtationem occupet. Vale. Auguſtæ Vind. v. Non. Octobr. An. MDCVII. Vandermylius ante tres quatuor hebdomadas epiſtolam à te ad Cerutum ſcriptam miſit, ea probè curata eſt.

XLVI.

BInas à te accepi epiſtolas, Non. Martij & XI v. Kal. Maji datas; priorem Callipedes, opinor, pertulit: Utrique litteræ ad Cerutum adjunctæ erant; quarum unæ illi jam ſunt redditæ, quod ex reſponſo intelliges, alteræ mox reddentur. Euſebium etiam curabo, ſed occaſio exſpectanda eſt, ob voluminis magnitudinem. Interim Menippea ad Nicheſolam miſſa. De faſtorum inconſtantia, tu ſanè doctè & accuratè; tamen ego neſcio quomodo, lapidi meo adhuc faveo, qui Sept. Getam II. & Plautianum II. Conſules præfert. Subſcriptiones enim legum, numeros Conſulatuum Antonini & Getæ æquantes, meo animo palam corruptæ ſunt, & digitum ad fontem & originem erroris videor poſſe intendere. Cum correctores collegia Conſulum in faſtis ſic comparata reperirent,

Severus & Antoninus.
Geta & Plautianus.
Cilo & Libo.
Antoninus & Geta.
Albinus & Æmilianus.
Aper & Maximus.
Antoninus & Geta.

Conſulibus, quos aſteriſco notavi, præcipiti conſilio numeros II. & III. aſcribendos cenſuerunt, æque utrisque quod nimirum *Antoninum* primum Conſulatum cum patre geſſiſſe ſcirent, *Getam* cum Plautiano crederent. Sed fefellit homines audaciores quam circumſpectiores, *duos* fuiſſe *Getas Conſules*; Severi

fratrem

fratrem alterum, Plautiani ſcilicet collegam, alterum Severi *filium*, Antonini utroque Conſulatu collegam; itaque numeros inter patruum & fratris filium non rectè continuari. Ejus rei etiam alij lapides admonere poterant, in quibus Antoninus Aug.II.cum Sept. Geta Nob. Cæſ. nullo adſcripto numero, hoc eſt, tum I.Conſule, & Antoninus Aug.III.cum Sept.Geta Cæſ.II. comparantur, numeri nusquam æquantur. Adde tot *nummos*, quibus Geta Aug. Trib. Pot. III. adhuc Coſ. II. *ſcribitur*, Et *inſignem* unum *Philippi Fuggeri*, quo Trib. Pot.IV. Coſ.II. Deſ.III. ſed tertium Conſulatum ne iniret, fratris ſcelere effectum eſt. Getæ patrui Spartianus non ſemel meminit, ex quo *Cuſpinianus primùm diſtinctionem obſervavit.* De priori ejus Conſulatu, quandoquidem lapis *bis Conſulem* fuiſſe oſtendit, nihil præterea habeo, ſed Suffectorum infinitus numerus excidit. De gemma multa me doces, quæ cum primum vacabit, penſiculatè examinare eſt animus. Pro Satyra gratias habeo. Judicium aſcriberem, niſi dudum certum & conſtitutum haberem, polemica hæc nulla ex parte attingere. Vale. Auguſtæ Vind. Prid. Id. Majas An. MDCVIII.

XLVII.

EGo verò non unum patris tui panegyricum, ſed & reliqua, orationum atque epiſtolarum avide evolvi. Sic ſoleo Scaligeriana. Quarum ne qua mihi elabatur pagina, planè cautio eſt. Itaque valde te amo de munere. Verùm carmina, quæ Agrippinates dedere, an agnoſcitis? mone quæſo, ne alienum tollamus pro legitimo. Merulæ quid factum, ne hariolari quidem poſſum, à quo & publicè & privatim tam diu nihil compareat, cum utrumque exſpectaremus. Privatim reſponſum debebat. Publicè geographicum illud grande opus. De quo quotidie quærendo, quidam qui me illo amico uti putant, tantùm non enecant. Ego præter mirari, quod reſpondeam nihil habeo. Quæcunque eum cauſſa moratur, facile ſciamus. Et ſi nulla tabulæ itinerariæ explicandæ hîc ſpes ſupereſt, iſtud quoque ſciamus. Sane meliora omnia & ſpero & voveo! ſed tam diuturnum tamq; obſtinatum ſilentium quî non ſuſpectum ſit? ſaltem ſalutem tu ejus nomine aſcripſiſſes, ne plane ad ſilentes abiiſſe, quod abominor, neceſſe haberemus ſuſpicari. De catomo, nihil, quod contra jam moveam, habeo. In Toliſto-Bojis conjecturæ, quam Caſaubono probari video, non favere non poſſum, ita multa concurrunt, quæ tamen te diſſentiente nunquam ſatis firma exiſtimabo. Quàm ridicula pleraque populorum etyma, nec ipſe ignoro, neque quisquam eſt, qui æquè ad Becceſelena nauſeet. Sed niſi fallor, alia eſt Toliſto-Bojorum ratio. Multa erant præterea, quæ ad tuas reſcri-

Digitized by Google

berem; ſed tempore excluſus neceſſariò ad proximas rejicio. Hoc unum, quod in ſcheda leges, amicus meus, cetera vir bonus, ſed ex illorum genere, qui, quod volunt, valde volunt, quin ex te quærerem, excuſari non paſſus eſt. Vale V. Illuſtris, & me inter homines tui cultores amatoresq; cenſere perge. Merulæ, ſi apud vos eſt, multam ſalutem. Multam item Meurſio. Cui ne ſcribam, ſatis cauſſæ eſſe exiſtimo, cum munera mea Calvi ad Catullum comparet, ita enim ejus litteræ loquuntur, quas Vandermylio coram oſtendi, ne ſcriptio quidem grata accidere poterat. Ille fortaſſe aliò ſcripſit: Interim. Porci illius Patavini quem dicis, nihil unquam ad nos. Et an Verres hic dignus iſto Hercule? nam & te tacente, qui fidem adhibeat; niſi ſui ſimilem reperiat neminem. Auguſtæ Vind.

XIX. Kal. Jul. An. MDC.

MARCI

MARCI VELSERI EPISTOLÆ

AD JUSTUM LIPSIUM,

EX BIBLIOTHECA HVGENIANA.

I.

Viro Clarißimo & Præſtantißimo Juſto Lipſio, *Domino & Amico meo obſervando. Lovanium.*

NEmo bonas litteras amat, qui te non colat. Solus ego ceſſator. Manu quidem & ſtilo hactenus, non animo. Quem tui, Vir Chariſſime, amantem obſervantem diu habeo, & promere, ſæpe fuit impetus. Pudor frænos injecit. Quomodo ignotus ad Virum tantum, præſertim nulla occaſione ſubnixus! Eam nunc deniq; videor probam nactus, ideò lubens arripui. Has ſchedas inſpice, ſunt ex antiquo autographo, ſingulares iſtius generis ſuperſtites reliquiæ, multa hactenus nõ viſa non audita proferunt, optimam veſtræ Belgicæ & Bataviæ partem deſcribunt. Quibus nominibus tibi acceptas futuras, non ſpero, ſed planè ſcio ex meo ſenſu. Quam cupidè enim exoſculer, ſi quod ſimile monumentum Germaniæ, aut Rætiæ & Vindeliciæ noſtræ ſe aperiat! Affectus ergò mei in te indices cape, & eum mihi cum multis hujus oræ communem ſcito. Neſcio enim quomodo, quod ille de virtute dixit, amicis inimicis æquè amabilem eſſe, geminum ego hic quotidie experior, quidquid à te litteratum prodit, omnes, non litteratos tantum, ſed nos illiteratos etiam mirificè tenet,

tenet, in tui amorem & admirationem rapit. Explicationes tibi probari valde velim, sed ut eas minus, consilium certè editionis schedarum probabis, quas adeò gratiosas apud eruditos futuras auguror, ut nonnihil favoris inde in explicationes sit dimanaturum. Reliquum, ambitionem meam in primo isto officii limine fateri, ea persuasit, tuas hac scriptione posse elici. Cogita, an tanti putes, me profecto eximio beneficio devincies, à quo tibi promitte, quidquid ab homine tui studiosissimo proficisci potest. Vale. Augustæ Vind. Prid. Kal. Mart. An. MDXCI.

II.

S. Me ante aliquot dies ad te scripsisse, Vir Clarissime, ex Viviano cognosces. Amor & observantia, quam tuæ virtuti & doctrinæ debemus omnes, à me impetraverat. Etsi difficulter: Subverebar enim, ne molestæ & impudentes viderentur interpellatrices, litteræ ab homine ignoto profectæ. Ac sustinuissem me, nisi impulisset occasio, quam tibi probandam sperabam. Schedæ sc. itinerariæ, quas ex antiquo autographo, singulari hujus generis superstitis monumento, si tamen superstes est, deformatas, publicas feci. Hæ cum pleraque invisa inaudita proferant, multam Belgicæ & Bataviæ vestræ lucem inferant, quin facile aditum exoraturæ essent, dubitare non poteram. Conciliatrices itaque blandiusculas præmisi. Sed ecce in manus prædonum incidisse audio, quibus vel hoc nomine malè sit, nec an postliminio in libertatem vindicandæ, constat. Quid ego facerem? Quando ardor ille tibi innotescendi non defervet, sed --- crescit in horas, aleam semel frustra jactam, visum repetere. Tu sive constantiam, sive pertinaciam, in tuam amicitiam penetrandi, recti consules, sanè si doctrinam humanitas æquat, & me saltem in extrema tuorum cera scribes. Nam sic omninò accipe, qui de scriptorum tuorum præstantia acutius me uno judicare queant, multos esse, qui te plus ament & admirentur, neminem. Vale Vir præstantissime. Aug. Vind. Pr. Non. April. MDXCI.

III.

S. Serius respondeo, non mea, tabellarii culpâ, cujus negligentia factum, ut tuas, Clarissime Lipsi, ante non multos dies acceperim. Amorem, quem spondes, amplector exosculor: quando ita à juventute institutus sum, præcipuum vitæ fructum in eorum benevolentia positum existimare, quorum virtutem & doctrinam inprimis mirarer. De Vellejo gratias ago: næ tu in rependendo promptus & largus. Neque censuram, neque elogium expectas; sed verbo dicam, eo loco hic apud nos, quo tua omnia, summo. Lazii fragmentum de bello in Suevos, quam rectè divinasti nugas? Vulgatum tamen aliquoties admiratores invenit. Et verò digladiantur etiam, an Cisara Augusta nostra,

an

an neſcio quod in vicina Bajoaria oppidum. Ego multis argumentis conjicio, narrationem totam luſum eſſe hominis malè feriati, qui Caroli M. aut Othonum tempore ſcripſerit : non multo recentiorem indicio Urſpergenſis & Friſingenſis, qui ſe famâ jam tunc vetuſtate inolitâ niti ſignificant : etſi Friſingenſis Varianam cladem interpretatus, quod multi imperitè ſequuti. Habes in ſcheda fragmentũ, & notas inter exſcribendum natas : inſpice, ſi tanti putas, & juva nos qua potes. Debes profecto : quandoquidem Vellejum ſemel illuſtrandum ſumpſiſti, tuâ intereſt, ne quid illi adulterini aſſuatur : noſtrâ, cum res Vindelicas præ manibus, & hoc ulcus tangere neceſſum habeamus, ſectionem tibi potiſſimum peritiſſimo chirurgo committere. Lazius hic deridiculo, non præter morem. Verè & medicè de homine medico medicus ſcripſit, ingeſſiſſe multa, digeſſiſſe pauca. Librum in Dialogiſtam vidimus, & legimus cum voluptate, execrati adverſarii impudentiam, dementiam, impietatem. Si vetus de te ad nos rumor, utinam autem verus, erit quod Diodoris acrius doleat, illi ringantur, boni omnes ſibi gaudeant, tibi gratulentur. In quo omine deſino, tu ratum præſta, ita te æternum ſalvum ſalus. Auguſtæ Vind. XVII. K. Junias. MDXCI.

IV.

ERuditionem in te, Clariſſime Lipſi, dudum amavi : humanitatem, ex quo tempore priores tuas accepi : nunc etiam pietatem, cum, quod antea rumor attulerat, animo tuo interiorem quietem & ſecuritatem partam, ex te intellego : Amorem tot acceſſionibus auctum perpetuum ominor, ſiquidem Funiculus triplex difficile rumpitur. Tu verò macte hac felicitate, quam tibi non ego unus, ſed quotquot hîc tui pietatisque amantes vivunt, gratulantur. Ut enim ille de virtute ait, ſemper eſſe amabilem, ſed gratiorem in pulchro corpore, ſic habet pietas, ſibi ſola ſatis, non tamen eſt, quin litterarum ſplendore mirificè illuſtretur, nec omninò ulla rebus humanis utilior poteſt accidere conjunctio. Utinam tibi Deus mentem injiciat, velis hujus tuæ in rem Chriſtianam voluntatis publicum extare teſtimonium, magno multorum bono, *non* fallor, fiat : haud ſanè quod te fidei noſtræ capita aut certius, aut uberius, aut ſubtilius, quam alii fecerunt, tractaturum exiſtimem, ſed quod aliquos, qui ut Theologorum ſcripta attingant, nunquam perſuaderi poſſent, auctoritas & exemplum, alios orationis tuæ ſiren, nihil blandior, in rectam viam ſint deductura. Ubi tu porrò rectius operam colloces? Nam ut neſcio quibus Chronologis & Weſtphalis, ineptiſſimis hominibus, reſpondere inducas animum, eisque vel horulam largiaris, ſcio non facies. Oratione, quam de B. Virginis Mariæ laudibus à te habitam audivimus, fortaſſe id argumentum attigiſti :

gisti; quicquid est, ne quæso nos cela, qui omnia tua suspicimus, ut etiam litterulas inter cimelia condamus.

De Etrusca conditione rectè deliberabis: multum litteræ & litterati Mediceis debent, fatendum est, At vix scio, an præter unum aut alterum, Mureti inprimis, plura transalpinorum hominum exempla sint obvia, quorum Ingeniis in Italiâ invidia & ambitio Italorum non obstiterit. Pseudo-Velleiana te mecum damnare video, nec præter opinionem.

In Cæsarem, Livium, Florum, & Cæsareos scriptores, hoc est, in omnem Romanam historiam, quæ promittis, utinam quamprimum repræsentes: magni alicujus Medici opem, multos infeliciter experti, diu est quod isti flagitant. In Spartiani Caracallâ quærebam, quid sibi hæc vellent, Circa Rætiam non „ paucos barbaros interemit: militesq; suos quasi Syllæ milites „ cohortatus est & donavit. Quæ est ista tam eximia Syllæ co- „ hortatio & donatio, quam respexit, doce nos; quæ apud Sallustium & Appianum de Sylla legimus, huc vocare, frigidum opinor, peculiare quid voluit Spartianus. Vale, vir præstantissime. Augustæ Vind. x. Kal. Febr. An. MDXCII.

V.

MItto tibi, Clarissime Lipsi, speciem abaci ænei antiqui chartulâ expressam, quæ se commodum obtulit, cum neque tuarum desiderium jam diutius ferre, neque eas præterquam scriptione possem elicere, & intelligerem esse hominis aut impudentis, aut imprudentis & sanè importuni, inani scriptione cujusquam otium interpellare.

Scis ductis lineis & positis calculis rationes nunc vulgo subduci, eo propemodum abaci usus recidit, sed viâ, uti vides, diversâ, nescio an simpliciori & expeditiori, quam valde velim firmari verbis scriptoris alicujus veteris, probi. Horatius,

Lævo suspensi loculos tabulamq; lacerto,

Parum huc opinor facit. Tu cogitabis, nos docebis, & quod unicè cupio, amare perges: nam ut amicitiæ nostræ memoriam etiam ad posteros propages, etsi inter prima in votis habeo, præ omnibus æris marmorisq; monumentis æstimaturus, vereor tamen ne improbum sit petere. Communis amicus Vivianus nescio quid de face historica indicabat; An id est, quod ad me scripsisti te in Cæsarem, Livium, Florum, Spartianum, & reliquos Augustæ historiæ scriptores meditari? Sive hoc, sive aliud, ne, quæso, differas, sed rem litterariam quamprimum isto quoque splendore illustres. Valè. Augustæ Vind. VI. Id. Mart. An. MDXCIII.

Abacus



Abacus æneus eſt, forma & magnitudine, quam chartula exprimit. Foramina ſcilicet, ordines ſive alveoli, in ſuperiori parte octo, totidem in inferiori parte. In ſuperioribus ſingulis alveolis ſinguli ſunt claviculi umbellati, ſive capitibus latioribus, ita ut hinc inde moveri queant, nec tamen excidant. In alveolis inferioribus ſingulis quaterni ſunt ſimiles claviculi ductiles & umbellati, præterquam in alveolo ϴ. ſignato quinque claviculi ſunt: rurſus in tribus alveolis, qui extra reliquorum ordinem, in duobus quidem s. & ɔ. notatis ſinguli ſunt claviculi, in 2. verò duo ſunt. Claviculi itaque in univerſum XLV. omnes mobiles. Parte adverſa characteres inſcripti, quos dixi ϴ. s. ɔ. 2. Dein numeri I. X. C. ∞. CCIɔɔ. CCCIɔɔɔ. IxI. parte averſa nullæ notæ, claviculi tamen, quod neceſſe eſt, hinc quoque in alveolis conſpicui: ad angulos quatuor lunulæ paullo craſſiores, & magis quam claviculi extantes, annexæ ſunt, hæ abacum ſuſtinent, ne claviculorum uſus impediatur.

Uſus videtur fuiſſe hujusmodi, ut in XIV. alveolis, quibus numeri ſub vel ſupra ſcripti claviculi inferiorum alveorum ſinguli tot numeros, puta aſſes aut ſeſtertios notarent, quot character interjectus: ſuperiorum verò claviculi uno amplius quam inferiores claviculi ejus alveoli omnes. Quo poſito facile eſt intelligere, quomodo ductione claviculorum, quibus I. interjecta eſt, exprimerentur inferioribus omnibus quatuor, ſuperiori unico quinque, itaque collectim novem: fuerit addendus decimus, reducebantur hi claviculi, & movebatur primus inferioris

alveoli x. deinde ſecundus, tertius & quartus ad XL. uſque, ſuperioris alveoli claviculus addebat L. ut colligerentur XC. Deinceps in centenariis, millenariis & reliquis par ratio. Alveolus Θ. inferior quinque claviculos habet, totidem uncias ſignificantes, uti videtur. Jam ſi ſuperior una amplius, ſex nimirum uncias denotat, conficientur XI. unciæ, & ſi duodecimam adjicere voluerimus, reducemus hos claviculos, ducemusq; unicum inferioris alveoli I. quem integrum aſſem eſſe diximus. Idem uſu veniet in ſeſtertiis, ſiquidem XII. aſſes pro ſeſtertio accipimus, nam hic variatum. De alveolis s. c, 2. parum liquet, neque eorum uſum adhuc recte aſſequor.

VI.

S. Caſui, Vir Clariſſime, quicunq; ille fuit, qui priores tuas intercepit, admodum iraſci non poſſum. Etſi eas ſanè ſalvas, te moleſtia iterandi toties eadem caruiſſe vellem, mirificè tamen amoris conſtantia delectatus ſum, quam tertium repetita ſcriptio, non niſi deperditis prioribus litteris exercuiſſet. Quid quod diuturnum etiam ſilentium excuſas, & ſuſpicionem culpæ minus fidè cultæ amicitiæ purgas: ne vivam, ſi quidquam legi hoc anno ſuavius, amabilius, ipſa charta, ipſi litterarum characteres benevolentiæ auram redolere videbantur. Reperi tamen in tanta ſuavitate, quod me morderet, adeò nihil ſinceræ voluptatis largitur hominibus Deus. Vidi enim te manifeſtis amoris & benevolentiæ ſignis in me editis immenſum detrahere fidei ſententiæ, quam de libris meis rerum Auguſtanarum tulisti perhonorificam; neque ego profectò, qui mihi malè nimis ſum conſcius, jùdicium iſtud unquam jactare auſim, in quo jus gratia flexum eſſe omnes intelligant. Romanam militiam ex Polybio avidè expectamus, fila item aliqua facis hiſtoricæ, quando te eam per partes daturum ſignificas. Sicubi noſtro nomini locus pateat, ut poſteris inde conſtet, me inter Lipſii amicos numeratum, id ex animi mei ſententia ambitioſis quorundam titulis longè anteponam.

A Fulvio Urſino duas inſcriptiones bene veteres Romæ nuper erutas accepi, quas ad Ortelium mitto, ea lege, ut tecum communes habeat. Vale, mi præſtantiſſime Lipſi. Auguſtæ Vind. XI. Kal. Jan. An. MDXCIV.

VII.

AND. Schottus hac tranſiens me humaniſſimè complexus eſt, adeò profectò, ut qui ejus amore jā antea incaluerim, nunc ardeam medullitus: is cum abiens nunquid ad te litterarum interrogaret, ſe enim recta in Belgium ire, viſum piaculum, negare. Et verò commodùm in manibus erat Nicolai Serarii, qui Herbipoli vivit, epiſtola, & in ea hæc de te verba: In eo ipſo Macha-

bæorum

bæorum libro ſunt id genus non pauca, quorum unum vel alterum Domino Lipſio, quem in iſta antiquitate facio plurimi, propoſui. Autumnus erat, hyems abiit, nobile lanigeri ſydus, quod cuncta ſequuntur, exſurgit, necdum tamen à Phœbo illo radiolus. Novi, adeoque, ubi ipſemet minimè ſcit, non ſemel, ſummam hominis humanitatem expertus ſum, ita ut vel ad eum meas non perveniſſe, vel occupatiſſimum eſſe ipſum ſuſpicer. Vales, & merito, apud ipſum auctoritate, tibi enim pæne plures quam Gallico illi Herculi catenæ. Rogo mihi ab eo, ſi qua ipſi fraternitatis & cognationis ejus, quæ lib. 1. Machab. cap. 12. v. 21. ſcribitur, veſtigia uſpiam notata, impetres. Iis quæ habeo non plura, ſed expreſſiora & certiora deſidero, neque quin habeat ambigo. A Prienenſi Mandroryto non eſt quod caveat, ut aliud mihi ſim, ſanctum tamen Hieronymum libenter audio, qui neſcio quem laudat, quod quæ à quibus didiciſſet, ingenuè profiteretur, & hodie meo in Paullo legebam, Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem, honore invicem prævenientes. Sed egone ſatis pudens, qui tibi alieno etiam nomine negotium pergam faceſſere? Sic eſt, mi Lipſi, Serarius me à te amari exiſtimat, & mihi hanc illi demere opinionem cautio eſt, quid facerem? Audaciæ apud te periculum adire eligo, tu ad me deterrendum, vel doctus minus, vel minus humanus ſis oportet. De rerum noſtrarum ſtatu, Schottus fortaſſe aliqua coram; qui tibi adveniet ſpoliis utriusque Heſperiæ onuſtus, nam & nobis theſauros ſuos hîc explicuit. Vale dulce decus meum. Auguſtæ Vind. Prid. Non. Jun. An. MDXCVII.

VIII.

VAletudo tua mirificè me ſollicitum habet. Si jam confirmata, quod Deum omnibus precibus oro, quæſo, fac ſciam, ſaltem per amicos, Schottum aut Ortelium. Admiranda, crede mihi, in deliciis ſunt, omnibus, etiam iis, quos ab his litteris non putes tangi. Sed hic eſt librorum tuorum genius, livor audiat licet, ſine compare exemplo. Auguſtæ Vind. IV. Id. Jan. Anno MDIIC.

IX.

SDiu eſt, Vir Clariſſime, quod manuum hoc officio inter nos ceſſamus, neutrîus credo culpa, dum tu quidem arbores ſeris alteri profuturas ſæculo, me meæ etiam occupatiunculæ diſtinent: Animis interim utrimque calentibus, nam de meo, ipſe mihi ſum rectè conſcius, tui, ſtricturas in litteris ad amicos vidi. Et caveſis credere, mi Lipſi, me ſuaviorem ullum in hac vita putare fructum, quam amari à tui ſimilibus. Significavit Ortelius, quid de cadavere apud nos nuper invento, deq; conjectura noſtra reſcripſeris. Ea Urſino planiſſimè arriſit. Ego recipio

cautionem, qua tu de antiquiſſima vetuſtate excipis, quod tum corpora uri, non humari ſolita; neque Corneliorum & Marii exemplis, aut ſi qua ſunt priva alia ejus generis, contra pugnem: ſed recentius ævum, poſt deſitam demum uſtrinam, ultro tribuam, Romanum tamen. Vidi, qui huic mori terminum in Antoninis figerent, neſcio quam firmis argumentis nixi, & num non credibilius, quod de cetero fere fit, exoluiſſe paullatim. Omnia profectò dubia, verum hariolari liceat; cum Aurelianum rem in Vindelicia geſſiſſe Vopiſcus ſcripſerit, & Zoſimus multa Alemannorum millia iis locis ab eo cæſa indicet, quid vetet militem interpretari, qui eo ipſo bello fortiter fecerit, abq; imperatore donatus fuerit? Niſi tibi ſanè hæ nugæ ſunt, quod vereor. Admirandorum tuorum mirifico tenebar deſiderio, ut primùm nomen & argumentum inaudii, id deinde Schottus noſter in immenſum adhuc auxit, qui illis dilaudandis, legit enim quæ typis hactenus deſcripta, ad quartum opinor librum, ſibi ipſi non ſatisfacit. Urge, quæſo, typographum, ne ſpem noſtram ultra nundinarum tempus trahat. Vale dulce decus noſtrum, & me, quod te ſeriò obteſtor, amare perge. Auguſtæ Vind. XII. K. Februarij Anno MDIIC.

X.

SEriò profectò amas me, Vir Clariſſime, qui quantumvis æger, ſcribere munusq; mittere ſuſtines. Breviores illæ tuæ ſolito, nihilo inſuaviores; quam putas me affecerunt extremæ duæ voculæ, Ama & reminiſcere! ſupervacuæ eæ quidem, ſi rem ſpectes, indices ſunt, imo teſtes, affectus in me calentis, quem juxta amo, & ita me Deus juvet, admiror. Librum aſpexi, nondum totum legi, neque per tempus potui, ſaltuatim quædam, quæ ipſa me multum docuerunt. Judicium ne expecta, non à me, non à quoquam hominum, olim de Lipſio, deque iis, quæ ille edidit, quæ edet, judicatum eſt. Sed nunc vetor plura, niſi quod unum addo, me pro ſalute tua vota facere nunquam deſtiturum, donec te confirmatum intellexero. Auguſtæ Vind. III. Id. Majas Anno MDIIC.

Tantum Lipſii amorem à poſteritate etiam ſciri, nimis quantum mea intereſt; ignoſce ambitiunculæ, ſiquidem tribus verbis me tam magno bono donare potes.

XI.

SEgetus ad me Patavio VIII. K. April. Totus præ gaudio extra me ſum, ita me beaſti evangeliis tuis. Lipſius ad nos? ô diem lætum! ô diem feſtum! ô diem exoptatum! ô diem! ô diem! Quando ego tibi vicem rependam mi Velſere? Lipſius in Italiã? Bene illi; bene tibi, bene mihi, bene Reip. Quidni enim in tanta lætitia propinare liceat? Dii viales adeſte eunti, adeſte redeunti,

Antonius

Antonius Possevinus etiam, à quo hæ litteræ, magnum tui desiderium ostendit. Quod te scire volui, ut expectationem hominum tibi eo minus trahendam existimas. De nostro opinor animo nihil dubitas, certe non debes. Vale. Augusta Vind. Prid. K. April. An. MDIC.

XII.

O Gravem autumnum, qui omnem æstatis spem intercipit. Nam nos quidem te manibus tantum non tenebamus, intuebamur, alloquebamur, complectebamur, ita superiorum mensium litteris persuasi. Et ecce à Schotto, Lipsius de consilio profectionis Italicæ, nutat. Ne quære, quam perculerit, sustentabamur tamen, quod amici Româ nunciarent; amplissimus inprimis Dietrichstenius Cardinalis, certum ibi tuum adventum haberi, esse admotas à viris magnis machinas, à Cardinale præsertim Sfortia, quæ vel invitum pertrahant. Cum alteræ à Schotto, tinniente illa littera, quam tu vocas, in mugientem male saginatâ, Lipsius mutat. Caussa, sive invaletudo, sive quod omnes, etiam ingratiis in Italia retinendum augurentur, sive adventus Principum ex Hispania exspectatio. Quicquid horum, graves te in constituendo caussas sequutum, profectò nullus dubito, illisque etsi ignoratis facile assentior, hactenus ut approbem, ut sine doloris sensu, qui potest? neque tu postules mi Lipsi. Feremus igitur, & nos tuo amore consolabimur, quem, si mihi quidquam credis, multorum Principum magnificis pollicitationibus meritò ante ferimus, quod & hoc ævum & omnem posteritatem scire cupimus, neque non fiet, si mihi pars æqua amoris tecum. Quod commodo tuo velim, interdum vel per Schottum fac intelligam, quid rerum agatur, quid sub manu habeas, quid vetus; quid novum, primum secundum, publico dare pares, mirificè enim, ita me Deus amet, de te loquendo, cogitando, legendo recreor. Tabulæ itinerariæ me interpretem reperisse spero, ne nimirum diutius edita inedita maneat. Vale Augustæ Vind. Kal. Septembr. An. MDIC.

XIII.

BEne Schotto, quo sequestro crebræ inter nos salutationes commeant. Sed num se iis noster sustentet amor? Credo, ut est quotidianorum officiorum usus. Nunc, quoniam grandis caussa incidit, non magis feram vicaria manu tibi gratulari, quam alienum animum meum gaudium gaudere patiar. Ego verò tibi ipsus illum diem seriò gratulor, qui, ut non unus neque ex una Belgicæ civitate litteris ad me perlatum est, tibi pulcherrimus illuxit, quo Sereniss. Principes, ut te orantem audirent, & quidem imparatum, scholæ vestræ tecta subire non dedignati sunt, eo successu, ut recedentes beneficium accepisse non dedisse vide-

viderentur. Apage Pompejos, apage Posidonios; alia erat illorum temporum ratio: hæc ætas, si omnia circumspicias & expendas, nihil profecto vidit simile. Nos non tuam tantum, sed litterarum vicem lætamur universè, quibus privata virtus hunc tantum honorem publicè exorarit. Perpetuas in Senecam notas eo expectamus animo, quo tua omnia, intendit desiderium Senecæ nomen, quod mihi ab usq; fere pueritia inter charissima, tum etiam expecto, an ego tibi de pilicrepo ineptisse videar. Vale, V. Præstantiss. & hominem tuo amore non indignum, siquidem amorem amor meretur, amare perge. Augustæ Vind. VII. K. Febr. An. MDC.

XIV.

EN fasciculum à Puteano tuo. Ego de facilitate mea quod tibi querar habeo. Dum amicis panegyricum ambitiosius ostendo, & legendum petentibus satis firma fronte negare non sustineo, ipse eo careo, ille per aliorum manus, perq; vicinas etiam urbes vagatur. Interim, quæ legi & intellexi, sunt sanè præclara, haud dubiè item reliqua. Et immortali nos beneficio affeceris, si perpetuam hanc in Seneca operam præstiteris, cum præsertim multa in eo auctore adhuc jaceant, non alio quàm Lipsiano acumine erigenda. Dissertatiunculam, quod te tamen facere video, cave extenues. Quod in illa verbum, judicij & prudentiæ non plenissimum? quæ ego in omnibus tuis scriptis, ita me Deus amet, supra etiam ingenium & eruditionem, quamvis utraque summa, admirari soleo. Me non blandiri, ipse mihi conscius sum; tu si candorem istius pectoris noris, credas. At brevior est, quam pro majestate tantorum Principum. Nimirum expectabant Phormionem aliquem, qui aliquot horas de ipsorum officio, & omni ratione Reipubl. Belgicæ copiosè disereret. Quod isti vellicant, mihi prima laus habetur. De imagine, gratias habeo. Ea jam in aliquot exempla, hîc, in Italia multiplicata est. A me, quando pro tua modestia cautum voluisti. Artifices etiam nostri publicabunt, addito emblemate, quod quantumvis illustre & magnificum, nemo nisi iniquus abjudicet. Nuncius de clade ad Ostendam, nos nuper mirificè perculit. Erexit rursus Principis incredibilis, etiam ab inimicis, quorum litteras legimus, laudata virtus, & supra fortunam animus. Verissimè elegantissimi poëtæ illi elogium subscribetur,

Fù per dente, e vincente, e nelle averse
Fortune, fù maggior, che quando vinse.

Omnia hoc Duce Belgis sperare licet. Spem Deus firmet. In quo voto finio. Te, præstantissime Lipsi, precatus, ut tuum in me amorem velis esse perpetuum, quod eo vehementer recreer. Vale. Augustæ Vind. XIV. K. Aug. An. MDC.

Schon-

Schondonchus proximè innuebat, forte brevi futurum, ut Delrium, cujus Orientium legimus, complecterer. Quod profectò magnopere cupio, sed si apud vos adhuc est, officiosè salveat.

Photius absolutus est, ipse quidem. Lucem ei appendices adhuc invident. In Geographicis dabit Hœschelius noster ad nundinas, quædam Scylacis, Artemidori, Dicæarchi, Isidori, Marciani.

Et hoc pæne fugerat, quibus ostenderim imaginem, gratulatos esse melioribus literis, Lipsium juvenescere. Sic enim planè visum, cum ea contendentibus, quæ ante annos opinor XIII. publicata est.

XV.

IConem nuper promissam habes. In qua artificis affectum probes, præquam quod manus effectum dedit, opinor. Delium suavissimum hominem his diebus complexi sumus. Visit enim nos de via, & confirmandæ valetudinis caussa aliquantum hîc temporis substitit, etsi videbatur festinare. Multa inter nos confabulatio, de rebus vestris publicis, de tuis item privatis. Unum gratissimum fuit audire, te difficillimis quibusq; senecæ absolutis, jam ad epistolas emersisse, quæ ut magna, ita planissima & expeditissima sit pars totius operis, neque dubitandum, quin brevi Latinum philosophum, tuo labore multis modis & meliorem & illustriorem, simus habituri. Plinii nuper me locus exercuit, de quo, nisi melioribus occupationibus tuis parcerem, te lubens legam judicem. Est libro XXXVI. cap. XII. de pyramidibus in hæc verba, *Ampliſſima, octo jugera obtinet ſoli, quatuor angulorum paribus intervallis, per octingentos octoginta tres pedes ſingulorum laterum.* At nisi me omnes rationes fallunt, area quadrati, cujus singula latera sint DCCCLXXXIII. p. erit jugerûm ultra XXVII. Itaque eo fere prolabor, ut Plinium aliquanto plus scripsisse, quàm intellexisse existimem. Quod ne isto loco suspicari temerarium videatur, facit ejus tot aliis incogitantia. Plures in pyramidum historia authores sequutus est, proditis etiam nominibus. Primus Herodotus, maximæ pyramidi octo plethra tribuit, alius eorum qui deinde XI. sequuntur, opinor, DCCCLXXXIIII. aut ut quidam codices habent, & quæ meo sensu sanior lectio, DCCLXXXIIII. Has ergo sententias Plinium ita confudisse existimo, ut unam ad modum areæ, alteram ad lateris mensuram imperitè conferret. Cum Herodotus plethris certè latus mensus sit. Familiare autem Latinis, etiam optimi sæculi, jugera, quamvis tanto majora, pro plethris reddere. Sic enim Lucretius, Virgilius, Tibullus, Ovidius, Higynus, novem Tityi apud Homerum plethra, totidem

jugera interpretantur. Mela rem propius attigit, *Maxima, tres namque sunt, quatuor fere soli jugera sua sede occupat, totidem in altitudinem erigitur.* Hero quippe Mathematicus, duo plethra unum jugerum conficere scripsit, quod & ipsum tamen rotundè magis quam vere dictum. Sed refert præterea observare, quod Plinius *octo jugera obtinet soli*, Melam eadem phrasi scripsisse *quatuor fere soli jugera sua sede occupat.* Cum interim ex comparatione ad altitudinem constare possit, Melam longitudinem lateris haud quaquam soli superficiem intellexisse. Verum, ego longius, quàm constitueram, progredior. Vale Vir Præstantiss. & ama amantes. Augustæ Vind. Idib. Septembr. An. MDC. Litterulas Sassenati inscriptas Pinellus Patavio misit.

XVI.

ECce ineptias, quod dolenter addo, Italicas. O nationem, cui ego judicii laudem attribuere solitus! Sed hoc nimirum est, quod vulgari monemur proverbio, generosissima vina in mordacissimum acetum corrumpi. Nisi quod isti fæces quàm acetum verius. Neque enim obscurum qui coituri sint. Si tamen tam stultum consilium ullo unquam tempore successum habiturum. Utut erit, te hæc quamprimum scire, tua interesse censui. De Seneca, omnes qui istinc scribunt, bene nos sperare jubent. Ego verò quoties rei molem cogito, fidem quantumvis volens, illis accommodare vix possum. Interim promissam epistolarum chiliadem, quod vel nullo, vel exiguo tuo labore fieri possit, expleri desideramus. Vestam vidimus; in tantillo libello tantam bonarum rerum mirati copiam. Itali, si viri sunt, nodum quem tu in eo nectis, solvant. Vale. Et me etiam silentem amare perge, nam quod nuper ad Schottum scripsi, inanes litteras, nisi quid incidat, quod vel tua vel mea intersit, mittere non placet. Augustæ Vind. Prid. Id. Novembr. An. MDCIII.

Robertus Titius Bononia XIV. K. Novembr. MDCIII.

AUdio esse nonnullos Italos, qui de compacto Lipsium adoriri meditentur: scriptumque adversus eum valde acerbum edere cogitent. Ego sane hominem unicè admiror, nihilq; dici posse persuasum habeo, quo ipsius gloriæ vel minimum officiatur: itaque me longissimè ab hac conspiratione abesse volo, ac doleo vehementer has turbas excitari adversum eruditissimum ac modestissimum virum, cujus ego scriptiones magno cum meo profectu assiduè in manibus habeo, quemque omni invidia longè majorem esse autumo, nec is fortasse alienum animum à me sui studiosissimo gerit, cujus etiam rei opinione ipsum ego vicissim unicè diligo,

diligo, inque oculis assiduè fero. Denique ita censeo, neminem à multis annis extitisse, cui nostræ litteræ magis debeant, ut omnis labor in ejus gloria deterenda prorsus inanis futurus sit. Imo verò plurimum inde viri laus adaugebitur, quem totæ propemodum nationes aggredi necesse habent, si de ejus laude quidquam deminutum velint. Invidentiæ non obscuræ indicia sunt hæc; at ea, ut fulmen, non nisi summa afflat. Hoc te scire volui, ne me hujus consilii participem esse unquam suspicari possis.

XVII.

QUandoquidem me seriò & pro amico jubes dicere, Ego tibi valde affirmo, scriptionem Hallensem, tot ingenii luminibus distinctam, omne, omne inquam sine exceptione, punctum tulisse, non unum pietatis; sed à piis. Quæ aliorum sit ratio, ignorare non potes, quos illo spiritu agi, cujus Nicæna secundâ Synodus actione quarta, ex Sophronii limonario meminit, si verum volumus, manifestum est, nihil enim æquè invitis auribus ac Virginis laudes admittunt. Tu contra audentior ito, Et quoniam ad Sichemensem non à me uno vocaris, neque tibi hæ scriptiones graves, ut ais, hanc occasionem bene de cœlestibus merendi, perire non patere. At materies non tam uber. Scriptio sit pro materie, vel epistola, vel commentariolus, quod si Saginare placet, promptum thesis ipsas libare, de miraculis, quod in Hallensi obiter fecisti, de sacris peregrinationibus, de divæ Virginis, & generatim imaginum cultu. Decorè & utiliter à te fiat, lecturis iis, qui omnes aliorum sacras commentationes fastidiunt, Lipsii verò nihil negligunt. Historiam Gallicanam aliquo schemate tangas censeo, cujus aliquando testimonium ad posteros extet, quod de carmine in Jesuitas, cent. epist. ad Germanos & Gallos epist. XLIX. aptè fecisti. Refert enim publicè intelligi Lipsio displicuisse. Vale. Augustæ Vindel. Postrid. Id. Decembr. Am MDCIV.

XVIII.

DIvam Sichemensem accepi, & legi, quam avidè, quanto cum suavitatis gustu, nihil attinet dicere. At tu jejunitatem & maciem argumenti excusas, mihi contra videtur; Hallensi nulla re, nisi temporis longinquitate, & pro ea historiæ modo, cedere. Quam illustre, quam certum, quod nec impudentia factum negare ausit, postremum in Johanne Clemente miraculum? Itaque eo se convertunt, dæmonis esse præstigias, nimirum, *si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus*, & quidem insignitè matrem. Nihil amabilius rejectiuncula ad finem, oppositâ Sannioni Batavo, quam cordatè, graviter simul & argutè, ita me Deus bene amet, exequutus es. Sed facere

non potes, quin eundem honorem adversitori Spirensi, ita ajunt, paullò uberiùs habeas: meretur labor tanta cura exantlatus, non vulgarem aliquam coronam. Scaligerum se tibi de carminibus purgasse, P. Schottus significat, gaudeo. Ut mirè contra doleo, ob ea, quæ in Serarium & Delrium, nihil impotentius dudum vidi, non in iis ipsis, quorum convitiari professio est. Ut fallitur quisquis, impetu ablatus, his artibus famam sive quærit, sive retentat, sive etiam tuetur? Frater an istuc ante abitum ex Belgia excurrerit, subdubito, ita in arctum cogebat tempus reditui præscriptum, aulæ lentitudine vehementer præcisum: hanc qui curtam primus appellare ausus est, supra omnes sycophantas hominibus imposuit. A Mercuriali & Bonciario salutem ascribere jubeor. Bonciarius judicium de scriptis suis à te expectare ajebat, sed nimis misera sit Lipsii conditio; si se omnibus præbere cogatur. An nosti in Italia repertos, qui dentes in Politica tua acuerent, sic, ut rem ad *Inquisitores* etiam deferrent, duobus præcipuè capitibus mixi, ob ea, quæ de Judæis, & quæ de Savanarola scripsisti utrobiq; una aut altera vocula notabatur. Verum amicis facile fuit calumniæ istam nubeculam veritatis luce dissipare. Ut primùm ad me indicium, incalui, & ad hominem magnæ opinionis, qui jam in partes transierat, tanta animi & verborum contentione scripsi, ut jam omnes omnium offensiones pro Lipsio ipse ultrò susceperus videatur. Vale. Augustæ Vind. x. Kal. Jul. An. MDCV.

XIX.

IGnosce, de Lampugnano, indici tuo nondum fidem habeo. Quam enim tenuis Titiani nominis conjectura? magis est, ut quidam contra interpretentur: qui latere velit, nunquam se tam disertè prodat. Adde, quod tam illiberalis perfidiæ flagitium, in homine bonas litteras profitente, mihi sanè nunquam fiet verisimile. Rectè meministi, quæ ego olim Titianis verbis ad te non semel perscripsi, nunc alterius epistolæ autographum accipe, quod commodùm in manus venit. Si certiora argumenta amicus tuus contra habet, manus invitus dabo, neque abstinebo, saltem si tu pateris, quin homini tam impurum facinus in os quodammodo exprobrem, & amicitiam in omnem reliquam vitam renunciem. Lovanium tuum noli tenuare, & delicias facere. Satis novimus Lipsianum Genium: quod tu negas, nundinæ non invidebunt. Sed quid fit Hallensi antagonistæ? quem ego sic impune triumpharenon posse ferre videor, neque capio, quodnam altius consilium calamum contineat. Epistolam Photianæ editioni ornamento futuram, nuper accepi. Et Schotti prudentiam magnopere commendo, qui hanc unam facem, quam innumeras encomiasticorum carminum scintillas prælucere maluit.

luit. Vale. Et fac quod facis, hoc est, perge amare. Augustæ Vind. VIII. K. Febr. An. MDCVI.

XX.

POstquam de Titio scripsi, nihil litterarum à te accepi. Nunc mihi Bonciarium, imò Sebastianum Maccium istum vide: quid id nominis, quid hominis, mihi adhuc, tecum opinor, ignorare licuit: insigniter litteratum Bonciarius ait. Sed planè ejus in te amor, atque adeò, si dicendum, pietas, non tam exempla aliorum, quàm etiam fidem superat. Nam qui maxima tibi quæque coram in os polliceantur, affatim reperias, raros qui parem cineribus affectum præstent, post omnem consumtam ambitionis ostentationem, quod Maccio equidem facere fuit animus. Cujus nisi te, transmissa epistola autographa, certiorem facerem, bis peccare videbar. Vale. Augustæ Vind. XIII. K. April. An. MDCVI.

MARCI VELSERI EPISTOLÆ DUÆ AD PAULUM MERULAM.

XXI.

Salve Vir Clarissime.

CUm te primum geographica meditari intellexi, animo linguaque statim favi, ita me omnia Ennii tui, eruditio, diligentia, judicium pariter delectaverant. Favi autem eo impensius, ne quid dissimulem, quod te antiquitatem spectare animo nescio quomodo conceperam. Itaque Schoppio, me per id tempus forte visenti, auctor fui, de nobili tabula itineraria, tum opportunè manu quodammodo ex diuturna servitute missa, te admoneret, futuram quippe egregio operi magno ad omnia tum subsidio, tum ornamento. Qua de re scripsi ad Ortelium quoque, cujus manibus bene sit. Is respondit, alio te campo decurrere, nostri ævi argumentum esse. Mihi verò in mentem venit, id cujus in ipso intuebar exemplum, fieri posse, ut animo ad geographiam semel inclinato defixoque, plus quam initio proposuisses complectereris, à nuperis ad vetera gradum faceres, & utramque ætatem sumeres illustrandam. In quâ sententia, Ortelio nunc vita functo, confirmor quotidie magis, qui tibi hanc ab illo veluti lampadem traditam, certè relictam ominer. Ne quære quanto cum bono publico, quantaque cum nominis tui dignitate & gloria, horum enim nihil non in aperto est. Ego, ut me tibi totum

aperiam, ſerius & vehemens hortator accederem, niſi quod nonnihil vereor, ne tu, magno ſcilicet tuo jure, hominem peregrinum & ignotum ſubimpudenter officioſum, averſere, resque ſibi ſuas curare, de tuis æſtimandis tibi conſilium relinquere jubeas.

Vice ergò ſaltem indicis fungar, & quod excitando homini laudis occaſionem captanti ſatis ſit, digitum intendam, ubi ejus meſſis multo uberrima. Joannes Moretus tabulæ exemplum his litteris adjunget, juſſi enim ſimul ac abſoluta eſſet ad te mitteret. Ejus te primus aſpectus docebit, quam incredibiles, inde utilitates antiquitati geographicæ, hiſtoriis, & omni demum elegantiori litteraturæ proventuræ ſint, ſi peritus interpres acceſſerit, ſine quo in vulgus neglecta & contempta jaceat neceſſe eſt. Cæterum an tu tibi eam gratiam demerendam cenſeas, jam tui judicii eſt, ego nihil addo. Nam quanti à me fias, à quo tibi tam gravis tamq; luculenta provincia ultrò defertur, tute facile intelligis. Quam tuâ cauſſâ omnia cupiam, tum demum intelliges, ſi quâ in re voluntatis meæ periculum feceris. Ill. Scaligero quæſo multam à me ſalutem, à quo reſponſum exſpecto. Clariſſimus item Cluſius ſalveat, cui ego debeo. Tu ſi reſcribere voles, ad Moretum litteras mittes, vel ad Carolum Taſſis tabellariorum Antverpiæ præfectum, aut ad Matthæum & Davidem Langios mercatores, omnes rectè curabunt. Vale. Auguſtæ Vind. XIV. Kal. Decembr. An. MDIIC.

Veronæ ad Amphitheatrum ante paucos dies ſaxum grande effoſſum eſt, eâdem inſcriptione ex duobus lateribus bis inſcriptum,

NOMINE
Q. DOMITII. ALPINI
LICINIA. MATER
SIGNUM. DIANÆ. ET. VENATIO
NEM. ET. SALIENTES.
T. F. I.

Fide Federici Ceruti, qui miſit.

XXII.

OSvaves tuas litteras, quæ poſt ſeptimum etiam nunc menſem amorem ſpirant. Kal. enim Februarii datis nunc demum reſpondeo. Male illis ſit, qui nos iis tam diu carere voluere, ut ſuſpiciones interim commearent viciſſim, dum litteræ debebant & officia. Certè & ego ſubdubitabam, in quam partem immodicum tuum ſilentium, ſic mihi videbatur, interpretarer, & tu quin ſequius de me non reſcribente ſenſeris, fieri vix poteſt. Bene quod redditæ tandem, utrumque abſolverunt. Iſtas Antverpiam mitto, tu eâdem via, ſive Amſterodamenſi mavis, reſpondebis,

bis, cum ex utraque civitate quot hebdomadis tabellarii ad nos commeent. Verum ad tuas redeo. Quæ ut nimis de me magnificè, de te demissè scriptæ sint, fero hanc blandiloquentiam in amicitiæ isto limine & primo quodammodo congressu, utcunque, in posterum quæso abstineamus. Cui enim bono? Ad populum phaleras, mi Merula, quod ego tam frequens usurpare soleo, ut mihi jam propè symboli vice sit. Tabulam itinerariam visam tibi, quod profectò est, veris pretiis à te æstimari, gaudeo: illud multò magis, statim ac reddita, usui fuisse & commodo, sed maximè omnium, quod de ea illustranda seriò videris cogitare, utinam singulari opere, quod & ipsum innuis, quotidie magis experturus argumentum dignum esse, in quo excolendo ingenii nervos contendas, multum inde boni publicè, gloriæ privatim hausturus. Nisi tamen opus, quod sub manu habes, eà forma est, ut illi commodè totius tabulæ explicatio possit inseri, nam ego ejus speciem, nisi forte specimen ex nundinis mittis, animo non penitus capio, etsi ab eo, quod Ortelius scripsit, longè abesse facile intelligo. Sed quicquid futurum est, te tanto jam tempore decrevisse verisimile fit, neque ego ut mutes peto; illud peto, nos consilii tui participes facias, quo saltem votis prosequamur. Quod suppetias petis, utinam par voluntati facultas esset. Interim libellum mitto, cum fide descriptum, hoc est repræsentatis autographi etiam vitiis, ex vetusto codice membraneo, quo Notitia utriusque imperii, Itinerarium Antonini, & quædam alia, quæ plerumque conjungi solent, continebantur. Hunc tu valido stomacho concoquas velim, & id cogites, quod Virgilium in Ennio tuo feciſſe narrant. Nam aut ego valde fallor, aut XII. de Theodosio versus ad tabulam nostram pertinent, & si in septimo illud scribendi compendium 7*quinis*, quod ex autographo est, *terquinis* significat, nihil dubitem barbarum poëtam decimum quintum Theodosii consulatum, quo Valentinianum quartùm collegam habuit, notare. Quamquam tu hæc expendes rectius, ego animum tibi probare satis habeo. De historia Batavica significabis tuo commodo explicatius, an res nostri ævi, an ab omni antiquitate aggrediaris: nos inaudieramus Dusam Junio in eo munere, successisse. Vale V. CL. & Clarissimo Clusio multam salutem nuncia. August. Vind. Kal. Septembr. Anno MDIC.

Autographum tabulam membraneam esse, quod in epistola ad spectatorem moneri debebat, nescio an prioribus ad te perscripserim.

MARCI

MARCI VELSERI EPISTOLÆ,

AD

BON. VULCANIUM, CAR. CLUSIUM, JOH. MEURSIUM, DAVID. HOESHELIUM.

EX

BIBLIOTHECA LUGDUNO - BATAVA ET GRONOVIANA.

XXIII.

Salve, Vir Clarißime,

ET macte hac virtute, hoc animo, atque publ cum juvandi propensione, nam me aspectus Cyrilli tui vehementer exhilaravit : tùm planè præfatio pectus incredibili lætitia perfudit. O te felicem, qui tantos thesauros nactus, eos spargere quam condere prius ducas. Utinam hanc Deus mentem multis injiciat. Ego, ne nescias, inter primos Cyrilli amatores, nomen profiteor : cujus rei hinc conjecturam capias licet, quod amico cuidam meo, homini Græcè & Latinè apprimè docto, author fui, commentarium in XII. Prophetas vertendi, is verò totum jam pensum absolvit, & nunc maximè editionem adornat, cujus te certiorem facere, tua interesse putavi, ne actum ageres, cum præsertim industriæ latus adhuc extra istum campus pateat, Ezechiele maximè interpretando, quem facile æstimare est, ingens volumen conficere. Prophetas minores x. ex Boica bibliotheca habuimus, reliquos duos ex Vaticana. Ezechielem etiam amicus ille meus aggredi parabat, sed monitus ultrò desistet, tui reverentiâ. Illi Scaligero, qui nos Eusebii exspectatione cruciare pergit, multam salutem. Multam item Clarissimo Merulæ, qui mihi responsum debet. Tu si rescribere voles, quod mihi pergratum accidet, litteras ei, à quo has accipies, rectè trades. Vale. Augustæ Vind. XVII. Kal. Junias An. MDCI.

XXIV.

IN hac typographorum vestrorum lentitudine, nihil verendum video, ne editionem Cyrilli, ut versionem maximè matures, præcipites : Nam si in media Batavia, quæ omnis elegantiæ & politioris litteraturæ sedes habetur ac domicilium, vinum istud hederam poscit, & ne cum hedera quidem emptorem reperit, quid futurum censes alibi ? itaque nuperis litteris, quas ante octiduum ad te dedi, scribendis supersedere poteram. Vix discesserat tabellarius, cum tuas XV. Aprilis die datas accepi. Ne quære, indignissima visa Musarum conditio, quarum tristissimam sortem,

tem,& fœdam sæculi fatuitatem una miseratus sum. Eóne spes omnes recidisse, ut cum bono publico tot vigilias impenderis, prælum tibi tandem fere ostiatim emendicandum sit? Ego quod certò promittam non habeo, in magna præsertim hîc typographorum tenuitate, sed omnes nervos contendam, & Hœschelium quoque in consilium advocabo, si votis tuis ulla ratione satisfieri queat. Quicquid autem exsculpemus scies, tum ratio mittendi per nundinas sit promptissima & certissima. Procopii dodrans absolutus est. Vos quid istic, vicissim significa, etsi omnium industriam in tanto litterarum neglectu, mirè flaccescere necesse. Vale. Augustæ Vindel. IX. K. Jun. An. MDCVI.

XXV.

Salve Vir Clarissime. *Ad Clusium.*

QUam svaves mihi tuæ litteræ, quam multis nominibus acciderint, nolim quæras: Ejus enim ex prioribus meis, etiam ante quam scriberes, potuisti conjecturam capere. Hoc tibi omni asseveratione confirmo, humanitatis & benevolentiæ adversus me visas plenissimas, neque hujus ullum certius testatiusque dari potuisse indicium, quam quod de rebus tuis tam familiariter visum perscribere. Quo profectò nomine amo te plurimum. Feres vicissim hominem tui amantissimum te de quibusdam hortantem paullò liberius. Ut incertis nimirum casuum connitaris te tuaque, quantum humanitus fieri potest, subducere, & tot vigiliarum lucubrationes in tuto collocare. Invitus dico, sed ætatem tuam vides, corporis constitutionem item, & quid post fatalem horam posterûm curæ credendum sit, nimis quotidie experimur. Quid sit igitur, cur non tute potissimùm matures extrudere bono publico, quæ editioni dudum parata habes? Moretus tergiversatur. Eo acrius urgendus est & sanè vinci se patietur. Sin tamen, ambienda istic altera apud vos officina Plantiniana, quod omninò harum alterutram huic fœtui Levanam exoptem. Tu tibi modo negotium serió cordi esse patere. Pinellus noster diu est quod nihil respondet. Id in homine alias officioso & perdiligente nescio in quam partem accipiam, & prope est, ut gravius quiddam suspicer. Horto meo quod tam prolixè cupis, gratias habeo, Si tuo commodo fieri possit, velim tibi debere de surculis rosarum, quas istic magnitudine spectabiles haberi audio, de Anemones item una aut altera rariore specie, quas in Hispanicis retulisti; & seminibus aliquibus exoticis, ejus generis, quæ cœlum nostrum ferre existimabis. Via Antverpiensi rectè curabuntur. Et delectatio quidem ad nos, honor omnis ad te rediturus est. Sed ego nimis fortasse impudens flagi-

tator. Tu amoris fiduciam interpretare, & si qua in re opera mea tibi vicissim usui esse potest, cupienti impera. V. Ill. Jos. Scaligerum & Paullum Merulam meis verbis quæso salvere jube. Augustæ Vind. III. K. Jan. An. MDIIC.

XXVI.

SAlve, Vir Clarissime, ab homine ignoto. Cum Joanne Vincentio Pinello, quem splendor familiæ, virtus, doctrina juxta ornant, magna mihi intercedit, officiorum & benevolentiæ conjunctio: Is mihi his diebus proximis duos libellos de Theriaca ad te curandos transmisit, quod ego duplex beneficium interpretor. Intellexi enim ex altero de herbariis tuis studiis quæ prius nesciebam, quæque intellecta magno mihi fuere gaudio, haud dubiè futura etiam utilitati publicæ, nisi quis casus adversus spem ludat, quod omen abominor. Visa præterea occasio te salutandi, quæ mihi ne periret, fuit omninò cautio. Diu est enim Vir Clarissime, nihil blandior, neque soleo, quod meus mirificus in te tuaque amor, qui auxit ab uno aut altero anno, postquam in hortos satis amplos migravi, ubi nunc habito, ea mihi videlicet occasio sæpius de te cogitandi, tuos libros in manus sumendi, & verò avidè expetendi atque expectandi magni illius operis quod te nunc maximè elucubrare intelligo, cuique Pomonam & Floram propitias precor. Si quid de cætero in rem tuam scio, possum, mone tantum, experiere quam omnia tua caussa cupiam. Vale. Augustæ Vind. Non. Aprilis An. MDIIC.

XXVII.

SAmo te, Vir præstantissime, de surculis rosaceis, & quidem merito tuo multùm, qui obiter interpellatus, rem tanta cura, tantaque circumspectione temporis, tibi volueris cordi esse. Utinam humanitatem istam retaliare liceat, sed tuum erit circumspicere, an tibi opera mea alicùbi usui esse possit, ego recipio me omni conatu annisurum ne in ingratum beneficia congessisse querare. Surculi bene habiti redditi, & terræ statim commissi, ut videbantur recentes & egregiè radicati, vitales fore nihil dubito. De Americanorum etiam tuberibus gratiam habeo, quorum historiam quod in plantarum historia à te descriptam significas, est cur hanc ardentiùs desideremus. Omninò tricones isti interdum typographi, & in posterum omnia impeditiora vereor, clausis inter vestros & Antverpienses itineribus, ut quidem hîc audimus. Mihi quoque interdum ad Moretum scriptio, & monebo hominem per occasionem, excitantur enim si libros à pluribus expeti intelligant. Quod si tergiversatur adhuc, sanè jus & æquum postulas, remittat saltem librum & icones, tua enim vel istic vel alibi typographum non difficulter reperient.

A Merula nihil dum vidi, an nostram ille audaciam, nisi tenui-

tatem

tatem etiam, ſpernit, qui rem tantam ab ignoto auſi ſumus petere? At humanitatis erat reſpondere ſaltem, nihil enim prohibebat negare. An in illam potius partem moram interpretabimur, illum de explicanda tabula cogitare, & in eo ipſo nunc maximè verſari? Quæſo, quicquid eſt, quoniam litteras daturum ſemel pollicitus, inſta, ut promiſſa appareant. Interim à me amantiſſimè ſalveat. Vir Ill. item Joſ. Scaliger, de quo ſine amore & cultu nunquam cogito. Quod in prioribus tuis extremis erat, de Anemones aliquot generibus atque bulbaceis plantis non vulgaribus, menſe Julio & Auguſto mittendis, ſi in tempore non exciderit, multum tibi debebo. Si Antverpienſi minus poterunt, aut Agrippinenſi, aut Hamburgenſi etiam viâ licebit mittere. Vale V. Clariſſime. Auguſtæ Vind. Prid. K. April. An. MDIC.

XXVIII.

ROſæ centifoliæ quas tuo munere habeo, egregiè virent, ut de floribus etiam bene ſperandum ſit. Quod te nimirum ſcire oportere exiſtimavi, ut quoniam gratiæ referendæ nunc quidem rationem nullam ineo, te ſaltem apud memorem beneficium collocaſſe experireris, id enim etiam animus ingenuus interdum gratiarum loco æſtimare ſolet. De mittendis bulbaceis quibusdam rarioribus, hoc ipſo menſe, quo iſtas accepturus es, aut Auguſto proximè inſequenti, quam ſpem feciſti, ejus ſi te commoneam impudens videar, fortaſſe aliis, non tibi, cujus nota humanitas, & bene de omnibus promerendi ſtudium. Ego verò eſſem in hac cauſſa paullò audacior, ſi tu viciſſim meâ hic operâ in ulla re animum induceres. Quod Moretus ſignificat, ſub prælo eſſe tuas lucubrationes, noli quæſo quærere quam gratum non mihi uni, ſed omnibus qui honeſtiſſimam hanc animi remiſſionem in deliciis habent, accidat. Vale Vir Præſtantiſſ. & Ill. Scaligero quæſo multam ſalutem, cujus litteras mihi inſcriptas periiſſe ægerrimè fero. Clariſſ. item Merulæ, qui quod me reſponſo nondum dignatur, velim ſaltem ſciat quid de interpretanda tabula itineraria conſtituerit. Auguſt. Vind. Prid. K. Jul. An. MDC.

XXIX.

ET bulbi, & varia Anemones genera rectè reddita. Pro quibus ſingulares gratias ago: Quod minus refero, nonnulla fortaſſe tua culpa fit; nam tu quidem indicare debebas, quâ tibi viciſſim gratificari poſſem, quod vel in poſterum facias rogo, tum omni ope & conatu annitar, ne te officiis priorem certaſſe pœniteat. Interim nemo in hortô meô pedem ponit, quin Cluſianam illi liberalitatem prædicem. De opere tuo grandi, bene ſpero, poſtquam Moretus manum ſemel admovit, nam perſequi ſuâ etiam intereſt, & ſi compoſitoris quem vocant, morbus pertinacior, alter ſubſtitui poterit, tu tantum urge hominem iden-

fidem, opportunè, importunè, quâ ratione nonnihil interdum profici, & ipſe expertus ſum : Neque ſanè mirum egere his ſtimulis, in negotiorum & occupationum illa ſtrue. Tu tibi ne deſis, vide. Litteræ à Scaligero & Merula tandem redditæ, ſexto aut ſeptimo menſe poſtquam datæ, itaque te cura eos ſubmonendi libero. Utrique reſcripſi ante perpaucos dies. Vale V. Præſtantiſſ. & me tui tuô meritô amantiſſimum eſſe omninò perſuaſum habe. Auguſtæ Vind. VI. Id. Septembr. An. MDIC.

Siquidem procraſtinat Moretus, delibera, an ſi quid rarioris aromatis ex Java allatum, illud ſingulario iſtic libello ſtatim publicare conſultius, mirum enim quam hoc genus hiſtorias omnibus fortunæ caſibus, qui in lenta editione multi eſſe poſſunt, ſubtractas cupiam.

XXX.

CUm apud Penam de hyſſopo Anglica legerem, illam dimidia ſui parte ita candicare, ut nivem & calcem provocet, ejus plantæ videndæ deſiderium inceſſit. Quod itaque tuo commodo fiat, pauxillum ſeminis ad me mittas rogo. Hui tam audacter, inquies, qui neque de præterito paria feceris? Sic eſt, mi Cluſſ, me audacem in petendo prolixa iſta tua humanitas facit, tum conſcientia, quam ego tuâ cauſsâ omnia cupiam, & illud denique multò maximè, quod amicorum viciſſim beneficia nec appendenda neque annumeranda cenſeo. Si tibi tamen improbiuſcula petitio videtur; Etiam negare potes, nihil ea res de meo in te amore demet. Plantinus, ut video, ſeriò in opere tuo pergit. Ut mihi quidem perſuadeam, primum ſaltem tomum ad proximas nundinas proſtaturum, cui ſi commentarius de plantis & fructibus exoticis conjungetur, quod omninò enitêris, feremus deſiderium ſecundi tomi, in quem alienos libellos latino ſermone à te donatos, congeſſiſſe ſcribis, feremus, inquam, quocunque tandem modo. Illuſtri Scaligero nunciabis, me quotidie multa ex ejus Manilio diſcere. Clariſſ. Merulæ, me quid in tabulam itinerariam meditetur exſpectare. Libelli de menſura orbis terræ, quem ad illum miſi, meminiſſe Beatum Rhenanum, præfatione in Procopium ad Bonifacium Amerbachium, quæ in poſtrema etiam Leunclaviana editione recuſa eſt. Uterque à me ſalveat. Monerem de reſponſo ad meas, niſi quod eos antequam hæ ad te perferentur reſcripturos exiſtimo. Vale, Auguſtæ Vind. VI. Id. Decembr. An. MDIC.

David Hœſchelius, qui ſcribenti aſtat, ut Scaligero ſalutem ipſius nomine aſcriberem, voluit.

Clariſſ. etiam quæſo Meurſius per te ſciat, ſe ſuo merito valde à me amari.

XXX. Nam

XXXI.

NAm hoc quidem propemodum eſt, quod, nunc quidem, ad te ſcribam. Tu ſi mihi, Valere, reſponderis, officium feceris. Verùm ſeriò cùm ad complures iſtic amicos ſcriberem, te, quem inter primos, merito tuo numero, præterire non potui: Certè non debui. Quo loco reliqua botanica & exotica tua ſint, ſcire cupio. Niſi enim nos nimiopere amamus, non bene craſtino credimus, præſertim ſenes. Pinellum nuper ſeptuagenarium, mors inteſtatum oppreſſit, cum ea ipſa luce, quæ illi ſuprema fuit, teſtamentum dictare meditaretur. Sic nimirum ſumus homines. Ego te, mi Cluſi, ſi fas ſit, immortalem optem, ſed quoniam id nec per naturam, nec per naturæ dominum licet, poſteritati ſaltem immortalem te illa qua potes parte præſta. Quod ita fiet, ſi edendis tuis lucubrationibus, quas tibi inimitabili labore conſtitiſſe ex illis, quæ lucem aſpiciunt, planè apparet, ipſe præſis. Quo animo hæc ſcribo, eodem te accipere confido. Vale. Auguſtæ Vind. VII. Id. Novembr. MDCI.

XXXII.

ANnus abiit, ex quo ſecundi tomi plantarii operis edendi propinquam ſpem oſtendebas. In quem quoniam te exotica pleraque conjeciſſe ſcimus, non facile credas, quam acri & intenſo ejus deſiderio teneamur. Itaque in mentem venit, quem tandem expectationi modum figas, inquirere. Suſpicor quidem, unum typographum moræ culpam ſuſtinere. Sed aut is perpetuis monitionibus expugnari queat, aut ſi obduruit, quid non ad alium aliquem abeamus, in tanta horum copia? Profectò Wechelios non negaturos exiſtimem: Quibus ut Plantinianos nemo non præferat, ſatius tamen ſit ab iis edi, quam ab his premi. Quæſo te, ne tibi, ne famæ tuæ, ne bono denique publico in hac cauſſa deſis. Hortum meum quoties ſuperioribus menſibus aſpexi, toties Cluſianæ liberalitatis recordatio ſubiit, cui ſi gratiam ulla ex parte retuliſſem, non vererer nova, ſi minus plantarum, radicum, bulborum, certè ſeminum ſubſidia petere, nunc me conſcientia gratiæ, veteri beneficio non relatæ, modeſtiorem reddit. Vale. Aug. Vind. XVIII. K. Decembr. An. MDCII.

XXXIII.

Salve, Vir Clariſſime, *Ad Meurſium.*

LIbrum ſingularem *de luxu Romanorum* accepi. Qui me multa opinor docebit: necdum enim vacavit pellegere. Gratias interim habeo: Referam, ſi facultas ſit: Nunc mirum quàm noſtræ hîc Muſæ Acanthiis ſiccatis magis mutæ ſileſcunt. De codicibus Græcis, vellem ut vis. Sed ſpes nulla eſt, evectionem in tam longinquas & impacatas oras, iſto præſertim rerum ſtatu, impetrari poſſe. Unus ad Scaligerum Georgius Syncellus ante

an nos aliquot missus est, quod isti in exemplum trahi nolunt: Et sanè alia tum erat temporum facies: Nunc intuta itinerum scimus, utroque metante ad Rhenum exercitu, ut de libris incolumibus restituendis, quod bibliothecæ præscriptio habet, si in hoc periculum semel mittantur, nemo satis cavere possit. Si qud conferri aut excerpi cupies, Hœschelius rogatus operam lubentem & diligentem puto navabit. Savilius, qui Chrysostomum quantum fieri potest integrum dare cogitat, quod nec ipse codicum in Britanniam transvectionem se exoraturum speraret, librarium huc destinavit, qui cùm hîc, tum Monachii, pleraque Chrysostomiana descripsit. Vale. Augustæ Vind. XIV. Kal. Novembr. An. MDCV.

XXXIV.

Salve, mi Hœscheli. *Ad Hœschelium.*

PAraphrases inscriptionis Græcæ accepi, & gratias habeo. Baremium miror, & ceteros fortassis etiam, Casaubono de Herode Rege sic subscribere, ut de Sophista ne suspicio quidem subeat: Quem Bongarsius monitus, ultrò prætulit. Sed suavis Baremius, ambigit, an Herodes honorem uxori, an verò Palladi virgini habuerit: scimus enim ex Josepho lib. 1. cap. 18. de Bello, inter uxores Herodis fuisse Palladem matrem Phasaëli. Fallor, an & nuptæ potiùs quàm Palladi honorem Hunc statuit? nam cum multis & Pallada habebat Castus Idumæus. — Risi fateor simpliciſſimam conjecturam. Sequentium verò versiculorum blasphemiam abominatus sum, — Nec sæclo monstra priori Talia defuerant, fastisq; haud pauca sacratis intrusa est meretrix effrons pro virgine sacra. Sancti, mi Hœscheli, sunt exercitus DEI viventis, & Philistæus quisquis illis audet maledicere, DEUM aliquando ultorem sentiet. Scilicet convicium in Virgines Sanctorum catalogo ab Ecclesia ascriptas impunè jaciat, quod si vel uxori vel filiæ aliquis objiciat, cœlum terræ miscendum censeat? En quos paullatim progressus priscæ pietatis contemptus facit. Scio nec tibi probari hæc talia, ideò bilem effudi liberiùs. Vale.

XXXV.

CLariſſimo Casaubono Sirmondianum apographum, cum interpretatione tua mittas censeo: In eo enim præ ceteris videor fidem, atque adeò religionem agnoscere. Sirmondus asseverat, unum à se mutatum esse, quod in lapide vocabula perpetuo tenore, æqualibus literarum spatiis, nullo distinctionis vestigio, descripta sunt: — Versum, de quo Cardinalis Barberinus rectè monuit ---- nonnulla observabit, in quibus quorundam apographa vacillare video. Sed & quæ Pignorius Roma ad me scripsit, ipsum scire refert: Inventam unà cum inscriptione arcam

cam lapideam, plenam aquæ, medicatæ odore aromatico: Eam ego ex unguento degenerasse suspicor, odorem autem tot centenis annis servasse, inprimis mirandum censeo: In aqua pannum laneum mollissimum: De quo minùs distinctè sciri potuit, quod maximam ejus partem aqua corruperat: Apparebat coloris fere prasini, virgatus purpura admodum vegeta. Reperti præterea annuli duo aurei magni ponderis, unus pulcherrimo Smaragdo, alter jaspide sculpta insignis: Bulla ærea, & in ea Scylla extans, qualis à Virgilio describitur. Hermæ cum Themistoclis & Socratis capitibus. Statuæ elegantissimæ Veneris & Adonidis, sive quod Pignorio in mentem venit, Meleagri atque Æthiopis ex nigro marmore: Tum columnæ ex alabastro & nobilissimorum marmorum fragmenta. Vis verum ex me audire? hæc tanta, digna sunt secundis Casauboni curis. Saltem ne inscriptio uno versu manca ad posteros transeat. Præterquam quod compertum habeo, si totum triduum iis impendere inducat animum, procusurum libellum, cujus elegantia omnium politiorum ingeniorum amorem mereatur. De Herode neque te celem, ego in Atticum semper magis inclino. Meminisse potes, quæ nuper Palæstino argumenta objeci: Nunc, quid illi quæso rei sit cum Themistocle & Socrate? quos ab homine Attico, & quidem Sophista, ornatos nemo mirabitur. Nam si Triopium extaret integrum, Miltiadem quoque & Cimonem, quos Herodes in majoribus numerabat, opinor conspiceremus. Statuam, quam isti Adonidis seu Meleagri esse existimant, ego sive Pollucis, sive Achillis, sive Memnonis interpretor. Disertè enim Philostratus scribit, Herodem his alumnis - - - - *imagines venantium, & venatione functorum, & ad venandum paratorum*, erexisse, *partim in quercetis, partim in agris, partim super fontibus, partim sub umbris platanorum*, uti Morellus vertit, & quam prope hæc ad Triopium? fateor equidem, Philostratum de Græcia loqui, sed idem Herodem consilium Romæ sequutum esse, nihil impedit. Quin animadverte etiam in precationibus, quas Philostratus Herodem adversus illos, qui statuas læderent, edere ait solitum, nempe ea in inscriptione, imò in inscriptionibus, consentit enim hac in parte columna Farnesiana, clarissimè comparent, Æthiopem, Indus Callistrati referre alicubi fortasse videatur, sed eo usque non abeo. Et si Casaubonus de Herode Judæo pertendat, ego ad illius castra potius transfugiam, quàm ut me in suis literis quidquam quod ipsum lateat, pervidere posse existimem.

Vale.

MARCI

MARCI VELSERI EPISTOLÆ

AD

JOACH. CAMERARIUM, CONR. RITTERSHUSIUM, MELCH. GOLDASTUM, &c.

XXXVI.

Viro Excellentissimo Joachimo Camerario, &c. Domino & Amico observandissimo. Norimbergam.

S. Legi tuas litteras, Vir Excellentissime, haud ita pridem ad Thalmannum scriptas, in quibus de me pleraque amica, nonnulla perhonorifica. Utraq; nullo meo merito, scio. Amorem tamen tuum mihi gratissimum accidere tibi persuadeas velim, cum præstantissimorum virorum benevolentiam inter præcipua vitæ bona, numerare soleam: Daturúmq; operam spondeo, ut te quoque, quantum excellens ista humanitas meretur, à me amari & coli intelligas. Laudem si agnoscam, improbus sim: Illud sine magna fortassis imprudentiæ nota fatebor, me nulla re alia tam suaviter falli, quam ferendis laudibus, quæ à laudatis viris. Judicium tuum de chartis Itinerariis magnopere avebam cognoscere, verùm quoniam statutum habes explicationem meam expectare, transmittetur tibi illa quidem, quam primum exempla huc perferentur; sed vereor, ne opinionem, quam præcepisti, egregiè sit delusura. Interim, si pateris, altera tibi petitione litterariam molestiam exhibebo. Legisti opinor, apud Lazium fragmentum historicum, cujus ille Augustum interdum, nonnunquam Paterculum auctorem laudat: Ad neutrum pertinere mihi planè constat. Neq; etiam Plinii xx. libros de bellis Germanicis (quo amicus meus inclinabat) suspicor: Ad quem verò pertineat, cujus ætatis sit, quorum temporum historiam narret, quæ falsa veris admisceat, non ita constat: Nam totum fragmentum ante non multa secula confictum esse, ne persuadear, certa argumenta obstant. Et cum ad Augustanam historiam omnia distinctè cognosci aliquantulum interfit, nam ex hoc uno fonte mirum quam multi fabularum rivuli profluxerint, maximum apud me beneficium collocabis, si obscurissimas tenebras tuis judicii & doctrinæ facibus illustraveris. Descripsi ex nescio quibus Commentariis hujus argumenti nonnulla, quæ animum minus explent; à te certiora ac firmiora expecto. Ne enim hanc provinciam defugias, neu excusatione minimè probabili, quod in chartis Itinerariis fecisti, effugias, per fidem, coale-

coalescentis amicitiæ te rogo. An etiam amicos, quos tibi permultos homines doctos esse cognitum habeo, in consilium vocandos censeas, tui arbitrii facio. Vale Vir Excellentissime, & me inter tuos numera. Datæ Augustæ III. Kal. Decembr. Anno MDXC.

XXXVII.

QUod proximè pollicitus sum, Vir Excellentissime, jam repræsento. Mitto exempla commentarioli nostri in fragmenta tabulæ antiquæ, quæ his ipsis diebus Venetiis accepi. Si otium legendi erit, peto judicium & censuram, amicè, liberè. Neque enim in hoc genere amicum quidquam, quod non liberum; Et ut cordati patres, qui liberorum peccata corrigunt, eos proculdubio impensè amant, præ mollibus aliis, qui ad omnia connivent, sic etiam amicorum animos ex libertatis conscientia, non ex plausu judico. Ab Albino sententiam de Laziano fragmento expecto, si adhuc cessat, quæso, ne monere grave sit: Communicabis etiam, si quid ex aliis de hoc argumento intellexeris. Vale Vir Clarissime, & me tui amantem redama. Augustæ Vindelicorum VI. Kal. Martias Anno MDXCI.

XXXVIII.

HAbeo tibi gratias Vir Clarissime, de libello quem Thalmannus tuo nomine reddidit. Amo in te mei memoriam, laudo pietatem in patriam, atque profecto editionis consilium, quando in ea jam tempora incidimus, quæ periculi magnitudine omnium auxilia manu, stylo, voce, ut se quisque maximè valere sentit, expetant: Quanto tu rectiùs, quam quos non obscuris ad nos rumoribus perlatum est; præterito autumno, in illâ ipsâ, quæ hostibus proxima, eorum furori tota exposita est, provinciâ, ausos de superiore loco deprædicare, subsidia à Catholicis Principibus submissa, haud quidem missa, ut barbaris obviam irent, quod prætenderetur, sed ut splendorem Evangelii effulgentis opprimerent, & Pontificiam tyrannidem stabilirent.

En quo discordia cives
Perduxit miseros — Num nos vel salus animis inter nosmet ita affectis servare queat! Non velle certò scio. Sed hæc nos deflere possumus, corrigere non possumus. Accipies his adjuncta exempla duo pavimenti tessellati, eximii operis, apud nos inventi, sed eorum incuriâ, in quorum potestate est valde vitiati; quatuor coloribus variegatum, lapillis candidis, luteis, rubris & nigricantibus constat, specie de cætero quam pictor expressit. Agnosces metas, quadrigas, tyronem ad palum, gladiatorum paria, plura ascriptis nominibus, & quædam alia emblemata, de quibus in Commentariis rerum Augustanarum quam accuratissimè fieri poterit dicturi sumus; gratum erit interim si nos in

gladiatorum præcipuè nominibus juvare queas, apud Suetonium in Claudio c. 21. est Palumbus quidam, in Nerone c. 30. Specillus mirmillo, quod nomen à specio fortasse ductum, nam suspicor in pavimento fuisse SPECIUS non SPICIUS. Sic est apud Juvenalem Sergius gladiator per blandiloquentiam etiam Sergiolus, plura quæ scriptorum testimonio confirmem, nondum reperio. Vale Augustæ Vindelicorum III. Idus Maji MDXCIII.

XXXIX.

S. De Symbolorũ & Emblematum libro V. C. gratias habeo, cœpi legere, nondum perlegi, sed multa placuêre ex iis, quæ legi, neque deteriora cætera futura spero: placuit etiam filii elegia, quam præfixisti, & gratulor tibi hunc gloriæ tuæ succrescentem surculum. Nostri rerum Augustanarum libri ad umbilicum perducti jam sunt, & typographo propediem tradentur, sed vereor, non fallo, mi Camerari, ut expectationem tuam, quam nonnullam esse video, sustinere possint; nam argumentum ipsum antiquitate perobscurum est, neque nobis aut ingenii aut doctrinæ fiducia aliqua; diligentiam non dissimulamus; & eo nos nomine æquiores lectores experturos speramus, quod amore & pietate in patriam, nullâ ambitionis aurâ impulsi, ad scriptionem accessimus. Mitto tibi speciem abaci ænei antiqui, quam nescio an jam antea videris, sunt in eo foramina sive alveoli XIX. & in iis claviculi, aut calculi, ut quibusdam appellandi videntur, umbellati ductiles: Quorum usum fuisse existimant, ut in XIV. alveolis quibus numeri interjecti, claviculi inferiorum alveolorum singuli tot numeros, asses aut sestertios notarent, quot character interjectus, puta aut singulos, aut denos, aut centenos &c. superiores uno amplius, quinos scilicet, quinquagenos, quingenos, &c. itaque unus, duo, tres, quatuor calculi sub charactere I. ducebantur, si totidem asses repræsentandi, superior addebat quinque, ut novem simul colligerent, si verò X. repræsentandi, reducebantur hi omnes, & unus in proximo alveolo sub charactere X. movebatur, quâ ratione ad decies usque centena millia procedebatur. Claviculi sub ⊖ singuli singulos, hoc est omnes simul quinque, superior autem sex uncias referebant, si addenda duodecima, ut integer assis expleretur, his omnibus reductis, ducebatur unus sub I. in reliquis tribus alveolis minoribus unciæ fortasse partes, S. semuncia, ɔ. Sicilicus, id est quarta unciæ pars, 2. sextulæ duæ, tertiam simul unciæ partem constituentes. Tu has nugas, quando nunc aliud quod mittam ad manus non est, boni consules, Vale Vir Præstantissime, Augustæ Vind. XIV. K. Septembr. An. MDXCIII.

XL.

EN tibi Clarissime Camerari, libros rerum Augustanarum Vindelicarum nostros, his ipsis diebus Venetiis allatos, quos quoniam

niam te cupere antehac ostendisti, curę fuit, ut inter primos haberes, profectò ante eos, quibus inscripti sunt: Quam miserè vereor, ut expectationi, quā inscriptio præteritis nundinis me invito edita, apud quosdam, uti audio, concitavit, pares esse possint: sustento me tamen consilii mei conscientiâ; hoc enim probandum, rerum exitum neutiquam præstandum esse scio, multò minus hominū rumores. Consilium autem nemo spero improbet, qui pietatē in patriam probandam existimet. Aventinū interdum acerbius tetigisse videri possum, sed id, certus sum, magno suo merito. Nomē ejus si dissimulare licuisset, fecissem omninò lubens; hanc quippe moderationem in reliquis à quibus dissentiendum fuit, tenui, in hoc non licuit; cum enim is Vindelicum nobis cognomen abstulerit; & cum hoc cognomine ornamenta ex antiqua historia propemodum omnia, quomodo non prȩvaricator haberer, si tectè & leviter pupugisse satis habens, abire permisissem, cum præsertim in ejus sententiâ jam multi adeò pedibus irent; In totâ tamē causâ modestiæ lineam me nō prætergressum spero, quod tui judicii facio. Nunc ignosce, admodū festinanti, & Vale. Aug. Vind. VII. Id. April. An. MDXCIV.

XLI.

LIbrum de Aucupio, Vir Clarissime, accepi, per otium, quo hactenus nullo usus sum, inspecturus diligenter: Helluanti illum quodammodo, & transcurrenti visus à Friderico scriptus, haudquaquam ad Fridericum, etsi scio Albertum magnum libro 23. de Animalibus niti aliquoties auctoritate falconaricrum Friderici Imp. à quibus scriptus videri possit, sed aut ego fallor, aut Albertus de hoc libro non sensit. Dignus profectò typis videretur, si maximè ad manus alter integrior codex esset, ex quo lacunæ istius explerentur; sed nihil hujus sine tuo consilio, saltem consensu fiet, de quo obiter admonere poteris. Principem, apud quem hoc munus rectè colloces, neminem scio, nisi si fortè Mauritium Hassiæ Landgravium, quem seriò litteras amare audio, is opinor rem suis momentis æstimare possit: De paterno libro nuper edito magnas habeo gratias, etsi nolim me tam iratis Musis natum existimes, ut is non jam antea apud me fuerit.

Ab Ursino his diebus litteras accepi, & inscriptiones simul duas, haud ita dudum Romę repertas, quas tecū communes facio. Prior sic habet,

MARTEI
M. CLAUDIUS. M. F.
CONSOL DEDIT

Quam observat antiquissimam esse, antiquiorem nimirum illa C. Duilii, quæ in Capitolio extat, fuit enim M. Claudius Cos. An. V. C. CDLXVI. Pater Anno CDXXII. Nepos An. DXXXI. is spolia opima retulit. Monet apparere in lapide scriptum fuisse DOVIT pro DEDIT. antiquè, nimirum DONUM. DOVIT. Inventa est extra portam Capenam, ubi templum Martis. Altera hæc est,

VIA. QUÆ. DUCIT
PER. AGRUM
NONIANUM
A. M. XX. DEVERTIC
SINISTROSUS
PER. COMPITUM
SECUS. PISCINAM
IN. FUNDO.
DECIMIANO
THALAMIANO
JUNCTIS. DEBETUR
ITA. UTI. HODIE
IN. USO. EST

Cum hac ait conjungendum Feſtum in, Mutini Titini ſacellum, ubi diverticuli meminit. Vale, Vir Præſtantiſſime, & hominem tui amantem redama. Auguſtæ Vind. Idibus Novembr. Anno Chr. MDXCIV.

XLII.

EGo me parum amicè facere exiſtimem, Vir Clariſſime, ſi qua in re amici mihi opera nullo illius incommodo commodare poſſit, ea uti negligam. Cum itaque Werdenſteinius proximis diebus Friderici II. Imp. libros duos de aucupio ad me miſerit, eosque eo autographo, quod beneficio Hieronymi Baumgartneri ampliſſimi apud vos II. Viri & tuo habuerit, deſcriptos ſignificaverit, mihi verò ii, ut ut barbarè ſcripti, lectione non indigni viderentur, viſum de autographo inſpiciendo cogitare, cum id præſertim neſcio quibus figuris exornatum eſſe intelligam. Si ergo apud te eſt, rogo pro amicitia noſtra & humanitate tua, mihi ejus uſum per aliquot dies concedas, ſartum tectum me reſtituturum, hoc ipſo chirographo ſpondeo. Sin verò apud Baumgartnerum, aut alium quemvis eſt, nolo te hujus gratiâ moleſtiam ullam capere, cum Werdenſteinii apographum eo caſu mihi ſit ſuffecturum. Ab Ortelio heri litteras accepi, miſit una typum navigationis Æneæ, ad priores ſex libros Æneidos Virgilii nuper à ſe concinnatum; ſub prælo habet novam editionem Theſauri Geographici, & quintum Theatri additamentum brevi promittit. Lipſium ſcribit totum eſſe in coemptis nuper ædibus inſtaurandis, & iis, quæ de Militia Romana collegit, perpoliendis. Vale Vir Præſtantiſſime & tibi de me omnia, quæ ab homine tui amantiſſimo proficiſci poſſunt, promitte. Auguſtæ Vind. VI. K. Novembr. An. MDXCIV.

XLIII.

SVereor, Vir Clariſſime, ne me officii prorſus & pudoris omnis oblitum exiſtimes, qui codicem tuum de aucupio manuſcri-

nuſcriptum, tot jam menſibus detineam; Cum tu me præſertim ante aliquot dies, miſſo Onoſandro, pro quo tibi gratias retulit, puto, Hœſchelius noſter, nam id ſe meo rogatu facturum recepit, non obſcurè ſubmonueris. Excuſationi varios colores prætendere poſſem, ſed uno contentus ero, veriſſimo ſimul & honeſtiſſimo, Me, ſi quid peccatum hîc eſt, fiduciâ facilitatis & humanitatis tuæ peccaviſſe, eo liberiùs, quod mihi poteſtatem ipſe feceris, libro quam diu vellem utendi. Nunc is quidem per me redire poſſit, quoniam tamen jam diu cogito, futurum operæ pretium, illum, quantumvis lacerum, dum de meliori nulla ſpes eſt, typis vulgandi, cupio ex te ſcire, quod me antea quoque ſcripſiſſe opinor, nec reſponſum accepiſſe memini, num id te volente fieri poſſit, nam ut invito fiat, neque ego auctor ſim, neque porrò profectò ſit æquum. Rogo, me ejus quamprimùm certiorem facias, Codicem ſtatim recepturus, niſi fine edendi hîc diutius hærere malueris. Vale, Vir Clariſſime, Et ſi amicitiam litterarum frequentia minus diligenter colere videor, id occupationibus meis tribuas, quæ plures ſunt, & alieniores à Muſis quàm vellem. Auguſtæ Vind. VI. K. Maji An. MDXCV.

XLIV.

GRatias tibi pro inſigni munere, ſecundo tuo ſymbolorum tomo, diu eſt quod debeo, Eas nunc demum ago maximas, moram confido in meliorem partem interpretaberis, & occupationibus noſtris nonnihil condonabis; hæ qua privatæ qua publicæ, ſunt plures quam vellem, & ingenium meum natura tardiuſculum, ita retundunt, ut de litteratis litteris vix cogitare liceat. Quo te retaliem, nunc nihil apud me eſt, niſi hæc myſtica etiam, quibus me Hœſchelius per hoſce dies honeſtare voluit; Cui caveſis de me ſcribenti fidem accommodes, homo nimium blandus eſt, qui facilè in errorem ducat conditionis rerúmque mearum minus peritos, ſive ille irridere ludum habet, ſive amore fallitur, quod malo exiſtimare. De Baſilicis quæ tu edi cupis, ſcribit ad te quod res eſt: Scire quoque refert, an eclogæ ex iis tantum Baſilii libris, qui vulgò habentur, an præterea ex aliis qui perierint, excerptæ ſint. De poſteriore Friderici Imp. libro apographo, valde te amo; nondum mihi tantum otii fuit, ex quo accepi, ut cum autographo conferre, & deliberare potuerim, quomodo maximè editio inſtituenda, itaque autographum aliquot adhuc dies apud me eſſe patièris, ego viciſſim promitto, incolume ad te rediturum, meritò enim magni à te fieri video. Quod Ortelius in orcheſtra theatri ſui tibi mihiq; locum dederit, gratulor nobis, & an ille caſu proximos voluit, an ita amicis convenire putavit? Theſaurum geographicum ad proximas nundinas non abſolvet, ſpem mihi tamen fecit

transmittendi quicquid ejus absolutum erit. Lipsium de militia Romana edidisse, & Philippi Regis filio inscripsisse, te scire credo, nunc audio totum esse in bellicis antiquorum machinis, quod videtur futurum spissum opus & difficile. Joan. Lævineius Lævini Torrentii, qui proximè obiit, nepos ex sorore, novam panegyricorum editionem adornat, cum aliqua doctorum expectatione. Vale, Vir Præstantissime, & quoniam me à te amari non solum ex litteris tuis, sed etiam ex sermone quorundam, qui Noribergâ huc veniunt, intelligo, quæso in eo affectu perge, à tui enim similibus amari, felicitatis partem non vanè statuo: Si quid contra à me proficisci potest, quod tibi & tuis ornamento aut commodo, mone audacter, experieris hominem non minus promptum operâ, quam linguâ aut calamo. Augustæ Vind. XIII. K. Septemb. An. MDVC.

XLV.

EGo mihi faciendum existimo quod debitores non pessimi solent; si sortem minus possunt, saltem fœnus solvunt; tu te, spero, pro creditore non morosissimo geres, & cum tibi de sorte cautum sit, fœnore te aliquantisper sustentabis, Typographus noster in edendo Friderico adhuc moras nectit, neque ego autographum tuum nisi absoluta editione possum è manibus dimittere, nisi tanto editionis malo, ut prorsus non edere consultius existimem, Rogo te itaque per humanitatem tuam, ut hoc beneficium integrum apud me ponere, libro tuo aliquot adhuc dies carere velis. Interim usuram, quam dixi, mitto, Publilii Optatiani Porphyrii panegyricum operosissimo carmine scriptum, quem ex Paulli fratris codice ut exprimendum curarem, antiquitas impetravit, & inenarrabiles ab auctore impensi labores: Utilitatem vix audeo in partes vocare, ego tamen scio, magnum virum scripsisse, nullum librum esse tam malum, ex quo non aliquis fructus capi possit, & id in vetustis præsertim, multo verissimum esse experior. Ut non sit, tot quotidie inutiles libri exeunt, ut iste tantillus Rempublicam litterariam nihilo magis prægravaturus videatur, Vale, Vir Clarissime, & persuasum habe, me humanitatem & eruditionem tuam mirificè colere. Iterum atque iterum Vale. Aug. Vind. VII. Id. Decembr. An. MDVC.

XLVI.

PErculere me extremæ tuæ litteræ, quibus te valetudine minus prospera uti significas, meliorem, imò optimam tibi à Deo precor. Interim tibi gratulor de prudentia & constantia tua, quarum auxilio te istud onus bene ferendo levius reddere ostendis; nullam ego præterea prudentiam in rebus humanis novi, quæ cum hac conferri mereatur. Liber tuus sub prælo est,

lo est, & ante proximas nundinas absolvetur, interim liberalitate tua utendo autographo fruemur, nam apographum nimis quam multis locis corruptum, Werdensteinii dico, tuum à secundo tantum libro incipit, neque id adhuc conferri cœptum. Cur de auctore dubites, velim quod tuo commodo fiat, aliquando doceri, nunc per invaletudinem non est, cur te hæc res exerceat. Mihi planè videtur à Friderico secundo conceptus, à Manfredo ejus filio editus. Cum autem à Friderico scriptum conceptumque dico, ejus saltem nomen huic rei prætensum intelligo, alias satis scimus magnates, si quos libros scribant, sua laude aliorum opera scribere, quamquam Fridericum egregiè litteratum fuisse, historicorum consensus est. Vide in ipso operis prologo, an hæc verba cuiquam præterquam Friderico convenire possint, Quamvis arduis & inexplicabilibus fere negotiis præpediti essemus, circa regnorum & imperii regimina &c. Quid quod paullo post disertè scriptum, auctorem esse Divum Augustum Fredericum secundum Romanorum Imperatorem, Jerusalem & Siciliæ Regem. Et mox Libri titulus talis est, Liber Divi Augusti Friderici Secundi Rom. Imp. &c. In his tamen duobus locis; Divi nomen me aliquamdiu suspensum habuit, vix enim credibile id sibi Fridericum ipsi tribuisse: Sed facilis est conjectura, id adjectum à Manfredo filio, cujus esse additiones illas, quibus Regis nomen præscriptum, omnino manifestum est; nam capite VIII. (numerum capitibus distinctionis & memoriæ caussa addendum duxi) sic scriptum est: Sunt & aliæ rationes, quas Manfredus „ Rex Siciliæ, quondam Divi Augusti Imperatoris hujus libri „ auctoris filius, addendas curavit, cum librum ipsum coram se „ legi mandavit. Item libro II. cap. XIII. ubi tamen Manfredi no-„ men non est additum. REX. Cum sæpe legeremus & relege-„ remus hunc librum, ut fructum scientiæ caperemus, & ne vitio „ scriptoris aliquid remanserit corrigendum, finito proœmio in-„ venimus, quod dominus pater noster subsequenter, &c. Auctor „ etiam libro primo psittacum album sibi à Soldano Babyloniæ dono missum scribit, quod homini fortunæ privatæ vix conveniat, multo minus id, quod libro secundo scribit, Nos quando „ transivimus mare, vidimus, quod ipsi Arabes utebantur capello „ in hac arte. Reges namque Arabum mittebant ad nos falco-„ narios suos peritiores in hac arte, cum multis modis falconum „ præterea non negleximus ad nos vocare expertos hujus rei, „ tam de Arabia, quam de regionibus undecumque, ab eo tem-„ pore scilicet, in quo primitus proposuimus redigere in librum „ ea quæ sunt hujus artis, &c. Hierosolomitanam prorsus expedi-„ tionem denotat. Albertus Magnus lib. XXIII. de animalibus cap. XX. de falconibus, citat experta Friderici Imperatoris, &

cap.

cap. priori XIX. dicta Falconariorum Friderici Imperatoris, neque pro uno eodem aliquo libro accepisse videtur. Verum ego jam nimis diu patientia tua abutor, nec morbi quidem habita ratione. Ignosce. Et valetudinem tuam cura diligenter. Augustæ Vind. IX. K. Jan. An. MDXCVI. Quem tibi, tuis, faustum & felicem opto.

XLVII.

REdit ad te tandem, Vir Clarissime, diuturnus emansor, Fridericus tuus. Pro quo ego tibi, & privatim & publicè, magnas gratias habeo, quod usuram, mihi uni gratificatus, omnibus communem feceris, Neque unquam erit, sat scio, ut animum istum tuum benevolum, beneficum, humanum denique, ejus pœniteat. De inscriptione quid constituerim, vides. Placuit deligere Principem aliquem juvenem, cujus splendor operi commendationem adderet, & qui cum argumento delectaretur, tum de scriptione judicare posset. Omnia in Ferdinando visa concurrere; jam tunc, cum illi præterito anno, hîc aliquot dies agenti, Reipublicæ caussa affui. Nominis tui etiam meritò ratio habita. Parcius quam pro re, dicat aliquis: Sed me modestiæ tuæ recordatio repressit: Verum tamen elogium expressi, quod omnes boni magni æstiment, adulatoriis præterea calamistris inurere, neque te, neque me profectò dignum. Habes consilii mei rationes, quas tibi probari cupio. Sin minus, hoc tamen scito, optimo omnia animo, tibi tuis æternùm devoto, cogitata, acta, peracta esse. Vale. Augustæ Vind, VI. Non. Marc. An. MDXCVI. Quo loco tertia symbolorum tuorum centuria sit, scire cupio.

XLVIII.

AUgusta Noribergâ tridui opinor itinere abest, & ego tamen tuas litteras XXVI. Februarii die scriptas, post mensem demum & eo amplius, quàm scriptæ fuere, accepi, quod ideo dico, ne me tam seræ responsionis reum agas. Pro rusticis opusculis, tu cave nugas dixeris, gratias habeo, & si chartaceis tibi satisfieri pateris, refero quoque; ecce enim Daciæ vicinarúmque regionum descriptionem geographicam, in qua visum per occasionem ornare Principem Bathoreum, qui se murum pro domo Domini opposuit; adjecta ea maximè Tartariæ pars, unde ii Tartari prodiere, qui altero abhinc anno Pannoniam infestam habuere, ut vulgus etiam harum rerum posset gustum capere. Ajunt apud vos ejusdem prope argumenti tabulam publicatam, verùm interest Reipublicæ Christianæ, hæc variis etiam modis in hominum oculos incurrere. Redeo ad libellos, quos misisti; unum sibi bibliotheca mea vindicavit, duos, uti volebas, Hœschelio, quartum, etsi injussus, Adolpho Occoni doctissimo & huma-

humaniſſimo ſeni, tuo nomine tradidi; neque enim invitus patieris veterem amicum in hujus elogii communionem tecum venire. Tertium ſymbolorum tuorum tomum gaudeo jam lucem ſpectare, puto de avibus futurum, ſi ita eſt, videſis an aquilæ geminæ draconi inſultantes, & Dacica tabula eô quoque transferendæ, intelligis enim Cæſarem & Bathoreum in Mahometem pugnantes ea ſpecie deſignari. De filio tuo Ludovico nihil dum inaudivi, neque hac transiiſſe puto, quamprimum ejus adventum reſciero, complectar eum peramanter, cum tua cauſſa, nihil enim humanitati tuæ non debeo, tum etiam ſua, quippe qui egregia doctrinæ ſpecimina, quæ libris tuis præfixit, dudum obſervaverim. Cl. V. Conradum Rittershuſium amicum tibi eſſe intelligo, Eum in veteri rerum Germanicarum hiſtoria cum cura & judicio verſari dicunt: Valde itaque velim, quod tuo commodo fiat, ex eo quæras, an à Tacito ad Jornandem usque, quenquam unquam ſcriptorem legerit, qui Bojorum in Germania meminerit, (nam Auſonius in Gallia meminit) atque id quidem ſuæ ipſius ætatis reſpectu; Oroſius namque, & qui ejus præterea claſſis ſunt, vetuſtiorum exſcriptores, nihil nos juvant. Sin nullus eſt, gratiam ei magnam debebo, ſi conjecturam ſaltem aliquam probabilem protulerit, ubi terrarum Bojos per tot annos latuiſſe exiſtimet, adeo quidem ut illis nihil unquam cum Romanis negotii fuerit, vix enim alia Germanicarum gentium ulla eſt, cujus in Romanis hiſtoriis nulla extet mentio. An credibile eſt Bojos ſub alieno nomine delituiſſe? facile id ſanè dictu, ſed quodnam fuit, & quæ ejus rei argumenta ſuperſunt? Juvet nos quæſo, te interceſſore, vir, cujus politæ Jurisprudentiæ me favere, norunt omnes, qui me norunt. Sed ego nimis fortaſſe impudens, qui tibi hoc oneris imponam, ut epiſtolam, quam à gratiarum actione cœpi, excuſatione finire neceſſe habeam. Si quid me contra quod in rem tuam ſit, ſcire, poſſe exiſtimas, etſi utraque in me tenuia, impera audacter, homini qui tua cauſſa omnia cupit. Vale Vir Præſtantiſſ. Auguſtæ Vind. VI I. Id. April. An. MDXCV.

Gratum etiam ſit ſcire ex Rittershuſio, qui fuerint Agilolfingi, & reliquæ illuſtres familiæ, quarum in Bojorum legibus nomina extant.

XLIX.

S Gratias habeo, Vir Clariſſime, pro geographica tabula & libellis, quos miſiſti: nunc quod rependam nihil eſt, cum erit, experieris memorem debitorem, interea temporis moram æquo animo feres, ſpero. Vetus eſt fabula, ex tribus gratiis ire unam, redire duas, eam tu mihi in rem conferre videris, ita nihil unquam à me ad te proficiſcitur, quod non altero tanto auctius

redeat. Filius tuus Ludovicus ex Italia reversus heri me convenit, quid impedimenti fuerit, quo minus humanitatis illi officia, pro tua in me benevolentia, mea in te observantia, exhibere potuerim, ex ipso intelliges; scio vulgarem esse occupationum excusationem, & proinde non satis probabilem; sed profectò quibus rationes meæ notæ sunt, illi nimis sciunt me hoc colore non abuti. Ægrè fuit, quod neque confabulari paullò liberius potuimus, cum me ejus sermo mirificè delectaret, & jucundissimam Italiæ memoriam revocaret; ille verò, qui me sub ipsum fere cœnæ tempus convenisset, non condicere vellet roganti, quod Hopferos adhuc sibi adeundos, & Laubium ad cœnam vocatum diceret. Nihil tibi blandior, neque enim soleo, ex gustu quem cœpi visus est docto patre digna propago, Et plane tibi illum filium gratulor. Si quid in utriusque vestrum gratiam possum, monete tantum, ego polliceor me facturum quæ potero omnia. Vale Vir Præstantiss. Augustæ Vind. x. Kal. Maji An. MDXCVI.

L.

S. Quæ de rebus Svecicis alienâ manu scripta misisti, remitto, quæ tuâ, retineo, quando ita vis, Et pro omnibus meo fratrúmque nomine gratias habeo. Quod si nos hoc in posterum humanitatis genere perges prosequi, magno beneficio devincies, ita tamen ut tu descriptionis laborem ne subeas, mitte potius autographa aliquanto serius. Rittershusii judicium de linteis Pontificum libris exspectabimus. Ego planè tecum sentio, hæc fragmenta neque coloris neque succi esse pro ætate, quum affectant. Occo noster nummos tuos domum misit, nullum est meum in his talibus judicium, sed vereor neutrum antiquam esse. Commodus nisi valde fallor, omninò novitius, Alter minutus litteris Arabicis, credo, notatus, paullo quidem antiquior, & genuinus quidem, sed qui rem Romanam nulla ex parte attingat. Occo censebit rectius. Ego hæc raptim scribebam, uti vides. Vale. Augustæ Vind. Prid. K. Jan. An. MDXCVII, Ineuntem annum tibi, tuis, filio præsertim Ludovico, salutarem precor.

LI.

S. Mi suavissime Camerari, quid ineptimus titulorum istis inanibus, saltem cum apud nos, cum soli sumus, hoc est in litteris, nam extra, nihil veto cum vulgo & sentire & scribere, ad populum scilicet phaleras, intus, quæ amore & candore utriusque nostrûm digna sint. Vides quam tibi præeo viam, eâ si placet sequere, & quid ni placeat? nisi sanè ista tibi subrustica videtur simplicitas; in quam partem si me interpretaris, sed spero non facies, superest, ut culpam deprecer. Succica lubens vidi, & pro

iis gra-

iis gratias habeo, quæ ad fratrem Frisingam misi, te non nolente credo, recepturus cis paucos dies, inde cum fide restituam, & quæso, ne nos celes quicquid præterea ab Arctoo orbe ad vos, nam nos profectò propemodum citius quæ apud Antarctoos, quam quæ in extrema Germania geruntur cognoscimus. Pithæano quoque elogio, quod Hœschelius communicavit, valde delectatus sum. Quî te nunc quidem retaliem non invenio. Interim excerpta ex linteis Pontificum libris, Ortelii, aut Vivis, aut cujusvis potius fide mitto, fide, ut ego, vereor non optima: scis quam vani Hispani, præter alias omnes gentes, in confingendis inscriptionibus quas antiquas credi volunt. Hoc quoque fragmentum illum opinor genium sapit, sed tu judicabis rectius, & lectum aut descriptum Joan. Hermanno procuratori istic nostro remittendum restitues. Quis credat Pontifices in fastos retulisse exempli caussa. IV. Kal. Aprileis, rixam ad Janum infimum in caupona, & cauponem ad Ursum galeatum graviter sauciatum; aut si retulere hoc genus nænias, fuerit scilicet hæc una illa die rixa, quam magna Roma! Plura sunt ad hunc modum, sed & alia parum credibilia, certè ut meus sensus est. Fulvius Ursinus inscriptionem hanc bene veterem nuper ex urbe misit, interpretandam,

M. CLAUDIUS. M. F.
CONSOL
HINNAD. CEPIT

Amicus quidam meus acutè conjectat, HINNAD. esse ENNAM Siciliæ, quam Frontinus HENNAM, quidam Ptolemæi codices HINNAM nominent, HINNAD. pro HINNA, D. otiosè adjectâ esse, more prisco, cujus multa exempla in Duilii rostrata supersunt. Sed ego non video, quis ad hunc modum unquam loquutus sit; Hinna cepit, pro Hinnam cepit, quandoquidem Hinnad pro Hinna accipimus. Judicabis una cum Rittershusio nostro. Vale mi Camerari, & quod enixè facis, nos amare perge: filio Ludovico multam salutem precor. Augustæ Vind. XVI. K. Jan. An. MDXCVII.

LII.

LOngum inter nos videbamur silere, Vir Clarissime, cum ab And. Schotto Roma hanc schedam accepi, descriptam uti vides ex tabula lapidea antiqua anno proximè præterito erutâ. Hoc ego condimento meas tibi non omninò insipidas videri posse existimabam, est enim profectò egregium monumentum, quo Consulares fasti multipliciter juvari queant, qua supplendo qua corrigendo. Schottus cum fide descriptum affirmat, mihi tamen unus aut alter locus suspectus est, imò nec suspectus, quin erroris manifestus. Tu interim doce, cujus collegii aut corporis istæ adlectiones & cooptationes, quod me nescire fateor. Ami-

cus quidam meus, homo eruditus, de Consulibus suffectis cogitabat, quod non placet; quis enim credat inter suffectos & Cæsares fuisse relatos? Alter magis ad meum sensum de Sacerdotibus aut Flaminibus Augustalibus, & quid si Saliis, in quorum numerum primores civitatis aspirasse scimus; Saliatum Antonini Philosophi Capitolinus, puto, commemorat: sed hos in decurias tributos fuisse, nullibi memini legere. Ut ergò simplicissimè dicam, veteri formula, N. L. si tibi lucet, viam nobis quoque quæso ostende, sin minus, Rittershusium etiam & Schoppium in consilium voca, & quicquid exsculpseritis communicate, egò vobis Minerval lubens debebo. A Bonavent. Vulcanio ex proximis nundinis Jornandem exspectamus, & commentarium de litteris Gothicis. Lipsius opus magnum politicum præ manibus habet, eo absoluto ad facem historicam reversurus. Vale, Vir Clarissime. Augustæ Vind. Non. Martii An. MDXCVII.

Ex pr oribus meis ædibus in hortos satis amplos migro, eo diligentius posthac Botanicos tuos labores perlecturus, quod si ex divitiis herbariis, quas tibi ingentes esse audio, granis aliquot rarioris alicujus seminis hoc tirocinium nostrum ornare voles, inprimis gratum erit.

LIII.

JOan. Vincentius Pinellus Patavio duplex apographum vitæ Pythagoræ ad me misit, ut tibi curarem alterum, quam fidem ecce nunc exsolvo. Auctorem ille Porphyrium existimat, quem Malchum appellatum fuisse ex Plotino scimus & Eunapio. Lacunas ex antiquo exemplari imitatas ait, in quo ii versus erasi erant; sed cum in sententia nihil desideretur, videri factum descriptoris oscitantia, qui eadem verba temerè repetita coactus fuerit eradere. Quas tu præterea conjecturas habebis redintegrando & illustrando huic thesauro, quæso, ne nos celes: significa etiam, num quis vestrum versionem & editionem cogitet, ne quis fortasse hic imprudens falcem in alienam messem. Jamblichi Pythagorica quæ Franekera proximè præteritis nundinis promisit, hic nondum vidimus, si ad vos perlata sunt, ne grave sit ad aliquot saltem dies communicare. Vale; Vir Clarissime, & lectissimo juveni, filio tuo Ludovico, multam à me salutem. Augustæ Vind. Non. Junii An. MDXCVII.

LIV.

JAm profectò nimia est ista tua humanitas, qui in morbo etiam cubans, non de commodis, quod ipsum magnum esset, sed de oblectationibus meis cogitas. Quas gratias agam? Vota ad Deum sospitatorem pro salute tua fundam, rata utinam, uti sperare atq; ominari juvat. Verum sic habe, mi Camerari, omnes à te litteras mihi jucundas accidere, istas verò tanti in me amoris tam illustres

ſtres indices, fuiſſe jucundiſſimas; interim nolle quidquam tuo incommodo fieri: cura, quæſo, valetudinem tuam, in iſta ætate, in iſta corporis imbecillitate diligenter, quo enim te cautiorem reddam, nec ſenectutis nec imbecillitatis admonere verear. Arctoa remitto. Poloni valde turgere videntur, mirum ni malo aliquo magno gravidi. Deus bone, quæ fera, qui baculus huic diademati invideat! Stephano illis, non adoleſcente hoc Rege opus ſit, in chamo & fræno ſcilicet maxillas eorum. De navigatione Batavorum ad Indos, valde amo te, ſed ita, ſi pretium indicaveris, nam tibi detrimento eſſe nolim, nec ſanè æquum ſit. Italicam ſcriptionem de fœdere Polonico, remittes, cum erit commodum, res ea feſtinationem non habet. Vidiſti Evangeliſtam Quatramium Alfonſi Ducis ſimpliciſtam, ut ſe vocat, de Theriaca, Ferrariæ ſuperiore anno editum? Is meminit magni operis, quod de herbis Clar. Cluſius brevi editurus ſit; Auctoris nomen quin exſpectationem excitet, fieri non poteſt; ſignifica, ſi quid inaudiſti. Monumentum Schwarzenbergicæ victoriæ chartaceum mitto, quod ex ære aut marmore ſtare debebat, ſi ſuus virtuti honos eſſet. Vale, Vir Præſtantiſſ. Et filium meo nomine ſalvere jube. Auguſtæ Vind. x. K. Maij An. MDIIC.

LV.

UT video unum idem perpetuò litterarum mearum ad te argumentum eſt, Gratias agere. Et quoniam tibi, quæ tua humanitas, verbis tam facile ſatisfieri pateris, audaciorem ad petendum, niſi ſubimpudentem etiam, reddis in poſterum. Amicus quidam meus, vir magnus, Conſilium de bello Turcico, cujus inſcriptionem in ſcheda leges, magnopere videre cupit, quod cum iſtic aut editum eſſe, aut certè haberi nobis renunciatum ſit, te per amicitiam noſtram oro, ut ſi quidem venale extat, ſex exempla quam primum huc mittas, pretium à Joanne Hermanno noſtro recepturus, ſin aliter, ſaltem unum vel prece vel quocunque modo undecunque eruas; nihil mihi nunc temporis poterit accidere gratius, verum ita, ut magna gratiæ pars in celeritate ſit poſita; ſcis ipſe quam impatienter hoc genus deſideria feramus. Arctoæ nubes magnam tempeſtatem minantur, niſi quod ſunt lenti illius plagæ motus. Reponam ſpero brevi aliquid ex Italia, ſic enim ſpes facta eſt. Vale mi Chariſſime Camerari. Auguſtæ Vind. Prid. Id. Febr. Anno MDIIC. Hœſchelius Maximi myſtagogiam edere cogitat.

LVI.

LIbelli de rebus Turcicis exempla, quæ promittis, quamprimum iſtîc comparebunt, exſpecto, noſtri pretium liberaliter perſolvent: Interim ſi unum ſaltem ab amico aliquo, vel uſuarium impetrare potes, gratia erit cumulatior. Quod utilia quæ-

dam in eo contineri ſcribis, nullus dubito, nota eſt Plinii ſententia de omnibus omninò libris. Alterum quoque fit veriſimile, pleraque illius Platonicis ideis aſſimilari, ita ſanè peripateticis ut audio abſurda videntur, & eo lectionis deſiderium apud me creſcit. Quorum proximè ex Italia ſpes facta, non adeò magni momenti ſunt, mitto tamen, ut tibi vel voluntatem meam approbem, ipſa Italia planè pacata, aliquo Pannoniæ bono ſpero. Vale vir Præſtantiſſime, & ſalve, meo fratrumque nomine, qui te in oculis ferimus, ſeriò dico. Auguſtæ Vind. VIII. Kal. Mart. Anno MDIIC.

LVII.

BInæ tuæ me magnopere delectarunt, humanæ nimirum & ſuaviloquentes, ſed poſterior cum morſu. Cura, quæſo, valetudinem quantum potes, in iſto ætatis provectu, & conſtitutionis imbecillitatate. Etſi fortaſſe impudens monere medicum hæc talia, velim te tamen vires recolligere lenibus amicorum confabulationibus, non lectione aut ſcriptione, quæ meo ſenſu medicinæ paullò robuſtiores, præſertim ab incauto ægro largius ſumptæ, quod de te ſuſpicor. Pro Arctois ſcriptis gratias habeo, & valde rogo, ne hoc beneficii genus velis intermittere, etſi quid reponam vix invenio. Byzantina iſta fortaſſe legiſſe non nolis, quamquam neque nova, & imperitiſſima manu deſcripta, ut lectoris interdum acumen exerceant, ſed habent omninò quędam, obſervationem merentia. Ortelium noſtrum, cujus memoriæ benè precemur, deſiiſſe vivere, dudum intellexiſti, opinor. Lipſius jam aliquot menſes in languore eſt, poſtremis ſuis ad me ſcribit, ſe editionem epiſtolarum aliquot adornare, ſi vires erunt, ad alia iturum, & ſtatim quidem ad ADMIRANDORUM partem II. Faſciculum, quem miſiſti, Occoni tradidi. Hœſchelius totus in Photio eſt. Lentum opus, ſed quod ætatem feret. Nos in litteris, vix quod canes in Nilo, ita interturbamur. Miſeremini ſaltem vos amici. Vale V. Clariſſ. Auguſtæ Vind. a. d. Prid. Id. Aug. An. MDIIC.

Pro carminibus de Javarino ecce pictum antidoridion.

LVIII.

Salve Vir Clariſſime. *Conrado Rittershuſio.*

PAraphraſim Cynegeticorum Oppiani in bibliotheca Monachienſi extare, falsò opinor ad te relatum eſt. Certè Cancellarius, ad quem ſuper hac re ſcripſi, nihil illic ineditum Oppiani præter hæc ſcholia apparere reſcribit, quod etiam Catalogus ejus bibliothecæ, qui apud me eſt, confirmat, tu vide cui de cynegeticis credideris. Interim, quamquam te ſcholia in Halieutica jam vulgaſſe video, hæc quoque mitto, ſi uſui eſſe poſſint. Ea quamprimum contuleris, quæſo remitte, ita enim futurum, Cancellario

rio fidem meam obſtrinxi. Et de acceptis etiam, tribus verbis mone. Schoppius noſter ubi vivit, quid rerum agit? Ne me neſcire patere, Servium & Variantes Tertulliani lectiones nondum vidi, ſed omnia ſalva confido. Vale mi Rittershuſi. Auguſtæ Vind. Prid. Non. Febr. An. MDIIC.

LIX.

CUm jam haſce notas ad Typographum miſiſſem, venit ad me Epiſtola humaniſſima, à Marco Velſero, Exconſule, & Septem-Viro Auguſtano, quem Virum ſumma humanitate, in ſumma dignitate præditum, etiam alibi horum Commentariorum laudavi. Ea incluſum habebat Diploma Karoli Imperatoris, nuper in vetuſtiſſimo Libro repertum: quo non fruſtrà putavit egregius ille antiquitatis indagator ac vindex, hanc editionem Guntheri noſtri ornatiorem prodire poſſe, cùm ex ea ſumi poſſint non pauca, quæ ad illuſtrandam deſcriptionem *Roncaliarum*, quæ extat initio *Lib. 2. Guntheri* conducant. Id igitur ſup. omiſſum, hic ſubjiciendum putavi. *Epiſtola Domini Velſeri* hæc eſt: Ligurinum tuum, mi Rittershuſi, lucem nondum aſpicere exiſtimo. Ei itaque exornando, quo gratior in publicum prodeat, Karolinum hoc Diploma, in veteri manuſcripto libro nuper inventum, mitto. Tu animum iſtum, tibi in omnibus rebus gratificandi, boni nimirum conſules. Vale Auguſtæ Vind. XII. K. Octob. An. Chriſti. 1597.

Conr. Rittershuſ. in notis ad Güntherum p. 103.

LX.

P. JACOBO GRETSERO.

EGo cum de Fortunati mente ambigerem, conſului, *more meo* ampliſſimum Dominum Marcum Velſerum Reipubl. Auguſtanæ II. Virum: qui *in hæc verba* reſcripſit: In quo tu, & P. Browerus conſentitis, de eo ne mihi quidem dubium eſt, Gregorium nimirum templum in honorem S. Crucis condidiſſe. Etſi lectio, *hæc templa Gregorius*, retineatur, nemo opinor contra hiſcere audeat. Sed ſequens verſus in controverſia eſt. In eo ut verum tibi fatear, *cuperit*, ægrè admitto, cùm præſertim Browerus veterum Codicum conſenſum in *coperit* teſtetur, & criminatio potius, quam laus videatur, objicere Gregorio cupiditatem veſtis Epiſcopalis, hoc eſt, per circuitionem, ipſius Epiſcopalis muneris. Sed licet retineamus, *dum pallas coperit* non tamen aſſentior Browero, interpretanti de pallis, quibus palla illa Hieroſolymitana, cujus *Gregorius* meminit, *lib. 1. cap. 6.* de Martyribus, involuta fuerit; quin exiſtimo Fortunatum id voluiſſe, Gregorium condito Templo, cui ſacram eam pallam intulerit, illum hoc ipſo cooperuiſſe. *Signa gerendo Crucis* Fortunati Atticismus eſt, cujusmodi plures, puto, licet obſervare, ſive ad dedicationem, ſive aliò referamus. Templum verò ante Epiſcopa-

Lib. IV. Tom. III. de Cruce fol. 544. & 550.

ſcopatum poſitũ eſſe, ſequentia ſatis oſtẽdunt; quem *Voti pii*, hoc eſt, affectus, ſive veriùs, operis pii cauſſam appellat, cum in animo haberet dicere, votum piam cauſſam fuiſſe Epiſcopatus: Sed iſtiusmodi inverſiones frequentes ſunt in Fortunato. Reliqua, quæ ſequuntur, manifeſtè ad Pallium Epiſcopale pertinent. Et, ut rem in pauca contraham: Ego tuæ ſententiæ, cum una exceptione, cupiditatis Epiſcopatus ſubſcribo.

LXI.

Salve, Vir Clariſſime, *Melch. Haiminsfeldio Goldaſto.*

MEmini ab Alexandro Platonico olim proditum, nec crebrò, niſi neceſſariò, cuiquam ſive dicendum ſive ſcribendum, nos eſſe occupatos. Credo quod totum hoc excuſationis genus plerumque putidum, vacuis & otioſis hominibus parum etiam veriſimile videatur. Ego me alterum moniti caput religiosè adhuc ſervaſſe probè ſcio. In prius ſi coactus impingo, ipſe credo Alexander noxa eximat. Inter tot enim curas & negotia, quæ per caput & circa ſaliunt latus, cum amicorum officiis ſæpe deeſſe cogar, quidni quod res eſt, ſi uſus veniat, etiam centies iterem? Certè reſponſum ad ſuaviſſimas tuas literas aliunde auſpicari non licet. Eas VI. K. Decemb. datas his demum diebus neſcio quis Callippides attulit, tempore quo ego occupationum mole tantum non obruebar. Eo paucis tibi nunc quidem ſatisfieri patieris. Affectum, quem offers, obviis ulnis amplector, & redamantem à te amari tibi perſuadeas, quod factis quam verbis credas malo, ſi quid unquam erit, quod in rem tuam, tuorum, à me præſtari poſſit. De Geroldo abunde admeritus es, & quidem in tempore, quod omnium gratiſſimum; Geroldus enim tum maximè in hiſtoria Boica ſub ſtyli acumine erat. Et Theganus de geſtis Ludovici Pii, quem à Pithœo editum non neſcis, Hiltegardis matrem diſertè Immam appellat, tu Rhegardem Immæ filiam, ut Imma Hiltegardis fuerit avia. De theſauro illo Germanicæ antiquitatis, vellem ſcripſiſſes diſtinctius, nam ego quidem argumentum libri non ſatis capio, neque ſcriptionis genus, an CXLV. auctores, quorum ad XXXV. nomina poſuiſti, ſinguli partem aliquam ſcripsêre? cui fini, & quo collectore? quæſo fac ſciam explicatè. De Turone & Fridebrando nihil nunc in mentem venit. Neq; in Winsbekiis te juvo. Winsbekiorum familia nuper apud Bojos intercidit, quæ an huc quidquam faciat, cogitabis. Zappes **Stifft** & **Oggewedel** mihi cum ignotiſſimis ignota ſunt. P. Gretſerus oſtendebat, hac tranſciens, catalogum collectaneorum antiquorum, quæ in duos Tomos digeſta, te Moguntiaci brevi editurum ajebat; Te dignum erit, promiſſa repræſentare: tum alias præterea opes, quas ingentes apud te & apud Clariſſimum Schobingerum, cui amantiſſimam ſalutem reſcribo, condi

video,

video, bono reipublicæ litterariæ promere. Vale & deproperatæ ſcriptioni ignoſce ; nam profectò hoc ipſum ſemihorium vix aliis negotiis ſuffuratus ſum. Aliàs prolixiores expecta. Interim meam brevitatem atque jejunitatem imitari noli, neque enim dubitare debes, literas Tuas, quò longiores, eò mihi chariores futuras. Auguſtæ Vind. Prid. Non. Febr. An. MDCIV.

LXII.

QUo tu Schobingeri memoriam cumulatius dilaudas, ego eo impenſius de ejus abitu doleo. Et debeo ſanè, ſiquidem ille me vivus amavit, ut narras, neq; viſum, neq; de illo quidquam unquam meritum. Sed mi Goldaſte, ſemel hæc omnibus via terenda eſt. XXXVIII. annos exegit, quid ſi altero tanto conduplicâſſet? curricula quidem plura abſolviſſet in circo, favente & plaudente opinor ſpectatore; huc tamen tandem deveniendum fuit, hanc metam nemo mortalium effugit, nemo effugiet, omnium noſtrûm ad eam fracti currus impingunt. Et bene ſi currus tantum, nec auriga anima excidit, alliditur, trahitur. Intelligis, quid velim, & quoniam intelligis, fac tibi quæſo ſeriò cordi eſſe. De Paræneticis amo vos, etſi rubore perfuſus: nam ſi ærea frons ſit, non duret ad poſtremam dedicationis pagellam. At ego affectum, non rem, ſpecto, & quo longius à vero in hac cauſa abis, eo me tibi plus debere ſentio. Utinam aliquando reponere liceat; occaſioni, quæ ſe offeret, non deero, dices te beneficium apud memorem collocâſſe. Egi cum Willero diligenter, ſtatim annuit, ſe æquo pretio centum exemplaria redempturum. Ut verò intellexit heredes omnia ſimul velle divendere exemplaria, ad mille quingenta eſſe, pedem retulit, neque, ut tibi ſimpliciſſimè quod res eſt dicam, ſpem video vel Willerum vel noſtratem ullum bibliopolam omnia empturum, niſi viliſſimo pretio. Valde vellem exempla aliquot, ducenta trecenta puta, ad Francofordienſes nundinas miſiſſetis. Hiſtoricorum duplex volumen in Moguntinenſis typographi manibus dudum eſſe opinabar, & illam quercum adhuc excutiendam eſſe cenſeam. Ingolſtadienſes Caniſii ſequentibus tomis antiquæ lectionis ſumptus negant, ſextus nunc nundinis prodibit, opinor, ſed jam ad ſeptimum, imò octavum etiam, materia parata erat. Libros longi fori eſſe cauſantur, perpaucos capi hoc antiquario ſtudio, quod ideò moneo, ne in illis ſpem ponas. Auguſtani typographi tenuiores ſunt, quàm ut propriis ſumptibus paulò grandioris molis librum aggrediantur. Tyrole & Winsbekio imprimis delectatus ſum, & quam vellem totum illud carminum volumen ab homine docto & diligente, qui tua veſtigia ſecutus eruditas notas adderet, in vulgus dari? Principe aliquo viro ea cogitatio digna ſit, aut certè homine, qui animum Principe dignum gerat. Vale. Aug. Vind. VI. Id. Septembr. An. MDCIV.

Digitized by Google

Nunc literas à Frehero accipio, qui Nolgeri tertii Abbatis S.Galli verſionem barbaricam (ita inſcripſit) id eſt Germanicam Pſalterii totius, paraphraſi Willeramianæ ſimilem, apud ſe eſſe ait, & publico offert, ſi typographum reperiat.

LXIII.

TAbulaPeutingeriana neq; meis ſumptibus eſt edita,neq; ejus apud me ſunt exemplaria,quæ apud Plantinianos iſtic reperiri poſſe nullus dubito.Rerum autem Auguſtanarum volumen in nundinas lubens mittam,neq; ſanè res tanti,ut vicem,quod tu innuis,repoſcat; ea te itaq; curâ levo. Nihil jam avidius,quam Caſaubonianum Polybium,ſive expeto ſive exſpecto: utinam det mercatus proximus,quod vix futurum vereor. Vale, Auguſtæ Vind. XI. Kal. Octobr. MDCVII.

LXIV.

HIeroclis facetias ex codice Auguſtano auctas P. Pontanus jam pridem convertit,& edendi occaſionem expectat,quam brevi obventuram confidit: adjunget autem neſcio quæ alia etiam opuſcula,ex Græco à ſe converſa. Tu quod Germanicarum legum vetera monumenta promittis,valde te amo; quin quoq; conſilium laudo, quod quæ religionis mutationem reſpiciunt, odii nimirum & invidiæ ſeminaria, excludis. Utinam idem in Alamannicis ſequutus eſſes. In quibus quod tomo ſecundo p.196. vitæ Notingi Epiſcopi à S. Udalrico ſcriptæ meminiſti, ſi ejus apographum per te conſequi licebit, magno me beneficio auctum putabo. Vale, Auguſtæ Vind.

MARCI VELSERI LATINÆ ET ITALICÆ EPISTOLÆ,

AD

ROBERTUM TITIUM, ALIOSQUE ITALIÆ SEMONES CELEBERRIMOS.

LXV.

Salve, Vir Clariſſime,

BEnè de amicitia inter nos auguror, quos ſimili genio inter hæc ipſa initia ſcribere video. Summas tu temporis anguſtias excuſas, à Bindonio inopinatò deprehenſus: Et mihi ſanè negotia centum per caput, & circa ſaliunt latus, ita ut Bindonium in reditu nec alloquendi, nec omninò aſpiciendi fuerit copia. Tribus tibi ergo verſibus ſatisfieri patieris nunc quidem; erit cum utrique ſe effundere liceat. Amo amorem & affectum iſtum tam prolixum tuum, cujus ſignificatio, non fallo,quo minus ex-

nus exspectata, eo mihi gratior accidit. Quid reponam? Verborum possim fortasse aliquid, rei pro tempore nihil. Tum verbis etiam abstinere sit satius. Interim sic habe, me siquid unquam usquam, quod in rem tuam, tuorum, sit, si verò potero, non commissurum, ut officium hominis tui amantissimi desideres. Laudibus, quas neque more, neque modo, qui utrumque nostrum deceat, immerenti ingeris, porrò si me amas, quæso abstine. Nam ego si harum ullam partem agnoscam, tum non tantum tua, sed verò bonorum omnium amicitia indignus sim. Ad populum phaleras, mi Titi. Nos litteraria potius quæstiuncula capiamur. Qualem ex Plinio ad te affero, qui libro XXXVI. cap. XII. de maxima Pyramide subobscurè scripsisse visus. *Amplissima octo jugera obtinet soli, quatuor angulorum paribus intervallis per octingentos octoginta trespedes.* Pedes enim DCCCLXXIII. aut etiam DCCLXXIII. in se ducti immane quantum aream octo jugerum superant. Est in mente nescio quid ad hujus loci interpretationem, quod pedarius senator, nisi majorum auctoritate confirmatus, proferre verecundor. Bindonius in itu dixit te in Cæsarem sub incude habere: Tum alia quædam; quicquid est fac distinctè sciam. Nam ne Italia, Ursino & Pinello clarissimis hominibus extinctis, se orbam queratur, in te, & tui similibus, si qui sunt, situm est. Clariss. Aldourando & Velio multam à me salutem Vale. Augustæ Vind. VII. Id. Octobr. An. MDCI.

LXVI.

HOmo Italus domo, - - - - - - - professione Jurisconsultus, nomine Joannes Caselius, ut tum præ se ferebat, ante quatuor opinor menses hic fuit, hinc ad Palatinum Comitem Neoburgensem, inde ad Electorem Saxoniæ abiit, quod Italia se ob Catholicam Religionem desertam profugisse profiteretur; desertionis causas se ex Lutheri adversus Erasmum libro de servo arbitrio, qui est sanè longè pestilentissimus, ut ejus ipsos Lutheranos pudeat, hausisse ajebat. Postquam verò hinc abiit, audio spargere Caselii nomen ideò à se fictum, quia cum Cardinalem Baronium à me amari & coli sciret, periculum sibi imminere vereretur, si, quod res sit, se Cardinalis fratre natum genuino Brocardi Baronii nomine fateretur. Habes fabulam, ut mihi quidem videtur, planè enim suspicor hominem scelestissimum ob grande aliquod crimen extorrem Baroniano nomine ad fucum faciendum & eo magis commendandam Apostasiam abuti, quòd à Germanis etiam adversariis Cardinalis virtutem & eruditionem maximi fieri sciat. Ex te ergo magnoperè scire cupio, an quis apud vos unquam vel Joan. Caselius vel Broc. Baronius Juris Doctor fuerit, qua existimatione, quando & quas ob causas discesserit. Vides

enim Religionis causam hic agi, ut istiusmodi pestilentis exitii materia, quam sibi mendaciis peperere, veritatis luce detrahatur. Vale. Præstantiss. & Clariss. Mercurialem salvere jube. Augustæ Vind. x. Kal. Jan. MDCII.

LXVII.

IN Plinii loco *Ampliſſima octo jugera obtinet ſoli, quatuor angulorum paribus intervallis per octingentos octoginta tres pedes ſingulorum laterum*: Numeri, mea quidem ſententia ſive integri, ſive modici corrupti ſunt; nam non diſplicet, quod Dalechampius ſeptingentos pedes, ſe in quibusdam Codicibus reperiſſe ſignificat. Sed tantulum diſcrimen ſcrupulum non eximat: Fac latera fuiſſe pedum DCCLXXXIII. area ſupra viginti adhuc jugera conficiet. Si igitur pateris, alium huic nodo quæremus cuneum, malum planè, ſed malo. Plinium ipſum plura ſcripſiſſe, quàm intellexiſſe ſuſpicor, quod & alii tibi in illo obſervarunt, nec mirum in tanta tot rerum farragine. Cum ergo Herodotum pyramidi octo plethra rotundo numero, deindè alium ex iis, quos permultos nominat; pedes DCCLXXXIII. aut DCCCLXXXIII. exacto tribuentem reperiſſet, utrumque exſcripſit. Verum Herodotum duplici errore, plethra primum jugera interpretatus, quod optimi & antiquiſſimi item Latinorum fecerunt, tum deinde de area capiens, quod ad latus referendum erat. Hujus rei Mela me admonuit, cujus verba ſequuntur. *Quarum maxima, tres namque ſunt, quatuor ferè ſoli jugera ſua ſede occupat, totidem in altitudinem erigitur.* Ubi ex comparatione ad altitudinem liquidò apparet, jugera non pro area & ſuperficie, ſed pro longitudinis menſura poſita eſſe. Porrò Mela, quatuor jugera pro octo plethris vertens, rei veritatem propius conſectatus, non tamen attigit. Sed nimis jam multa de hoc loco, quæ niſi tibi probabuntur, meo quoque calculo damnata pronuncio. Bellonii nullam rationem habendam cenſeo, perquam rudem enim metiendi rationem ſequitur, quod & alii noſtra ætate in Ægyptum peregrinati fecere; itaque nullis duobus convenit. Tum mirum non ſit à Plinio ad Bellonium, menſuras, aggeſta humo mutatas & contractas eſſe, id enim pyramidalis figuræ fert ratio. Quæ te ſub incude perpolienda habere ſignificas, fac, matures edere bono publico; ſeriò enim tibi affirmo me magno eorum deſiderio teneri. Interim amare perge, & quod de ſolvendis amoribus meditaris, cavebis in me experiaris Vale. Augustæ Vind. Kal. Febr. An. MDCII.

LXVIII.

DUm Bindoniũ ex nundinis expecto, dies plures abeũt, donec eum nunc maximè verſoriam per Galliam cepiſſe; Nos hic proximis quinque ſex menſibus non viſurum audio. Tuas Jacobo Pon-

bo Pontano communicavi : cujus manum in ſcheda vides ſatisfacientem, deprecantemque, ſi quid adhuc ab homine mitiſſimi ingenii,& cui quomodo verba ea,quibus te tactum, offenſumq; ſignificas,exciderint,planè miror, ſed ſi quid adhuc deſideras, fac ſciam. Nam ego ſimultates, imò etiam offenſiunculas inter earundem litterarum Conſectaneos longius procedere nolim. Diſſentire liceat,ut ſanè licuit ſemper,licebitque & id publicè teſtari, tantum ne cum alterius nota,etiam in manifeſto lapſu. Vetus cogitemus illud:

Cuivis poteſt accidere,quod cuiquam poteſt. Sed quis eſt quæſo Pompejus Lampugnanus, ille, qui ita acriter in Lipſium? Nos ne nomen quidem antehac audieramus, & vix tamen credibile, ejus commendationem ab hoc opuſculo auſpicari voluiſſe, quod Bergomi editum,ut titulus præfert,charta fidem non facit: poſteriores locorum controverſorum libros avidè expectamus. In quibus vide an hic quoque ſcrupus,qui me exercet, quemque ad te defero,locum inveniat. Plutarchus M. Antonio diſertè ſcribit Cleopatram à Cæſare, & Gnei Pompeii filio puellam adamatam fuiſſe. De Cæſare omnes ſcimus, de Gneo quis prætereà prodidit, aut quomodo omninò fieri potuit, ſi hiſtorias paullò diligentius excutimus? Mihi planè aqua hæret,nam nec illud fortaſſe probabiliter dici poſſit memoriale peccatum in Plutarcho videri; quî enim hoc? cum non appareat in nomine,ſed tota narratione aberratum eſſe. Explica,& Minerval à nobis emerere. Bindonio ſalutem aſcribo. Vale Vir Præſtantiſſime Auguſtæ Vind. VI. Kal. Maij An. MDCII.

LXIX.

POntani ſchedam, quæ nuper feſtinantis manus neſcio quomodo fugit, nunc mitto: quo tibi nimirum fidem faciam, mihi ſeriò cordi eſſe, omnes inter nos offenſionum occaſiones tolli,ſemen ipſum extingui. Optimo ſeni Velio, qui in litteris ad Occonem mei ſæpè amantiſſimè meminit,ſalutem tuo commodo *nunciari* velim, Vale Auguſtæ Vind. v. Non. Maij An. MDCII.

Legi perlibenter, quod Robertus Titius pollicetur, & librum avidè expecto, ſperoque doctiſſimi Viri labores etiam in Symbolis Ovidianis, quæ meditor, & quæ mihi quidam eruditi Viri ſuaſerunt, quibus Virgiliana placuerunt, multum adjumenti allaturos. Doleo meam uno, & altero loco ab ipſo diſſenſionem, non tam apertam,quàm inſinuatam viſam contumeliam. Conſentire & diſſentire inter doctos (modeſtè tamen) res antiqua eſt,& cum ipſis nata litteris. Si quæ eidem in Symbolis Virgilianis non probantur,expecta quæſo dum iterum prodeant,& confido, ſecundas curas fieri meliores.

LXX.

CUm tibi Pontanus ipſe per Epiſtolam ſatisfaciat, mihi eo labore ſuperſedendum eſt. Locorum tuorum ſpem nuper tám certam feceras, ut eam animo jam devoraverimus, quo nunc durius dilationem accipimus: ſi me itaque amas, editionem quantum potes matura, ſive Venetiis, ſive etiam Florentiæ. De illo, quisquis eſt, qui Lampugnani nomine adverſus Lipſium abuſus, quis non tecum ſentiat? Ego verò inter primas Lipſii laudes cenſeo, adverſariis ſic terrori eſſe, ut non niſi ex inſidiis appetant. Si quid deinde compertius habebis, ſive de codice Mirandulano, ſive de ipſo ſcriptore, fac quæſo ſciam. Ad Suetonii Correctionem, *petiiſſe ſe* pro *periiſſe* aſſenſum ſuſtineo: quod mihi neſcio quo modo inſolens illud ſe petere: nec tamen Pſyllos mortuæ Cleopatræ admotos exiſtimo, neque hoc voluiſſe Suetonium, & ſi ſanè eò verba ducere, non nego, ſed commodè interpretanda opinor. Ad Plutarchi locum malo Caſaubonum audias, qui mihi ſuperioribus diebus Lutetia in hæc verba reſcripſit. Quod quæris de Pompeji & Cleopatræ amoribus, cui potiſſimum tempori Plutarchi verba ſint accommodanda: de ea re ſic nobis videtur. Gn. Pompejus Magn. F. cujus πρωτικὰ συμβόλαια magno illi ſcriptori narrentur, Claſſi Ægyptiacæ præfuit bello civili Pompejano, quod ſcriptum eſt diſertè in tertia hiſtoria ejus belli Latina. Hanc Claſſem Pompejus à Rege puero, & Cleopatra per Legatos impetraverat, ut non obſcurè ſignificat libro II. Appianus. Nos autem putamus Legationem hanc non alium obiiſſe quàm Gn. Pompejum Magn. F. Tunc igitur in Ægyptum venit, & eam cum Cleopatra conſuetudinem habuit, de qua loquitur, ὁχάμενον. Tibi ſi aliter videbitur, non præter opinionem acciderit, meram enim, ut vides, conjecturam afferimus. Quare ſi quid ſuper hoc habes exploratius, quæſo te benignus imperti. Nunc hoc etiam me velim doceas, quis ille Bojus ſit, cujus ſcriptor Rhetoricorum ad Herennium non longè à principio libri quarti meminit, *quomodo Ladas aut Bojus cum Sicyoniis curſitarint*. Quæ verba quo pertineant aut quam hiſtoriam tangant nondum reperi, qui ſe ſcire profiteretur. Vale Auguſtæ Vindel. III. Non. Jul. An. MDCII. Mercurialem & Angelium, illuſtria Italiæ veſtræ Lumina, quin hac peregrinatione convenias non erit, utriq; ergò per occaſionem rogo fidem facias, me virtutem & doctrinam ipſorum vehementer amare, admirari, colere.

LXXI.

EGo me ſententiam Caſauboni de Plutarchi loco non ſatis planè & dilucidè propoſuiſſe video. Cleopatram â Gneo Pompejo Filio eo tempore adamatam ſuſpicatur, quo is Ægy-

Ægyptiis Navibus bello Civili præfuit, ut tertio libro illorum Commentariorum proditum, Cleopatra adhuc planè puella; ut de ætate profecto huic opinioni controversia ex Plutarcho moveri non possit. Illud me magis sollicitum habet, quod hæc mera conjectura est, & si de cætero vero non absimilis, inde tamen suspecta, quod cum Cleopatræ tot veterum meminerint, Pompejanos amores nullus præter Plutarchum tangat. Sed hoc vide, mihi certè valdè arridet — ibi fas, ubi maxima merces. Codex membraneus ambiguus Monasterii S. Udalrici hujus Urbis, legit — ibi fas, ubi proxima merces. Prorsus volente sententia statim enim consequitur. Aere merent parvo — quod quomodo locum habeat, si maxima merces priori versu maneat non intelligo. Lipsii responsum ad Lampugnanianas notas legistis, opinor. Ego Boica in gratiam vicini Principis dedi, cui petenti, qua negarem, frontem non habui. Mittam, si sit occasio, & si scriptum istius cœli elegantiæ parum respondens, in quo Dejotarum Bojum miraturi estis. Verum ego rem magnorum hominum auctoritate comprobatam proponere non sum veritus. Salus à præstantissimo Mercuriale ascripta, supra quam facile tibi persuadeas, grata fuit, quippe qui virum inter paucos hujus ævi veneror; itaq; enixè te rogo, ut illi officia quæcunque à me proficisci possunt prolixè deferas, neque expectationem fallam, si experiri libeat. Vale V. Clariss. Ego serius respondeo quod te nunc demum Bononiam reversum conjecturam capiam. Augustæ Vind. v. Id. Octobris. An. MDCII.

LXXII.

HEri sub vesperam litteras Bindonius reddidit, quas tu III. Id. Mart. scripseras, statim ad Raderum misi, qui querelam tuam de Martialis loco deferret, quid homo candidissimus responderit, in scheda leges quo commotiunculam illam totam tolli cupio. Animum peccandi abfuisse res loquitur, & tu sanè iratus etiam si sis, quod tamen non es, opinor, fateri necesse habeas gravissimum negligentiæ & oscitantiæ crimen esse. Ut benedictis isti, Raderum & Pontanum intelligo, maledicta, quæ imprudentibus exciderunt, posthac corrigant, mihi quoque curare cordi erit. Epigrammata legi, & te valdè de illis amo, sunt enim egregia, itaq; de concerpendis, quod innuis, non audio. Boica mittantur: postquam te hæc pica gravidarum more exercet. Bindonius ut commendationem tuam apud me valuisse intelligat, efficiam. Has præstantissimo Mercuriali cures rogo — Plura alias, hæc nunc occupatissimus deproperabam. Vale Augustæ Vind. Prid. Non. April. An. MDCIII.

LXXIII.

LXXIII.

BIndonium à Nundinis non vidi, neque eum sanè Pragam & ad Sarmatas abiisse intellexeram. Nolim hoc ejus consilium editioni lucubrationum tuarum fraudi esse. Wottonius Prid. Id. Majas Venetiis ad Hœschelium scripsit, se huc festinare, quo magis, ubi tamdiu hæreat, miramur. Schoppii suspectæ apud bibliopolas nostros non amplius prostant, meum itaque exemplum, quod tibi rem cordi esse videam mitto. Ad priores tuas dudum respondi inclusis literis præstantissimo Mercuriali inscriptis, quem amicissimè iterum salutari cupio. Quod proximè de Caselio sive is Baronius est quærebam, quæso fac quamprimum commodo tuo fieri poterit distinctè sciam. Et si quid præterea est, quod tibi in his oris gratificari queam, mone. Excell. etiam Ulyssem Aldrovandum, si quando conveneris, meo nomine salvere jube. Vale. Augustæ Vind. VIII. Id. Junias An. MDCIII.

LXXIV.

POstremas quoq; tuas literas Radero ostendi; quid censes? homo gaudio exsiliit, sanè meritò, si quid est à laudato laudari, si quid ab eo, quem paullò ante suboffenderis. Tum castigationes quidem expetit, atque si pateris promissas efflagitat. Cum quibusdam locis jam ipse post editionem sententiam mutaverit, plerisq; nec sibi antehac satisfecerit, nec adhuc satisfaciat, sed brevi opinor Raderi Pontanique copiosas litteras accipies, uterq; enim Titium in oculis fert, & singularem in magna doctrinæ copia humanitatem admirabundi prædicant, publicè aliquando effecturi, ne te officio certasse priorem pœniteat. Ego mihi serio gratulor, quod conciliandæ inter vos benevolentiæ sequester interceserim. Bindonium à Nundinis non vidi. Sed Boica, via Veneta jam dudum missi, quæ te accepisse velim: tum si tanti putabis inspicere judicium perscribas rogo. Cum enim Princeps nullam excusationem quo minus in incepto cursu pergam, admittat, si quid pro nostra amicitia, pro tuo candore monueris magnus ejus usus erit. Catalogum Nundinarium librarium vides, quem perlectum ad præstantissimum Mercurialem cum literis ipsi inscriptis cures quæso. Lipsius pænè fuit à Medicis depositus, tamen vivit. Syntagma de Vesta & Vestalibus primo missu daturus: Sequentur, quæ in Senecam Philosophum molitur, tribus libris manuductionis in Philosophiam Stoicam, & primo Physices ejusdem Sectæ jam absolutis. Tu spem quam nobis nuper faciebas, caveis ne in longum ducas & me tui amantissimum redamare perge. Vale. Augustæ Vind. XVI. Kal. Junias An. MDCIII.

LXXV.

LXXV.

WOttonius nec dum comparuit, quid ergò litteris tuis fieri velis significa. Occo vivit,& salutem à te dictam gratam acceptamq; habuit,quod sanè scriptione testaretur,nisi senectus eum ab omni officii genere adversus Amicos plenissimè excusaret. De Boicis nostris quæso parcius,ista enim & judicii tui existimationem,& frontis nostræ pudorem verberant.Bindonius saltem scribere debebat, quid spei, quid rei Francofurti: hic sanè nihil video, ea typographorum nostrorum tenuitate, ut propriis sumptibus vix quidquam unquam evulgent.*Libyca testa* in Martiali apud me dubitationem nullam habet, sed si libertatem meam ferre potes in horas,ingeniosius, quam verius excogitatum, nescio quomodo frigere videtur. Ita meus gustus est; alii aliter fortassè sentiant; nosti enim in hoc genere *quot capita*—ita ut quod uni insipidum, aliis plerumque palmarium videatur. Raderus rescribet, opinor. De Caselio, an Baronio,quæso,res cordi sit, & si quidem Caselius, quem suspicaris, fugit, jam tenemus hominem, quo verò certioribus, non indiciis, sed testimoniis, unam omninò epistolam ejus manu scriptam, cum plures apud te esse significes,mitte.Baronius Cardinalis,inquam, cum rescripsit, se unicum parentibus fuisse, ita ut quisquis se aut fratre aut sorore ipsius natum profitetur, hoc ipso impostor sit oporteat.Vale & festinationi,rogo,ignosce: Tum has ad Mercurialem cura. Augustæ Vind. v. Kal. Jul. An. MDCIII.

LXXVI.

SUspectas Schoppii nihil redire opus,non ad hunc finem missas, Schoppium ipsum Romæ in magna principum virorum gratia agere, non nescis opinor; si tamen nescias, visum monere. Quicquid inter homines eruditos offensiunculæ suboritur,ut sanè quisq; suos patimur manes, amica disceptatione componi, quàm convitiorum acerbitate in immensum augeri profectò malim. Wottonium an aliquando visurus sim nescio,adhuc non vidi.De Caselio,an Baronio, fac curam non deponas. Nihil præterea est quod te ex me scire nunc quidem oporteat.Vale Augustæ Vind. v. Id. Jul. An. MDCIII.

LXXVII.

CAtellinus,an Castellinus tuus,ne dubita,uti extra culpam, ita extra omnem etiam culpæ suspicionē est, quin ego eum quē à te amari intelligam, jam hoc ipso diligere incipio quantumvis ignotum. Alterum illum mores sui brevi, opinor, prodent: nam ut tantum scelus diutius lateat, fieri certè non potest. Ego de toto negotio diligenter ad Cardinalem Baronium scripsi. Wottonius nunquam apparuit,& alia via in Patriam regressum esse pro certo habeo, itaque Epistolam tuam dudum in Angliam misi. De tertio versu primi Martialis epigrammatis,

nisi tibi aliud videtur, adhuc ampliemus, *ficu Libyca nihil* compertius: tu verò de Radero cavesis sequius suspicari, eum monitiunculam non in optimam partem accepisse: quis ille homo sit, si ob beneficium irascatur, quid adversus injuriam faciat? Perge ergò libertate, quæ utrumque decet, communicare reliqua. Nos pari ingenuitate, ubi usus erit, respondebimus. Lipsium post Lampugnanum alium ex Italia adversarium reperisse ajunt, quem ego nondum vidi, neque nomen quidem satis liquidò intelligere potui, tibi de re tota constare arbitror, itaque distinctè fac quæso sciam. Pontanus tuas accepit. Occo officio tuo admodum delectatus, te amantissimè salvere jubet. Tu vicissim optimo Seni Aldrovando, & cum ad præstantissimum Mercurialem scriptio erit, huic quoque multam salutem meis verbis nunciabis. Vale, Augustæ Vind. Prid. Id. Septembr. An. MDCIII.

LXXXIII.

W. Ottonius Lipsiæ visus est, ut eum in Patriam nobis insalutatis rediisse jam dubitationem nullam habeat. Pichenam ex paucis, quæ in Tacitum edidit, æstimo. Itaque valdè velim Marmor Pisanum ab ipso prius diligenter inspici, quam de Inscriptionis antiquitate quidquam constituamus. Tum magnopere referat, & si Pichena aliter existimet, eam majoribus litteris summa religione, atque adeò superstitione non tantum syllabatim, sed litteratim & apicatim etiam, si has vocum ineptias ferre potes, vides enim quid velim, describi: Ut nunc est, habet sanè nonnulla ad quæ hæreamus, quæ priusquam oculatus aliquis testis fidem firmet, nihil necesse enumerare. Occo visam sine responso remisit, si quid majoris momenti observaverit, scies cum primum me convenerit, quod sæpè solet. Pichena quid post Tacitum, fac sciam, hominem enim qui hæc vestigia semel feliciter pressit, alacriter progredi publicè interest. Caselii, cujus Schoppius meminit, crebrā mentionē in Petri Victorii epistolis Rostochii editis reperies. Est verò lōge alius à pseudo-Baronio. Salineri hypercriticum tam non vidimus, ut ne nomen quidem audierimus ante hac, sed alicunde eruere curæ erit. Lipsius de Vesta & Vestalibus dedit perbreve scriptum, ut audio, nec ipsum nobis adhuc visum, sed in horas ex Nundinis expectamus. Quas an Bindonius vester inviserit nescio, certè hic quod sciam non comparuit. Sed lucubrationibus tuis moram Bindonii obesse nolim, invenies alium, si te hic fastidit. Raderus secundam Martialis editionem, distractis primæ exemplaribus, quod brevi futurum videtur, statim adornaturus est: quod ideò moneo, ut de observationibus tuis, quod videbitur, statuas. Percharas Radero futuras cùm verborum honore commentario inserendas ego tibi polli-

polliceor. Vale V. Clariſſime & me amare, literasque ſimul juvare perge. Auguſtæ Vind. v. Id. Octob. An. MDCIII.

LXXIX.

PIchenæ litteras per otium ruminabor, tum remittam, nunc enim mirificè ſum occupatus, ita ut veteris Poëtæ verſibus veriſſimè uti liceat:

At nos congeries obnubit turbida rerum
Ferratæque premunt milleno milite curæ

Legicrepi tundunt, latrant fora -- *An Pichiena, anis ſaltem, à quo Pichiena accepit, lapidem ipſum viderit, & de ejus antiquitate fidem faciat, nondum mihi conſtat, vellem factum. Nam ſuperioribus quoque litteris quæſivi, ſi ſatis memini.* Lucubrationes tuas tuo ære apud nos edendi, nunquam tibi auctor ſim. Ante omnia certum habe minoris conſtaturos Venetos Typos, quorũ tamen elegantiæ noſtros concedere vel cæco apparet, eadem eſt multo magis chartæ ratio. Ego certè in rerum Auguſtanarum libris, quem mihi cariſſimum fœtum fuiſſe facilè intelligis, quantovis meo incommodo Venetos prætuli, neque ejus pœnitet: Adde quod ſi quidẽ editio tuis ſumptibus procurabitur, exempla tibi omnia diſtrahenda erunt, damnoſa profectò Mercatura in tanta locorum longinquitate, ſed tu correctionis fide captus es. Ne fallaris, noſtræ operæ veſtris vel inſcitia vel negligentia vel deniq; ignavia, nulla ex parte cedunt. Si quid emendatius aut Pontani, aut Hœſchelii aut noſtrum denique prodiit, id præſentibus auctoribus omne debetur, ii ſi in Venetis, vel etiam Bononienſibus Typographiis eundem laborem extantlare volent, par erit ratio. Ego Venetiis Fabium Paulinum exoravi, de quo, quod querar, non habeo. Verùm Tu cum Bindonio de toto negotio rectius conſtitues: hunc nos in reditu nulli vidimus. De correctione liberè liceat, nunquam vidi ſtultius conſilium: inſunt cum ea, quæ tu accuratè enumeras, tum etiam omnia indigna nomine Italico, quam putas riſurum illum, qui petitur, quam alios populares ejus! ſed quorum res agitur, iis hęc curę ſint. Præſtantiſſimum Mercurialem à quo reſponſum expecto ſalvere jubeo. Vale Auguſtæ Vind. XVIII. K. Decemb. A. MDCIII.

LXXX.

Epiſtolæ II. R. Titii; prior ad Ad. Occonem, altera ad M. Velſerum.

LIberè tecum loquor mi Occo, ita enim natura mea fert ac ſtudia, quæ uterq; noſtrum profitetur, expoſcunt. Jamdiu eſt quod te ex tuis literarum monumentis amare cœpi, ita ut vehementer optarem particulam aliquam tui amoris viciſſim adipiſci: neſciebam tamen rationem invenire huic meo deſiderio aut potius cupiditati ſatisfaciendi. Rogavi non ſemel Julium Cæſarem Velium, ut ſe mihi aliquantulum daret ad hoc negocium

transigendum,quod cum spissum esse viderem, ac lentè admodum procedere, tam diuturnæ moræ impatiens converti me ad Clarissimum Velserum timidè, fateor, & non sine aliqua hæsitatione, propterea quod vererer,ne arrogantiæ nomine tacitè insimularer,qui prorsus obscurus,& ignotus in amicitiam tuam obrepere conarer. Nunc postquam Velseri opera compos factus sum mei voti, fruor hac,vel facilitate Viri humanissimi,vel benignitate tua,vel utriusque errore,qui me aliquid esse existimatis; certè ita occasione hac utar,ut in eo,quod Dei benignitate semel adeptus sum,retinendo mihi defuisse, videri non possim; quod nisi re quicquam effecero,cur amorem tuum promerear? certe animo & voluntate nemini unquam cedam in te colendo bonaque omnia à Deo Optimo Maximo tibi precando. Nec interim tamen negligens ero in captanda aliqua occasione,qua hunc animi mei affectum ac studium erga te re ipsa patefaciam. Erit etiam tuæ benignitatis hanc meam voluntatem juvare, & eam ipsam occasionem,quam sedulo perquiro,mihi præbere.Cognosces profectò hominem tui valdè amantem ac per studiosum. Verum quoniam hæc tralaticia tibi fortè videri possunt, abrumpo libens sermonem, tantumque addo,me amicitiam tuam plurimi facere, & in te diligendo nemini omninò concedere: puto his pauculis verbis, quæ, ita me Deus respiciat! sine fuco & fallacia more majorū è candido pectore proferuntur, omnia contineri,quæ quantumvis longo sermone vix exprimi possent. Vale Vir præstantissime, & quod te jam facere cœpisse cognovi, me amare perge. Bononia Kal. Jan. 1602.

LXXXI.

POstquam fores ad amicitiam tuam tam liberaliter mihi patere voluisti, audebo etiam in magis abdita loca me penetrare fretus præsertim conscientia mea, quæ idem jus apud me tibi vicissim tribuit.Nec verò delicias facere tibi videri debeo; nam nisi tu is esses, quem prioribus meis litteris innui, nulla profectò caussa fuisset cur benevolentiam tuam tantopere expeterem, siquidem, cum Urbs ista præstantibus ubique viris maximè abundet, eorum ego amicitiam non ambivi. Tui unius benevolentiæ desiderio correptus fui, nulla certè alia de caussa,nisi quod te virum præ cæteris tum nobilem ac primarium esse audivi, tum verò,quod apud me plurimum valet,omni doctrinę genere perpolitum ex tuis scriptis ipsemet abundè cognovi. Ac quoniam hic sermo tuam modestiam non mediocriter offendit, ne tibi molestus sim, ad alia me convertam. Quod mendis adhuc scateant Pliniani Codices etiam post egregie ipsis navatam operam à Barbaro, Rhenano,Gelenio Pinciano Dalechampio, aliis, potest quilibet nullo negocio intelligere,& ego quoq; brevi planum

num me facturum spero; quod si mendæ usq; irrepserunt, certè in numerorum notis præter modum eæ grassatæ sunt, ut facilè adducar ad suspicandum insinceram esse scripturam loci à te propositi; nisi fortè non de singulis lateribus loquatur Plinius, sed de Universo Ambitu Areæ, qui ex quatuor illis frontibus in se ductis exurgit. Facit huc quod scriptum reliquit Petrus Bellonius libro 2. suar. observ. cap. 42. ubi affirmat se ejus pyramidis basin dimensum esse. Eas, inquit, quatuor angulorum paribus intervallis cum sit trecentos viginti quatuor passus habet in singula latera paululum extensis cruribus, gradiendo singulos passus numerantes & reliqua. Passus itaque CCCXIV. computando constituunt nobis pedes CCMX. in singula latera, in ambitu verò MMMCCXL. quæ computatio, si cum Plinii vulgata lectione conferatur, non quadrabit, ait enim pedes fuisse CCMLXXXIII. Ex qua computatione exurgent pedes MMMDXXXII. Si verò septingentos legatur, decem quidem pedes LXVIII. sed tamen veritati magis accedunt: Fieri enim potuit, ut qui olim Pyramidem metitus fuit, passibus uteretur paulo brevioribus, ipsa fortasse statura corporis etiam breviori. Nec longè hinc abiit, quod scribit Herodotus in Euterpe, unde suam descriptionem hausisse Plinius videri potest. Locus certè difficultate non caret, quam vel tu, vel nemo satis extricabit. Equidem, quid aliud in præsentia dicam, non habeo; si quid præterea mihi succurret, statim ad te perscribam: Tu interim tuam sententiam ne me celaveris. Habeo quædam affecta, quædam etiam quotidiè perpolio, sed hic typographum idoneum non reperio, cui ea imprimenda committam. Cogito Venetias, cum primum gymnasium conticescet, illic fortasse tolerabilibus conditionibus transigam. Quæ nunc edere cogito sunt decem posteriores libri locor. Controv. longè quidem meliores, si quid judico, iis, qui mihi admodum adolescenti exciderunt. Habeo item commentarium de solvendis Amoribus, Cosmi Milesii exemplo conscriptum, certè eodem titulo, &, ut arbitror, argumento: pòst sequentur perpetui atq; uberes Commentarii ad Commentarios Cæsaris: Deinde Scholia in universa Problemata Aristotelis. Tu si quid conatum nostrum juvare potes, benignè subveni, nunquam celabo, per quem profecerim, & hoc saltem grati animi indicium à me feres, ut me abs te adjutum esse ingenuè profitear. Vale. Kal. Januarii 1602. Bononia.

LXXXII.

Molt' Ill^re & Ecc^te Sig^re.

REndo grazie à V. S. per la lettera del Sigr. Mercuriale inviatami; al quale mandarò duplicate quelle mie baie, poiche la prima mano hà havuto poca ventura. Dubito che coloro che

formando invettiva contro il Lipſio, le danno nome d' Apologia, troveranno duro inciampo, e ſe non forſe mai altro, mi par coſa difficile levar la riputatione ad uno che ſi ſia ſegnalato con l' armi in mano mille volte per via d' un ſemplice Cartello; fatti, fatti ci vorrebbero e non parole, come V.S. prudẽtemente accenna; mà di queſto ne laſcieremo il penſiero à chi ſi hà d' havere, potendo ſtare che ancora noi ci inganniamo, e che queſto diſcorſo non ſi fermi nella ſola vanità delle parole. Se V. S. non m' imputaſſe à preſonzione ch' io le parlaſſi delle coſe di Roma, à lei tanto più vicina, le metterei in conſideratione l' iſcrizzione appreſſo ſcoperta nuovamente in quella Città, e communicatami da un mio amico à punto come ſtà con qualche errore dello ſcarpellino.

TI. CLAUDIO. NICIATI
VIX. ANN. XII. M. X. D. XX. ET
CLAVDIÆ. NICE.
VIX. ANN. II. M. XI. D. XXIII.
CLAUDIA. AGAPOMENE
FILIIS
SUIS. INFELICISSIMIS. QUI. ETATE
SUA. NON. SUNT. FRUNITI. TECIT
MATER. SCELERATA. ET. SIBI. ET
LIBERT. LIBERTAB. Q. POST. Q. EORUM.

E rarò *fruniſci ætates* pro frui aut fruiſci, poiche di queſto fruniſci non ſi trovano ſalvo alcuni pochi, & antichiſſimi eſſempi. Et nuova è la frase di *Mater ſcelerata* pro meſta, o ver' altra parola ſimile, benche pare che in queſto vi vada una energia di più, volendo inferire à mio giudizio, ſe ſcelus admiſiſſe quadantenus, quæ filiis ſupervenerit. Et oſſervo che tutto al contrario di queſto Epitafio, che ſi ſerve della parola *ſcelerata* in vece di dolente, la lingua Italiana uſurpa il vocabolo *triſto* in luogo di *ſcelerato* M. à V. S. già debbe eſſere ſazia di leggere queſte ciancie. Reſto con bacciar la mano à lei & al Sig. Aldourandi. Iddio la colmi di benedizzione, e le faccia grazia di communicarci in breve le fatiche, che parmi, ſono gia pronte & apparecchiate per la ſtampa. d' Agoſta à 5. di Marzo 1604.

Deſidero che V.S. faccia al Sig. Mercuriale parte di queſta iſcrizzione, caſo nõ l' haveſſe ancora viſta, ricordandomegli Servitore.

LXXXIII.

POiche V. S. concorre meco à concludere, che non ci ſia ripugnanza per la quale ſi debba dire quella iſcrizzione non eſſere antica, nõ mi pare, che ſopra tal particolare accada trattar' altro. Il ſuo penſiero poi, che quell' Urſus, ſia ſtato veramente Orſo, e non huomo è vaghiſſimo, e non le ſaprei eſprimere quanto mi

quadrò

quadrò ſubito à prima viſta, conſiderando che maggiori miracoli ſi ſono viſti ne' ſpettacoli di Roma, in particolare quello di ſei paia d' Elefanti à tempi di Tiberio raccontato da Eliano nel 2. lib. cap. 11. dove dice eſpreſſamente, che li maſchi erano veſtiti da huomo, e le femmine da donna, ſi che ſi potevano dire ſenza alcun ſcrupulo *Elephantes togati*, *& ſtolatæ*. Molte altre convenienze mi andavano per la mente. Mà per dire il tutto à V. S. ſendomi poi meſſo à leggere, e conſiderar di nuovo la iſcrizzione, vi trovai alcuni paſſi che à mio giudizio più ad huomo che ad Orſo ſi convengono; Sopra tutto mi fanno paſſare à queſta parte gli tre ultimi verſi, ne quali confeſſa eſſere ſtato vinto, da Vero ter-Conſole nõ mi ſi facendo veriſimile, che un Conſole s' habbia meſſo à combattere con una beſtia, ò che l' Autore dell' iſcrizzione ne haveſſe voluto conſervar memoria. E vero ch'io non mi ricordo haver letto di queſto *giuoco* della palla di vetro *totidem verbis*, ſalvo che à tempi baſſi in Niceforo Gregor. à lib. 11. mà che anticamente foſſe in uſo ſi comprende da paſſi di Seneca e Statio, quali conferendo coll' iſcrizzione, non credo ſe ne poſſa dubitar gran fatto, anzi l' iſcrizzione iſteſſa lo dimoſtra parlando di *Pilicrepi* in numero Plurale, e *dicendo* di più *Urſum rogatum fuiſſe primum*. Ilche ſe bene ſi riferiſce all' eccellenza, e non al' ordine, come V. S. bene dice, e però coſa certa, che non hà luogo, ſe non dove ſi trovano più di quella profeſſione. Guſto aſſai le ſue oſſervationi, ſopra *Unguento marcido*, *& Unco, ac Videnti*. Mà ſopra l' *Exordiarius* non accade trattare, perche chi hà viſto il marmo m' afferma, che dice *Exodiarius*. Se V.S. auvertirà il P. Radero di qualche inciampo del ſuo Martiale, l' aſſicuro, che ſe lo riputerà à favore. La prego d' inviare al Sigr. Mercuriale l' incluſa letterina inſieme col diſegno d'un marmo che ſi ritrova in Roma, glielo mando per occaſione di quel giuoco di palle, da me à dire il vero non inteſo. Se V.S. vi troverà che diſcorrere, la prego di farne parte così ad eſſo Sigr. Mercuriale, come ancora à me. gli miei Nipoti dovran poi haver baciato la mano à V. S. eſſendo loro così ſtato commandato dal padre; farò l'imbaſciata al Sigr. Eſchelio quale ſò ſe ne pregiarà. Mi piace che V. S. per ſuo guſto viſiti tal volta le Muſe Toſcane, e ſe mi farà degno di qualche ſua compoſitione, mi ſtringerà di tanto maggior obligo; mà non vorrei che perciò faceſſe queſto torto alle Latine di dar loro bando, che ſicuramente eſſendo lei ſtata da lor favorita in tanti modi, meritamente ſi lamentarebbero di coſi grand' ingiuria, à me giova credere, che V.S. lo dica per vezzo, non mi parendo poſſibile, che mai vi fermi l'animo. Reſto con baciarle la mano, Iddio la feliciti. D' Agoſta à 13. d' Agoſto 1604.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV.

Hò tardato di rispondere alla lettera di V. S. di 6. Settembre per haver communicato quel passo di Frontino à due miei Amici, che fanno professione di Mathematica. Viene alligato quanto vi hanno discorso sopra, mà in fine *Aqua hæret* per essere il passo troncato, & costoro confessano di non poterlo supplire. Prego V. S. sia servita d' inviare al Sigr. Mercuriale la sua lettera insieme col Catalogo de' libri nuovi della fiera di Francoforto, quale hò voluto mandare così aperto, presupponendo che lei gustarebbe à dargli un' occhiata, prima che passi oltre. E con tale resto baciandole le mani & offerendomele di tutto cuore. Iddio la feliciti. D' Agosta à 8. d' Ottobre 1604.

LXXXV.

IN questo punto ricevo un grosso invoglio dal Sigr. Ambasciad. Wottonio inviatogli secondo mi dice da V. S. per farmelo tenere, e giudico siino l' Osservationi del Sigr. Pompilio Amaseo sopra Polibio, alle quali darò un poco di scorsa communicandole poi al Sigr. Casaubono. Et hò voluto dar subito aviso à V. S. della ricevuta, rendendole infinite gratie di questa sua ingenua liberalità di tanto raro essempio à nostri giorni. Aspetto che mi dica con suo commodo gli discorsi di cotesti Signori Filosofi & Astrologi sopra la stella nuova. E con bacciarle le mani le prego aumento di veri beni. D' Agosta à x. di Decembre 1604.

LXXXVI.

APerto l' invoglio che accusai ultimamente à V. S. posso affermare d' havervi trovato un prezioso tesoro. Mà perche in iscontrando vengono à mancare parecchi fogli, anzi ternioni m' hà parso doverlene dare subito aviso à fine che se sono ancora in essere visi metta la mano subito à ricuperarli, prima che per negligenza vadino totalmente smarriti: Che certo la cosa merita d' usarci diligenza. In caso del contrario, e che non ci sia speranza da rivenire altro, *hoc Catone contenti erimus*. Però aspetto, che V. S. mene dica il fermo. Di più perche trovo in certi Catalogi che il Sigr. Pompilio fece stampare in Bologna l' Anno 1543. *Fragmenta dico, e sexto libro Historiarum Polybii, de diversis Rerum publicarum formis, deq; Romana præstantia*, sono entrato in sospetto che ò prima, ò poi potrebbe ancora haver publicato in cotesti bande parte di questi scritti, & ne desidero essere assicurato da V. S. per non far errore. Publicandogli hora per cosa prima non vista, con vergogna e risa di chi sapesse il contrario. Resto con baciar la mano à V. S. Iddio la custodisca. Di Agosta à 17. di Decembre 1604.

P. S. Il Sigr. Casaubono accetta l' offerta delle osservationi del

del Sig. Pompilio Amaſeo B. M. e ne rende ſomme grazie. Se pare à V.S. le potrà inviare al Sig. Wottonio Ambaſciad. del Re d'Inghilterra à Venetia; che in tal modo mi perverranno ſicure.

LXXXVII.

D'Havere ricevuto parte delle fatiche del Sig. Pompilio Amaſeo ſopra Polibio, ho auviſato V.S. già due volte, e credo d'haverle ancora detto, che vennero ſenza ſue lettere, sì che in queſto propoſito non le poſſo ſoggiongere altro, ſalvo ricordarle di nuovo ſi degni d'haver cura, che li fogli, quali noi troviamo manchi non ſi ſmarriſcano caſo foſſero ancora in eſſere. Sopra il luogo gramatico sò d'haverle mandati due pareri, meſi fa, e vorrei poterla ſervire ancora della paraſraſe ſopra le Morali d'Ariſtotile che hora mi richiede, mà non mi ricordo d'haverne viſta alcuna, tale quale me la dipinge; di non haverla io ſono certo, pure ne farò alcuna diligenza con qualche Amico. E V.S. mi favorirà à dirmi il nome di quel ſuo Amico, che mi honora, ſperando di poter ottenere col mio mezzo le coſe, che per altra via ſe gli rendono difficili. Che sò certo ſe in me foſſe il poter pari al volere, non viverebbe ingannato. Baccio à V.S. la mano con pregarle felice capo d'Anno. D'Agoſta à 31. di Decembre 1604.

LXXXVIII.

Hò ſentito la morte del Sig. Aldovrando con quel dolore, che la virtù del Soggetto merita. Iddio faccia bene all'anima. Coteſti Sig. per termine di gratitudine non douran mancare di ſpingere fuora in luce tutto quello di ſuo che ſarà trovato meritevole. Dal Sig. Lipſio paſſa due meſi non hò havuto lettere, mà per relatione d'Amici credo ſtia aſſai bene. Perche gli Vecheli di Francoforte habbian laſciato fuori nell'Editione delle opere del Sigonio la Vita del Cardinale Campeggio, & le Efemeridi del Robortello, non ſaprei accertar à V.S. mà le dirò mia opinione. Che forſe della vita del Cardinale non havevano notitia, ilche mi par tanto più credibile, quanto ne ancora à me non venne mai viſta. Et le Efemeridi furono laſciate come opera di altro autore. E vero che con queſta conſideratione potevano reſtare ancora le coſe del Chruchio. Circa la raccolta de' Poeti Italiani, ſono totalmente del parere di V.S. che ſimili farragini poco mi guſtano, tramezandoviſi ordinariamente molte coſe deboli per broglio, come ſi dice in Venezia. Nè vale l'argumentar' dal Florilegio Greco. il quale non tiene altra maggior commendatione, che l'eſſere periti gl'Autori, dal quale fù cavato. In ogni modo il Sig. Gruterò è debitore d'aſſai alla corteſia di V.S. che ſe gl'offeriſce con tanta prontezza di far copiar il libro, quando ſi veniſſe à queſto, credo ſi potrebbe laſciare il penſiero allo ſtampatore; che volendone cavar l'utile, ragion vuole, faccia la ſpeſa egli. Aſpettaremo quello riſolverà e riſponderà il Sig. Pichena, al quale ſcriſſi con occaſione di mandare la lettera del Sig. Grutero, ſenza ſaperne il contenuto, & megli dedicai per ſervitore; mà m'accorgo, che mercé delle tenebre del mio nome, e per la ſtravaganza del carattere di mia mano, non mi ſeppi far conoſcere. Però ſarà bene, che V.S. ſupplichi per me col Sig. Curzio come la ne prego. Et reſto bacciandole le mani di tutto cuore. Iddio la feliciti. D'Agoſta à 20. di Maggio 1605.

P.S. Si ricorderà à tempo della promeſſa fatta, caſo che il Sig. Magino ſcriveſſe ſopra la Stella,

LXXXIX.

SE à V.S. piace leggere di passaggio questo catalogo di libri nuovi, la prego d' inviarlo poi insieme con l' allegata lettera al Sig. Mercuriale à buon ricapito. Poiche ne suole essere molto desideroso. Pochi giorni sono che di quà habbiamo l' Ezechiele del P. Villalpando, quale formando paradossi circa le ricchezze di Davide, e Salomone, & altri, dà qualche occasione di discorrere, Mi sarà molto favore sentire quello che in Italia sene parla. Credo che proceda sempre con buoni fondamenti, mà le persone difficilmente restano capaci di cose tanto discoste dalla loro opinione. Bacio la mano à V. S. Iddio la feliciti. D' Agosta à 7. d' Ottobre 1605.

P. S. Non so, se il Bindoni tornò mai à casa, mà siasi questo come si voglia, non vorrei che perciò V. S. restasse di dar fuora le sue fatiche, che parmi già due anni erano pronte per entrar sotto il torchio; di grazia mene dica una parola.

XC.

RIsponderò con brevità, che così mi commanda la strettezza del tempo ad una ben longa di V.S. senza tralasciare però capo alcuno. Quanto al Catalogo di Francoforte, V.S. sappia, che vi vengon messi molti Libri non mai usciti in stampa, anticipando gl' Autori à mandar gli titoli de' Libri, l' editione de' quali resta poi ò ritardata ò totalmente impedita per varie occorrenze. E si può dubitare che ancora alcuni gli facciano mettere per mera vanità, senza haver mai havuto intentione di scriver in tal materia. Et io dubito, che il più de' Libri che non arrivano costì, siano non mai stampati. Sopra il quesito Matematico scrissi e riscrissi al Sig. Scaligero, senza haver havuto risposta, ilche fù causa senza altro mistero, che io non ne potei mai dir nulla à V. S. E comprendendo da questo procedere, ch' egli ò non può ò non vuole scriverci, non mi pare à proposito affaticar me, & importunar lui senza frutto. Spero che V.S. mi farà buona questa ragione. Nell' Editione di Catullo Parigiano non è dubbio, che sele hà fatto notabil torto. Mà queste sono saccenterie di persone, che presumono di correggere quello che non intendono. Già ne hò avisato qualche mio Amico, che ne resta maravigliato molto. Non credo, che tal opera si debba ristampare in breve in Germania, mà se notitia mene perverrà, non mancarò di quello, che V. S. desidera si faccia. Al Sig. Grutero scriverò circa gli Poeti Italiani. Che il Bindoni vada à Roma in negozi gravi del Duca di Baviera con me, hà pochissimo del verisimile; mà questo poco importa. Le fatiche di V. S. mi assicuro che in Venetia troverebbon luogo s'ella si risolvesse da senno. Jo ci hò fatto stampare qualche cosa per il passato, e resto mediocremente satisfatto della correzzione.

Se il

Se il Sigr. Paolini è passato all' altra vita, altro successore ci debbe essere. Baccio per fine la mano à V. S. & al. Sigr. Mercuriale. Iddio gli custodisca, e benedica. d' Agosta à 4. di Novembre 1605.

XCI.

L' Auviso della morte del Sigr. Mercuriale mi riesce tanto piu doloroso, quanto più fù inaspettato, poiche havendo havute sue lettere pochi giorni sono, scritte con quella franchezza, che farebbe un giovane di trent' anni, mi pare d' haverlo tuttavia inanzi, e sentitolo ragionare senza quasi poter dar fede alla sua morte. Non è dubbio che l' Italia hà perso un gran lume, & io un Sigr. che si compiaceva d' amarmi senza mio merito. Mà di grazia V. S. si guardi di far torto à se & ad altri, dicendo che con questa morte sieno estinte in Italia affatto le belle lettere. Anzi ad imitatione de' valorosi Soldati, che veggiono per terra un gran Capitano, che li conduceva, pigli tanto maggior animo à sostener l' honor della patria, & ad aumẽtare quella del morto, che sarà facendo buona cõserva de' suoi scritti, che restano à dietro, & ajutando che venganoin luce. Diedi buon ricapito alla lettera del Sigr. Persio, & haverò cura di sollecitar la risposta. E per fine resto prontissimo à servigi di V. S, Iddio la feliciti. D' Agosta à 13. di Gennaro 1606.

XCII.

RIngrazio V. S. d' haver sanata la ferita fatta di sua mano, e spero, che Iddio benedetto aggiongerà molti anni di vita, al Sigr. Mercuriale à confusione della malignità, che, spargendo queste voci false, fà conoscere il veleno de' suoi desiderii. Al Sigr. Eschelio terrò ricordata la risposta per il Sigr. Persio, al quale frà tanto posso affermare, che questi giorni à dietro esso Eschelio mi commandò à bocca quello scritto della santiss. Vergine se V. S. mai fosse in venuta notizia del Lampugnano, antagonista del Sigr. Lipsio e del Titiano del quale si fa mentione nella prefatione, molto caro mi sarebbe saperlo. Bacciandole in tanto le mani. Iddio la feliciti. D' Agosta à 3. Febr. 1606.

XCIII.

PEr ubbedire à V. S. le rispondo subito, poiche così mi commanda, e per non toglier sua ragione, questo giorno sacro lo faccio con brevità. Di quello V. S. dice; che il libretto stampato sotto il nome del Lampugnano sia manifattura Italiana, resto totalmente persuaso; mà non già che possa esser fatica del Mureto buona memoria. Anzi questo sarebbe un contradirsi, poiche V. S. sà che il Mureto fù di nazione Francese, oltre molte altre ragioni che potrei addurre. Di suoi Auditori non voglio parlare, perche furono per maniera di dire infiniti,

si che questa congiettura sarrebe troppo nel generale. Gli pensieri del Sigr. Mercuriale e di V. S. sopra quel passo di Seneca, confesso & attesto, che sono ingegnosi: sed si verum ingenuè dicendum est, vulgata Lectio, tam commodum sensum habet, ut mihi nullo modo sollicitanda videatur. Nè si può dire, che li Cinghiali non fossero in gran credito appresso i golosi di Roma, poiche cene sono Testimoni innumerabili, come il Sigr. Mercuriale c' insegna nelle sue *varie* lib. 2. cap. 22. Et il Lipsio copiosamente nel principio del 4. libro Poliorceticon. E vero, che erano assai communi, mà Seneca per segnalarle v' aggionse il *millia-rios*, come fece ancora Varrone, della qual sorte si può credere che pochi s' incontrassero, e che fossero di gran spesa, come pare Varrone addita. E questo sia detto senza pregiudicare à chi che sia. Il Catalogo non mancarà di venire à tempo debito. Bacio la mano à V. S. Iddio le conceda felice Pasqua. D' Agosta à 24. di Marzo 1606.

XCIV.

RESto maravigliato, che V. S. il giorno della data dell' ultima sua non haueſſe ancora notizia della morte del Sig. Lipsio buona memoria. Poiche sono passate tante settimane che io ne diedi auviso al Sigr. Mercuriale pregandolo di communicarla con V. S. Et insieme le mandai una lettera havuta di Fiandra in questo proposito, quale feci stampare in questa Città e credo sia stata ristampata in Italia. Mà con questa occasione mi occorre di confidare in V. S. una cosa, che non haverei fatto in vita del Sigr. Lipsio, per non essere seminatore di Zizanie; hora passato il pericolo, le dico che egli era stato auvisato da personaggio di molto credito nelle lettere, che il Lampugnano era veramente la persona di V. S. di che s' adduceua per qualche indizio l' allusione del nome Titiano, e mostrò costui meravigliarsi della scempiezza del Sigr. Lipsio, che mostrandosi tanto sagace in molte altre cose non si fosse accortò di questo tratto. E perche il personaggio detto affermava di sapere questa cosa fondatamente pareva che il Sigr. Lipsio cominciasse à vacillare circa il credere, dandomene parte. Jo gli replicai quello mi parve à proposito, & à che credetti essere tenuto per carico di coscienza, se bene non voglio spiegarlo in questa carta, per non parere d' adulare V. S. Hora mentre aspetto la risposta, per sapere se le mie ragioni & argomenti haveranno fatto presa. Ecco viene la nuova della morte, e poco appresso una letteta diretta à me scritta non molti giorni inanzi, quale si trovò tra le sue scritture. Et in essa dice. *Ego libens tibi accredam innoxium esse illum à Bononia & pro urbe sua bonum. Tamen qui indicium mihi fecit, & seriò affirmavit, is est è prima classe Testis. Libens ta-*

men

men inquam tibi annutanti accredam , quia ingenio ad mitiora inclino , & ſperno alios eſſe , qualem me nolim. Hanc in homine malitiam ? Abdico : & præſertim quos vel levi oculo Muſa iſta melior adſpexit. Quid etiam ſi fecerit ? ne iraſci id me cenſe & veniæ promptiorem eſſe,quam alios culpæ. Illud magis doleo , videre me , & hucuſq; animam ducere,ut brevi omnis litteratura ludibrium ſit , & ſpiſſiores tenebræ quam in Ercinia veſtra olim oriantur. Apud nos quidem tibi affirmo : ſi vos meliore fato , gaudebo. Da tutta queſta Hiſtoria V. S. conoſcerà , che la malignità di qualch' uno non dorme. E per non uscir del Lipſio, io le dirò liberamente, come mi ricerca, che quel paſſo di Diodoro intorno lo ſtile di Burgia ſi confà più à certi inetti imitatori e Diſcepoli del Lipſio che à lui proprio. Se bene hò confeſſato , e confeſſato più volte , che al poco mio giudizio , con tutto ſia ſtato Scrittore eccellente , anzi vaglia il vero, eccellentiſſimo: non hà però ſcritto in eccellentiſſimo Genere e conqueſta diſtinzione credo ſi potrebbon accomodare le principali differenze, che vertono tra ſuoi ſeguaci & Adverſarii, che tal volta d'ambe le parti eccedono li termini del ragionevole. E perche trovai un motto degli indiſcreti imitatori del Lipſio,aggiongerò, che molto ſi confà quello ſcrive Seneca di Caſſio Severo, grand amatore di Publio Scio : *Ajebat non illius hoc vitium eſſe , ſed illorum qui illum ex parte , qua tranſire deberent, imitarentur : quæ apud eum melius erant dicta , quam apud quemquam Comicum Tragicumq; aut Romanum aut Græcum tranſeunt*, ſe bene queſt ultima parola manca nel teſto di Seneca. Circa il *miliarios* mi accordo al parere di V.S. che reſpiciat pondus , e non la paſtura di miglio, nè' importa che la l.ſi ſia meſſa ſemplice. Con che me l' offro. Iddio la feliciti. D' Agoſta à 2. di Giugno 1606. in fretta.

XCV.

SE il Catalogo di Franc. non pervenne à V. S. la colpa non fù mia, perche lo mandai al Sigr. Mercuriale ſecondo il ſolito, pregandolo di farne communicatione à Lei. Potrebbe eſſerſi ſmarrito con gli tempi che corrono,mà mi giova ſperar meglio , e che con un poco di tardanza finalmente ſarà comparſo. In cautela non mi gravarebbe inviarlo di bel nuovo , ſe non mi pareſſe hormai merce troppo fuor di ſtagione. Poi hò ricevuto la cara ſua di 13. del Corr. quale ſi diffonde molto in purgare l' imputazione datale appreſſo il Sigr. Lipſio buona memoria intorno il libretto del Lampugnano. Credo che per quanto gia le ſcriſſi & per l'ufficio fatto col Sigr. Lipſio in vita , e per la riſpoſta capitatami doppo ſua morte, V.S. reſti aſſai ben capace della mia opinione in queſto particolare,ſi che crederei di perder

carta & inchiostro fuor di proposito, se mi metteſſi à discorrerne copiosamente. Il Lipsio fù, quale sà e confessa il mondo, e la fama ne durerà con sua gloria. Mà come errano à mio giudizio certi che lo idolatrano, per modo di dire, e lo fanno totalmente impeccabile. Così non è dubbio, che sono assai più intolerabili coloro, che per qualche difettuccio, e qualche neo che pare loro di trovar ne' suoi scritti, gli vogliono far il maestro addosso, & lo vogliono spedire per ignorante. E pur vero, che queste sono colpe humane e colpe usate. E difficil cosa è, che chi corre l' arringo di questi studi, si possa vantare di non havere inciampato mai. V. S. farà cosa degna di se, à crepacuore dell' invidia, se, come mostra di voler fare, honorerà la gloria di questo huomo doppo la morte, quanto hà fatto in vita, senza mettersi per questo in obligo, di seguitare tutte le sue opinioni alla cieca. Che conviene pur dire, non sarebbe risolutione di persona ragionevole. Mi dispiace che tiene tutta via difficoltà, quale dubito si aumentarà con gli presenti disturbi di Venetia nello spinger fuora le sue fatiche come dice. Egli è pur vergogna e vaglia il vero che frà Roma, Firenze, Bologna, e tante altre Città principalissime d' Italia non si trovi persona che si pigli cura, o habbia gustò di simil politezze. Vedo che il Sigr. Alberico Gentile in Inghilterra, fratello del Sigr. Scipione, che si trova in queste nostre bande, cita V. S. ne' suoi scritti con titolo d' Amico. Desidero havere informatione da lei, che lo debbe sapere, di che parte d' Italia sono nativi, con che occasione sene sono partiti loro, ò vero il Padre Matteo, se attengono nulla à Valentino Gentile, contro il quale sà che il Cardinale Bellarmino, e molti altri hanno scritto. E con far fine le baccio le mani. Iddio le dia ogni bene. D' Agosta à 30. di Giugno 1606.

XCVI.

V. S. hà potuto conoscer per le mie anteriori, e per quanto hò operato col Sigr. Lipsio buona memoria, che quel sinistro sospetto in me non prese mai radice. E se pur fatto l' havesse, le tante ragioni da lei allegate bastavano à sbarbicarlo intierissimamente. Si che la prego se ne dia hormai pace. Di quanto mi dice in questo proposito, che gli libri *de Immortalitate animorum*, non furono mai scritti dal Paleario, restai ammirato, essendomi ciò cosa molto nuova, e se la ne sà altro particolare, mi sarà molto caro intenderlo insieme col nome del vero Autore. Circa la voce *Pilicrepus* difficilmente mi posso hormai discostare dall' interpretatione che lei sà. Il Capaccio non mi pare habbia fatto altro in quel passo, che confonder forse inavvedutamente due opinioni già prima ben note al mondo, ciò è quella del Rodigino accettata da Erasmo delle balle impegolate,

late, ſerventi ad accendere o mantener' il fuoco, e l' altra del Pinciano de pelicavati. Se il Sigr. Mercuriale è in Roma, che io non lo ſapeva, ſi potrà informare, ſe l' inſcrittione d' *Urſo togato* hà viſta d' eſſere contrafatta, come moſtrava dubitare. Il mio libretto, che dice V. S. eſſere allegato dal Pignorio, fù ſtampato in Venezia l' Anno 1591. preſſo Aldo. con queſto titolo: *Fragmenta Tabulæ antiquæ, in queis aliquot per Rom. Provincias itinera, edente & explicante M. Velſero.* Con che reſto à bacciar le mani à V. S. Iddio la conſervi. di Agoſta à 28. di Luglio. 1606.

XCVII.

V S. ſà che lo ſcriver delle lettere *inter abſentes*, è l' iſteſſo, che il parlare *inter præſentes*, onde io ſoglio dire, che ſe mala creanza ſi chiama, che l' huomo venendo ſalutato da un Amico non riſponda parola per infaccendato che ſia; mi pare, che l' iſteſſa ragion vaglia nello ſcrivere, e me l' hò ficcata tanto in teſta, che mai non mi ſcuſo ſopra l' occupationi per non ſcrivere, mà ſi bene per eſſer breve, e ſecco nello ſcrivere, come occorre ora in riſpoſta della grata ſua di ult. Settembr. E ſpero che mi farà buona queſta ſcuſa. De' Marmi di Piſa reſto ſincerato, e parmi che ci ſia ancora l' atteſtatione del Sigr. Lipſio in queſte ſue ultime epiſtole poſtume. Al Sigr. Pichena bacio le mani, e V. S. non manchi di tenerlo ricordato di quanto gli ſcriſſi intorno la Bibliotheca di coteſta A. S. Perche eſſequendo quel penſiero, ſono ſicuro, che ne' riſalterà beneficio al publico, & honore à S. A. La ringrazio dell Informatione delle lettere Eztruſche, e mi confermo col ſuo parere, che l' applicatione dell' Alfabeto ſia fatto à capriccio, e le parole meſſe inſieme mi pare habbiano un gran tuffo delle inventioni di quel buon Frate da Viterbo. Non dico che ſiano totalmente fattura ſua, ma certo vanno à quella ſtrada: Mi fù detto che in Piſa in certa Torre ſi vedevano figure hieroglifiche, delle quali mi ſarebbe gran favore havere un ritratto ben fedele. Mà dubito che chi melo diſſe, non ſapeſſe quello ſi ſiano hieroglifici. Aſpetto l' occaſione, e verſi di V. S. con ogni ſuo commodo. A' queſti Padri Gieſuiti, & al Sigr. Eſchelio farò le ſue raccomandazioni. Pregandola di bacciar la mano à mio nome all Ecc. Facchineo come faccio io à lei, deſiderandole ogni bene. Di Agoſta à 19. Ott. 1607.

Dicami per corteſia, ſe non ſi vedrà altro in iſtampa delle fatiche filologiche della buona mem. del Sig. Mercuriale.

XCVIII.

MI trovo con più lettere di V. S. alle quali hò tralaſciato di riſponder' ordinatamente, dubitando che per cauſa del ſuo moto le lettere ſi poteſſero ſmarrire. Hora perche mi dice dover partire di Bologna fra pochi giorni, ſi che la giudico in Piſa

avanti

avanti queſt' hora, vengo à rallegrarmi ſeco di tutto cuore di coteſta honorevoliſſima condotta, pregando Iddio le conceda grazia di goderla molti e molti anni con ogni intiera ſodisfazzione. Jone ſento particolare contento, oltre il commodo che ne riſulta à V. S. quale ſtimo quanto il proprio, conſiderando, che queſta mutanza non le darà ſolo occaſione di far' uſcire in Firenze le ſue fatiche, come lei dice, mà la metterà, per modo di dire in neceſſità di farlo, perche ogni termine di creanza vorrà che la ſi moſtri grata, & à S. A. S. e forſe à qualche altro Sig. che haverà havuto parte in queſto negozio. Lodo poi infinitamente la modeſtia, che ſi propone d' uſare verſo la memoria del Sig. Lipſio. Il diſſentire in materia di queſte lettere è ſtato ſempre lecito, anzi lodato, quando ſia con buon fondamento, & à maggior lume della verità. Mà l' acerbità sà ben lei, quanto offende, tanto più, quando s' uſa verſo gl' amici, come V. S. profeſſa eſſerle ſtato il Lipſio, che certo non fù impeccabile, come molti moſtrano di credere, mà però grand' huomo. V. S. sà da quanti & in quanti modi è ſtato ripreſo il Vittorio, quaſi ſempre *cum præfatione* honoris, il che non sò, perche non ſi debba imitare in trattando delle coſe di Lipſio. Di quell' altro poi, il quale V. S. ſfida à guerra aperta, non intercedo. *Unum rogo*, che non ſi facci troppo deſiderare le ſue fatiche, che parmi ſcriveſſe altre volte erano già in procinto da poterſi ſtampare. Il Sig. Scioppio non credo ſi diſtaccarà facilmente da Roma. Del Pinelli non hò mai ſentito nulla, dicami V. S. dove ſi ritrova. E ſe qualche coſa di ſuo è in luce

Il Sig. Wottonio, mi ſcrive che in Venezia corre voce, che nel Regno di Napoli ſi ſiano ritrovati alcuni libri di Tacito non mai più viſti. Jo la tengo per una baja, parendo, che in Roma lo ſaprebbero. Alligato viene il Catalogo di Francoforte, quale V. S. letto che habbia, communicarà al Sig. Mercuriale, poiche gli ſono tenuto di queſto tributo due volte l' anno. Il noſtro Occone è paſſato all' altra vita, non molti giorni ſono, in età di 82. anni. Finiſco per la ſtrettezza del tempo, con offerirmi di tutto cuore à V. S. Iddio la feliciti. d' Agoſta à 20. d' Ottobre 1606.

XCIX.

COl preſuppoſito di mia ultima vengo ad accuſare la ricevuta della gratiſſima lettera di V. S. de 27. Ottobre. Et à ringratiarla dell' oratione mandata, quale leggerò curioſamente ſicuro di doverla trovare molto diverſa, da quello che la ſua modeſtia mela dipinge. Per contracambio le mando l' incluſo foglio per ſentire con ogni commodo il ſuo parere. A molti da faſtidio quella forma d' Elmi, che per quanto io ſappia, non s' incontra nè in Marmi nè in Medaglie antiche. Ben par credibile, che

che gli Andabati tali gli usassero & Andabate credo siano questi due gladiatori, che possono haver combattuto à piede, se ben l' ordine loro era di farlo à Cavallo. Nè fà forza l' opposizione se ciò vero fosse, sene trovarebbe pur qualche altra traccia, Perche sappiamo, che Retiarii & Laquearii combattevano con la rete e col laccio, nè per questo sene vede alcun vestigio in tante scolture antiche. Baccio à V. S. la mano, e le desidero ogni vero bene. D' Agosta à 9. di Novembre 1607.

C.

IL libro, che accennai, non è la vita d' Anna Comnena, se non in quel modo, che si dicono le Vite di Plutarco, per esserne egli l' Autore. Così scrisse Anna Comnena la Vita ò Historia d' Alessio suo Padre. E perche sono informato da più d' uno testimonio di veduta, che il libro si trova nella Libraria di S. Lorenzo, non ne posso dubitare. Mà per questo non voglio, che sene dia altro fastidio al Sig. Pietrena, poiche non gusto d' incommodare gli Amici della libraria nostra. Si vede un buon pezzo di questa Istoria con titolo *Annæ Alexii Comneni* F. *Syntagma historiarum, Alexias ab ea nuncupatum*, mà perche si trova diffettoso in molte parti, il disegno era di ordinare la stampa, e forse versione coll' aiuto del libro Fiorentino: e l' honore sarebbe stato del Sereniss. G.D. poiche in fronte s' haverebbe messo l' elogio: *Ex Bibliotheca Medicea*, o cosa simile, come più havesse piaciuto. Il Catalogo tengo per cosa disperata, se Iddio non ci fà nascere un altro Pietro Vittori. Passo di quà questi giorni, chi mi affermò trovarsi in Firenze in mano del Sig. Riccardo Riccardi intiero tutto Diodoro Sicolo, che senza altro sarebbe grandissimo Tesoro da stimar più, che tutta la preda portata da Bertoni di S. A. quest' Anno. Mà per dirlo ingenuamente, non ne credo nulla, la fama potrebbe essere nata da Fragmenti, che si vedono in stampa, cavati dal libro del Sig. Ludovico Alemanni. Ne hò voluto dar' auviso à V. S. se le paresse di farci qualche diligenza. Poiche questa è impresa, stò per dire, che merita l' huomo vi si affatichi etiandio indarno. Ebbi ultimamẽte l' orazione, la ringraziai: coñe faccio ora del suo Nereo che m' e parso vago, e non accadeva che l' etá facesse sua scusa. Mà quest' è modestia di V. S. Al Sig. Fachinei mille ribaciamani. Mi assicuro, che il suo Sig. Suocero, oltre le fatiche mediche, haveva frà mano qualche Galanteria filologica & antiquaria, perche molte sue lettere che tengo, ne daño indicio. Potrebbe essere, che non fosse in termine di stampare. Mà V. S. farebbe gran carità, se visitando il residuo delle sue scritture, mettesse insieme li pezzi di questo Ippolito, quãto sarà possibile, à beneficio publico, & honor del defunto. Perche sò, che haveva parecchie belle considerationi in simil proposito. Aspettarò di vedere li Commentarii del Sig. Guastanini questa fiera prossima,

poiche lei mene da intentione. E con augurarle le buone feste, resto tutto suo. Iddio la feliciti. D'Agosta à 21. Decemb. 1607.

CI.

SE bene sò assai meno della lingua Italiana di quello che V.S. mostra credere, non manco però di sentir gusto della vaghezza di Componimenti poetici, onde le resto con molto obligo per gli Sonetti mandatimi le ne rendo grazie. Circa *Andabatas* altro non m' occorre. Non hà dubbio che *Andabatarum more pugnare*, denota combattere alla cieca. Mà questo non impedisce, che gli veri *Andabatæ* non lo portassero tale. Anzi lo conferma parendo poco verisimile, che venissero nell' arena, simplicemente ad occhi chiusi senz' altro ordegno. Sono di parere, che V.S. non si debba più affaticare per l' Istoria d' Anna Comnena, se non lo facesse per suo particolar gusto. Poiche stimo assai meglio lasciar imperfetti certi desiderii non necessarii, che incommodar gl' Amici. Le bacio per fine la mano. Iddio la custodisca. d' Agosta à 22. di Febr. 1608.

Trà le lettere del Padre Abbate

DON ANGELO GRILLO

Benedettino Cassinense, vi sono le seguenti scritte

Al Sig. MARCO VELSERO.

CII.

A carte 130. & 131. del primo volume dell'Edizione di Venetia del 1603. in 4.

LA lettera di vostra Signoria di 13. di Giugno, è tutta sua solita gentilezza, e mia nuova obligazzione: e massime dove scusandomi, o compatendomi delle mie molte sollecitudini, mi vien quasi obligando più efficacemente à compiacerla de' componimenti, che desidera in lodi di cotesti Santi. Veramente il far versi, è opera di mente vacua; mà perche il petto non è vacuo d' amore, nè di desiderio di servirla in così santa occupazione, posso e voglio sperare un giorno, da poterle dar qualche sodisfazzione. E se io non facessi mai altro, farò come il Medico, che poiche non può dar la sanità, la pronostica. Mà s'un lume accende l' altro, qual lume può meglio accendermi, che la lezzione della nobilissima Istoria di vostra Signoria? Sò ben' io il valore e 'l merito delle singolari opere sue: ch' ella non può tanto ricoprirle sotto il velo di un modesto silenzio, che la fama non le riveli à tutti con infinite lingue. Parliamo dunq; di queste, e lasciamo le mie. Troverolle io in Roma? ne farò diligenza particolare. Sò che piacciono, e 'l piacere è il condimento di tutte le cose, l' esca dell' amore, l' incitamento dell' ingegno, il cibo della volontà, & un rinfrancamento, e forza della memoria. Così parmi d' haver letto. Mà à V.S. non bisogna dirlo. A me basterà provarlo, si come

me

me spero. Che sarà il fine di questa, con pregarle quella perpetuità di contentezze, che più desidera. Di Roma.

CIII.

LE ambasciate Celesti, (che tali stimo io le lettere di Vostra Signoria) non deono esser portate da altri, che da gl' Angioli, perciò l' Angioletto Nipote di Vostra Signoria m' hà reso la sua de 4. acciò che in un tempo medesimo leggendo l'una, e rimirando l' altro, venissi consequentemente à vedere, e udire V.S. in un punto istesso; ond' io fossi in questa guisa col beneficio di sì grata presenza ristorato del danno di sì discara lontananza. O come l'uno è stato angelico di volto, e l' altro celeste di lingua. Queste sono tutte grazie, che mi fà Vostra Signoria, delle quali poiche io non son bastante à ringratiarnela se non con l' animo grato, la sua medesima liberalità e gentilezza ne la ringrazierà pienamente per me. Jo mi sono offerto al giovinetto generalmente in quel ch' io vaglio, mà se in particolare occorresse à Vostra Signoria impiegarmi in cosa, che gli potesse giovare, eccomi prontissimo. Col mezzo di lui invio la seconda, e l' ultima parte de' miei Pietosi Affetti: che questo è l' ultimo e forse anco il final canto della mia Musa. E vorrei volentieri, che fosse come quello del Cigno, che soavissimamente risuona nell' estremo di sua vita. Che se bene io sono ancora nell' età consistente, la mia Poesia però resta sù l' occaso, e tramonta l' Apollo mio che le gravi cure e i governi, non ammettono i soliti spiriti Pierii, anzi sono un efficacissimo esforcismo per discacciargli. Mà qualunque io mi sia, per parerle ò Cigno o Grillo, son suo, e mele dedico per sempre divotissimo. Così potess' io dire altrettanto eccellente di affetto, quanto ella è eccellente di merito, mà non posso dare in alcuno eccesso di amarla, e di osservarla, dove infinito stimo io il merito della bontà e del valore di Vostra Signoria. Alla quale per fine prego da Dio il colmo di ogni più desiderata contentezza. Di Roma. A carte 993

CIV.

IL nome di Vostra Signoria non è nuovo in Italia, nè incognito all' orecchie mie; nuova è ben sempre la singolar virtù, e la rara gentilezza sua, perche sempre acquista nuovi meriti, e nuovi servitori: e massime quando viene expressa in sì cortesi lettere, & in sì graziose maniere: come appunto è seguito in questa prima sua. La quale è di tanto valore, che se non mi fà essere frà gl' altri, mi fa almeno parere à me stesso il primo degli Uomini favoriti. Onde à raggione posso io chiamare, e fortunate insieme, e felici peregrine, quelle umili creature mie, che vanno attorno: poiche da' ghiacci di cotesto lungo verno, anno potuto A carte 332 e 333.

portarmi si gentil primavera di vaghi fiori, nel bel seno dell' umanissima lettera di Vostra Signoria; e si ricco Autunno di frutti, nel pretioso dono della sua degnissima amicizia. E 'n verità che io non mi sono mai compiacciuto tanto delle debolezze mie, quanto al presente, ch'io ne vengo à raccogliere messe si degna. E non solamente nella nobilissima persona sua mà nel cortese amore di molti di cotesti Signori; si come piace à Vostra Signoria di farmi sapere. E di tutto questo vengo io à restarlene con maggiore obligo; e tanto più, quanto in paese di così vario clima, e di si diverso Idioma, sarà ella stata per auventura benigno interprete, e della mente dell' Autore, e della favella istessa dell' Opera, la quale in coteste parti sarebbe ò rimasta muta frà gl' ascoltanti, ò loquace frà sordi, se Vostra Signoria non avesse servito à lei di lingua, e à gl' altri d' orecchia. Così mi giova di credere, e credo di credere bene. Onde il Padre Don Arnoldo, mezzano di questo virtuoso contratto, non averà à meritar la pena del suo errore, mà il premio della sua cortesia e della solita bontà sua, ed io la grazia de' commandamenti di Vostra Signoria. La quale non deve meno esser pronta à comandarmi per gratificarmi, di quel che s' è dimostrata umile per honorarmi: ch'io altrimenti direi, che saria stato per confondermi. Et in questo caso certo non ne lascerei passare senza penitenza il Padre Don Arnoldo, col mezzo del quale invio questa, e con questa tutta quella parte di me stesso, che già impressa dal vivo carattere dell' amor suo, può farle più certa fede dell' affezzionata divozione mia, con la quale resto, pregandole da Dio felice fine di tutti i suoi santi proponimenti. Di Roma.

CV.

Nel secondo Volume à carte 258.

TArdo, mà fruttuoso rispondo alla lettera di V.S. Illust. perche stimo di corrispondere in parte al suo desiderio. Senta dunque l' amico Apelle nascosto doppo la Tavola, ciò che nel quì incluso foglio dice delle sue Osservazioni solari un valoroso Protogene, e Principale Patricio di questa Città, che può giudicare *ultra crepidam*. Nascosto anch' egli, mà sotto 'l manto della sua modestia. L' osservazione hà certo in se stessa del pellegrino, e si come piace in universale, così e per dar materia à bellissimi discorsi, & occasione ad altre osservazioni, come suole auvenire assai spesso, che una invenzione nasce dall' altra. Il Sig. Andrea Chiocco, nel mio passaggio per Verona, m' haueva detto, come V.S. Illust. l' aveva favorito di questa nobil curiosità, e che mene aurebbe fatto partecipe; mà ella hà voluto in ciò prevenir lui, perche sempre previene me nelle grazie e ne' favori. Conosco il mio debito; mà lo conosco solamente, perche non

posso

posso di vantaggio. Potrà la mia affezzione e la mia osservanza per me, e potrà molto, perche è fondata in suoi meriti, e sarà felice, se potrà esserle di corrispondente servigio, massime in questa mia nuova stanza di Venezzia; La quale si come mi potrebbe render più atto à servirla, così mi fa più pronto à pregarla de' suoi comandamenti, che mi valeranno per care e necessarie lettere. E Dio benedetto benedica sempre V.S.Ill. e la colmi d' ogni maggior bene. Di Venezia.

CVI.

SE V.S. non dubita del mio giuditio, dee restar certa della mia fede, e creder, che amando e honorando io tanto la sua Virtù, non possa dare alle sue nobilissime azzioni diverso senso du quel che si conviene. E veramente le sue richieste fattemi, e fattemi fare gl' anni à dietro, in materia diversi, per la gloriosa Santa Afra, sono state tanto modeste, e limitate, che m' an più tosto obligato col non obligarmi, che se m' avessero stretto & angustiato ben bene. E però molte volte son rimaso mal sodisfatto di me stesso, pensando al mio mancamento, e alla benignità e liberalità di V.S. la quale chiedendomi all' honore di sì venerabil Santa, non mi chiese, mà mi donò, e donò in grosso, onorandomi con titoli di pietoso e singolare ingegno. Li quali titoli, hò stimati io tanto, quanta è la stima, che si fà universalmente de' Sigri. Velseri, il qual non men nella Toscana, che nella Latina favella scrive sì giudiciosamente, che non può lasciarmi dubbioso, se spiando e comprendendo ottimamente come egli fà, le vaghezze e bellezze delle Poesie Toscane, ne viene consequentemente à prender molto gusto, e che di più esso solo, quãdo tutto mancasse, non fosse atto à farne capace gl' altri gentili ingegni d' Oltramonti, e però non hà V.S. à cavare altra cõclusione dal mio modo di scrivere, se nõn ch' io volessi più tosto inferire, come in effetto voleva, che le Poesie ordinarie, come le mie, e quelle di molt' altri Italiani, non erano tali, che dovessero in cotestе parti togliere il pregio alle Latine. Comunq; si sia, io stimerò sempre ben impiegato quel tempo, e quell' opera, ch' io spenderò in lode della gloriosa santa Afra; e se bene con gli anni sono cresciute, e precipitate le cure, & ora massime, ch' io mi trovo il peso * Generale della mia Religione; non mancherò con tutto ciò di rubar tant' ozio dalla prolissità di questi giorni estivi, ch' io possa mandarle in questo proposito, se non Poesie perfette, almeno qualche tentativo poetico, o qualche nobile impazienza, o generoso sdegno di me medesimo. Che perciò rileggerò di nuovo quel che V.S. scrive di questa Santa, e potra ancor esser, ch' un fuoco accendesse l' altro, e che io al lume della sua gran face accendessi una piccioletta facella:

Nell' istesso secondo Volume à carte 300. e 301.

* Era allora l'Abbate D. Angelo Grillo Presidente Generale della sua Religione.

onde più tosto veniſſi à renderle il ſuo, che à donarle il mio. E Dio benedetto, donator d' ogni bene, à V.S.Ill. conceda il colmo d' ogni più vera e ſtabile contentezza. Di St. Benedetto di Mantova.

CVII.

Nel terzo Volume, dell' iſteſſo Abbate D. Angelo Grillo, à carte 51.

ARiſtorarmi del pericoloſo travaglio provato nel mio ritorno di Genova à Venezia per li peſſimi tempi, che ſono paſſati, e paſſano di quà tuttavia, niuno altro rimedio era più valoroſo, che la corteſe lettera di V.S. Ill, co i ſecondi diſcorſi del noſtro ſconoſciuto Apelle. Sì conoſciuto nondimeno ormai in queſto ſuo già tanto famoſo ſconoſcimento, che mi par più toſto un Apollo, che uno Apelle, cioè un Apollo per auvētura più viſibile, e più caro, ſotto l' velo d' una ſottil neuuoletta di modeſtia, che non è l' altro, qualora totalmente ſcoperto, e ignudo, per la ſua ſoverchia viſibilità, ſi rende quaſi inviſibile, intrattabile e ingrato à gl' occhi noſtri. Se ben non inviſibile e non intrattabile alla pellegrina induſtria di coteſto valoroſo Apelle, che anco Apelle mi giova di nominarlo, perche ſi come da quell' antico pareva ſolo che permetteſſe il Grande Aleſſandro di eſſer dipinto e rappreſentato, così pare, che dà queſto noſtro moderno ſolo, conſenta il Sole d' eſſer vivamente eſpreſſo à queſto preſente ſecolo, ſi che lo veggia tale, quale non fù dagli antichi forſe veduto già mai, così per le congiunzioni de' Pianeti, li quali quaſi ſuo Re lo corteggiano, come per le vere macchie ò nuvole, che come nuove à noi, danno così bella occaſione di filoſofare a gli Aſtronomici. Ora di queſta nobil fatica darò parte quanto prima al noſtro Veneziano Protogene, e quanto prima ne inviero il ſuo parere; ringraziando in tanto il corteſe Apelle, che con la meritevol lode, ſi moſtra oſſequente à queſto nobiliſſimo e dottiſſimo ſpirito molto più, che perche abbia voluto numerare un ombra qualſon io, trà i chiari Lumi dell' età noſtra, maſſime in queſta Profeſſione; E ringraziando ſopra tutto Dio benedetto, che abbia voluto col mezzo d' alcuni ſingolari ingegni de' noſtri tempi, farne vedere, come oggi, con l' umile traſparente d' un picciol vetro ci vien dimoſtrato il Sole aſſai meglio del ſolito, la dove per mottegiare alcuno di ſoverchia e ridicola diligenza, pur ſogliam dire; Tenta coſtui con una facella di dimoſtrarne il ſole. E'l vero e ſempiterno Sole ci illumini nelle tenebre di queſta noſtra cieca umanità, ed à V. S. Ill. ed al ſuo dotto Apelle, conceda ogni maggior contentezza.

Di Venezia.

SAULI MERCERI
Augustani Vindelici

VIRGILIUS PROTEUS

Helmæstadii Anno 1600. inter Centones Virgilianos sub finem posterioris Tomi

ab

HENRICO MEIBOMIO

exhibitus,

Nunc, justis de causis, hoc loco, comparere jussus.

Illustri

Illustri & Generoso Viro

MARCO VELSERO,

Reipublicæ Augustanæ Ex-Consuli & Septemviro &c.

PATRONO ET MÆCENATI MEO,

S. D.

HENRICUS MEIBOMIUS.

ANte triennium, *Vir Illustris, cum propter magistratum, quem in Julia Academia gerebam, ordinariis laboribus vacare non possem, & nihilominus juventuti nostræ prodesse cuperem, de operibus meis poëticis recensendis edendisq; cogitare cœpi. Hortabantur amici, ut id facerem, neq; deerant aliæ causæ nonnullæ, quibus magis impelkerer, & inflammarer. Initium autem feci à Centonibus Virgilianis, tum quod primi ingenii mei fœtus essent: tum quod minus laboris requirere viderentur. Ne verò soli exirent illi, utq; ostenderem, quos secutus essem magistros, placuit meis præmittere Probæ Falconiæ & Ausonii Centones ingeniosissimos. His addidi ex recentioribus duos Capilupos Italos, Lælium dico & Julium: quorum hic, ut pio affectu decus familiæ suæ hereditarium conservare voluit, ita nequaquam illius venustatem assecutus est. Minimè verò tum dubitabam, quin plura utriusq; in hoc genere extarent monumenta, sed quantalibet rem agerem cura & diligentia, ulterius indagare nihil potui. Cum autem nostri labores prodiissent, à nobiliss. & consultissimo viro Dn. JACOBO MONAVIO, amico meo, admonitus sum, Capilaporum Centones Romæ anno supra sesquimillesimum nonagesimo, uno volumine excusos esse. Ibi continuò cœpi ardere incredibili desiderio videndi hoc opus: omnemq; movi lapidem, ut in manus meas deveniret, sed frustra. Recurrendum itaq; fuit ad Monavium: à quo tandem Centones istos amanuensium manu descriptos impetravi. Qua autem aviditate oblatos pertutrerim, explicare non possum: hoc maximoperè dolui, non genuinos me habere fœtus Lælii, sed à Julio præposteræ curæ emendatos & interpolatos. Magnam sibi sumpsisse eum licentiam testis est Cento de Monachis omnium lepidissimus & ingeniosissimus, quem truncatum mutatumque de Ætate aurea & ferrea inscripsit. In cæteris quid factum sit, ignoramus; conjecturam facimus, optimo felicissimi Poëtæ genio vim & injuriam factam non exiguam: sed acquiescendum nobis erat in eo, quod fortuna obtulerat. Nolui autem studiosis invidere hunc thesaurum, quod animadvertissem priores nostros labores magna aviditate exceptos fuisse. Dum itaque editionem molior, commodùm accidit, Vir generose, ut internuncio CL. viro GUNRADO RITTERSHUSIO, Antecessore Altorfiano, amico meo veteri, Centones novos, per occasionem edendos, ad me mitti curares. Hic exilui gaudio, gratulatus mihi de accessione ista, equidem, si molem spectem, non magna, si artificium intuear, longè pulcerrima. Non autem hic de auctore disputabo: facilè enim quivis odorari poterit, cujus hæc sint, cui excellens tuum ingenium & admiranda doctrina cognita est. Tantum tibi communi Reipubl. literariæ nomine pro communicatis istis deliciis gratias ago. Cumq; pro singulari benevolentia, quam literis humanissime scriptis, simulque insigni opere historico ad me misso, erga me declarasti, plurimum tibi debeam, totum hoc Centonum opus, in Germania nunc primum excusum, tuo nomini inscribere volui. Erunt tuæ partes, hospites hosce, non ignotos, neq; benevolentia indignos hilari fronte excipere & patrocinio liberali complecti. Quo officio & istos ipsos Triumviros, omnesq;, quibus hi magni sunt, magis tibi devincies, famamque nominis, quam adeptus es magnam, incredibili cumulo augebis. Vale augustissimum Augustæ tuæ sydus. Helmastadii in Julia Academia anno Christi 1599. 4. Decembr.*

EPIGRAM-

EPIGRAMMA

CONRADI RITTERSHUSII

Brunſvic. JCti.

In laudem

CL. V. HENRICI MEIBOMII,

Poëtæ Cæſarii, & Hiſtoriar. Profeſſoris in illuſtri acad. JULIA, quæ eſt Helmæſtadii,

&

SAULI MERCERI

Auguſtani.

PRotea dum cecinit converſum in mille figuras,
Deſcripſit ſortem neſcius ipſe ſuam
VIRGILIUS: nam quæ non transformatus in ora eſt,
Aptatus rerum caſibus innumeris?
CENTONES varios divino è carmine cernis
Conſutos docta diſpoſitosque manu?
Ars ea MEIBOMIO ad ſummum ſubvecta cacumen
Permittet nunquam nomina clara mori.
AUSONIO par fama viri conſurgit ad aſtra,
Illuſtri congrex FALCONIÆQUE PROBÆ eſt.
Incluta MERCERI jam nunc ſe his nomina jungunt,
Fœcunda ingeniis ſeclaq; noſtra probant.
Creſcite CENTONES, & ſolo nomine veſti
Cedite, purpureo murice fulgiduli.

IN CENTONUM VIRGILIANORUM A CL. MEIBOMIO EDITORUM PARTEM II.

QUi primus hocce carminum pulchrum genus
Muſasque repperit Poëta ſutileis,
Felicioris ille prorſus ingenI
Limatioris prorſus idem judicI!
Exemplar edidit, modeſtiæ magis
Diis Caménis ſpecimen olim debitæ.
Non ille ſeris cogitata poſteris
GenI feracis tradiet molimina
Forma venuſtiore prudens cenſuit
Poteſſe, quam Maronis auguſta, enthea,

Auroq; contra & aurichalco carmina
Si nexuiſſet aureis catenulis,
Ab officina Lemmia catenulis,
Queis haut Gradivus mœchus importunior
Solummodò queat volens-nolens capi.
Sed ipſe fallendi Magiſter admodum
Et artifex, ſalace cum nata Jovis,
Potiſſit impediri, & impotens volet,
Quid ſic ligatis aptius centonibus?
Non illi adornaſſint opus lectum magis
Ac eligantes haſce, Lector, paginas,
Bellis coloratas figuris paginas,
Quas jam ſecundas, & ſecundo Apolline,
Noſter Poëta dat, Poëta JULIUS,
Vatum ille ductor atq; cenſor optumus,
Quoi tot Poëtarum labores inclutos
Debes, amice lector, atque induſtriæ
Mirabile exemplum, & probum in FALCONIA,
LUPISQUE cæteris, honoratis LUPIS,
Hujusce magnis carminum parentibus.
Sed arbitrum omnium Poëtarum unicum,
Illum optimatem, *principem* illum denique
VELSERUM ab AUGUSTA, *poëtam nobilem*,
Manet ſuum à Phœbo ſuo palmarium,
Auctarium beat perennis gloriæ;
Qui dum Poëtas jure proſcribit malos,
Bonis Poëtas verſibus damnat malos,
Suopte vates ornat exemplo bonos.
Proinde honore par vel amplior cluet,
Centoniamque Lauream olli ſurripit,
Qui primus hocce carminum pulchrum genus
Muſasq; repperit Poëta ſutileis.

Gaſpar Arnoldius, Phil. & Med. D.
apud illuſtrem Julium Phyſ. Pr. Ord.

---- Quamquam & melioribus actis
Quæritur æternum nomen, multoq; licebat
Clarius ingenium venturæ tradere famæ,
Attamen ad laudem quæcunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, & ſumma ad faſtigia niti.

CÆSARES.	VOTUM.
CORYDON.	DIDO.
ARGUMENTA.	PSALMUS.
NUPTIÆ.	DIRÆ.

VIRGI-

VIRGILIUS PROTEUS
SAULI MERCERI
Augustani Vindel.

CÆSARES AUSTRIACI.

Aen. 7. DAndite nunc Helicona Deæ, cantusque movete,
Aen. 7. Majus opus, major rerũ mihi nascitur ordo,
Aen. 10. Audentes fortuna juvat. Ab origine Reges *Aen. 7.*
Geor. 2. Austrinos, veterum effigies ex ordine avorũ *Aen. 7.*
Aen. 6. Fataq; fortunasq; virûm moresq; manusq;
Geo. 4. Expediam, sed summa sequar fastigia rerum. *Aen. 1.*
Eclo. 5. Nam neq; cuncta meis amplecti versibus opto, *Geor. 2*
Aen. 6. Nec mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Aen. 12 Sufficiant vires per tot discrimina rerum. *Aen. 1.*
Aen. 5. Ore favete omnes, atque hæc exempla sequuti, *Geo. 4.*
Aen. 6. Discite Justitiam moniti, verumq; laborem. *Aen. 12*

RUDOLPHUS ALBERTI F.

Aen. 8. SAlve vera Jovis proles, Tu cujus & annis *Aen. 8.*
Aen. 8. Et generi fatum indulget. Tu maximus ille es, *Aen. 6.*
Aen. 8. Flos veterum virtusque virûm, qui paupere terra *Aen. 6.*
Aen. 6. Missus in imperium magnum justissimus unus, *Aen. 7.*
Eclo. 8. A te principium sceptrumq; sacerq; tiaras. *Aen. 7.*

ALBERTUS RUDOLPHI F.

Aen. 12 NOmine avum referens, animo manibusq; parentem
Aen. 5. Proximus ingreditur, subito ferrumque retractat, *Aen. 7.*
Geo. 1. Non torpere gravi passus sua regna veterno.
Aen. 4. Mortem animus meminisse horret luctuq; refugit. *Aen. 2.*
Eclo. 9. Heu cadit in quenquam dominorum fallere dextras! *Aen. 6.*

FRIDERICUS ALBERTI F. PULCHER.

Aen. 7. NEc tu carminibus nostris indictus abibis
Aen. 6. Infelix, ut cumque ferent ea fata minores.
Aen. 8. Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
Aen. 6. His mersere malis. Manibus date Lilia plenis, *Aen. 6.*
Aen. 11. Exigua ingentis misero solatia luctus.

ALBERTUS ALBERTI F.

Aen. 6. OStendunt terris hunc tantum fata, neque ultra
Aen. 9. Indulgent, duræ rapit inclementia mortis *Geo. 3.*
Aen. 6. Egregium forma juvenem, nova regna petentem, *Aen. 1.*
Aen. 1. Ante diem. Magnorum haud unquam indignus avorum *Aen. 11.*
Aen. 12 Ille quidem, nec vana fides, genus esse Deorum. *Aen. 4.*

FRIDERICUS ERNESTI F.

Aen. 3. CEntum urbes, tonsæ foliis ornatus olivæ *Geo. 3.*
Aen. 7. Jam senior longa placidas in pace regebat.
Aen. 9. Quin etiam bis tum Tiberini ad fluminis undam *Aen. 10.*
Aen. 3. Cœlicolûm Regi votum immortale sacrabat. *Aen. 8.*
Aen. 11. Hic amor, hoc studium, quo non præstantius ullum. *Aen 12*

MAXIMILIANUS FRIDERICI F.

Aen. 7. JAm pridem resides populos, desuetaque rursus
Aen. 7. Agmina in arma vocat. Validam vi corripit hastam, *Aen. 12*
Aen. 12 Circumdat loricam humeris, quatit oppida bello. *Aen. 9.*
Aen. 9. Omne ævum ferro teritur, nec tarda senectus *Aen. 9.*
Aen. 9. Debilitat vires, tantæ est victoria curæ. *Geo. 3.*

CAROLUS PHILIPPI F.

Aen. 6. HUc geminas nunc flecte acies. Hic inclytus armis,
Geo. 4. Magnanimosque duces, atque altæ mœnia Romæ, *Aen. 1.*
Aen. 8. Tum Reges ipsos, primum capita alta ferentes, *Geo. 1.*
Aen. 1. Imperio premit ac vinclis. Garamantas & Indos *Aen. 6.*
Aen. 8. Composuit, legesque dedit, ritusque sacrorum. *Aen. 12*

FERDINANDUS PHILIPPI F.

Aen. 11. ARduus insurgens reddi sibi poscit honorem, *Aen. 5.*
Aen. 11. Et sellam regni, quæsitas sanguine dotes, *Aen. 7.*
Geo. 1. Ecce inimicus atrox, flammantia lumina torquens, *Geo. 3.*
Aen. 9. Improvisus adest: urbem obsidione premebat, *Aen. 8.*
Aen. 4. Germani in ferrum pro libertate ruebant. *Aen. 8.*

MAXIMILIANUS FERDINANDI F.

HIc bello audacis populi vexatus & armis *Aen. 4.*
Geo. 2. Principio, placida compostus pace quiescit *Aen. 1.*
Aen. 2. Ex illo, haud ulli veterum virtute secundus. *Aen. 11.*
Aen. 6. Felix prole virûm, quæ viribus occupet orbem, *Aen. 7.*
Quam pater ipse suo Superûm jam signat honore. *Aen. 6.*

RUDOLPHUS MAXIMILIANI F.

Aen.10. QUod votis optâſtis, adeſt: Labentibus annis *Aen. 2.*
Aen. 6. Auguſtus Cæſar divûm genus, aurea condet
Aen. 6. Sæcula qui rurſus; divini ſigna decoris, *Aen. 5.*
Aen. 5. Ardentesque notate oculos, qui ſpiritus illi,
Aen. 1. Os humerosq; Deo ſimilis, vel greſſus eunti. *Aen. 5.*

CORYDON.

Eclo. 7. FOrtè ſub arguta conſederat ilice paſtor *Eclo. 6.*
Eclo. 8. Propter aquæ rivum foliis ornatus olivæ: *Geo. 3.*
Aen. 9. Dum canit & mœſtum Muſa ſolatur amorem,
Aen. 6. Threicia fretus cithara, hæc incondita ſolus *Eclo. 2.*
Eclo. 2. Montibus & ſylvis ſtudio jactabat inani,
Aen. 5. Multa gemens; pulſæ referunt ad ſydera valles, *Eclo. 6.*
Eclo. 5. Ipſa ſonant arbuſta, ipſæ jam carmina rupes. *Eclo. 5.*
Aen. 8. Nunc ô nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Aen. 7. Quandoquidem noſtros in longum ducis amores, *Eclo. 9.*
Eclo. 8. Dumq; tibi eſt odio mea fiſtula, dumq; capellæ,
Geo. 2. Mugitusq; boum mollesq; ſub arbore ſomni,
Aen. 2. Atque humiles habitare caſas miſerosque penates. *Geo. 2.*
Eclo. 8. Præceps aërii ſpecula de montis in undas
Eclo. 8. Deferar, extrema moriens tamen alloquor hora. *ORA.*
Aen. 4. Ire iterum in lacrymas, iterum tentare jubebis *Geo. 2.*
Geo. 4. Orando humanis precibus manſueſcere corda *Geo. 4.*
Aen.10 Neſcia, tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris. IS. *Ecl.10.*
Eclo. 6. Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit, *Eclo. 2.*
Aen. 4. Solane perpetua mœrens carpere juventa!
Eclo. 6. Ah virgo infelix, Veneris nec præmia nôris, *Aen. 4.*
Aen. 4. Nec dulces natos: quæ te dementia cepit! *Eclo. 6.*
Aen. 4. Eſto, ægram nulli quondam flexere Hymenæi, *Geo. 4.*
Geo. 4. Nulla Venus: placitóne etiam pugnabis amori? *Aen. 4.*
Aen. 6. Vincet amor, ſi quod non æquo fœdere amantes *Aen. 4.*
Aen. 4. Curæ numen habet, juſtumq; memorq; doloris. *Aen. 9.*
Eclo. 9. Huc ades ô Galatea, habitarunt DI quoq; ſylvas, *Eclo. 2.*
Eclo. 5. Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras,
Eclo. 5. Sive antro potius, non adverſata petenti. *Aen. 4.*
Geo. 2. Hîc ver aſſiduum, varios hîc flumina circum *Eclo. 9.*
Eclo. 9. Fundit humus flores, Zephyriq; tepentibus auris *Geo. 2.*
Geo. 2. Laxant arva ſinus, hîc candida populus antro *Eclo. 9.*
Eclo. 9. Imminet, omnis ager, nunc omnis parturit arbos. *Eclo. 3.*
Aen. 2. Huc ades, hac mecum poteris requieſcere nocte, *Eclo. 1.*
Eclo. 1. Fronde ſuper viridi, ramorum protegat umbra. *Geo. 2.*
Eclo. 7. Huc ades, ô nobis placeant ante omnia ſylvæ; *Eclo. 2.*

Geo. 2.	Speluncæ, viviq; lacus ac luſtra ferarum,	*Geo. 2.*
Geo. 2.	Et ſecura quies, & neſcia fallere vita. ITA.	
Aen. 2.	Tu modò promiſſis maneas, tua numina poſco,	*Aen. 1.*
Aen. 12	Victus amore tui, dubiis ne defice rebus,	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Siſte gradum, teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.	
Eclo. 9.	Aſpice, ventoſi ceciderunt murmuris auræ,	
Aen. 2.	Intonuit lævum, & de cœlo lapſa, bonum ſit,	*Eclo. 8.*
Aen. 1.	Ni fruſtra augurium vani docuere parentes,	
Aen. 2.	Stella facem ducens multa cum luce cucurrit,	
Eclo. 5.	Neſcio quid certè eſt, Dî noſtra incepta ſecundent,	*Aen. 7.*
Aen. 2.	Viſus adeſſe pedum ſonitus, vox fertur ad auras,	*Aen. 3.*
Eclo. 8.	Credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? FIN-	
Eclo. 2.	Eheu quid volui? crudelis tu quoq; falſis (GUNT.	*Aen. 1.*
Aen. 1.	Ludis imaginibus? de te nil tale verebar,	*Aen. 9.*
Aen. 5.	Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,	
Aen. 3.	Et quæ vel cœlo poſſunt deducere lunam,	*Eclo. 8.*
Aen. 4.	Siſtere aquam fluviis & vertere carmina rupes.	*Eclo. 5.*
Eclo. 2.	Me tamen urit amor, quis enim modus adſit amori? MORI.	
Aen. 9.	Ergo tot incaſſum fuſos patiere labores,	*Aen. 7.*
Aen. 12	O præſtans animi, ſola contenta Diana!	*Aen. 11.*
Aen. 4.	Egregiam verò laudem & ſpolia ampla puellæ?	*Eclo. 1.*
Aen. 4.	Si te nulla movet tantarum gloria rerum,	
Aen. 4.	Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam;	
Aen. 3.	Eloquar, an ſileam? genuit te cautibus horrens	*Aen. 4.*
Aen. 4.	Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt ubera tygres.	
Aen. 4.	Quin potiùs per ego has lacrymas, dextramq; tuam te,	*Aen. 4.*
Aen. 4.	Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam	
Aen. 4.	Dulce meum; miſerere animi non digna ferentis,	*Aen. 2.*
Aen. 6.	Alma precor miſerere, potes namq; omnia, & iſtam	
Aen. 4.	Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.	
Aen. 6.	Quem fugis? Extremum fato quod te alloquor hoc eſt,	
Aen. 12	Utere ſorte tua, noctem non amplius unam,	*Aen. 1.*
Eclo. 7.	Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.	
Aen. 4	Talibus orabat, ſpe multum captus inani,	*Aen. 11.*
Aen. 1.	Infelix puer, ac reſpondent omnia ſylvæ,	*Eclo. 9.*
Geo. 4.	Saxa ſonant, vocisque offenſa reſultat imago.	

ARGUMENTA ÆNEIDIS.

PRIMO LIBRO.

Aen. 1. DEfeſſi Æneadæ Libyæ vertuntur ad oras.

SECUNDO.

Aen. 2. Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troja.

TER-

TERTIO.

Aen. 3. Dardanidæ duri feriunt mare & æquora verrunt.

QUARTO.

Aen. 4. Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.

QUINTO.

Aen. 5. Mox tuba commissos medio canit aggere ludos.

SEXTO.

Aen. 6. Troius Æneas Erebi descendit ad umbras.

SEPTIMO.

Aen. 7. Æneadæ optato conduntur Tibridis alveo.

OCTAVO.

Aen. 8. Conjurat trepido Latium simul omne tumultu.

NONO.

Aen. 9. Turnus in arma viros, acies in prælia cogit.

DECIMO.

Aen. 10. Concurrunt Trojanæ acies, aciesque Latinæ.

UNDECIMO.

Aen. 11. Venatrix graditur bellum ad crudele Camilla.

DUODECIMO.

Aen. 12 Concurrunt Tros Æneas & Daunius heros.

NUPTIÆ
PAULI VELSERI, MATTHÆI F. ET ANNÆ VEHLINÆ, JOANNIS F.

Quod post Ausonium Centonem nuptialem scribat.

Livor crescentem parcas mordere Poëtam.
Et post Mæonidem legimus Iliadas.

Aen. 9. VOs ô Calliope, Paullo majora canamus. *Eclo. 4.*
Geor. 3 Cetera quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Geo. 3. Omnia jam fama totum vulgata per orbem. *Aen. 1.*
Geo. 3. Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos,

Et

Aen. 6.	Et quos durus amor crudeli tabe peredit.	*Aen. 6.*
Aen. 4.	Quin potius pacem æternam pactosq; Hymenæos,	
Aen. 10.	Fatidicæ Mantûs cithara fidibusque canoris	*Aen. 6.*
Geo. 1.	Hinc canere incipiam; precor, aſpirate canentì	*Aen. 9.*
Eclo. 7.	Nymphæ noſter amor, & Trojæ Cynthius auctor:	*Geo. 3.*
Geo. 1.	Tuque adeo famæ meritò pars maxima noſtræ,	*Geo. 3.*
Eclo. 1.	Fortunate ſenex, magnam cui mentem animumq;	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Delius inſpirat, divino pectore vates,	
Eclo. 1.	Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.	
Aen. 12	O præſtans animi, tua dum veſtigia luſtro,	*Eclo. 2.*
Geo. 1.	Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis.	
Aen. 9.	Ergò aderat promiſſa dies: longo ordine matres,	*Aen. 2.*
Aen. 6.	Matres atque viri, pueri, innuptæque puellæ	*Aen. 2.*
Aen. 5.	Undique conveniunt per limina læta frequentes.	*Aen. 1.*
Aen. 4.	Principio delubra adeunt delecta juventus,	*Aen. 3.*
Aen. 7.	Implorantque Deos incenſa altaria circum.	*Aen. 8.*
Aen. 7.	Primus init ipſe ante alios pulcherrimus omnes	*Aen. 4.*
Aen. 9.	Ora puer prima ſignans intonſa juventa.	
Eclo. 8.	Qualis ubi Oceani perfuſus Lucifer unda	
Aen. 7.	Extulit os ſacrum; ſed cunctis altior ibat,	*Aen. 8.*
Aen. 7.	Intentos volvens oculos, mollique fluentem	*Aen. 4.*
Aen. 4.	Fronde premit crinem fingens, it pectore ſummo	*Aen. 5.*
Aen. 5.	Flexilis obtorti per collum circulus auri.	
Aen. 11.	Succedunt matres. Veneris juſtiſſima cura	*Aen. 10.*
Aen. 7.	Ipſa inter medias, magna comitante caterva	*Aen. 2.*
Aen. 10	(Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,	
Aen. 10	Aut collo decus aut capiti) ſe læta ferebat,	*Aen. 1.*
Aen. 5.	Ardentes dare viſa faces, mirabile viſu,	*Aen. 12*
Aen. 5.	Aera dimovit tenebroſum, lactea colla	*Aen. 8.*
Aen. 8.	Auro innectuntur, demiſſa monilia pendent,	*Aen. 7.*
Aen. 1.	Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem	
Aen. 1.	Spiravere, ima verrit veſtigia cauda.	*Geo. 3.*
Aen. 7.	Illam omnis tectis agrisque effuſa juventus,	
Aen. 7.	Attonitis inhians animis proſpectat euntem.	
Geo. 7.	Hunc decus egregium formæ movet atq; juventæ,	
Aen. 7.	Hunc atavi, & pulchro veniens in corpore virtus,	*Aen. 5.*
Aen. 6.	Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt; juvat uſq; morari.	
Aen. 6.	Ventum erat ad limen, cum virgo immania templa	*Aen. 6.*
Aen. 4.	Ingreditur, tacitum pertentant gaudia pectus.	*Aen. 1.*
Aen. 5.	Tum lecti juvenes media teſtudine templi	*Aen. 1.*
Geo. 4.	Circumſtant, alii fontemque ignemque ferebant,	*Aen. 12*
Aen. 9.	Ardentes tædas alii, nec ſacra morantur.	*Aen. 6.*
Aen. 12	Primus ibi ante omnes longa cum veſte ſacerdos,	*Aen. 6.*
Aen. 10.	Totus collucens, oculos ad ſidera lætus	*Aen. 2.*

Extu-

Aen. 2.	Extulit & cœlo palmas cum voce tetendit,	
Aen. 9.	Multa Deos orans, oneravitque ætherea votis.	
Aen. 1.	Nate patris ſummi, cui vincla jugalia curæ,	*Aen. 4.*
Æn. 12	Reſpice nos, ſi quid pietas antiqua labores .	*Aen. 5.*
Aen. 5.	Reſpicit humanos, da dextræ jungere dextram,	*Aen. 1.*
Geo. 2.	O fortunatos nimium, æquo fœdere amantes.	*Aen. 4.*
Aen. 4.	Ad ſis ô placidus, & ſi pietate meremur,	*Aen. 2.*
Aen. 8.	Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.	
Aen. 2.	Talia perſtabat memorans dextrasque tenebat	*Aen. 6.*
Aen. 9.	Amborum, magna medius comitante caterva.	
Geo. 4.	Illi inter ſeſe jungebant fœdera dictis.	
Aen. 5.	Et juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem,	*Geo. 3.*
Geo. 3.	Durus amor, tacitum vivit ſub pectore vulnus,	*Aen. 3.*
Aen. 12	Ut primum fari potuit, ſic incipit ore;	
Aen. 2.	O dulcis conjux, mea ſola & ſera voluptas,	*Aen. 8.*
Aen. 6.	Da dextram; comitem caſus complector in omnes.	
Aen. 5.	Vix hæc ediderat, veluti violaverit oſtro	*Aen. 12*
Aen. 12	Si quis ebur, tales virgo dabat ore colores,	*Aen. 12*
Aen. 12	Flagrantes perfuſa genas, dextraque prehenſum	
Aen. 2.	Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore:	
Eclo. 4.	Teque adeò venerande puer, jam pectore toto	*Aen. 9.*
Aen. 8.	Accipio agnoſcoque libens, mea maxima cura.	*Aen. 1.*
Aen. 8.	Talibus inter ſe dictis ſacrisque litatis,	*Aen. 4.*
Aen. 8.	Una omnes juvenum primi, populusque patresq;	*Aen. 9.*
Aen. 12	Tum ſtudio effuſæ matres ad tecta ſubibant.	*Aen. 8.*
Aen. 1.	At domus interior regali ſplendida luxu	
Aen. 1.	Inſtruitur, intus famulæ, quibus ordine longo	*Aen. 1.*
Æn. 1.	Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.	
Aen. 3.	Aulai in medio læti convivia curant	*Geor. 1.*
Aen. 11	Matronæ puerique omnes populusq; patresq;.	*Æn. 9.*
Aen. 1.	Poſtquam prima quies, libabant pocula Bacchi,	*Aen. 3.*
Aen. 1.	Crateras magnos ſtatuunt, paterasq; tenebant	*Aen. 1.*
Aen. 7.	Teutonico ritu, ferit aurea ſydera clamor	*Aen. 2.*
Aen. 3.	Lætitia, vocisque offenſa reſultat imago.	*Geo. 4.*
Aen. 5.	Jamq; exempta fames, & amor compreſſus edendi,	*Aen. 8.*
Aen. 8.	Conſurgunt menſis, biforem dat tibia cantum,	*Aen. 9.*
Aen. 1.	Fit ſtrepitus tectis, juvat indulgere choreis.	*Aen. 9.*
Geo. 2.	Non abſunt illis præſtanti corpore Nymphæ;	*Æn. 1.*
Aen. 9.	Ante omnes, magna juvenum ſtipante caterva,	*Aen. 1.*
Aen. 1.	Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi	
Aen. 1.	Exercet Diana choros, ſic ora ferebat	*Aen. 3.*
Aen. 4.	Anna, trahens varios adverſo ſole colores,	*Aen. 5.*
Aen. 12	Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbes,	
Aen. 8.	Devexo interea propior fit veſper Olympo,	

Æn. 8.	Nox ruit & fuſcis tellurem amplectitur alis,	
Aen. 1.	Involvens umbra magna terramque polumque.	
Aen. 7.	Certatim inſtaurant epulas, luſtrantq; choreis	*Aen. 10*
Aen. 1.	Atria, dependent lychni laquearibus aureis	
Aen. 5.	Ardentes, noctem flammis funalia vincunt.	*Aen. 1.*
Geo. 2.	Nec minus interea magno inflammatus amore,	*Aen. 3.*
Aen. 7.	Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,	
Aen. 12	Haud aliter juvenis ſubita ſpe fervidus ardet,	*Aen. 12*
Geo. 3.	Stare loco neſcit, eſt mollis flamma medullas,	*Aen. 4.*
Aen 12	Præcipitatque moras omnes, cum virgine victor	*Æn. 11*
Aen. 4.	Ingreditur, curſûq; amens ad limina tendit.	*Aen. 6.*
Aen. 9.	Primorum manus ad portas comitatur euntem.	*Aen. 7.*
Geo. 4.	At chorus æqualis, primævo flore juventus,	*Aen. 7.*
Geo. 2.	Verſibus incomptis ludunt & carmina dicunt.	*Aen. 6.*
Eclo. 8.	Sparge marite nuces, tibi deſerit Heſperus Oetam,	
Eclo. 2.	Atque novas incide faces, tibi ducitur uxor	*Eclo. 8.*
Aen. 12	Cui genus à proavis ingens, gratiſſima conjux,	*Aen. 10*
Aen. 5.	Ore favete omnes, non hæc ſine lumine divûm	*Aen. 2.*
Aen. 1.	Eveniunt, cuncti læti celebremus honorem.	*Aen. 5.*
Eclo. 5.	Fortunate puer, quæ te tam læta tulerunt	*Aen. 1.*
Aen. 1.	Secula, qui tanti talem genuere parentes?	
Eclo. 5.	Fortunate puer, fugit irreparabile tempus,	*Geo. 3.*
Æn. 9.	Rumpe moras omnes, quid non ſperemus amantes?	*Eclo. 8.*
Æn. 1.	Jam dabit amplexus, atq; oſcula dulcia figet,	
Æn. 1.	Spemq; metumq; inter, flammantia lumina torquens,	*Geo. 2.*
Eclo. 2.	Huc ades ò formoſe puer, nunc tempus agi res.	*Aen. 5.*
Aen. 8.	Talia carminibus celebrant, collesque reſultant;	*Aen. 5.*
Geo. 3.	Illi alternantes linguis vibrantibus ora	*Aen. 2.*
Geo. 4.	Ore legunt, licito tandem ſermone fruuntur.	*Aen. 8.*

VOTUM JOLÆ,

Cui reſpondet oraculum per initia verſuum.

Geo. 1.	LUmina, labentem cœlo quæ ducitis annum	
Geo. 2.	Æternum, veſtros colui ſi ſemper honores,	*Æn. 12*
Geo. 2.	Bacchus & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus	*Geo. 1.*
Æn. 3.	Obſcœnam pingui glandem mutavit ariſta,	*Geo. 2.*
Æn. 11	Rettulit in melius & plenæ pocula menſæ,	*Aen. 1.*
Æn. 1.	Oramus (redit agricolis labor actus in orbem,)	*Geo. 2.*
Geo. 1.	Multum adeo officiant lætis ne frugibus herbæ,	*Geo. 1.*
Geo. 1.	Neu tenues pluviæ, rapidive potentia Solis,	

Infe-

Aen. 4.	Infelixque inopi metuens formica ſenectæ,	*Geor. 1.*
Geo. 4.	Æſtatem pecori defendite, jam venit æſtas,	*Eclo. 7.*
Aen. 2.	Ultro jam læto turgent in palmite gemmæ,	*Eclo. 7.*
Geo. 2.	Jam vinctæ vites. Pomis exuberet annus.	*Geo. 2.*
Geo. 2.	Nec minus interea plenis vindemia labris,	*Geo. 2.*
Geo. 2.	Colaque prælorum. Fugiant examina taxos.	*Eclo. 9.*
Geo. 3.	Ingentes paſtæ diſtentent ubera vaccæ.	*Eclo. 9.*
Eclo. 6.	Tum verò Cererem pubes agreſtis adoret,	*Geo. 1.*
Eclo. 1.	Ipſi rite ſuum Baccho dicemus honorem.	*Geo. 2.*
Geo. 2.	Mox ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram,	
Geo. 1.	Poculaque in fluctus & vina liquentia fundam,	*Aen. 5.*
Geo. 8.	Religione patrum. Divino carmine paſtor	*Eclo. 6.*
Aen. 7.	Ore refert, placidi ſtraverunt æquora venti,	*Aen. 5.*
Geo. 3.	Balatu pecorum & crebris mugitibus amnes,	
Aen. 11.	Vicinæque ſonant ripæ collesq; ſupini	*Geo. 3.*
Geo. 2.	Sylvarum, & longè ſaltus lateque vacantes.	*Geo. 3.*

DIDO.

Aen. 6.	ERrabat ſylva in magna, per opaca viarum	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Fortunatorum nemorum ſedesque beatas	
Aen. 4.	Infelix Dido, conjux ubi priſtinus illi	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.	
Aen. 6.	Ecce autem primi ſub lumina ſolis & ortus,	
Aen. 6.	Per tacitum nemus ire, pedemque advertere magnum	
Geo. 4.	Illo Virgilium, medium nam plurima turba	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Hunc habet, atq; humeris extantem ſuſpicit altis,	
Aen. 6.	Aut videt aut vidiſſe putat; diverberat auras,	*Aen. 6.*
Geo. 4.	Haud mora, continuo pernicibus ignea plantis,	*Aen. 11.*
Aen. 1.	Atque illi media ſeſe tulit obvia ſylva.	*Aen. 1.*
Aen. 6.	Ut primum juxta ſtetit, agnovitque per umbras	
Aen. 4.	Huc illuc volvens oculos adverſa tuetur	
Aen. 4.	Luminibus tacitis, acriq; incenſa dolore,	*Aen. 11.*
Aen. 9.	Sciſſa comam, mœſtis latè loca queſtibus implet.	*Geo. 4.*
Aen. 4.	Heu vatum ignaræ mentes! quid vivida virtus,	
Geo. 3.	Quid labor aut benefacta juvant? ſors omnia verſat.	
Aen. 4.	Quid primum deſerta querar: nil linquere inauſum	
Aen. 7.	Quæ potui, ne noſter honos infractavè cedat	*Aen. 7.*
Aen. 7.	Fama loco, medias acies mediosque per ignes	*Aen. 7.*
Aen. 7.	Quæ potui infelix crudelem abrumpere vitam?	*Aen. 8.*
Aen. 4.	Heu furiis incenſa feror tentare precando	*Aen. 4.*
Aen. 5.	Æneam, & ſupplex animos ſubmittere amori.	*Aen. 4.*
Geo. 4.	Ah miſeram, ſcis ipſe, nec eſt te fallere cuiquam,	*Geo. 4.*

Aen. 4.	Postquam primus amor deceptam morte fefellit,	
Aen. 2.	Vos æterni ignes, terram, mare, sydera juro,	Aen. 12
Æn. 12	Vimq; Deûm infernam, & duri sacraria Ditis,	
Geo. 4.	Nulla Venus, nullique animum flexere Hymenæi,	
Aen. 4.	Non Libyæ, non ante Tyro despectus Iarbas,	
Eclo. 9.	Nec tuus Æneas, quem Dardanio Anchisæ	Aen. 1.
Aen. 1.	Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undas.	
Aen. 6.	Sed me fata mea, & scelus exitiale tyranni	Aen. 7.
Aen. 6.	His mersere malis, cuncti se scire fatentur.	Aen. 11.
Aen. 6.	Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem	
Aen. 6.	Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem	
Aen. 6.	Dulcis & alta quies, per amica silentia Lunæ,	
Aen. 7.	Tunc exaudiri voces & verba vocantis	Aen. 4.
Aen. 4.	Visa viri, in somnis inhumati venit imago,	Aen. 1.
Aen. 2.	Horresco, ora modis attollens pallida miris.	Aen. 1.
Aen. 2.	Hei mihi qualis erat, concretos sanguine crines,	Aen. 2.
Aen. 2.	Squallentem barbam, trajectaq; pectora ferro	Aen. 1.
Aen. 5.	Ostentans, nec me quærentem vana moratur:	Aen. 2.
Aen. 4.	Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas,	
Aen. 4.	Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis!	
Aen. 3.	Heu fuge crudeles terras, gratissima conjux,	Aen. 10
Aen. 9.	Rumpe moras omnes, dum præcipitare potestas,	Aen. 4.
Æn. 12	Parcarumq; dies & vis inimica propinquat	
Aen. 3.	Surge age: Sic fatus nocti se immiscuit atræ.	Aen. 4.
Aen. 3.	Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,	
Aen. 8.	Horrendum dictu, præsentiaque ora videbar.	Aen. 3.
Aen. 3.	Jamque rubescebat stellis aurora fugatis.	
Aen. 1.	Tum celerare fugam, scelerata excedere terra,	Aen. 3.
Aen. 3.	Linquere pollutũ hospitium, dare classibus austros	
Aen. 4.	Mens immota manet, rebus jam rite paratis.	Aen. 4.
Aen. 9.	Interea præmissi equites ex urbe Tyranni	Aen. 7.
Aen. 7.	Improvisi adsunt, sese ad divortia nota	Aen. 9.
Aen. 9.	Objiciunt, omnemq; aditum custode coronant,	Aen. 9.
Æn. 11	Compositi numero in turmas; ipse ardua montis	Aen. 11.
Aen. 11.	Per deserta jugo properans adventat ad urbem,	
Æn. 12	Quantus Athos, aut quantus Eryx, Gætulus Iarbas.	Aen. 4.
Aen. 6.	Hinc circum innumeræ gentes populiq; vagantur,	Geo. 3.
Aen. 4.	Et Numidæ infræni cingunt, lateque furentes	
Aen. 4.	Barcæi, pulsuq; pedum tremit excita tellus.	Aen. 7.
Aen. 2.	Ipse inter primos mediisque in millibus ardet	Aen. 1.
Aen. 7.	Horridus, Herculeoq; humeros innixus amictu.	Aen. 11.
Æn. 11	Jamq; propinquabant, fundunt simul undiq; tela	Aen. 12
Æn. 11	Crebra nivis ritu, summa nituntur opum vi	Aen. 10.
Aen. 5.	Pro se, quisque viri, certatur limine in ipso,	Aen. 12

Jam-

Aen. 1.	Jamq; faces & ſaxa volant, primosq; trucidant.	
Aen. 12	Exoritur trepidos inter diſcordia cives,	
Aen. 12	Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſſile ferrũ	
Aen. 12	Corripiunt cœci & pergunt defendere muros:	*Aen. 12*
Aen. 12	Urbem alii reſerare jubent & pandere portas.	
Geo. 3.	Nec mora, nec requies, campo ſeſe arduus infert,	*Aen. 9.*
Geo. 1.	Ecce inimicus atrox, horrendumq; intonat armis,	*Aen. 12*
Aen. 9.	Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet,	
Aen. 9.	Qua tentet ratione aditus, ſummasq; minatur	*Aen. 12*
Aen. 12	Dejecturum arces. Pugnæ conterrita ſorte,	*Aen. 12*
Aen. 2.	Eripui, fateor, letho ſine crimine vitam,	*Aen. 4.*
Aen. 12	Eſto nunc Sol teſtis, & iſtius inſcia culpæ	*Aen 12*
Aen. 4.	Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.	
Geo. 2.	Quin etiam infixum ſtridet ſub pectore vulnus	*Aen. 4.*
Aen 2.	Infelix, conditque natantia lumina ſomnus	*Geo. 4.*
Æn. 11	Extrema jam in morte.	*Geo. 4.*
Aen. 2.	Non tamen abſtinui, vox ipſa & frigida lingua	*Aen. 1.*
Æn. 11	Conjugium optatum, magnum & memorabile nomen,	*Geo. 4.*
Aen. 4.	Lamentis gemituq; anima fugiente vocabat.	*Aen. 4.*
Æn. 11	Hæc mea magna fides cineri promiſſa Sichæo,	*Aen. 4.*
Æn. 11	Hic amor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo,	*Aen. 12*
Aen. 4.	Te propter preſſa eſt inſignis gloria facti,	
Aen. 4.	Heu furiis incenſa feror, te propter eundem,	
Aen. 4.	Te propter ſupplex animos ſubmittere amori:	
Aen. 4.	Quæ quibus anteferam? jam jam te propter eundem	*Aen. 4.*
Aen. 4.	Extinctus pudor, & qua ſola ſydera adibam,	
Æn. 12	Quam propter tantos potui perferre labores,	
Aen. 4.	Fama prior, virtus, animusq; in pectore præſens.	*Aen. 5.*
Æn. 10	Cœlicolæ magni, memores fandi atq; nefandi,	*Aen. 1.*
Aen. 7.	Si qua piis animis manet infelicis Eliſæ	*Aen. 5.*
Aen. 5.	Gratia, ſi eſt cœlo pietas, quæ talia curet,	*Aen. 2.*
Aen. 2.	Perſolvant grates dignas & præmia reddant,	
Aen. 8.	Regina ante omnes cui, vincla jugalia curæ,	*Aen. 4.*
Æn. 9.	Alma oro ſolare inopem & miſerere relictæ.	*Aen. 9.*
Æn. 4.	Spero equidem, hæc manes veniet mihi fama ſub imos.	
Æn. 4.	Talibus orabat, totoque ardentis ab ore	*Aen. 12*
Æn. 12	Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.	
Æn. 1.	Obſtupuit primo aſpectu, & vox faucibus hæſit,	*Aen. 2.*
Æn. 3.	Infelix vates, quæ prima exordia ſumat,	*Aen. 4.*
Æn. 12	Aut quid agat, quo nunc Reginam ambire furentem	*Aen. 4.*
Æn. 4.	Audeat affatu, curam ſub corde premebat.	*Aen. 4.*
Æn. 6.	Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat	
Æn. 9.	Tum quoq; proripuit ſeſe, atq; inimica refugit,	*Aen. 6.*
Æn. 4.	Linquens multa metu cunctantem & multa parantem.	

Digitized by Google

PSALMUS DAVIDIS TERTIUS.

Aen. 5. SUmme Pater, glomerati hostes hinc cominus atq; hinc Aen. 9.
Aen. 9. Proturbant, instant, varia cinxere corona. Aen. 11
Aen. 10 2. Cernis ut insultent? digna atq; indigna relatu Aen. 9.
Aen. 1. Ingeminant plausu, Nostrasne evadere demens Aen. 9.
Aen. 9. Sperasti te posse manus, moriturus & ipse Aen. 11
Geo. 1. Nequicquam ducente Deo, flammam inter & hostes! Aen. 2.
Aen. 9. 3. At tu, oro, solare inopem, & succurre relicto
Aen. 10 Omnipotens genitor, spes & solatia nostri. Aen. 8.
Aen. 11 4. Nil moror, en supplex venio, tendoque supinas Aen. 3.
Aen. 3. Ad cœlum cum voce manus, de montibus altis Geo. 4.
Eclo. 5. Sis bonus ò felixque tuis, in vota precesque. Aen. 6.
Aen. 5. 5. Vix primos inopina quies laxaverat artus,
Aen. 2. Excutior somno subitis exterritus umbris, Aen. 4.
Aen. 12 Dextera caussa tua est, summi regnator Olympi. Aen. 7.
Geo. 2. 6. Præcipuè hinc animusq; ferox patiensq; pericli, Aen. 10
Geo. 3. Nec vanos horret strepitus, turbante tumultu, Aen. 9.
Aen. 1. Millibus in mediis, media inter prælia belli. Æn. 11
Aen. 10 7. Tu mihi nunc pugnæ princeps 8. Te janitor orci Aen. 7.
Aen. 8. Te Stygii tremuere lacus, Titania pubes Aen. 6.
Eclo. 4. Te duce dejecti fundo volvuntur in imo. Aen. 6.
Aen. 4. 9. Eja in te suprema salus, miserere tuorum, Æn. 12
Aen. 6. Da populum antiqua sub relligione tueri. Aen. 2.

DIRÆ
IN MALOS POETAS.

Summos, mediocres, tangere non est animus, nunquam fuit.

Aen. 4. ACcipite hæc, meritumq; malis advertite numē,
Geo. 3. Pallida Tisiphone, Aen. 6.
Aen. 4. Et diræ ultrices, variarum monstra ferarum, Aen. 10.
Aen. 6. Et Chaos & Phlegethon.
Eclo. 8. En erit, ut liceat calamos armare veneno? Aen. 10.
Eclo. 8. En erit ut liceat?
Aen. 4. Nam quid dissimulo, sceleratas sumere pœnas Aen. 2.
Aen. 9. Quando aliter nequeo.
Geo. 3. Gens effræna virûm, magnum quæ sparsa per orbē Aen. 1.
Aen. 3. Prima hominis facie,
Geor. 1. Scilicet & truncis, & duro robore nata, Aen. 8.
Geo. 2. Tale dabit specimen

In

Geo. 2.	In quascunque voces artes) inviſa Minervæ,	*Geo. 4.*
Aen. 1.	Gens inimica mihi,	
Aen. 8.	Queis neque mos, neque cultus, non innoxia verba,	*Geo. 3.*
Aen. 8.	Pectora ſemiferi,	
Aen. 6.	Ferrea vox, omnes nil magnæ laudis egentes,	*Aen. 5.*
Aen. 3.	Peſtis & ira Deûm,	
Aen. 8.	Illa quidem in lucem Stygiis emiſſa tenebris,	*Geo. 3.*
Æn. 10	Acta furore gravi,	
Aen. 7.	Per medias urbes, atque inter tuta domorum	*Aen. 11.*
Aen. 8.	Omnia pervolitat.	
Aen. 3.	Fas omne abrumpit, magnoq; ululante tumultu	*Æn. 11*
Aen. 10	Dat ſine mente ſonum.	
Aen. 7.	Tartaream intendit vocem, nec viribus æquis	*Aen. 5.*
Aen. 6.	Obloquitur numeris.	
Aen. 2.	Qualis ubi ſeros exercet noctua cantus	*Geo. 1.*
Geo. 4.	Rupe ſub aërea:	
Eclo. 7.	Aut ſi culminibus ferali carmine bubo	*Aen. 4.*
Aen. 7.	Aſſiduò reſonat.	
Geo. 4.	Haud aliter, ſi parva licet componere, fœdant	*Aen. 3.*
Eclo. 9.	Omnia carminibus,	
Aen. 7.	Contra fata Deûm, foliisq; ſub omnibus hærent,	*Aen. 6.*
Aen. 4.	Omnibus umbra locis.	
Geo. 3.	Non tam creber agens Autumni frigore primo	*Aen. 6.*
Aen. 9.	Verberat imber humum,	
Geo. 4.	Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis	
Geo. 2.	(Avia tum reſonant)	
Geo. 3.	Quam multæ pecudũ peſtes, juvenumq; ſenumq;,	
Aen. 6.	Quiſque ſuos patimur.	
Aen. 5.	Undiq; conveniunt, quoniã quæ maxima turba eſt,	*Aen. 6.*
Aen. 4.	Sævit inops animi,	
Aen. 4.	Sævit inops, ignotum argenti pondus & auri	*Aen. 1.*
Aen. 8.	Vipereo generi.	
Geo. 4.	Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis,	
Aen. 8.	Aſpice qui coëant,	
Aen. 7.	Paſtorum ex acie numerus, ſibi ſomnia fingunt	*Eclo. 9.*
Eclo. 1.	(Non equidem invideo)	
Aen. 9.	Sceptra. Palatini comites: qui ſigna ſequuti	*Aen. 8.*
Aen. 11.	Magna, trophæa ferunt	
Aen. 6.	Et levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.	*Aen. 2.*
Geo. 2.	Nec minus interea,	
Aen. 7.	Heu ſtirpem inviſam! nodo dependet amictus	*Aen. 6.*
Aen. 6.	Sordidus ex humeris,	
Geo. 4.	Deformat macies, immundus olentia ſudor	*Geo. 3.*
Aen. 5.	Membra quatit gelidus.	

Æn. 9.	Quin etiam tentat rabies, ubi frigidus imber	*Geor. 3*
Æn. 5.	Colligere arma jubet.	
Geo. 1.	Contemplator item, domini cum divitis ædes	*Aen. 12*
Geo. 3.	(Omnibus idem animus)	
Geo. 4.	Circumstant fremitu denso, stipantq; frequentes	
Æn. 5.	Nec mora, continuò	
Æn. 1.	Suppliciter penetrant aulas & limina Regum,	*Geo. 2.*
Æn. 1.	Quà data porta ruunt,	
Æn. 10	Argenti tantum notas odor attigit auras.	*Geo. 3.*
Æn. 11	Hic amor, hoc studium,	
Æn. 7.	Convectare juvat prædas & vivere rapto.	
Æn. 7.	Hæc erat illa fames,	
Geo. 4.	Hæc omnis morbi causa, hinc miserabile vulgus	*Aen. 2.*
Æn. 7.	Deseruere domos.	
Geo. 1.	Scilicet exhaustos jam casibus, omnium egenos,	*Aen. 1.*
Geo. 3.	(Dii meliora piis)	
Æn. 7.	Extremo veniens penuria adegit edendi	*Aen. 7.*
Æn. 4.	Degeneres animos,	
Æn. 8.	Ignotas tentare vias terraque marique,	*Aen. 10.*
Geo. 3.	Saxa per & scopulos.	
Eclo. 1.	Et penitus miserum stipula disperdere carmen	*Eclo. 3.*
Æn. 10	Viribus imparibus.	
Ecl. 10.	Nam neque Parnassi percepit pectore flammam	*Aen. 7.*
Geo. 2.	Ferrea progenies,	
Geo. 4.	Nec verò stimulos sub pectore vertit Apollo	*Aen. 6.*
Æn 6.	Monte sub aëreo,	
Eclo. 1.	Non fontes sacros inventaq; flumina monstrat,	*Aen. 6.*
Geo. 3.	Flumina, muscus ubi	
Geo. 3.	Speluncæque tegant, & saxea procubet umbra,	
Aen. 11	Ordine cuncta suo.	
Geo. 2.	Vi propria nituntur opis, non arte magistra,	*Aen. 8.*
Geo. 2.	Sponte sua veniunt.	
Æn. 10	Non ulli somnos abrumpit cura salubres,	*Geo. 3.*
Geo. 4.	Omnibus una quies,	
Æn. 8.	Instaurant epulas, atque inter pocula læti,	*Geo. 2.*
Geo. 1.	Carmina læta canunt.	
Eclo. 10	Carmina lucifugis congesta cubilia blattis.	*Geo. 4.*
Æn. 5.	Proh scelus! Ecce etiam	
Æn. 4.	Ne quid inexpertum scelerisvè dolive fuisset,	*Aen. 8.*
Æn. 7.	Majus adorta nefas,	
Eclo. 9.	Quod nunquam veriti, terræ Titania pubes,	*Aen. 6.*
Æn. 3.	(Eloquar an sileam?)	
Eclo. 2.	Jam pridem cingit viridanti tempora lauro.	*Aen. 5.*
Æn. 3.	Dii prohibete minas,	

Aen. 3.	Et placidi ſervate pios, avertite caſum!	*Aen. 3.*
Aen. 5.	Quis furor iſte novus?	
Aen. 7.	Heu miſeri, quæ tanta animum dementia cepit?	*Aen. 5.*
Eclo. 2.	Nonne fuit ſatius	
Geo. 3.	Lanigeros agitare greges in montibus altis,	*Aen. 3.*
Aen. 9.	Et fluvium petere,	
Geo. 3.	Et campum horrentem fractis invertere glebis?	
Eclo. 2.	Nonne fuit ſatius	
Aen. 4.	Saltem pauperiem, & duros perferre labores,	*Aen. 6.*
Aen. 4.	Multaq; præterea?	
Aen. 7.	Laurus erat, non hos quæſitum munus in uſus,	*Aen. 4.*
Aen. 2.	Relligione patrum	
Aen. 7.	Sacra comam, multosque metu ſervata per annos,	
Aen. 9.	Fertilis Auſoniæ	
Aen. 3.	Dum fortuna fuit: pauci quos æquus amavit	*Aen. 6.*
Aen. 2.	Juppiter omnipotens:	
Geo. 2.	Aut ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit,	*Aen. 5.*
Aen. 2.	Palladis auxiliis,	
Aen. 6.	Diis geniti potuere exortem ducere honorem.	*Aen. 5.*
Eclo. 2.	Nunc etiam pecudes	
Aen. 3.	(Horrendum & dictu video mirabile) Laurum	*Eclo. 8.*
Aen. 2.	Corrupuere ſacram.	
Aen. 4.	Aſpicis hæc ſancti cuſtos Soractis Apollo	*Aen. 11.*
Aen. 5.	Tantane tam patiens?	
Aen. 10.	Cernis ut inſultent? Quo cura antiqua tuorum,	*Aen. 7.*
Aen. 7.	Quo tua ſancta fides?	
Aen. 4.	Aſpicis. Obteſtor pro majeſtate tuorum,	*Æn. 12*
Aen. 4.	Eja age rumpe moras.	
Aen. 11	Da pater hoc noſtris aboleri dedecus armis,	
Aen. 4.	Eja age rumpe moras.	
Aen. 11	Quod ſi alios fines, aliamque capeſſere gentem,	*Aen. 11*
Aen. 2.	Exiliumque pati	
Aen. 11	Eſt animus, poſſuntque ſolo decedere noſtro,	
Aen. 12	Utere ſorte tua,	
Aen. 11	Da pater in Rhodopen, atque in deſerta Getarum,	*Geo. 3.*
Eclo. 10	Sithoniasque nives	
Aen. 7.	Flectere iter ſociis, da, non indebita poſco,	*Aen. 6.*
Aen. 3.	Da pater augurium,	
Aen. 2.	Da deinde auxilium. Ceſſas in vota precesque?	*Aen. 6.*
Aen. 3.	Fata viam invenient.	
Aen. 4.	Ipſe Deûm dubitem haud equidem implorare quod us-	*Aen. 7.*
Aen. 7.	quam eſt,	
Aen. 6.	Flectere ſi nequeo	
Aen. 6.	Omnes cœlicolas ſuperos, Acheronta movebo,	*Aen. 7.*
	Cœlicolæ valeant.	

Tuque

Geo. 2.	Tuque ades Alecto dirarum ab ſede ſororum,	*Aen. 7.*
Eclo. 9.	Incipe ſi quid habes,	
Aen. 6.	Intentans angues, virgo ſata nocte laborem	*Aen. 7.*
Aen. 7.	Hunc mihi da proprium,	
Aen. 6.	Tiſiphoneque ſedens palla ſuccincta cruenta,	
Aen. 8.	Præcipitate moras,	
Aen. 8.	Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra,	
Aen. 2.	Ferte faces properè:	
Aen. 12	Nî frænum accipere, & victi parere fatentur,	
Geo. 3.	Verbera lenta pati,	
Geo. 3.	Immanemque rotam, tortosque Ixionis angues,	*Geo. 3.*
Geo. 3.	Nec mora, nec requies,	
Geo. 2.	Aſſueſcāt. Dum ferre moror, cinis ipſe, bonum ſit,	*Eclo. 8.*
Eclo. 8.	Aſpice corripuit,	
Eclo. 8.	Neſcio quid certè eſt, tremulis altaria flammis.	*Eclo. 8.*
Aen. 8.	Audiit illa Deus.	

MANTISSA TRIPLEX.

I.

MARCI VELSERI DEDICATORIA,

Reliquis librorum Friderici II. Imperatoris, de arte venandi cum avibus, præfixa.

MAXIMO PRINCIPI

FERDINANDO, CAROLI F.

AUSTRIÆ ARCHIDUCI,

GERMANIÆ SPEI.

MUnus, Ferdinande Sereniſſime, inexſpectatum credo, magnitudine tamen tua dignum affero. Audacter: ſi fortunam cogito, ſive tuam, ſive meam etiam. Verum ordine & ratione, ſi muneris intueor ſive materiam, ſive artificem. Materia venatio eſt, quam Deorum munus appellavit Xenophon, Chironi propter juſtitiam dono conceſſam, ab eo inde heroibus traditā: heroibus inquam, quorum ex iſto potiſſimùm tirocinio virtute patria defenſa, miſeri ubique terrarum, calamitatibus levati ſervati ſint. Atq; hoc pulcherrimum eſt venatoriæ elogium. Sed ejus genera terrâ, mariq; quodammodo, multa jam olim, quorum hîc nullum damus. Aërium damus, nec uſurpatum veteribus, nec cognitum, nec omninò cogitatum: adeò ſibi non omnia vindicat antiquitas. Miraculi iſthæc planiſſimè ſpecies, niſi frequentior uſus, quod amat fieri, admirationem minueret. Illud interim omnium conſenſione convenit, hanc præſtare venationes reliquas tanto intervallo, ut inter viros principes nulla habeatur prior, tenuioribus ad eam nec aditus pateat. Argumentum igitur te profectò dignum, Auctor, multò deinde magis. Fridericus Henrici F. Ahenobarbi N. maximus Imperator: quem virtutibus magnis, vitiis ité magnis præditum fuiſſe, nemo tam amicus, nemo tantus hoſtis eſt, qui neget. Nunc cum eruditionis & ingenii monumentū ad illas pertineat, vitia hoc quidem loco prætereamus. Delectat in B. Antonino legere, magnanimum, liberalem, magnificum, judicio acrem, rerum civilium gnarum inter primos, prophanas litteras doctum, plerarumq; linguarum peritum fuiſſe, Latinæ puta, Græcæ, Italicæ, Gallicæ,

Arabicæ: Germanica vernacula erat. Si quæ ſequuntur poſtea, ad laudē non æquè faciunt, ea commemorare nihil neceſſe. Adverſus litterarum ſane ſtudia qualē ſe præbuerit, verba, quæ pluſcula præſcripſimus, oſtendunt: ſunt autem ex Epiſtola ad Bononienſem Academiam ſcriptâ, cum Ariſtotelis, & aliorum præterea philoſophorū libros, ex Græcis & Arabicis Latinos ſuo juſſu factos, eo examinandos mitteret. Commentariū etiam, quem Gregorius Nyſſenus de hominis natura ſcripſit, ejus hortatu Latinè redditum comperio. At quod ipſe elucubraverit, nihil ſupereſſe opinor, præter haſce reliquias, incredibili diligentia & accuratione elaboratas, ita ut eas cum cæteris rerum naturalium ſcriptoribus omnibus, contendere non verear. Quapropter, Ferdinande Princeps, rem clementiâ illâ, quæ generis veſtræ faſtigio propria eſt, dignam feceris, cum mediocres aliorum in litteris conatus benignè fovere ſoleas, ſi fortiſſimi Imperatoris fœtum poſthumum (Manfredus enim filius, poſt patris demum mortem, obſtetricis in eo munere functus eſt) placido ſerenoq; vultu tuendum ſuſceperis. Illo videlicet, quo te præterito anno, cum huc animi gratia excurriſſes, per urbem vehi, atq; omnibus in te defixis oculis, intuentium pectora veneratione & amore juxta perfundere meminimus. Idq; cum tua indole, tum, ne quid diſſimulem, majorum etiam tuorum recordatione. Nam innumera ſunt veſtra in nos beneficia, quorum memoriâ nos magnopetè commoveri neceſſe eſt, neq; erit ulla tam ſera poſteritas, cujus ſitus illa oblivione poſſit tegere. Si contra hujus quoq; urbis aliquod in vos extare meritum pronunciem, levis multorū opinione habear: Si Auguſtam Auſtriaci nomi nis patriam nominare pergam (in veſtra quidem gente) pudorē funditus periiſſe propemodum omnes conclament. Sed prudentiam tuam appello. Patriæ non nullum meritum: Patria eſt quæ uniuscujuſq; rei origo. Jam vos Habsburgii eratis, cum Rudolphus ille, invidia fatente Magnus, ſalutares Orbi Chriſtiano regendo manus admovit. Is anno poſt Chriſtum natum MCC. LXXXII. aut LXXXVI. (video ſcriptoribus parum convenire) Auguſtæ Albertum filium, qui poſtea imperavit, Auſtriæ principatu donavit: exinde quoniam Auſtriaci appellari cœpiſtis, quo nominis principium referendum ſit, nimirum apparet. Sed hæc fruſtra pluribus ad te, omnis externæ, ne dum domeſticæ hiſtoriæ ſcientem. Vale ingens ſpes patriæ laborantis, id enim nulla blanditia itero. Auguſtæ Vindel. Kal. intercalaribus, Anno MDXCVI.

II.

MERICUS CASAUBONUS, IS. F.

In Pietate, contra maledicos Patrii nominis hoſtes, Part. III. De Vita Illius & moribus, pag. 87. ſeqq.

POſſem multorum literas in medium afferre, quæ vel ſolæ ſufficerent ad os maledicis, & malignis occludendum. Sed in re non neceſſaria nolo Lectoris patientia abuti. Unus mihi erit inſtar omnium Vir Illuſtriſſimus, & propter ſummam eruditionem merito ſuo omnibus venerabilis, Marcus Velſerus; tum quia nullam puto fieri illi injuriam, ſi quod ultro detulit vivo teſtimonium (ut teſtatur in literis) mortuo nunc mea opera dicat; tum etiam quia ipſum video tanti fieri ab adverſariis maledicentiſſimis Eudæmone & Schoppio (quorum, hujus *Symmachus* eſt illi nuncupatus, illius autem *Thomæ Brightmanni Caſtigatio*) ut ejus authoritatem elevare, aut repudiare nulla ratione queant. Is igitur hunc in modum ad Patrem ſcripſit: *Salve Vir Clariſſime; Male ſit, ſive tabellariorum tarditati, ſive eorum, qui literas per tabellarios curant, negligentiæ, horum enim potius culpa fieri ſuſpicor, quod literis quas tu Kal. Aug. in villa ad flumen Eliam dediſti, nunc demum reſpondeā, cum me tibi quamprimum quam diligentiſſimè purgari permultum intereſſet; etſi hoc ne nunc quidē curis & occupationibus prorſus obrutus, ut vellem, præſtare poſſum. Egone ut quicquam ad Savilium ſcripſerim, quo Caſaubonus, qui quo loco apud me ſit, non tam ego ipſe mihi teſtis ſum, quam omnes præterea norunt, æqui iniqui, neq; enim ad amicos tantum provocare libet, quod eorum ſuſpectum plerumq; teſtimonium, merito offendi debeat? ego ut eum parum ſinceris coloribus pinxerim? Ita me Deus bene amet, ut nulla hujus criminis conſcientia tangor, nec omninò in memoriam eorum, quæ ſcripſi, redire, nec etiam conjectando poſſum aſſequi. Niſi quid joco forte, quod inter amicos tum ſolet, tum licet, liberius aſperſi. Memini Senecam ſcribere, quaſdam interpretando fieri injurias. Quæſo literas in manus reſume, & poſito offenſi animi præjudicio, vide, an malè auſpicata illa verba, quacunq; ſunt, leniorem interpretationem admittant: tum enim facile de*

æquitate

æquitate tua mihi polliceor te asperiorem, si maximè quoq; locum invenire possit, non prælaturũ. Sin contra perseveres, quid ego possum? arbitratu tuo jusjurandum dabo, indignum esse te injuria hac, me nolle dicta aut scripta quæ scripsi. Scis mi Casaubone, quod in te desiderem, unum esse; id neq; dissimulavi unquam, neq; dissimulaturus sum, neq; nisi te tantopere amarem, valde desiderarem; de eo autem cur ad Savilium scriberem, facile intelligis nihil fuisse: de cætero, observantiam, cultum, atq; admirationem, quæ virtute & doctrina summis nostræ ætatis viris debetur, omnem tibi defero. Si fallo: sed nolo plura, nam te quantumvis iratum, rectè de candore meo judicare arbitror. Erant præterea, quæ adderem, sed nunc temporis angustiis excludor. Ut te placatum sciam, rescribe; literas Savilius facilè curabit, aut tu ad quemcunq; amicorum Antverpiam mitte. Vale 26. die Octob. Anno 1611.

Tuus

Marcus Velserus.

III.

MARQUARDUS FREHERUS,

De statura (& barba) Caroli Magni, sub finem.

ET hac etiam parte non possum dissentire à summo viro, neque solum in Augustana Republica, sed in omni regno literario summo & eminentissimo (quod elogium pro nomine esse potest) qui de hac re ita ad me nuper scripsit: *Ego plurimorum præjudicia non veritus, in ea sum hæresi, Carolum Barbam non pavisse; saltem prolixam illam, qua plerunq; exornatur, ad eum nihil pertinere. Certè Eginhardus ejus non meminit: & est apud me moneta Carolina, vetus, nisi fallor, cujus ectypon mitto, puro mento. Non nego fieri potuisse, ut interdum tonsoris negligentia mentum, & labra pili nonnihil inumbrarent: hac enim specie Romæ in musivo opere illius ætatis conspicitur. Sed prolixam & squallidam barbam abominor, &c.*

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
IN
MARCI VELSERI
OPERIBUS MEMORABILIUM.

A.

Baci *numerarii* ænei antiqui *forma.* 422.819.842
Abacus, *poculorum* mensa. 414
Abbas *Tegerensis* nomen *Principis* ab imperatoribus tulit, *minister* ex equestri nobilitate ortus. 152
Abies in nummis *Germaniam* notans. 249.284
Abundi, Martyris *caput Augustam* delatum. 549
Abyssi nomen quid significet. 469
Acta publica conficiebantur *Romæ*, & in *provinciis.* 481. iis *Consules & dies* prænotari solebant. 482
Actiaca victoria cum *Alexandrina* confunditur. 201
Actuariorum munus. 481
Actuarius limes, in agrorum dimensione. 228
Adalbero, Episcopus *Augustanus.* 521. ejus apparitiones. 521.523.524
Adalbero: filius *Luitgardæ*, sororis S. Udalrici. 525. ei *S. Udalricus* ab *Ottone Imp.* Episcopatum impetravit. 555. Synodus *Ingelheimensis* adversus eum coacta. 556. ejus *mors repentina* post Venæsectionem. 558.613. elogium. 559
Adalgerus Bojis, tempore Severi, præfuit. 67. fabula illius *moralis.* 68
Adalogerionis (qui Veliphonis filius fuit) regnum in Bojorum populos. 71. nomen id inscita affectatione ex *Adalgero* natum. 72. fide caret. 78
Adalvaldus, filius *Theodelindæ*, Langobardorum Rex. 107. *mente* alienatus ex *regno* pulsus. 113
Adalulfus, *stupro* & *veneno* frustra rem agens suam. 115
Ad ansam, Ad ansani. 718
Adauctus, nomen martyris *ex eventu* excogitatum. 501
Ad Cóvecin. 718
Ad duodecimum. 737
Adelschalck, nobilis minister, 162
Adjutorius, Rom. Decurio. 372
Ad Mum. 717
Ad Oculum marium. 768
Adula, Istri filius, *per fabulam.* 190
Adullia. 749
Advocationis Ecclesiæ tradendæ ritus. 534
Advocatus Episcopatus. 567
Ædiles *bini quaterni ve* in coloniis. 273.274
Ægyptiorum Patrum vita *austera* & sancta. 129
Ælia Augusta. 299
Ælii *plures* sunt dicti. 299
P. Æmilii elogium singulare. 76
Æmilius triumphavit de *Bojis.* 18
Æmilius diligens Scriptor. 138. error istius, *Bojos* & *Avares* & consanguineos eorum *Hunnos* autumantis. 173
Æra cur supputatio appellata. 423
Ætas *doli* capax, ex Jure feudali, annus *decimus quartus.* 154
Æthici libellus, ob *vulgatissimum* usum, *pejus* plerisque aliis habitus. 214
B. Afer. 499
Afræ nomen unde. 447.464
Afræ *duæ* martyres. 447
S. Afræ & sociarum martyrum historia. 355. 441. *quando* scripta 213. 214. earundem Passio. 477. seqq. 498
S. Afra videtur *Augustæ* nata. 460. Veneris Cypriæ sacerdos. 461. istius conversio. 312. 450. habitatio. 458. cognati. 473. martyrium. 313. memoria anniversaria 473. quæ non eodem die *Romæ* & *Augustæ* colitur. 493. corpus inventum. 503. quod hodienum colitur integrum. 492. particula hujus ab *Henrico IV. Imperat.* expetita. 440.

ta. 440. 503. Ecclesia ab Ungris *crema ta.* 544. à S. Udalrico *readificata.* 547. ejusdem & Udalrici basilica. 314.
Afraevvald vulgò & corruptè *Affenvvald.* 223
Africa *duplex.* 185
Agasonum *fortitudo* sylvestris. 10. 11
Agaunense Cœnobium. 549
Aggeres quid olim? 712
Agilofingorum vel *Agilolfingorum* familia apud Bojos. 78. 118. in regnum Boicum reducta. 101. ex his *Rodoaldus*, Austrasianæ regiæ Princeps. 117. *Theodibertus.* 131.
Agilolfingorum imperii exitus. 173
Agilolfus leges *Theodorici* emendavit. 117.
Agilulfus, Taurinorum dux, ducit *Theodelindam* viduam. 102
Aginnum. 761
Agrestius monachus aliquandiu apud Bojos, sine fructu, versatus. 114. 115
Agrorum, inter *milites*, divisio. 13. & ipsos quoque *colonos.* 239. forma agrorum. 241
Agros militibus assignandi ratio. 229
Aguntum, Norici oppidum, pugna Garibaldi nobile. 109
Aha Germanis antiquitus fluvium notat. 193
Al, diphthongus pro AE. 297
Ala miliaria. 428
Alachis, Dux Tridentinus fugere coëgit Partharitum. 125. provocatur. 127. confoditur. 128
Aladaricus s. Ardaricus, Attilæ filius, fratrem aggressus est Chabam. 71
Alæ equitum unde dictæ? 391. *Alares* equites. 385
Alæ, quibus homo ad cœlum feratur. 455
Alama, *Alanna.* 752.
Alawicus, Abbas Augiensis. 550
Albamanis, Albinianis. 734
Albis oritur ex *Vandalicis* montibus. 207
Alboini laudes *bellicas* Boji *carmine* celebrarunt. 97
Alcuini seu Albini epistola de sanctitate Salisburgensium. 155
Alemanni *Italiam* invadentes. 310. à *Maximiano* victi *capto* eorum Rege. 311. *Rhætiam* afflictantes. 317. capti à Theodosio & in *Italiam* ad Padum missi. 321. à Clodoveo victi. 75. hinc & conditionis duplicis. 85. residentes in *Alpibus.* 333. 334. Reges eorundem *Gibuldus* & *Chunimundus.* 335. tandem à *Childerico* & *Odoacre* victi. 336. in *Italiam* tandem translati. 337. à Francis victi. 342. *Suevorum* pars. 672
Alemannia *Sueviaq;* miscentur. 318
Alemanniæ significatio *duplex.* 73
Alemannorum nomen *Bojos Suevosq;* comprehendens. 72. hinc argumentum historicum de *Theodorico.* 82. illorum varia fortuna. 670. 671
Alexandriæ *capta* dies. 199. 201. 205. 787. seqq.
Alexandrini belli *initium.* 199
Allame, Nasenur. 721
Alpes Juliæ *triplices.* 470
Alpina gentes per campos ad Danubium. 184. earum gentium devictarum trophæa. 202
Alpium difficultas Annibali exempta. 21. 22. *Rhaticarum* & *Noricarum* discrimen unde. 89. pars *septendecim* provinciis *Gallicis* annumerata. 297. quinam Romanorum Alpes armis petierint. 198
Altachium superius & inferius ab *Utilone* conditum, & à superstitione *quercuum* ita dictum. 151. Utilo ibi sepultus, cum conjuge. 154
S. Amandi ædes Salisburg. in qua *S. Maximi & sociorum* cadavera. 158
Ambigatus Rex *Celtarum.* 5
Ambrosius sanctimoniæ laude *apud* ipsos *Marcomannos* celebris. 69
Amen. 459
Amicitiarum studiosissimi Boji. 7
Amilcar in *Liguria* subsistens, exilio mulctandus. 26. multas Romanis clades intulit, sed *vivus* in eorum *potestatem* venit. 28. qui prius *in prælio cecidisse* dicebatur. 27
Amphitheatra, *varia, nec ubivis* ædificata. 264
Amphora *Capitolina*, pro justa & exacta. 243
Amurbiales hostiæ. 254
Amurbium ab ambitu s. circuitu lustrationis dictum. 153
Amyntas, scriba modò ad *Antonium*, modò ad *Cæsarem* transiens. 56
Anesus aut *Anasus.* Germ. Ensus, inter Bojos & Hunnos terminus. 86
Anianus S. Emmerammi Archidiaconus. 129
Anima pro *corpore*, item pro *vita* à probatis auctoribus adhibetur. 468
Annia gens, multis imaginibus nobilis. 224
Annona Rhætica apud Augustinum. 304
Annonarius. 432
Annorum numerus ab *initiis* Regum *Francorum.* 165
Annuli *tres* à Gregorio Pontifice filiæ *missi Theodelindæ.* 107
Annulos ponebant loturi. 400
Ansibarii. 728
Ansprandus, tutor Liutberti, cum exercitu *casus.* 130. à Theodiberto *receptus.* 131.
Antias, largus in *augendo.* 41
Antigonus *Gallos* in *Macedoniam* venientes excepit. 44. *inviolatus* revertitur. 45
Antiocho Regi auxilia præstitére *Toliſto-Boji* contra Romanos. 40
Antipodas dari, docuit *Virgilius Hibernus*, à Zacharia Pontifice graviter *reprehensus.* 148. 149
Apollini cognomen *Granni* tributum. 406. 407
Apollonii Tyrii historia. 679. seqq.
Apollonius, *primus* ad S. Emerani *Episcopus.* 129
Apparitiones Adalberonis. 522. 523. 524
Appiani *imperitia* de Rhætico bello notatur. 199. *error* de Actiaca victoria. 201

C. Appius, *Bojorum fines* ingressus. 25
Apsivarii. 728
Apuleji *studium*, circa sermonis *proprietatem*. 232
Aquila ficto nomine *Johannes* appellatur Episcopus Salisburgensis. 157
Aquilæ in *nummis* denotant legiones. 299
Aquis. 764
Aquisgranum, urbs unde dicta. 406
Aquitania. 752.757. quomodo *incoluerint* eam *Boji*. 51.52
Ara futuræ urbis seu novæ coloniæ. 252.253
Aræ genuæ, *Arargenue*. 753
Aræ lapideæ *fines coloniarum* ac terminos demonstrantes. 246
Aratro ambiri *territorium* consueverat. 238
Aratrum, *vomer*, *& boves* in nummis colonicis. 253
Arbores *coniferæ*, item *olivæ*, *cydoniæ* pro signis terminorum. 247. in Alpibus quamplurimæ. 249.284
Arborichi quinam *apud Procopium*. 741
Arca lapidea reperta *plena aqua medicatæ*. 839
Arcecius, *Mercurii* cognomen. 431
Architectura *Corinthiaca*, vel *Italica*. 245
Area pro *cæmeteriis* usurpata à veteribus. 314
Arenacio. 736.778
Arenpekius, historiæ Boicæ scriptor. 80
Arialbinum. 780
Arianorum factio, contra *Catholicos*, gravis. 99.103
Aribo, id est, *heres*, ein Erb. 160.161
Ariborus *fides* historica. 133
Artoaldus, Taurinorum Dux, in *Langobardico* regno *Adalvaldi* Successor. 115
Aripertus (vel Charibertus) *primus Bojorum* apud *Langobardos* regnum tenuit. 109.121. *fatale nomen* in Boico sanguine. ibid.
Aripertus, Reginberti filius, post patrem *Langobardicum regnum* obtinuit. 130. *in flumine* periit. 132
Arma pro insigniis priscæ nobilitatis. 250
Armalausi. 781
Armeni *Sagittarii*, in auxiliis *Aureliani*, apud Vopiscum. 57
Armenia *antiquissimas* populorum *profectiones vulgò* suppeditans. 6. *Bojos* habuisse creditur. 40. frequens est in prisca Bojorum historia. 56. *Rhæti* quomodo in Armenia? 57
Arminius Cheruscus adversum sibi habuit *Maroboduum*. 62
Armoricanus & Nervicanus *limes* quousq; extendatur. 740.741
Artobriga. 782
Aschanaxes, *Celtarum* genitor. 3
Asdrubal *ad Senam* à Rom. Consulibus cæsus. 25
Asia *duplex*. 185
Assis pro *gradu* in metiendi ratione. 189
Astensem Ducatum nactus *Gundoaldus*. 102. sagitta *veneno illita* moritur. 109
Asturum, oppidum. 666
Asyli jus, *Ecclesiis* olim tributum. 118
Ate & *Galatus*, Reges duo Bojorum antiquissimi. 12
Atilia abiisse in *Azelburg* videtur. 215.415
Attalus Marcomannorum Rex, Gallieni socer. 66. purpura sæpe *indutus exutusq;* veluti *mimus Imperii*. 530
Attila fratrem *Bledam* cur occiderit? 70. ejus uxor & filii. 71. cum ingenti exercitu *in Galliam* movit. 331. quo anno obierit? 666. certamina inter filios ejus de regno. ibid.
C. Attilius Cos. ex *Sardinia* reversus, *Gallos* temerè invadens, cæditur. 17
Avares & *Bavari* pertinacibus odiis sese exercentes, veluti *Scythæ* & *Celtæ*. 76. Avares non sunt Boji. 173
de Aucupio libri à Friderico II. Imp. scripti. 841. 844 847. Avedonaco. 760
Aventini *auctoritas* & *argumentum* de Vindelico *exploditur*. 193. ridiculus vocatur. 196. conjecturæ ejus frivolæ. 209. absurdissima de situ Augustæ sententia. 210. 447. novandi libido in Bojariæ tabula. 217. notatur in Rhætiæ præsidibus. 289. 667. *Annales* illius cujus *ætatis* & *fidei*. 291. 339. error in *Didio Juliano* commissus. 305. absurditas ejus *in Rætiæ præfectis*. 308. conjectura & mixtura. 311. lapsus *in Anthemio*. 332. in Boici belli *eventis*. 340. gerræ de *Atilienſi* colonia. 416. perperam invertit *ordinem Eugippii*. 672. pro Jopio *Juvaviam* legit. ib. *Pierium* inter Vindeliciæ & Norici *præsides* refert. 675. suo merito acerbius tactus. 843
Aug. magus. 755
Aug. Suessorum. 755
Aug. Viromuduorum. 750
Augusta *Prætoria* non alia est, quàm Prætoria *Salassorum*. 330. à Ter. Varrone condita. 202
Augusta *Sicula* à Friderico II. condita. 212
Augusta *Tiberii*, arx bello à Romanis lecta. 78. 79.90
Augusta *Vindelicorum*, quando colonia Romanorum sit facta. 89. caput *Rhætiæ secundæ*. 91. sine cognominis adjectione à Scriptoribus nominatur. 213. primitus *Vindelica* purè appellata. 426. verus ejus situs. 210. seqq. comparatio *veteris ac novæ*, quoad situm. 257. Symbolum urbis *Conus* ejusq; occasio. 462. Spoliata ab Arnolfo. 540. ab *Ungris* oppugnata fortiter restitit. 544. quinam *primi* incolas *Evangelium* docuerint. 453. *prima ædicula* sacra, hujusq; instauratæ *Inscriptio*. 473. Ecclesiæ Augustanæ *diœcesis aucta*. 234. Episcopi post S. Udalricum proximi. 596. nova *Augustanarum Antiquitatum* editio, ac ejus causæ. 361. Augusta, patria *Austriaci* nominis. 907
Augusta, per Orbem Romanum, plurimæ *civi-*

Digitized by Google

tates dictæ. 447. dignitate sic cognominandi ab Augusto iis concessâ. 255
Augustæi *limites* & *termini*. 230.231.
Augustales ponuntur inter *sacerdotes*. 274. eorundem *officium* quale. 275
Augusti *cognomen Diis* tributum. 368
Augusti quinam *in Imperio Rom.* appellati. 370. 371
Augustinus *notatur*. 304
Augustodunum urbs *Augustalis* distingui debet ab *Augusta*. 317
Augustoduro. 753
Augustus mensis, pro *Sextili*, quare sic appellatus. 89
Aulerci, Ptolemæo *triplices*. 751.
Aurelianus *quo sensu liberator* Vindelicorum. 310
Aureoli *tyrannis* quæ & qualis. 309
Aurum *Gallicum* in Capitolio *septum saxo* quadrato. 11. pondus ingens *Gæsatorum* Regibus ob *fœdus* à Bojis missum. 13. Aurum & argentum *Gallis* dare, cur à *Romanis* prohibitum. 14. *Macedonicum* à Perseo petunt Galli. 44. *Helveticum* quærivêre *Cimbri*, 45. Auri lavacris *Noreja* nobilis. 48. Auro *onustus* Aripertus flumine *hauritur*. 132
Ausonii puella *Sueva* unde? 320
Austrasiæ regnum ad Sigebertum spectans. 99
Austrasiorum Ducissa, Plectrudis. 117
Austriaci quando dici cœperint, qui antea Habsburgii. 907
Austrito. 761
Autharis, Rex Longobardorum, in Italia. 99. post *Chlodosindam* petit *Theodelindam*, Garibaldi filiam. 100. *visendæ* Sponsæ gratia *Legatus* in Boicam profectus. ibid. Nuptias, in *campis Veronensibus*, celebravit *inter tonitrua* & fulmina. 101. veneno sublatus, 102
Auxena. 749

B.

B. Aut V. temerè à crassiore pronunciatione interjectæ literæ. 75
Baca conervio. 747
Bacilli pro *fascibus*, ante Duumviros. 272
Bæni, apud Ptolemæum. 60
Bajarica & Bajaricum solum. 75
Bajona, urbs quasi *Bojona*. 52
Balnearis exercitatio. 403.404
Baptismi formula à Sacerdote *Latinitatis ignaro* male prolata. 147
Baptizandorum exercitia. 460
Baptizatus ab *hæreticis* sola *manus impositione* purgabatur. 147
Barbâ an prolixâ gavisus sit Carolus M. 908
Barbari qui *Romanis* dicti? 721. in munitiones recepti. 668
Barca, minoris navigii genus. 493
Barcarii *quales* fabri. 304
Baremii conjectura de *Pallade*, cui *Herodes* honorem habuit, ridetur. 838
Ang. *Bargæus* inter præcipuos *hujus seculi* poëtas refertur. 195
Baromaci. 718
Baronii splendida *elogia*. 103.423.481.732
Broc. Baronius, *Juris Doctor*. 859.864.865
Bartoritum. 757
Bases, indicia *statuarum* inserviunt antiquitati. 300
Basilicæ cur *foris* adjunctæ. 261.262
Basli Consules recensentur. 392. de C. Lecanio Basso error Cassiodori. ibid.
Batavia Insula. 729
Batavis, Batavia. vide Patavis.
Batavus, fl. 730
Bavari haud sunt compositi ex *Bojis* & *Avaribus*. 7
Bavariæ nomen *longe posterius*. 75.76
Bavarorum appellatio à Bojariis fluxit. 7
Becani *novæ* & mira *originum* ratio. 192
Beclana. 765
Belgæ in re *militari* spiritus sumunt. 46
Belisarius fuit *Germanus*. 341
Belloves ès Bojis, Italiam primùm ingressus. 4
Bellum Orosio *difficillimum* quodnam? 27
Bemmico, vico. 748
Beneficiarii qui dicti. 388
Benevenți Princeps *primus*, Archisus. 165
Berengarii Gerundensis Episcopi *Epistola*. 475
Bertii *Cap. 23. Libri 1.* Rerum Germ. 777. seqq.
Besino. 763
Besocribate. 756
Bibona. 761
Bii aut Bæi, *Pannoniæ* populus. 38
Blariaco. 748
Blavia. 760
Boæ, angues *miræ magnitudinis*. 470.471.472
Boamundus, *Armeniæ* Dux. 56
Bærebista Rex Dacorum sub Augusto. 57
Boga, vox in Taurica Chersoneso usitata. 32
Boger & *Bojer*, ab arcubus frustra formatur. 7
Bogiorum & *Bojorum* discrimen nullum. 38
Bogo-Diatorus, item Ado-*Bogio* Galatarum nomina. 47
Boja, urbs *Bojorum*, in agro *Æduorum*. 51.52
Bojæ nomine *Plautus jocatus* 35
Bojariæ tabula, *ab Aventino exhibita*, qualis? 217
Bojarii nomen Bojis debentes. 7
Boicæ *veteris* delineatio. 73
Boicum regnum cum terminis suis vetustissimis amplissimisq;. 86
Boicus ager *nomen* tenuit in potestate etiam *Romana*. 35
Boji, gens ampla *Celtarum*. 4. *intra* sylvam *Hercyniam* degentes. 5. illorum ex *Armenia* iter *incertum*. 5. 6. in *Jobabo* ridiculè quæruntur. 6. *expeditio* illorum in Romanos. 10. *cæsi* à Romanis. 11. *Reges* eorundem antiquissimi. 12. in socios *perfidia*. 13. *victi* à Roma-

à Romanis. 18. *victores* Romanorum gloriosissimi. 24. vicissim ab his duriter *victi*. 27.33. Romanis valde *obnoxii*. 34. post annos quadringentos, *Italia* sponte sua *excesserunt*. 35. & quando aliàs? 44. quando *Noricum* ingressi? 48. testimonium virtutis ab hoste ipsis datum. 51. cur *picei* dicti. ibid. num *Francis obnoxii* fuerint? 72. leges ab his accepére. 101.108.118. cæduntur à *Slavis*. 196. & *Francis*. 145. Bojorum primus, *Aripertus*, Rex Langobardorum. 121. Boji Comites *Romanis* opitulati *contra Langobardos*. 153. *Boji* & *Suevi* an communi vocabulo *Alamanni* dicti. 673

Bojoarii nomen Bojis debentes. 115

Bojodurum, in adversa Danubii ripa. 37.782

Bojohemia sive *Bohemia* à Bojis sic dicta. 5.37. 334. pulsi Bojohemia. 60. ab Attila *fabulosè reducti*. 61

Bojon, oppidum in Taurica Chersoneso. 39

Bojonii *cognomen*, in M. Aurelio Antonino unde? 64

Bojorix (cum duobus fratribus) *Bojorum* regulus. 31. & *Cimbrorum*. 46

Bojorum *nomen* à Scriptoribus variè *corruptum*. 75. an aliquis Scriptor *à Tacito usq; ad Jornandem* Bojorum meminerit. 849. eorum *tribus* centum & duodecim. 7. *deserta* ubi? 38.57

Boisci, pro Bojis, ceu *Syrisci*, *Threcisci*, *Dacisci*. 61

Boitra, nomen *rivuli*, adhuc manens. 196

Boitro, Bojotro, Bojodurum. 671. *quot milliaribus* distet à Vindebona. 671

Bojus, *Herculis filius* insciè traditur. 6

Bojus Ladas, vel Boiscus, *apud Ciceronem*. 176. 862

Bolodurum. 782

Bonifacius, *Germaniæ* Apostolus, è *Britannia* ortus. 140. in Frisia occisus à latronibus. 150. ipsius *elogium* singulare. 151

Bononia, à Bojis dicta, olim *Felsina*. 29.35. vel potius *à bono omine*. 30. colonia Latina. 35

Bononia *portus*, unde brevissimus *in Britanniam* trajectus. 741. seqq.

Bonosi bibacitas. 310

Borani, ad *Istrum* populi, manus Bojorum, *Asiam* invaserunt. 66

Borbonii in Gallia à *Bojis* originem traxere. 51

Boruti principatus, & vires adversus *Hunnos* exiguæ. 155

Brennus, Bojorum Rex *antiquissimus*. 12. cujus *stirpe* superbivit *Chrixus*. 8. ejus exercitus *Delphos* aggressus. 38

Breones aut *Briones* qui fuerint. 339

Breones, in Rhæticis præsidiis, distinguuntur à Bojis. 83

Brevoduro. 753

Brigantium urbs, num *Rhetia* vel *Vindelicia* tribuenda? 66

Brigiosum. 760

Britanni in Ecclesiam *Boicam* irrepere ausi. 142

Britannicarum Virginum *cædes*. 732

Britomarus, Rex Bojorum. 19

Brivinenses. 415

Brixiæ Longobardorum civitas, per *Cuniberti* preces, *Alachi* hosti permittebatur. 125. 126

Brogitarus, *alter* Dejotari *gener*. 55

Brolindum. 761

Bructuri. 778

Bruschius *notatur*. 553

Budino. 764

Bulgari patria pulsi, sedes à Francis hostibus petunt, *una nocte* in Boica hyemantes *occisi*. 117

Burchardus, Sueviæ Dux, *S. Udalrici avus* maternus. 519

Burdigalo. 760

Burginacio. 736

Burgum *malè* putat *Cuspinianus* fuisse *Flacci thei regiam* sedem. 667

Burgundiæ Reges. 549

Buri seu Burii. 432. *quasi dicas* Bojeri, Boiri, vel Bojari. 60

Burolevo. 720

Buromagi. 764

Burtoni Commentarii *in Antonini Itinerarium* laudantur. 784

Byzantium obtinuerunt Tolisto-Boji. 39

C.

CAdaver *clavo trabali* transfixum. 314

Cadaverum cura. 494. *condiendorum ratio* quibus usitata. 495

Cadurci. 757

Cæsares *quinam* dicti. 371

Jul. Cæsaris in magistratu *occisi annus*. 199

Cambodunum. 781

Camina, locus amœnissimus *inter Timonem & Finalem* amnes situs. 135. Ecclesiæ S. Mariæ Frisingensis dono datus. 136

Camma, Sinati uxor *castissima*. 42. Dianæ *sacerdos*. 43.108

Campi *lapidei* ad Rhodani ostia *fabulosi*. 167

Camuloduno. 718

Canes pane *benedicto*, quem Grimoaldus è mensa projecerat, *indigni*. 136

Canisii Tomi antiquæ Lectionis. 857

Capillati, id est, vulgus *Gothorum*. 338. refer huc *crinitos* Reges. 354

Capillitio omnis gaudebat *Germania*. 68

Capitolium Romæ. 456. quare *mensuras* servârit. 243. *Capitolia* illustres Urbes habuere. 259. *crebra per* Romanas *colonias* instituta. 457. *Christianis* templis *comparata*. 260

Capitula *Carolina*. 174

Captivi Tolisto-Boji & Tectosages *catenas morsibus* tentantes. 43

Caput *Attilii* Cos. abscissum, & *Gallorum* Regibus allatum. 17. *Postumii* templo à *Bojis*

illatum. 24. *Centurionis Romani* ante pedes Ortiagontis abjectum. 42. *Vari* ducis Augusto missum. 62. *Zenonis* diaconi, quem Alachis obtruncavit, falsò creditum *Cuniberti* caput esse. 127
Caracallæ *basis manca* Augustæ. 306
Carantani à Thassilone *victi*. 160. hos fidem *Christianam* Virgilius docuit. 170
Carantonus fl. 758
Carbones cur subdi *terminis* consueverint. 244
Carmina *antiqua* de rebus *fabulosis*, non sine *risu* legenda. 223. quanti facienda in re historica. 305
Carnificem *averšabantur* Romani. 498
Caro *in piscis speciem* versa. 617
Caroli M. majores & *stirpis Carolinæ* origines 79. *patria* illius. 145. 146. ab Hadriano *in Italiam* evocatus *contra Langobardos*. 165. an prolixam barbam aluerit? 908
Carolomanni & Pipini *hæreditates*. 145. illius in rem Christianam *propensio*. 146. fit *monachus*. 147
Carolus Martellus *in Bojos* movit. 138. *bello*, quàm pace, *clarior*. 144
Carvone. 735. 777
Casaubono se diligenter purgat Marcus Velserus. 907. 908
Casaramago. 753
Caselius, *Italus*. 859. 864. 865
Casilini coloniæ deductio, & *nummus*. 287
Casinomago. 763
Caspingio. 737
Cassianus Episcopus *puerorum stylis* confossus. 93
Cassinomago. 761
Cassiodori, in rebus Gothicis, *fides* integra. 61
Castella & Oppida *distincta*. 669
Castellum Menapiorum. 744
Castitatis servandæ *stratagema* singulare, quo *filiæ quatuor Romildæ* sunt usæ. 108
Castor, Dejotari gener, cum *Castore* filio. 54. avum *Dejotarum*, apud *Cæsarem*, in capitis periculum adduxit. 55. *Castor* quisnam *Dejotaro* successerit? 56
Castra. 768
Castra Herculis. 736
Castra Romanorum *varia*, velut Regina, Augustana, Quintana, Batava, ad Danubii ripam. 90
Cathomis cædi, quid? 488. 489. 790. 791
Catualda juvenis *Bojohemum* ingressus. 62. in Foro Julio *exul* fuit. 63
Catualium. 748
Catulinus *non venit* in Pannonias oras. 668
Caunonio. 718
Caussalis particulæ, *Nam* magna apud *Horatium* efficacia. 205
Celeja, Pannoniæ municipium. 429
Cella & *Cellula* monasteriorum antiquitus appellatio. 168
Celtarum regio *latè patens*. 2
Conr. Celtes, Poëta. 776
Celtiberia & Celtoscythia. 2
Celtico vocabulum nullum *vetustius*. 3
Celticum & *Gallicum* nomen *promiscuè* usurpatum. 20
Celtus, sive Herculis, sive Polyphemi. 3
Ceneus, (sive *Diceneus*) præstigiator, *per Ægyptum* vagatus, & *pro Deo* habitus. 57
Censores, in *coloniis*. 273
Censoria Catonis nota, *post annos novem* adversus Quinctium. 34
Censualis epitheton *Mercurio* tributum. 370
Centuriæ à Centurionum nomine dictæ. 384
Ceudum. 748
Chabas, Attilæ filius, *fratrum maximus*; cui succensuit Aladaricus. 71
Chaci, Chauci. 728
Chamavi qui Erpranci. 728. 729
Chetimarus, à sacerdote Lupo *baptizatus*. 155
Childeberti, Reges *duo*, unius nominis. 99. Meroveorum *ultimus & ignavissimus*. 149
Chiomara, Ortiagonis reguli uxor *formosissima* capitur. 41. dolus, quo *centurionem* se violantem *occidit*. 42
Christi annorum ordinatio. 806. 807
Christiana religio innotuit Bojis. 63. 111. 113. Marcomannis. 65. 69. Francis. 75. Noricis. 91. Garibaldo & Theodelindæ. 101. Theodoni. 102. Longobardis. 103. Severo Imp. 306. Philippo. 307. ejus amplitudo. 453
Christiani nominis præstantia. 487
Christiani nomine *Judæorum* intellecti. 269. plurimi sub *Antonino Pio* in *utraque Rhætia*. 300. injuriis gentilium Judicum expositi. 483. 490. 493. 497. pro *magis* habiti, cùm precibus tempestatem impetrassent. 65. 66. veterum *nocturnæ orationes* & cantus. 456. innocentia. 486. quibus nihil objici poterat, *præter nomen & religionem*. 454. 490. Edicta in illos crudelissima. 312. Constantius *illis favens*. 315. Leges *in commodum* illorum *latæ*. 316
Chritasirus, Rex Bojorum sub Augusto. 57
Chrixus sive *Crixus*, Dux Bojorum ex stirpe *Brenni*. 8. virtus illius *Annibali* probata. 22. à *Scipione* hasta configitur. ibid. à *Gellio* Cos. oppressus. 48
Chronicus libellus authoris, qui se anno XIII. Alexandri Severi scripsisse testatur. 794. 802
Chunimundus, Suevorum Rex. 672
Ciceronis Oratio *pro Dejotaro* quâ occasione scripta? 55
Cimbri ex Hercynia pulsi. 45. *Helvetiam* invadunt atq; *Italiam* & victores & victi. 45. 46
Cimmerii & Cimbri de *innumerabilibus* gentibus. 3
Cinabri in *Hercynia* sylva à Bojis *repulsi*. 45
Circorum ratio per provincias. 402
Cisa sive Cisara non fuit *Isis*, nec *Ceres*, nec *Cybele*, nec *Venus* Suevorum. 226. ejus collis &tem-

& templum. 222. qui dies ei sacer. 258.
Cisæ idolum perperam creditum, quæ imago Medusæ est. 373
Cisara urbs etiam dicta *Vindelica*. 219.225
Cissea Minerva apud Pausaniam. 226
Cissimunicipio. 766
Civis diversarum urbium aliquis esse potest. 365
Civitas Dei Apocalyptica duodecim pretiosis lapidibus fundata. 518
Civitates non nisi *amicæ*, in nummis *stantes* cum cornu copiæ. 296. hostiles habuere *navium rostra* vel *spicas sub* equorum *pedibus*. 288
Classici, apud veteres Gallos, descriptio. 17
Clementis, Rhætiæ Procuratoris, *inscriptiones*. 307
Cleopatram quî Plutarchus scribere potuerit à Gnei Pompeji filio adamatam fuisse. 861. 862. 863
Cleuphas, sive *Cleophas*, celebre Judæi nomen Augustæ. 294. 177
Cliberre. 763
Cloacarum *causse* apud Romanos. 265
Clodoveus Rex consilio & armis res auxit Francorum. 78. Alemannos vicit. 336
Clondicus, Gallorum regulus hos in Macedoniam deduxit. 44
Clusium à Brennone duce *obsessum*. 7. à Celtis aliisq; repetitum. 15
Cochilarius, Rex Danorum occisus. 79
Cœcatus ignitarum pelvium objectu falsò traditur Thassilo. 173
Cœmeteria olim *Synodis*, *mysteriis*, *sermonibus* inservientia. 314. extra urbes constituta. 502
Cœnæ sepulchralis species. 414
Cœnæ Christianorum veterum. 452
Cognomen Drusi unde? 9
Cognominum *ambitio* vel *adulatio*, in urbibus, post Augustum. 212
Cohortes Rhætorum à *juventute* distinctæ. 292. *Vindelicanæ* apud Tacitum. 207. *Vindelicæ*, *Syriacæ*, aliæ quo sensu. 290
Collaudatio Episcoporum & Abbatum, in Bavaria, *pro defunctis* fratribus. 163
Collegia *negotiatorum* aliorumq; *Augustæ* olim varia. 277. 278
Colliculi in agro *Augustano*, ad rationem *limitum* pertinentes. 244
Colo. Tra. 736
Colonia *Agrippinæ* apud *Ubios*. 238. *Augustæ*. 211. 212. nova Romanorum in Gallia, Senæ Gallicæ. 11. item Latinæ in Italia, *Placentia* & *Cremona*, perpetuæ servitutis compedes. 20. claustra ad cohibendos tumultus Gallicos. 26. Coloniarum supplementa petita, & novæ coloniæ duæ in Bojorum agrum deductæ. 35. ultrò ab ipsis oblatæ. 34. Mutina & Parma. 36. Coloniæ novæ Romanorum in agro Norico Boicoq;. 89. 90. Colonia una in Rhætia. 211
Coloniæ *definitio*. 210. Symbolum *nux pinea*. 376
Coloniæ plerunq; dictæ Municipia. 172. cur *Romæ effigies parvæ* appellentur. 252. missæ coloniæ vel in *veteres* vel in *novas* urbes. 218. coloniæ *militares* ad discrimen *Augustearum*. 227. 229. 232. splendidissimæ. 232
Coloniarum præcellens dignitas & municipia superans. 226. 227. carundem auspicia & sacrificia. 252. numen tutelare. 254. immunitas quarundam. 231. 303. numerus & usus ad firmitatem provinciæ. 237
Colonias deducendi lex fusè exponitur. 228. seqq.
Colonici nummi conditorum nomina exhibentes. 236. 285
Colores insignium ex *clypeis in saga* manantes. 9
Columna *Osiridis fabulosa* in Ægypto. 190
Columna ad *pedem Græcorum*. 243. 244
Columnæ striatæ frustum describitur. 262
Comagena castra hodie Holenburg dicta. 666
Comes *Gothorum* in *Suevia*, quis & qualis. 338
Comes rei militaris postea *Dux* nominatus. 298
Comites militares. 675
Commodus Imp. Marcomannis pacem concessit. 65
Conbaristum. 757
Concilii à *Thassilone* Franciæ Duce celebrati, acta. 161. 165
Condate. 753. 756. 761
Condi coloniæ dicuntur *duplici* sensu. 257
Confessio peccatorum olim commissorum rectè iteratur. 485
Conjugalis concordiæ simulachrum. 412. fidei exempla duo, in Tolisto-Boicis mulieribus. 42
Conjugium, inter *fratris prius nepoti nuptam & defuncti mariti magnum patruum*, per sacras leges *prohibitum*. 98
Consonantes *non aspiratæ* velut *Græcus*, *Triumpus*. 2
Consul quid *Ausonio*? 272
Consulares, qui nunquam Consules. 484
Consulares Fasti juvantur monumento ab Andr. Schotto misso. 851
Contubernium & Contubernales. 371. 372
Conversionis vox quid denotet apud Christianos. 447
Convetroni. 18
Conus, arboris *resiniferæ nucem* exprimens, apud Augustanos. 245. 284. 286
Corbinianus, in Gallia florens, monasterium ad S. Germani ecclesiam condidit. 133. seqq. ejus sanguis è pertuso vasculo miraculosè fluens. 169
Corialle, Coriallo. 756
Corinthiorum nummi, *sine* eorum nomine. 284
Cornelius *Bojos* vicit, sed *triumpho* caruit. 33
Corolamus, Bojorum Regulus. 29

Coro-

Coronæ, non ſunt Regum Reginarumq; propriæ. 461
Coronati dicti, quatuor ignoti martyres. 501
Corrodendi verbo ſignificanter uſus eſt *Beda* de Rhæticis urbibus ab *Attila* vaſtatis. 232
Corterate. 761
Corucia Connu. 753
Coſa. 764
Coſedia, Coſebia. 756
Coſtoboci, iidem qui *Toliſto-Boji*. 65
L. Craſſus *Alpinum* bellum fruſtrà affectavit. 198
Cremona, à Gallis obſeſſa. 26. à Furio liberanda. 27
Creta in balneis *cuti* curandæ adhibita. 397
Crhepſtini, Crepſtini. 728
Cromerus rerum *Polonicarum* Scriptor *accuratus*. 74
Crucis ſignum à vetuſtiſſimis Chriſtianis adhibitum. 457. à Juliano iisdem objectum. ibid. in veſte miſſali quid denotet. 94
Culina, locus epularum *funebrium*. 240
Cunibertus, Partharitì filius, *favet hoſti* Alachi. 125. regno ſpoliatus ab eodem in inſulam aufugere cogitur. 126. ex inſula in regnum revocatur. 127. filius ejusdem Liutpertus regno pulſus à Reginoberto. 130
Curia, *caput* Rhætiæ *primæ*. 91
Currui ſive *quadrigæ* triumphatoris *honeſtiſſima* quæq; impoſita. 288
Cuſpinianus notatur *Burgum* Flaccithei *regiam ſedem* opinans. 667
Cypriani *duo*. 92
Cypriorum luxus. 463. ratio colendi Venerem. ibid.
Cyriaci diaconi martyrium. 499
Cyrinus, Epiſcopus Ratiſpon. 671
Cyrinus *hæredem* denotans. 160, 161

D.

DAcicæ expeditionis *annus*. 57
Daciſci apud Jornandem pro *Dacibus*. 61.
Dagobertus, regiæ *Auſtraſianæ* præfectus, ad *Clotarium* fugiens, *Treveris* obtruncatur. 117
Damaſia veluti arx Licationum, cis Lycum flumen. 196
Damianus, *Ticinenſis* Epiſcopus ab *Alachi* tyranno contemnitur. 116.
Damnati ad ultimum ſupplicium *extra portas* urbium ducebantur. 491. *corpora* eorum petentibus ad *ſepulturam* permiſſa. 493
Danubius, *limes* inter Romanos ac barbaros *creberrima* cohortium *auxilia* habuit. 209 vetus *Germaniæ* ac *Rhætiæ* limes, ab Alemannis ruptus. 311. paruit *Romanis*. 321.
Darcorttura. 757
Dea Aſculanorum *Ancaria*, Volſinienſium *Nurſica*, Otriculanorum *Valentia*, Sutrinorum *Nortia*. 226
Decempedator agri privati & publici, *L. Antonius*. 230
Decem priminati, & præſignis eorum dignitas. 266
Decumanus maximus, & *Kardo* maximus in agrorum aſſignatione quomodo adhibitus. 229. ob quam cauſam. 230
Decuriones, quinam in coloniis. 266. *pecuniam* erogantes *pro introitu*, eorum cenſus & ætas; quinam excluſi. 267. ordo quaſi *Senatorius*. 268. geminæ literæ D. D. id eſt, Decurionum Decreto ibid. etiam *Chriſtiani*, hoc eſt, *Judæi* tales. 269. prærogativæ. ib. quibus ſuppliciorũ generibus exempti. 500
Dedicationis Librorum variæ *cauſæ*. 359
Defoſſi, in foro Boario *vivi* Galli. 24
Dejotari *duo* inter ſe diverſi, *Toliſto-Bojus* & *Paphlago*. 47. illius *fides* erga *Romanos*. ib. *Catoni* liberos & familiam ſuam commendat. 48. *auſpiciorum conjecturis* valde deditus. 53. *litterarum ſtudia* amans. ibid. Senex in *Pharſalico* & *Alexandrino* bello Cæſari ſemper adfuit. 54. regium habitum, quem exuerat, recepit. 55. interfecit generum *Caſtorem* cum filia ſua. ibid.
Delphica clades. 38
Deos *barbaros Romanis* & *Græcis* conferre, caſſus labor eſt. 226
Deos Deasq; loci nominare, *Romanus* mos. 364. 372
Deos *turpiter colentium* ſtupiditas. 488
Deſperationis malum. 487
Deudorix, idem qui Diethericus. 47
Deus audiens, nomen Marico *fanatico* inditum. 63
Diabolorum diſtincta *munia*. 465. 466. ordo *imperandi* & *parendi*. 466. impietas. 467
Diabolus cogitur à Deo, *fœdâ formâ* comparere. 464. *contra ſeipſum teſtimonium* dicere. 465. 466. quâ ratione *fur* dicatur. 467. non ſperat nec petit *reſtitutionem*. ibid. cur depellendus ab *energumeno* corpora alia ingredi expetat. 468. ad *jusjurandum* ab exorciſta adigitur. 469. cur in *abyſſum* ire formidet. 469. proprio gladio jugulatur. 472
Diaconi olim *Epiſcoporum* & *Presbyterorum* miniſtri. 451
Diademata *Regum Reginarumq;* propria. 461
Diana à *Galatis* culta. 43
Diatorus idem, qui *Dejotarus*. 47
Dictionum *concisè ſcriptarum* explicatio. 434. ſeqq.
Dievil Libellus *de menſura orbis terræ* notatur. 791. ejus meminit *Rhenanus*. 836.
Dicuntia. 667
Die eodem, quo Alexandria capta, etiam (poſt tria luſtra) Rhæti ſunt victi. 205. ſicut *eodem menſe*. 89
Diei *dominici* honos ac religio. 162
Dietherus, & *Dietus* & *Deudorix*, & *Dietherici* inter ſe conveniunt. 47. item *Dietbaldus*, *Dietmarus*. 72

Digna, *martyr.* 455. 456. ejus *corpus* inventum. 504
Dignæ *nonnullæ*, memoratur. 456
Dingolvingæ Abbates tredecim. 161
Dingolvingense concilium, cum Episcopis suis. 162. seqq.
Dio & Tacitus, *omnium diligentissimi.* 207
Diocletiana *persecutio* Christianorum *insignissima.* 448 ejus initium & finis. 448. seqq.
Dionysius an primus *Augustæ* Episcopus 474. malè confunditur cum *Dionysio Areopagita.* 499. ejus reliquiæ à *Carolo IV.* Imp. cultæ. ibid.
Dobda, insula *Chimensis.* 158
Dorulacus, Dux Insubrum & Bojorum. 80
Draconum nomen *variè* accipitur. 470. *occisorum* per viros sanctos *exempla.* 472
Drudes. 572
Drusi cognomen à *Drauso* cæso. 9
Drusiana fossa. 723. 725
Drusum pro *patrono* suo habuit *Augusta.* 283
Dubris. 720
Ducarius sive Bojus, sive Insuber, occidit *Flaminium.* 23
Ducatus *Rhatiarum* ejusq; *formula.* 338
Ducis titulus *ingratior*, quàm *Principis.* 165
Duelli vetus *judicium* in re incerta; in quo *propinquus vicarium* producere poterat. 115. *Dei judicium* vocabatur, quando controversiæ *armis* dijudicatæ. 118. Cuniberti *vicarius*, Zeno *diaconus.* 127. quid sit, *Wehading* & *Chaonfvvic.* 163
Duisburgum, aliàs *Dispargum* castrum appellabatur. 334
Dur. 783
Duraverus, Duroaverus. 720
Durecie, Duretie. 757
Durocassio. 753
Durocorto. 749
Duroicoregum. 749
Durolevo. 720
Duronum. 748
Duumviri, *princeps coloniæ* magistratus. 236. 271. 272. 273.
Dux & *Præses*, voluntate Principum, unus interdum. 302

E.

Eberhardus, eremita à *S. Udalrico* visitatus. 549
Ecclesiæ Christianorum cur *navi similes.* 262. quando non sunt permissæ *publicæ*, in *privatis* ædibus fiebant *sacra.* 473
Electra, Stratonicæ *ancilla*, marito Dejotaro concessa. 53
Eleemosynæ *meretricum.* 487
Elephantiæ *fœdissimi morbi*, descriptio. 464. an conveniat cum *morbo Gallico?* 465
Emmerammus sive *Heimerammus* Episcopus, ex Aquitania in Pannoniam & quidem *Reginoburgum* quare venerit? 119. illius corpus à Lantberto ob creditum fororis stuprum, miserè lacerabatur, ac *Aschaimum*, postea *Reginoburgum* devehebatur. 120. *annus* mortis ex epitaphio. 121. ejusdem fama & *templum.* 129. à Simberto absolutum. 169
Ensis sine capulo denotat Regem sine *benedictione Pontificali.* 525
Episcopatus nomen *incertum.* 129
Episcopi *Laureacenses* plures, *deperditis* nominibus 91. 93. *Civitatum* Episcopi paruerunt imperio. 233. 234. annuè debent *visitare* diœceses. 532. certæ sedis denominati a tota provincia aut regione. 674. illorum *Sedes magnificè* extructæ 316. *Ordinatio à tribus* Episcopis fieri debet. 414
Episcopi & *Presbyteri* confunduntur. 93. dissuxit illos Eusippius. 673
Epona, Dea *equili* præfecta, juxta Aventinum. 196
Epulones qui dicti. 426
Equelreto. 768
Equites *alares* à *legionariis* distincti. 385
Equites equo *publico.* 431
Equitum *ala* unde dictæ. 391
Equitum *duo* genera, in re *militari* & in *civitate.* 276
Equitum magistri magna olim auctoritas *apud Francos.* 133
Equorum *decursus*, antiquissimi Augustæ *ludi.* 258
Franistæ qui. 421
Erenwolfus, ob dogmata quædam *hæretica*, damnatus à Bonifacio. 141
Ermanaco. 749
Etruriæ *elogium* debitum ac *singulare.* 4. 5. eam invadunt ac depopulantur *Galli.* 15
Evangelii lux *Bojis* primùm affulsit *Asiaticis* 63. *Germanis* præterea & *Marcomannis.* 65. illius notitia tribuitur *Rhætæ.* 291
Eugippius *quando* vixerit? 74. vitam *Severini* descripsit. 93. 633. 634. *duo Eugippii* Abbates. 632
Evinus *Tridenti* præfectus. 99
Euprepia. 455. 456
Eusebianorum Chronicorum Codices. 792. 793
Eustasius, monasterii *Luxoviensis* Abbas. 114
Eutropiæ *plures.* 455. 456
Excisum. 761
Excusationes munerum, sub Gratiano &c. 323
Exercitus, juxta *Ulpianum*, quid dicebatur. 222
Exercitum *contrahendi* locus aptior, prope Augustam. 309
Expeditio *Bellovesi* & *Sigovesi* in Italiam, *sexcentis* ante Christum annis. 5

F.

Fabiana castra, hodie *Vienna*, unde olim dicta. 667
Fabula Adalgeri *de cervo & vulpecula* in horto. 68. 81. de *Abuzaco* gigante, oppidum sui nomi-

nominis condente. 216. de monte *ex ossibus* compacto. 221. de colle & *templo Cisæ*. 222
Fabularum fuligo veritati noxia. 84
Fabulosa locorum *nomina* effingendi mos, post Carolum. 223
Faingæ nomen à Bajeniis. 407
Familiæ vox quid significet. 465.
Familiæ *claræ*, apud *veteres Bojos*, plures. 78
in Familias aliorum transeundi mos. 389
Fano Mart. 756
Fava, Rugiorum Rex. 668
Favianis, oppidum. 673
Felecteus, Rex Rugiorum. 668
Felices duo, martyres Gerundenses. 451.452
Felicis nomen, olim Christianis admodum familiare. 452
Felsina, à Bojis *Bononia* dehinc dicta. 29.35
Feresne. 748
Ferrum *primi* purgarunt *Norici* (hinc *Noricus ensis*) 48
Fides, principium Christiani. 455. cur dicatur *lumen*. ibid. in causa Fidei *non ferenda* tergiversatio aut *simulatio*. 484
Fine. 764
Fines. 761
Flaccitheus Rugiorum Rex. 668
Flagellis verberari *viles* tantùm *personæ* solebant. 490
Flaminius in ipso exercitu, *à Ducario Bojo*, trucidatus. 23
Flenio. 737
Fletione. 735
Flevo, Flevus. 724
Flores *cur sepulchris* additi. 386
Florianus, militum tribunus, fit Christianus & martyr. 92.93
Flori cognomen per *flosculum* in nummo subindicatum. 288
Flumina *specubus hausta*, *populis* quo sensu *simillima*. 61. *castris nomina* præbentia, ceu *Regen* & *Quintanica*. 90
Fœminæ *tres Regia* maritos *Reges* converterunt: *Chrotildis*, *Ingundis* & *Theodelinda*. 103
Fontē *baculo* eliciens *è monte* Corbinianus. 137
in Foris positæ *illustrium* Virorū *imagines*. 376
Forma *agrorum* quid. 241.
Fortunati nomine *nullus* fuit Episcopus *Augustanus*. 523.524
Fortunatus ex Italia in Galliam ad *S. Martini tumulum* profectus, *versus de eo* scripsit. 97 notatur libelli *impolitia*. 193. variæ illius *editiones*. ib. Locus de Gregorio referens, *pallas coperit*, expenditur. 855
Forum Hadriani. 737
Fragmentum historicum *de Cisara* exhibetur. 219.350.351. *illustratur*. 223.224. *judicia* de eo. 220.350.817.840
Franci, aliàs *Thuringi*, secus Rhenum. 334. *Batavia* proximi habitatores. 725. *piraticæ* incubuere. 727. veterum sedes. 778. fabella de *antiquissimis* sedibus ad *Mæotidem paludem* unde nata. 726. num iis *obnoxii* fuerint *Boji*. 72. Francica Bojorum cum Childerico & Clodoveo bella. 74. (vide, Galli) *occasio* religionis *Christianæ*. 75. majestas illorum *à Bojis conservata*. 75. Clodoveus *Bojis*, ob auxilia, *egit gratias*. 78. à Francicis Regibus *Boji jus petitre*. 85. 101. 108. contra interpositam fidem *Langobardos aggressi*. 102. Francicorum Regum auctoritate *lecti Bojorum duces*. 108. 118. Franci vincunt Utilonem, *ob injustas nuptias*. 145. qui inde ad *nomen Ducis* redit. 146. Boji à Francis *pacem* muneribus *redimunt*. 149. in horum *tutelam se tradidit* Thassilo, & imperavit *Pipini jussu*. 154. Regum apud Francos munus, *conventus* cogere, *leges* condere. 165. Franci Alemannos armis subegére. 342
Francicum nomen serò *Romanis* cognitum. 713
Franconiæ nomen antiquæ *Suevia* & *Alemanniæ* partem denotat. 337
Fratres consanguineiq., Rom. *servitutis* blanditiæ. 51. Fratres duo *fugitivi*, Aripertus & Gundebertus. 112
Fratrum appellatio frequens *in prima Ecclesia*. 486
Fratrum *Brixienſium* in facinore *concordia* ipsis *noxia*. 126.127
Fratrum *Langobardicorum* discordia regno periculosa. 121.122
Friderici II. Imp. opus de *Aucupio*. 843.844 omninò ipsius esse docetur. 847. virtutes ejus ac amor literarum. 907
Frisinga Grimoaldi *regia*. 134. & sedes *episcopalis* Corbiniani, olim *Maximiliani* martyris, postea SS. *Valentiniani* & *Zenonis* basilica nobilis. 136
Fritigil, Marcomanorum regina, Christianam religionem admisit. 69
Fron/idem quod *sacrum*. 669
Fronbote/cur sic appelletur. 669
Frumenta in hostico demetenda. 25
Frumentarii qui. 421
Fuga in *persecutione* an licita? 451.
Fulminis, regium *tabernaculum* disjicientis *lætum* ostentum in *nuptiis*. 101
Fulvius, cognomento *Bojus*. 64.66
Furio, Cremonam liberanti, triumphus, ob devictos Bojos decretus. 27

G.

GÆsati, valida ad *Rhodanum* gens. 13. stolidè *nudantes corpora* sua 17. vana eorundem *ostentatio*. 18
Gaji *prænomen* unde deductum. 484
Gaila & Appa, *castissimæ* sorores. 108
Galatia & Gallogræcia, *Bojorum regio*. 40. quando *in provincia* formam redacta fuerit? 56
Galatica Romanorum victoria. 44

Galati-

Galaticarum Eccleſiarum conditores, Paulus & Clemens. 63
Galatus, Rex *antiquiſſimus* Bojorum. 12
Galaxia. 768
S. Galli ædicula omnium *prima*, Chriſtianis *ſacris* Auguſtæ *dicata*. 257
Galli gallinacei aptum *Gladiaturæ* ſymbolũ. 403
Galli virtute belli *omnibus* gentibus *prælati*. 10. vicére *Romanos*. 11. his *ſemper metuendi*. 14. Romanorum *lentitudine animati*. 28. *Galli* Livio communiter *pro Bojis*. 44. *prima* eorum expeditio, auſpiciis *Bojorum*, in Romanos *quando* facta? 12. itera-ta. 12. vid. Franci.
Gallieni inertia & ſocordia. 309
Gargenus, Rex Bojorum. 19
Garibaldus, *obſcuri nominis* ſcriptor. 78. vera falſis miſcuit. 80
Garibaldus *quidam* occupavit Boicam. 98. hunc bello aggreſſus eſt *Childebertus*, Francus. 101. Thaſſilonis filius. 108. ipſius nobile opus, *devictis Slavis*. 109. Reginbertus *ex* Garibaldi *ſtirpe ultimus*. 132
Garumna. 758
Gellius Coſ. à quo *cæſi ſunt Germani* & Crixus. 48
Gentiani & Baſſi *Inſcriptio* Auguſtana. 306
Gentium *exacta deſcriptio* ſperari nequit. 425
Gentium & *Gentilium* nomen nationibus *exteris* tributum. 67. tandem *dignitatis exiſtimationem* induit. 328
Gergobina & *Boja*, urbes Bojorum. 51. 52
Germani Gallia exacti à Floriano. 310
Germaniam pænè in *provinciæ formam* redegit *Tiberius*. 60
Germanorum Gallorumq; *unum nomen*, & idem ortus. 3. *Germanicum & Celticum* nomen promiſcuè uſurpatum. 20. illorum auxilia *Sequanis ingrata*. 51
Gerræ, ad dextram Danubii ripam. 184
Gerunda. 765. hodie Girona eſt. 474
Gerundenſes, Hiſpaniæ populi. 474
Geſocribate. 756
Geſogiaco. 741
Geſſoriacus portus non eſt diverſus ab *Iccio*. 741. ſeqq.
Geta, Severi filius, bis Conſul & collega Antonini fuit. 813
Getæ *duo Conſules* fuerunt. 812
Gibuldus, Alemannorum Rex. 671
Giphanii eruditio & *commentarii de Juſtiniano* valdè laudati. 341
Gladiatores *infames* habiti. 402. in *picturis* eos *repræſentandi* ratio. 400. 401
Gladiatoria munera *picta*, ac *in publico* expoſita. 400
Gladiatorii belli fortuna, & elogium. 48
Gladiatorum *nomina*. 402. 842. eorum princeps *Palus* dictus. 401
Glires abiguntur meritis S. Udalrici. 626
Golzii *fides* circa Inſcriptiones. 433
Gorbejum, Caſtoris *caſtellum* à Dejotaro ſocero *vaſtatum*. 55
Gorchemum. 769
Gothi Italiæ dominatu, ſub *Theodovalda* Rege, *dejecti*. 95. iis *opitulatum* in Italiam venit *Vacarus* ſive *Theodo*. 96. quando *Italiâ* à Theobaldo *exacti*. 97. *in Pannonia* conſederunt, volentibus Romanis. 668
Gothici Reges *poſt Theodoricum*. 84. in horum auctoritate *partim* fuere *Boji*. 85
Gracchus, in *nummo*, quis & qualis. 285. *aliquot* illius *nummi*. 287
Gradus ſive *Gratus*, vicæ Euſtachii Epiſcopi *Auguſtani*. 331
Græciam *vaſtarunt* Boji. 38. 40
Granni cognomen *Apollini* tributum. 406. 407
Gratianus obviam *Alemannis* ivit. 322. *prope Lugdunum*, in Gallia, *occiſus* eſt. 323
Gravinum. 749
Gregorii Monachi *codex Auguſtanus* qualis. 793. 798. alter *ex Bibliotheca Bojorum* Principis. 796
Gregorii Pontificis *Libri, ad Theodelindam*, de Italicorum Patrum vita & miraculis. 103
Gregorii II. Pontificis epiſtola ad Bojos & Alemannos. 141. ſimilis. 143
Grimibus. 737
Grimoaldus & Gundoaldus, *fratres* Theodelindæ. 101
Grimoaldus *dolo interfecit* Gundebertum Regem Langobardorum. 122. *perfidia* iſtius erga *Partharitum* eluſa. 123. Theodonis alter filius. 133
Grinnes. 717
Gripho fratribus bellum indixit *ob teſtamentum patris*. 145. cuſtodia *elapſus* Saxones concitavit. 147. Bojos & ſororem Hiltrudem invaſit. 148
Gruteri Opus *laborioſum*. 794
Gundeberga, filia *Theodelindæ* caſtiſſima *carceri* mancipata. 115. genealogia ipſius *Francica*. 116. ſecundæ & infelices poſt *Arioaldum*, nuptiæ cum *Rothari*. ibid.
Gundebertus in *Franciam* fugitivus *exul* pervenit. 132
Guntheri *venatio* & *diploma*. 167
Guntienſis tranſitus in Panegyrico ad Maximianum. 215. à Rhenano reſtitutus pro *Cantinenſi*. 311. 317. 319
Guntruda, Theodiberti *filia*, Luitprandi *uxor*. 132

H.

HAbsburgi quando Auſtriacorum nomine appellari cœperint. 907
Hadrianus *plures* imperio ſubditas *urbes*, quàm ullus Imperatorum, *vidit*. 299. præcipuos honores *ſocrui* detulit. 389. ejus *ambitio*. 737
Hannibal, *Bojos ad defectionem* impellit, Romanos bello petiturus. 20

Heidenheimenſe monaſterium, à *Wunibaldo* conditum. 147
Helellum, *ignobilis* vicus, in quo tamen *plurima antiquitates*. 779
Helfendori nomen ab auxilio, quod *Emmerammus* à Deo impetravit, contra *Lantbertum*, perſecutorem ſuum. 120
Helvetii, *extra ſylvam Hercyniam* degentes. 5 *auri* divites. 45. ſedes per *Galliam* quærentes, obnitente *Cæſare*. 49. 1 tumultuantes ſub *Vitellio*. 292
Henricus, Epiſcopus Auguſtanus, ejuſq; geſta. 567. ſeqq.
Herculis Alemanni fabula, quem *Adalogerion* origine contigit. 71
Hercyniæ ſylvæ nomina populorum tria, *Tectoſages*, *Helvetii*, *Boji*. 5. olim dicebatur *Orcinia*, hujus longitudo & latitudo incredibilis. 37. *Cimbri* illam ſunt ingreſſi. 45. *Bojos* pepulit inde, poſt ſexcentos annos, *Maroboduus*. 59
Heriscliz, id eſt, ſcitilio exercitus, de hoſte reverſio absque permiſſione Principis. 172
Hermelinda imprudenter marito ſuo *Cunihberto* formam *Theodotis* puellæ commendavit. 126
Hermonacum. 749
Herodis *Judæi*, an *Attici*, ſit *Inſcriptio* vetus *Græca*, ad Urbem, in via Appia effoſſa. 838. 839
Heroldi libellus *de Romanorum in Rhætia littorali ſtationibus* notatur. 407
Heruli. 672
Hieroclis facetiæ. 858
Hieronymi *Epiſtola ad Heliodorum* quando ſcripta. 70
Hieroſolymæ *à Tito exciſæ* memoria. 294
Hilaria feſta. 458
Hilariæ *diverſæ*. 458. utriusque *idem* ferè *exitus*. 498
Hildegardis, Caroli uxor, *Sueva*, cujus mater *Regarda* vel *Imma*. 169
Hiltine, Epiſcopus Auguſtanus. 521. 522
Hiltrudis, *filia Martelli*, invitis fratribus, *Utilone*, Bavariæ Duci nupſit. 145. fratres inter ſe conciliavit. 146. à *Griphone* fratre capitur. 148
Hinnad. 851
Hippodromi forma. 403
Hiſpania. 764. eam contra *Saracenos* infeliciter invaſit *Carolus*. 166
Hiſpanorum *vanitas*, in confingendis *Inſcriptionibus*. 851
Hiſtoria Cæſarum, *ad privatam* hiſtoriam *haud attinentium*, exploditur. 307
Hiſtoriæ uſus. 1. 2. *deperditæ* inanis *conjectura*. 4
Hiſtorica fides teſtium, *multis poſtea ſeculis natorum* qualis? 82. qualis illa Scriptorum *non vetuſtiſſimorum*. 315
Hiſtorici officium. 2
Honoriani, ſub *Honorio*, cur cognominati ſint *Marcomani*. 70
Hora *duodecima ædificare* dictus, per jocum, Dejotarus. 53
Horatius, victoriæ *Rhæticæ* præco, juſſu *Auguſti*. 89. 203. 204. *adulatio* illi objecta. 203
Horburg unde dicatur. 779
Hugibertus, *princeps Bojorum*, in annalibus cur *omiſſus*. 116. *Secundus*, Theodonis filius *tertius*. 133
Wig. Hundii *error* circa Scriptorem *vitæ Severini*. 666
Hungarorum *maxima clades* prope Auguſtam. 545. 608
Hunimundus, Suevorum Rex, *ingratus* erga Gothos. 672
Hunnorum gens fœda & fera, *quando* & *unde* ſit orta. 70. eadem cum *Avaribus*. 8. convertere illam ſtuduit *Emmerammus*. 119 premebat armis *Borutum*. 155. *Bojis* inimiciſſima à *Thaſſilone* in auxilium, contra *Carolum* evocata. 172. victa à *Bojis*. 173. invaſiones ejus & *vaſtationes per Attilam* graviſſimæ. 331-332
Hymni quid ſint. 456
Hypata, urbs *Theſſaliæ* ſplendidiſſima. 242

I.

ICampenſes. 768
Icctus portus idem, qui *Geſſoriacus* fuit dictus. 741. ſeqq.
Jejunii laudes. 469
Ignis ſupplicio qui, apud Romanos, *exempti*. 500. frequenter eodem *affecti Chriſtiani*. 490. 491. quandoque *clavis affixi*. 491
Illyricum, continens Noricum & Pannoniam, *Galliæ Ciſalpinæ* adjectum fuit. 70
Ilmunſter translatum fuit *Monachium* ad B. Mariæ Virg. 153
Imagines illuſtrium Virorum *in foris* poſitæ. 376. cur *auro coronatæ* imagines. 462
Imbecillitatis conſcientia, diuturnus inter confines populos *fidei* cuſtos. 74
Imperator dictus Otto II. *vivente* adhuc *patre*. 556
Imperiorum *converſiones* à conſilio *Dei* pendent. 58
Indulgentiæ vox quid denotet. 486
Ingramus, *Armeniæ* dux. 56
Inſcriptio vetus *Græca Herodiana*. 838. 839
Inſcriptiones *Ebraicæ* apud Auguſtanos *unde*. 294
Inſcriptiones *pro alicujus ſalute*, ferè certis numinibus dicatæ. 391
Inſcriptiones vanè *finguntur ab Hiſpanis*. 851
Inſignia temporibus *Caroli M.* & *Henrici Aucupis* demum cœpêre. 250. Bojorum *cæruleo & candido* alternata. 9
Inſoleſcentes cur in *duas* partes à Jove *ſecti*. 298
Inſubres, *Bojorum ſocii* contra Romanos. 15

Cenomanorum perfidia proditi & victi, qui antea *Cn. Babium Pamphilum* vicerant. 28. *Marcellus* in illos exercitum duxit. 29. & de illis triumphavit. 30
Instrumenta suppliciorum *cum martyribus sepulta.* 315
Instrumentum imperii, de tabulis Capitolinis. 242
Insula Lyci fluminis, pro capitalibus pœnis & martyrio. 491
In Summo Pyreneo. 765
Jobabus (vel Jobus) *Bojorum* conditor, si credere fas est. 6
Jocus duplex M. Crassi & Dejotari de *vespertino & matutino* tempore. 53. de *allato* Cuniberti *capite.* 127
Johannes *scriba* Occidentem invasit. 330
S. Johannis Baptistæ *templum* & patrocinium, *Modiciæ* à Theodelinda institutum. 106. *Ticini*, à Gundeberga, Theodelindæ filia. 115. hujus basilicæ *diaconus Zeno.* 127. inibi sepultus. 128. Reliquiæ. 652
Jonas, Eustasii discipulus, *scriptor vetustus* rerum *Boicarum.* 115
Jopia an *Juvavia*, hodie Salisburgum. 672
Jornandes, avo *Candacis* scriba ortus. 72
Joseppus Episcopus Ratisponensis. 671
Iper & *Illyricum* ad imperium *Orientis* pertinuere. 322
Isara *Strabonis diversa* ab illa, quæ in *tabula Velseriana* occurrit. 196
Iscadumnomorum, Iscadumnoniorum. 721
Isti gentes *variis* appellationibus *confusæ.* 66
Italia, occiso Clephone Rege, *in triginta Duces* à Langobardis distributa 99. *olim variis* modis accepta. 183
Italici juris coloniæ. 231. 232
Itineraria Tabula antiqua Peutingeri. 709. ejus *auctor.* 710. 711. 774. 791. *magnitudo.* 712 774. *Schedæ.* 713. 816. *Lineæ.* 714. numeri. 715. *integra* reperta. 773. *autographum* quale. 774. *doctorum* Virorum *testimonia*, ad ipsam spectantia. 769. seqq. 775. 776. 783. 784
Itineraria, *præsidiariorum* exercituum *usui* præcipuè parata. 214. *pars Æthici* excerpta illustratur 215. seqq. de Itinerariis militum *locus Ambrosii.* 711. 784
Itinerarium *Antonini* Augusti. 347. 711
Juba oppidum à Lazio *Juvavia* fuisse statuitur. 669
Jubillius, *victor* Catvaldæ. 61
Judæ proditoris damnatio, *in sanctione horribili* Theodelindæ. 106
Judæi, *in historia Machabæorum*, Romanos æstimant ob victoriam *Galaticam.* 42. Ratisponensium Judæorum *fabella de Codice Legis Mosaica*, quo Emmerammus sit usus. 221. *clades per* universum *orbem* Imperii Romani, 294. eorundem *Inscriptiones* Augustæ. ibid.
Judicandi forma in re *capitali*, ex *Apulejo* allata. 277. 278
Judicis olim munus, sententiam *scribere & recitare.* 490
Judicum gentilium injuria *in Christianos.* 483 490. 493. 497
Jugera *centena veterano* assignata. 241
Jugera, quamvis tantò majora, *pro plethris* reddunt Latini. 825
Juliæ, ad splendorem tantùm & pompam, multæ sunt *cognominatæ* coloniæ. 286. 287
Juliana martyr. 501
Juliani Didii officia in *Pannoniis*, *Carnunti* & in *Illyrico.* 305
Julianiorum *gens.* 376. C. Julianus Julius. 375
Juliobona. 753
Juliomago. 757
Jupiter *cum conjuge & filia*, *in Capitoliis* cultus. 259. 260
Jura. 749
Juramenti testes ac vindices *Divi tutelares.* 154
Jurisdictio *Episcoporum* religiosa. 233. 234
Justiniani Imp. epistola supposititia. 341. ejusdem privilegium Titionum familiæ concessum. 355
Juthungi, *Alemannorum* pars. 318. 324
Juvavia, à juvando, *Hadriani* colonia, nunc *Salisburgum.* 90. 112. aliàs *Jopia*, cujus martyr Maximus. 94. ab Episcopo Ruperto instaurata. 111. 112

K.

KAlendarium *vetus.* 803. editum à *Gundelio.* 804. Ptolemaicum *Græcum.* 811
Karoli Imp. Diploma. 855
Kreinhildes, Bojorum reguli filia, *Attilæ uxor.* 71
Kyburgensium Comitum stemma. 589

L.

LActora. 764
Lacum *Brigantinum*, sive Acronium, *ignoravit Ptolemæus* 189
Lambachum, olim *Ovilia*, M. Aurelii Antonini opus. 90
Lamnum. 750
Lampridii locus mendi suspectus. 483
Lampugnanus, *Lipsii adversarius.* 861. 862
Matthæi Langi *dignitates.* 416
Langobardi quo sensu *à Francis Italia pulsi* dicantur. 61. *relicta Pannonia* Italiam ingressi. 97. *à Francis*, contra interpositam fidem *abducti.* 102
Langobardici *regni finis* in Italia. 165
Lantbertus, Utæ *gravidæ* frater *Emmerammum* persecutus est. 120
Lapides quatuor *L. Sept. Severo* & *filiis* ejus inscripti. 213. 214
Lapides *terminorum* rotundi. 230
Lapidum Capitol. *argumenta historica.* 20

Larii lacus insula, *fugitivorum asylum.* 126 130

Larix alpina, ut *Romanis pro miraculo* fuerit. 249

Lateritiorum ædificiorum *major* copia cur Augustæ, quàm *lapideorum.* 264

Latina lingua *Italiam non* pervasit. 190

Latitudinis locorum *error unde*, apud veteres. 189

Latium *Hesperium* quo sensu? 186

Latomagus. 750

Laureacum s. *Lauriacum*, colonia *Antonini*, vel *Aureliani*. hodie *Lorcha* ad Ensum. 90. 670. caput Norici riparii. 91. ab *Hunnis* vastatum. 98. ab Episcopo *Ruperto* ad fidem Christianam perductum. 111. Archiepiscopum habuit *Philonem.* 114. nec non *Vivilum* vel *Vivilonem.* 141. ex quatuor Boicæ sacris sedibus prima. 142

Laurentius quidam, *primus Norici* Apostolus. 91

Lauri. 715

Lauriſſa ad Rhenum differt à *Laureacensi* monasterio ad Danubium: illa Thassilonem unà cum filio accepit. 172

Laus Pompeja, *à Bojis* in Italia *condita.* 4

Lazii opinio de *Fragmento* historico, quod *Martiam legionem* cæsam narrat. 350 817. 840. error *de Severino.* 667. de *Catulinis* castris. 668. de *Marciano* Episcopo facto. 669. de oppido, *Juba.* ibid. de *Sylvino* Episcopo. ibid. de *Lucillo* Episcopo. 671. de *Moderato* & *Maximo* Episcopis. 672

Legatos *exteros* excipiendi *prudentia.* 132

Legedia, Lesedia. 756

Leges Boicas tulit Rex *Theodoricus*, Clodovei filius. 75. *Dagobertus* Rex correxit eas & digessit. 78. 117. *pecuniæ* mulcta puniebantur *delicta*, sola *Ducis cæde* capitali. 118. Leges *coloniarum* municipiorumq; 231. Leges *municipales* quid JCtis denotent. 280

Legis *Regiæ* formula, qua Imperatoribus *omnia* subditi *concedunt.* 228. 229

Legis *tabellariæ* usus. 277

Legio quot *equites peditésque* sit complexa. 222. Legio *Dejotariana.* 427. *Retiaria.* 434. *Martia* unde cognomen honestum habuerit. 221. deleta. 222. de hac Fragmentum historicum. 350. 817. 840. nulla Legio *stativa* habuit *in Rhætia.* 209

Legiones ob provincias *parum tutas* inductæ. 91. integræ in *colonias* deductæ. 237

Legionum catalogus. 430

Lemavio. 721

Lemelli præsidium. 768

Lemuno. 757

Lentienses pagi *Alemannorum.* 317. populus Alemannicus. 322

Leones duo, ex vana superstitione, *Danubio* certis ritibus cur immissi. 65

Leve fano. 735

Leugæ positæ, *milliarium loco*, in aliqua Inscriptione. 496

Librarii. 391. Librarii *in castris.* ibid.

Libri aris, agrorum *formas* complexi. 241

Licates campi, ubi Augusta colonia, & *Licatii* inter Vindelicos ferocissimi. 218

Liezheimii nomen unde. 415

Liger, fl. 752

Limites, per *rotundos* distincti *colliculos.* 244

Linguæ Germanicæ *difficultas* unde. 76

Linea de *mappis* agrorum usurpata. 241

de *Linteis* libris *Pontificum* judicium. 850. 851

Lintomagi. 749

Lipsii *elogium* dignum. 77. *consilium* profectionis *Italica* mutatum. 823. deliberatio de *Etrusca conditione.* 818. *honor* ei habitus à Serenissimis *Hispaniæ* Principibus. 818 819. laudes *à Roberto Titio* tributæ. 826. 827 ejusdem *Diva Hallensis* extollitur. 827 pariterque *Sichemensis.* ibid. hostes in Italia. 826. 828

Literarum *singularum*, & dictionum *concisè scriptarum* explicatio. 434

Literarum usus, in *historia* conservanda, valdè *necessarius.* 45

Liturgia Gregorii, Cyrilli & Ignatii *Ægyptiaca lingua* conscriptæ. 797. 798. 804. 806

Livius librum *centesimum trigesimum sextum* propè solidè impendit *Rhætico* bello. 199 Livio *præeunte* majorum primordia *majora* fecerunt alii. 218

Liutbertus, Cuniberti *minorennis* filius, regno *pulsus.* 130

Lomivio. 767

Londinio signata pecunia. 285

Luccomagi. 749

S. Lucillus Presbyter. 671

Lucius, *Britanniæ* Rex, num sine liberis decesserit. 304. *Augustanus*, *Britannicus* & *Cyrenensis.* ibid.

Lucius, qui *Rhætos Evangelium* docuit. 453

Lucretia *Boja*, id est, Chiomara. 41

Lucullanum castellum. 675

Ludovicus *Saltator*, Thuringiæ comes, *unde* sic *dictus.* 627

Lugduno. 731

Luitolfum, Ottonis Regis filium, inter & *Henricum*, Regis fratrem *discordia.* 539. 606

Luitprandus, Ariperti Regis filius, & successor. 132. bis Romam obsedit & S. Petri basilicam expugnavit. 152

Luitpurga, uxor *Thassilonis*, *Desiderii* Langob. Regis filia. 159. ferox fœmina, à Carolo M. repudiata & ad vindictam patris concitata. 166. maritum ad rebellandum impulit. 169. seqq.

Luncuria. 765

Lupanaria *unde dicta.* 483

Digitized by

Lupi *duo confunduntur* Episcopi. 111.
Lupodunum, ubi *moles contra Alemannos* fuit 321
Lustoria, Hispaniæ oppidum, à *Luxia* & *Urio* fluminibus ita dictum. 194
Lutheri Liber de servo arbitrio notatur. 859
Luti, *Liudi*, *Leuti* & *Leudi* Germanis populos significant. 60
Lutugi. 782
Luxus Romanorum circa *pavimenta*. 400
Lycus fl. aliter quoque appellatur *Lycius*, *Lycia*, *Licus*, *Lechus* & *Lecha*: Romani *Græcam significationem*, ob rapacitatem & ingluviem *luporum* secuti videntur. 194. 220
ejus descriptio. 491

M.

M*Acedonibus* auxilio venere *Galli*, hoc est, *Boji*. 44
Macriani imago. 388
Madauræ elogium. 232
Maeus. 720
Magicæ artes, *in expugnandis hostibus*, sæpe adhibitæ. 65. 67
Magistratus colonici *multiplices*. 270
Majæ, *ditionis Boicæ* castellum. 135. ad Langobardos recidit. 137. *Majensia prædia* ad Frisingenses relata. 138. illuc relatum *corpus Corbiniani*. 139
Majorani fortuna, in Occidente. 333
Malchus nomen Syriacum *Regem* notans, velut *Melchias*, *Melchon*, *Melchisedech*, *Melchior*. 275
Mamers, id est, *Mars*, unde Mamertinus. 249
Mamertinus, *Tribunus*, pòst *Episcopus*. 667
Mamertus, *Viennensis* in Gallia *Episcopus*. 667
Manes qui dicti. 415
Manicare verbum an *Latinis* auctoribus *usurpatum*. 798. 801
Manlius Bojos *imprudenter invasit*. 21. Tolisto-Bojos in monte Olympo *vicit*. 40. 41
de Gallis Asiaticis *triumphavit*. 44
Mansi, *orum*, id est, *villæ* & coloniæ rusticæ, *sylvæ* & *pascua*, cœnobiis donata. 112.
Mansiones interdum *à præsidiariis* militibus *denominatæ*. 740
Manus expandendi *mos in precibus*. 458
Marchionis *Antverpiensis* titulus quàm *antiquus*. 79
Marciana, in Divas relata, *non* fuit *socrus Hadriani*. 389
Marcianus, monachus cœnobii S. Severini. 669
Marcomani *Boicam* famam diu *præsferunt*. 61
vincunt *Domitianum*. 64. multi *in Italiam* translati 65. excursionibus *Italiam & Græciam* concusserunt. 66. à Romanis *cæsi*. 67
sub Romanis, tandem *meruére*. 90. sub illis Boji *latuére*. 73. eorum mentio ap. Scriptores. 782
Marcomanicum *nomen* funditus *extinctum*. 73
Mares *in utero* cognoscendi & occidendi *mos Rhætorum*. 88
Margunii *obitus & legatio* Bibliothecæ. 798
Maricus, è *Bojis* plebejus *fanaticam multitudinem* contra Romanos provocavit. 63. *feris* objectus. 64
Marinianium. 782
Marinus, S. Emmerammi Episcopus. 129. *martyrio* affectus. 130
Marius *Cimbros castigavit* victores. 46
Marmor Pisanum. 866
Maroboduus, Germaniæ Rex, in *aula Augusti* educatus. 58. à Tiberio frustrà petitus *Varum vicit*. 62. Tiberii blanditiis *Ravennæ* consenuit. 63
Martia Legio, vide Legio.
Martiis Calendis apud *Francos* conventus celebrabantur. 164
Martini templum & cultus, *apud Francos*. 312 313
Martyres religiosi, *ad Oeni pontes*, à Theodone cæsi. 79. 80. in *Norico*. 91. apud *Augustam* viginti quinque simul passi. 499. 501 omnia tormenta contemnebant. 490. frequenter *ignis supplicio* affecti. 490. 491. cremandi quandoque *clavis aut vinculis* affigebantur. 491. inter supplicia *Deo gratias* agebant. 492. 500
Martyrii *vis*. 486. 488. *dignitas*. 490
Martyris vox *cui competat*. 482
Martyrum *instrumenta* simul *sepulta*. 315. relictæ *opes*: quid de his *Leges* statuerint. 316. cultus: *Maximi* Taurinensis de illo *sententia*. 439. gesta olim fideliter literis consignata. 446. eaque desumpta *ex Actis* publicis. 481. *neces* cur ab Ecclesia dicantur *Passiones*. 482. aliquorum *corpora* manserunt à flammis *illæsa*. 492. 493. *non*, ut aliorum damnatorum, *concessa petentibus*. 493. à Christianis, vel *capitis periculo* surrepta. 494. insigne, *ramus Palmæ*. 495
Memoriæ. 496. constantia *pollicitationibus* tentata. 497. quas animosè contemnebant. 498. ingens *numerus*. 501. invocatio & *intercessio*. 502. ignotis *ex eventu nomina* excogitata. 501
Matalus sive *Magilus*, Bojorum regulus. 21
Maternus *à mortuis* excitatus. 779
Mathematicarum disciplinarum peritissimus Ptolemæus. 187
Matidiæ. 765
Matidiæ *duæ*. 389. 766
Matilone. 734. 777
Matriculariі Clerici. 526. 558
Maurberg, clivus Astgustanus unde sic dicatur. 207
Mauri *Libyci* quo sensu? 186
S. Mauricii reliquiæ S. Udalrico concessæ. 550
Maximiani Imp. mores. 449
Maximiliani *templum ac monasterium* à Ruperto conditum. 112.

Maximus, Jopiensis Episcopus, *ab Herulis suffensius.* 94.672
Maximus cum *Theodosio* pugnavit, & *Rhætiam* invasit. 324
Media provi. 783
Medica, regio Thraciæ; *Desuduba*, urbs illius celebris. 44
Medicorum Græcorum *pondera* à veteribus differentia. 243
Mediolani nomine *octo urbes* reperiuntur. 752
Mediolano Aurercorum. 751
Mediolano Sancon. 760
Mediomatrices, *regnum Austrasiæ.* 99
Medusæ imago. 373
Melpa, oppidum in Transpadana à Bojis & Senonibus *deletum.* 7. bellum *Melpinum.* 8
Memoriæ significatus. 496
Menchingen, castellum à S. Udalrico reædificatum & munitum. 540
Mendacii definitio. 472
Mensura morum, in milite, quid Cassiodoro? 83
Mercator, Samo, *imperavit* Carantanis, per annos *triginta sex.* 119
Mercurius *in foris* ferè *cultus.* 368. ejus *effigies.* 368. cognomen *Arcecius.* 431. item *Augustus.* 368. honor à *Germanis* ipsi habitus. 77. 368. *clava Herculis* eidem consecrata. 371. ad aliquam Mercurii Inscriptionem Notæ. 370
Meretricum eleemosyna. 487
Merovea stirps in *Gallia* regnare desinens. 149
Metatores qui? 710
Metelli monachi *carmen* operosissimum, de *quirinalibus*, *parodiis* & *similiter* cadentibus *syllabis* laborans. 92
Michael *Archangelus obequitans* Alachi perfido obversatur. 128
Migrationes gentium *rationem limitum* valde impediunt. 334
Milliare Romanum, *quot passuum* fuerit spatium. 496
Milliares lapides. 409. 410. 420. 496. 714
Milliarium *aureum*, Columna *in foro* Romano. 496
Miraculorum usus. 458
Misericordia divina antecedit omne humanum meritum. 487
Missas *quot* liceat *uno die* celebrare Sacerdoti. 526
Mithridatici belli fortuna. 47
Modiciæ regiam & templum S. Joh. Baptistæ condidit *Theodelinda*, ubi *Theodericus* olim *prætorium* struxerat. 106
Molani *error* notatur in *Quirinis.* 92
Monasteria *octo* per omnem *Boicam.* 152. *initia* multorum sæpe *incerta.* 168
Monetæ *procuratores*, in Notitia. 285. *signatæ* urbes additæ. 324
Moniales *in matrimonium*, contra decretum, ductæ. 162
Mons. 768
Mons aureus. 783
Montefeltre, Piceni Umbriæve oppidum. 675
Morbus Reip. *duplex*, vel *florentis* vel *languidæ.* 329
Mortuorum corpora *comburendi* mos quando *desierit.* 822
Munatii triumphus. 425
Municipia, apud *sequioris* seculi scriptores, pro minoris rei urbibus. 227. 669. suos habuére Dictatores atque Ædiles. 268. laxiore significatione *colonias*, *præfecturas* & *fœderatas civitates* complectebantur. 279. 280
Muricum. 758
Musca, in fenestra *cultro* petita, *pede præciso* avolavit. 128
Muscæ *S. Narcissi.* 476
Mutina, *à Bojis* diu *obsessa.* 21

N.

NAamani, Bojorum Ducis, *cadaver in Galliam* revectum. 167. *nomen* istius *humile*, quasi Nachmann. ibid.
Narcissi *plures.* 448. quis ille, *à quo S. Afra conversa* fuit. 447. 448. *quâ occasione* Augustam venerit. 312. *ejus martyrium.* 475. *memoria.* 476. tumulus miraculis illustratus. 476
Narisci, inter Hercyniam ac Danubium. 74
Narrationes aliorum nec temerè recipiendæ, nec repudiandæ. 470
Narses, *Theodibaldi* fœderatus. 95. Bojos profusa liberalitate ambivit. 96
Cor. Nasicæ *ingens victoria* de Bojis. 34
Natales urbium dies, velut *Bruduesii*, *Bononiæ*, *Placentiæ* & *Saticulæ*, nec non *Augustæ.* 258
P. de Natalibus *error* de civitate Augusta *in Creta.* 499
Nativitas Christi, sub quibus Consulibus. 62. 289
Naubonens. 768
Nemetaco. 749
Nepotum *ex fratre aut sorore* appellatio. 389
Neronum *fratrum* virtus *bellica.* 202. 204. 206
Nervicum littus. 741
Nerviorum latissimi fines. 749
Nescire aliquid, *virtus* est *Grammatici.* 192
Nicolai I. Pontificis *Epistola ad Tadonem* de S. Afræ & sociarum reliquiis. 498
Nigro pullo. 735. 777
Ninticaci. 748
Ninus, Grimoaldi *minister scelerum* fidissimus, lancea *transfoditur* alvum levans. 138
Noctis *tempora* propriis *discreta* nominibus. 458
Nomen *fatale Ariperti*, in Boico sanguine, apud Langobardos. 132. nec non *Theodonis.* 173
Nomina *bona in magnarum rerum initiis* deligere, Romanus mos erat. 380. *in lustrationibus* coloniarum. 253

Nomin« sibi olim frequenter *ab urbibus & populis* mutuabantur *homines*. 447. ignotis Martyribus *nomina ex eventu* imposita. 501. *tribus* nominibus *unus* appellatus. 160
Nomina *diversò* appellationis exitu *unam* personam aut rem denotantia, ut: *Agilolfus & Agilolfingus, Lotharienses & Lotharingi, Caroli & Carolingi*. 117. non item *Emmeramus & Amramus*, ceu Judæi fabulantur. 121
Nomina *Castris* imposita *à fluvio*. 90. Regionum, *duplicem significationem* recipientia. 185. Urbium a *bono omine* petita, velut Bononia, Placentia &c. 30. 90. *à duobus fluviis* imposita. 194. vel *aucta*, vel *mutata*, vel *ambitiosa* superaddita. 218. 299. *fabulosa* post Carolum, & *ridicula* eorundem *origines*. 223. *bina*, nempe *vulgare* & *religiosum*. 225
Nominis *Augusti privatio*, instar pœnæ. 255
Nominum *affinitate*, in explicanda veteri Chorographia, *non temere fidendum*. 736
Nominum *efficiorum lusus*, quo utebatur Albinus *in epistolis* suis. 157
Nonnarum *antiquum* vocabulum. 113
Norax, vel *Norix*, filius Herculis creditus. 49
Norbanus num *præses Rhætiæ* habendus sit. 295
Norea, urbs Tauriscorum, & *interitus* ejus. 48. aliàs *Nora*. 49
Norici fines & regio apud Romanos. 48. 40. *Vindeliciam* & omnem cis Danubium *Boicam* complectebatur. 84. 220. summa illius *fertilitas*. 86. 87. aperte *à Rhætia* disjungitur. 206. *mediterraneum* & *riparium*. 91. *antiquum* & *posterius*. 235. 669. 670. *ripense* quid contineat. 666
Norici *sub Regibus* vixére. 88
Norico. 783
Noricorum & *Bojorum* appellationes promiscuæ. 85
Normani vulgò à scriptoribus *Nort-leudi* & *Nort-liudi* vocantur. 60. sunt *Daci*, nec *Norici*. 172
Noropes postea *Norici*; hinc etiam *as Noropium* apud Homerum. 48
Nortgoja & *Norca*, pro Norico appellata. 81. 86
Notæ Romanorum explicantur. 434. seqq.
Notarii *regionarii* Romæ. 588
Notgeri *Versio* totius *Psalterii*. 858
Notingi Episcopi *Vita* à S. Udalrico scripta. 858
Notitia Imperii tantùm *dimidia* edita, cui nomen *Hadriani minus convenienter* ascripsêre. 296. ejus singula loca adducuntur, quæ res Rhæticas attingunt. 351. seqq.
Nova, Mœsiæ civitas. 675
Noviomagi. 736
Nudionnu. 753
Nummi: de *Germania* & *Sarmatia* victa. 64. *Augusti* de Triumviris coloniam deducentibus. 235. 236. *Provinciales* variis animalibus atq; arboribus conspicui. 248. 249. *Antonini* cum abiete Germaniæ. 249. *colonicus* cum aratri specie. 253. 256. *Augusti* cum cono, *Julii* cum Bellerophonte & Chimæra, *Antonii* Triumviri cum leone. 284. *Præsidum*. 285. *Damascenorum* sub Antonino Pio, *Adrianopolitarum* sub Caracalla. 286. Cl. Tib. Neronis *triumphalis*. 287. nec non *Aquilii Flori* cum flosculo. 288. item *Tiberii*. 291. æreus *Neronis*. 292. *Titi Vespasiani* & *Nervæ*. 295. *Hadriani* sine aquila. 299. æreus *L. Ælii*. ibid. *Avanticorum*, præterea *Faustinæ* argenteus & æreus *Antonini Pii*. 300. Didii *Juliani*. 304. argentei *Severi*. 306. Juliæ *Mæsæ*. 306. *Galli*. 307. *Probi*. 311. *Constantini* Augustæ eruti. 316. *Joviani*. 319. *Gratiani*. 323. argenteus *Fl. Victorii*. 324. similis *Athalarici*. 340
Nummus Alachi *è manibus* in terram *prolapsus*, ab Aldonis puerulo *sublatus*. 126
Nundinæ pro vico. 668
Nuntii, *divinitus missi* vox audita *in littore*, de Partharito in regnum suum revocando. 124
Nursini graviter mulctati à *Cæsare*. 426
Nux pinea, *vide* Pinus.

O.

OBlationarius. 588
Obsides *duodecim* ob jusjurandum dati. 169 nec non *tredecim*. 171
Occo *laudatus*. 428
Odoacer, *primus Italiæ* Rex. 335. quamdiu eam tenuerit. 673. *bis victus* à Theodorico. 336. maximâ *clade* affecit *Rugos*. 674. varia nominis scriptio. 668
Oenus fl. 667. *pontes* ejus *præsidio* muniti à *Tiberio*. 79. 90
Oetinga, antiquitùs *Huodinga* vocabatur. 81, 90. nec non *Utinum*. 97. ibi B. Virginis Mariæ ædes. 114
Olympum montem cepit *Tolisto-Bojorum* civitas. 40
Omina, quæ *captam* præcessêre *Alexandriam*. 200. 201
Oppiani Cynegeticorum *Paraphrasis*. 854
Oppida & Castella *distinguit* Eugippius. 669
C. Oppius, *Viarum* curator. 714
Optiones qui olim. 374
Oratio *intensa* dæmones *expugnat*. 468
Orator ut differat ab *Historico*. 319
Oratoriè res interdum *verbo augetur* ab Historicis. 309
Orientis *triplex* significatio. 666
Origines urbium *ab Adamo* accitæ, admodum *fabulosæ* 218. 219. urbium Italicarum *ridiculæ*. 223
Ornospades, Parthus, in bello *Dalmatico* & *Pannonico* Romanos juvit. 56
Orosius à fide *Polybii* multis modis abscedens. 15. grandis istius *error* de *Pisone* Vindelicos vincente. 284

Ortelii *laus*. 728.729
Ortiagon, regulus Toliſto-Bojorum, de *principatu Galatarum* in ſe unum transferendo ſolicitus. 40. evaſit è monte Olympo, *uxore* Chiomarâ *capta*. 41. filius ejus Pædopolites. 42
Oſculum *ori*, nec *manui* Theodelindæ ab Agilulfo admovendum. 102
Oſiſinu, Oſini. 740
Otfridus monachus, *linguæ Germanicæ* magiſter, quando vixerit? 76
Otto II. *vivente* adhuc *patre* appellatus *Imperator*. 556
Ottonem Regem inter & filium Luitolfum *diſcordia*. 540.606. compoſita & *pax reddita*. 543.607
Ovilia, ſive Ovilabis colonia *Antonini* hodie Lambachum. 90.782

P.

P. *Duplex*, *inſolenti* characterе expreſſum. 366
Padopolites, filius Ortiagontis. 42
Palatini Comites in *Caroli M.* majoribus. 72
Palatinatus orta *dignitas* in Bojis. 86
Pallas inter *Herodis uxores* fuit. 838
Pallii *Epiſcopalis* ſignificatio *myſtica*. 94
Palmæ ramus *inſigne Martyrum*. 423
Palus, ad quem *exercebantur* milites, gladiatores, loturi. 401
Panes Pſammetichi in *Boicis* inſigniis, *fabuloſi*. 9
Panvinii *fides* circa *inſcriptiones*. 433
Parentum nomine *cognati & affines* olim veniebant. 116
Partharitus & Gundebertus, *fratres diſcordes*. 121. 122. *illius fortuna* apud Grimoaldum. 123. *divina voce* in regnum *revocatus*, è navi. 124
Paſchaſius *neutiquam Severini vitam* ſcripſit. 666
Paſſionis nomine quid veniat. 482
Patabus fl. 777
Patavenſium Epiſcoporum catalogo *exulat Valentinus*. 674
Patavia, inſula. vide, *Batavia*.
Patavis, Patavia, oppidum *unde dictum*. 670. bis *captum*. 673
Patroni coloniarum & ſociarum civitatum. 283
Pavimentum *teſſellatum*, egregii operis, repertum. 263. uberior illius deſcriptio. 397. ſeqq. 841
Pauli hiſtoria *Langobardica* valde *æſtimatur*. 298
Paulinus amanuenſis *Ambroſii*. 69
Paulinus *temerè* ſtatuitur *primus* Ratisponenſium Epiſcopus. 671.672
Pax diuturna, corrumpens juventutem. 12
Peccata *ſordium & luti nominibus* denotantur. 455. eorundem confeſſio. 454
Pecuniis etiam *corrumpebant* olim *Romani*. 64
Pedibus *accidendi* mos. 454.459
Pedum & *paſſuum* ratio vetus. 240. *tres* pedum ſpecies, *Monetalis*, *Ptolemaicus* & *Druſianus*. 242. Romanorum *varii*. 243
Perleich, mons Auguſtæ, ex *oſſibus* nempe compactus. 221. à *pernicie legionis*, ridiculè. 223
Pernaco. 748
Perſecutionum diſtinctio *varia*. 448. numerus *denarius* ab aliquibus conſtitutus. 448.449 *Diocletiana*. 448. ſeqq. an *liceat fugere* tempore perſecutionis. 451. *duplici modo* Judices gentiles in perſecutionibus Chriſtianorum *injurii*. 481
Perſeus Gallis, in Macedoniam venientibus, obviam profectus. 44. malignæ *tenacitatis* vitio laboravit. 45
Pertinax *vindex Rhætiarum* quo ſenſu. 301
Pervigilia veterum. 456
Petri epiſtola ad *diſperſionis* advenas. 63. quo *imperante* is *Romam* venerit. 291
Petrus ex *Luitberti* propinquitate, Epiſcopus tandem *Ticinenſis*. 131
Petruviaco. 753
Peutingerus, *patriæ* ſuæ & totius *Germaniæ illuſtrator*. 769.770. Tabula *Peutingeriana*. vide *Itineraria* tabula.
Pharnaces Mithridatis filius, *paternas* ditiones *reducens*, Romanis moleſtias dedit. 54. ad *Zelam* victus eſt. 55
Philippus Epiſcopus, *quando & ubi* martyrio affectus. 301. fama de eo obſcurior. 453
Philippus Imp. *Chriſtianus* cum *filio*. 307
Philo, Eccleſiæ *Laureacenſis* Archiepiſcopus. 114
Philoromaus ab amore Romanorum *Caſtor*, Dejotari gener, ſic dictus. 55
Phraatis filiorum, qui Auguſto obſides dati, nomina. 426
Pila *vitrea*. 404
Pileati, apud Gothos, *ſacerdotes*. 338
Pilidrudis, fratrum duorum, Theodibaldi & Grimoaldi *uxor*. 135. divortium ejus. 136. captiva *in Galliam* abducta. 138
Pinelli obitus. 817
Pinus varia apud veteres deſignans. 211. pinea nux in *nummo*. 286. locum percuſſi nummi denotat. 288. Symbolum *colonia*, item *mortis*. 376
Pipinus cum *Ilsilone* in gratiam reverſus, & *Rex Galliarum*, *Pontificis auctoritate*, appellatus. 149
Placentiæ invaſores Boji. 26
Plauti elogium & *artificium* ſingulare, res & *perſonas ejus temporis* aſpergendi. 35
Plectrudis, Grimoaldi vel potius Hugiberti filia, Pipino Heriſtallo nupta, *fœmina ſapientiſſima*. 116. Duciſſa *Auſtraſiorum*. 117
Plethra Græcorum Latini *jugera* interpretantur. 825.826
Pliniani Codices, adhuc *mendis ſcatent*, præſertim *in numerorum notis*. 868.869

Plinius *notatur*, *de Pyramidibus* scribens. 825. 859. 860. 869
Poculum *sacrum* ex *capite* Postumii. 24. vini poculum, *ex puellæ manu*, capiendi mos. 100. tale *Theodelinda* propinavit *Agilulfo*. 102
Polybii *Codex in Boica* Bibliotheca. 811.
Polybius *explicatur*, in *numeris*. 14. 15.
Polycarpus, *in rogo* constitutus, *Deo gratias* egit. 492
Pomœrii *mensuræ certæ* spatium, ante urbem. 240
Pompeji M. *natalis*. 199
Pondera & mensuræ *quando mutentur*. 243
Pontes caldis. 747
Pontifices *colonici*. 265
de Pontificum *linteis libris* judicium. 850. 851
Pontius Pilatus, Judææ *unus* Procurator, *sine Præside*. 208
Populorum *monstra* leguntur apud *Jornandem*. 61
Porphyrii Panegyricus *operosissimo carmine* scriptus. 846
Portunamnetu. 757
Postumius *in sylva Litana*, cæsus & occisus. 24.
Prædatores Augustæ *divinitus puniti*. 542. 607
Præfecturæ *quinq*, legionis Italicæ. 203. 204
Prælium duplex, *Drusi & Tiberii*, cum Rhætis. 205
Præpositus *thesaurorum* in urbe *præcipua*. 212
Præsentalis magister *quis* & *cur* ita dictus. 303
Prælidium. 768
Præsidum provincialium *potestas* quæ? 91. 208. illorum appellationes cur *sæpius mutatæ* sub Impp. ibid. *Sedes* in *præcipua* coloniarum. 281. *nomina* in nummis *coloniarum*. 285. officium. 483
Prætores, posterioribus temporibus, *Rectores provinciarum* nominati. 208
Prætorium Agrippinæ. 732
Preces *concludendi* formula. 492
Presbyteri & Episcopi in veteri historia *promiscuè* usurpantur. 93. 94
Principis nomen libentius quàm *Ducis* usurpavit Thassilo. 165
Privilegium de *munere coloniæ* non præstando. 241
Procopii *Codex Boicus*, Vulcaniano præstantior. 797
Procurator non *Præses*, sed ex *Rationalium* classe fuit. 297. *in provinciis* interdum *sine Præside*. 208
Professores olim dicti Christiani, qui *seipsos denunciabant*. 483
Prolegatus distinguitur à *Procuratore*. 297. 301
Promont. 765
Propratores & *Proconsules* in provincias missi. 208
Provinciæ *suspectæ*, data opera *bifariam* à Romanis *sectæ*. 89. 90. 91. 298. *continentes* quænam dictæ. 206. pro re nata aliàs *Consulares*, aliàs *Prætoriæ*. 208
Provinciarum Rom. Libellus: ejus *inscriptio & initium*. 354
Prudentius poëta *haud paulò melior* Metello. 92
Psalmodiæ *regulares* commendantur. 156.
Psiathii vox *quid denotet*. 527.
Ptolemæus rerum Mathematicarum peritissimus. 187. excellens illius ingenium. 188. *errores* in descriptione *milliarium*. 189. magna illius imperitia ab *Ortelio* & *Mercatore* notata. 213. *Dictum* de Ptolemaicis regionibus *commodum*. ibid. *error* istius in situ Augustæ. 217. *error* de Bojoduro. 671.
Publicanorum nomen exolum. 486
Purpurariam factitans, *Cleuphas*, Augustæ. 294.
Pyr à *Pyramo*, termini *rotundi & acuti* appellatio. 250
de Pyramidibus *locus Plinii* notatur. 825. 859. 860. 869
Pyrminius, *Meldensis* seu *Metensis* Episcopus, (cujus consilia secutus est Utilo) *tempore Martelli* in Germaniam venit. 151.

Q.

QUadi *in Germania* ponuntur à Scriptoribus. 782. Constantius & Julianus cum istis congressi. 68
Quæstor in libera Rep. qui *Procurator* aut *Rationalis*, sub Impp. 208. Quæstores in *coloniis* & *municipiis*. 274
Quaterni ex singulis ordinibus *lecti* ad imperium. 282
Quatuorviri in coloniis & municipiis. 271. 272. 273. 277
Quinctii *crimen barbarum*, in transfuga Bojo turpiter commissum. 34
Quinquennales cum *Duumviris* confusi. 272.
Quintana castra Romanorum. 90
Quintanis, *secundarum Rhætiarum* municipium. 669
Quirini *duo*, martyres, *Siscianus* & *Laureacensis*. 91. 92
S. Quirini corpus *Tegerensi ecclesiæ* conceditur à Pontifice. 153

R.

RAderi *Martialis*. 799
Ramberti visiones. 522. 523. 602. 603
Raraum. 760
Ratharius, Episcopus *Reginoburgi adventitius*, ante Emmerammi tempora. 139
Ratispona, *Norici* Ducatus *metropolis*. 970
Ratisponensium Episcoporum *catalogo* Paulinus *eximitur*, at duo *genuini inseruntur*. 971
Ratumagus. 750
Ravipis, Ratupis. 720
Rauracorum genti *Reges octo* præfuêre. 318.
Reges Bojorum duo *à suis* occisi. 12.
Regiæ *duæ* Langobardorum, *Mediolani* & *Ticini*, ex fratrum discordia. 121. Grimoaldus *utraque potitus*. 122.

Reginbertus, Taurinorum dux, *regnum invasit* Langobardicum *pulso Liutberto.* 130

Reginbertus *alter*, in Franciam fugiens. *Aurelianensem præfecturam* gessit, ex *Garibaldi* stirpe *ultimus.* 132

Reginea, Reginca. 756

Reginoburgum, novo uxoris Tiberii nomine appellata *Augusta Tiberii.* 79. 90. *Regina castra* à flumine *Regen* dicta. 90. ædes ibi B. Mariæ Virginis. 114. *ex quatuor* sacris sedibus, per Boicam, *ultima.* 142. illuc *aufugiens Erhardus* in monasterio inferiore sepultus. 150. Episcoporum eorundem Incertitudo. ibid. Simpertum amisit. 170 *Reginaspurch* Leo III. Pontifex habuit *pro urbe*, quæ olim *Col. Tiberia Augusta* dicta. 211

Reginodrudis, uxor *Christiana* Theodonis, *Bojorum* Principis. 110

Reginonis locus *perperam distinctus.* 315. *error* ejusdem circa *tempus passionis* S. Afræ. 482

Regiones quænam dicantur. 233

Regis & Regni nomen à Thassilone, *Francorum Principe*, usurpatum, *contra Carolum.* 165. 171

Relicta & *Extracluſa* pertinebant ad *subsectiva.* 239

Religionis opinio, ad *continendos* animos. 57

Religiosorum *parsimonia* & moderatio *prisci ævi* laudatur. 112

Reliquiæ sacræ *à majoribus* diligentissimè *asservata.* 440. 493. 494. studium earum in S. Udalrico. 549. 550

Rerui. 749

Rescripta de *exemtionibus* munerum in *Rhætia.* 328. 326

Rhæti, à *Tuscis* conditi. 88. 191. à Vindelicis quo situ differant. 184. Rhæti *Vindelici* quinam *Horatio*? 186. quo singulari elogio fuerint ab eodem ornati. 203. *Rhæti Vindelicique* arte Romanorum *divisi.* 202 Rhæti *duplices*, vile *commentum*, *ex Suetonii verbis* haud intellectis. 206. *Rhæti* & *Norici*, pro exemplo, *durius* à Romanis *habiti.* 207. *Rhæti* pro *Getis* accepti *prava lectione.* 327. in Gallia cæsi à Munatio. 425. 426. *quinam Romanorum* eos armis aggressi? 198

Rhætia cum *Creta* ab aliquibus confunditur, 447. ridiculè à *Rheno* vel à *retibus.* 191 accidit ei, *duplicem significationem* recipere. 185. *prima* & *secunda.* 91. 188. 669 Italiæ *accensa.* 291. 292. cur *Augusto* celserit, 207. ejus termini. 447. *insuperabilia*, apud Ausonium. 322. *fertilitas* invitavit hostes. 323. invasére eam primò *Alemanni.* 317. postea *Juthungi.* 318. rursus *Alemanni.* 320. *Stilico.* 326. *Alaricus.* 327 *Rhætiæ* nomine Rhetos Vindelicosq; *Dio* complectitur. 203. 205. qui *inunũ* coivére. 206

Rhætia ac *Norici* provinciæ *duæ*, & Præsides earundem. 89. Catalogus horum vanissimus. 289

Rhætiæ in *plurali*, tempore *Hadriani.* 220. 296. 297. 667

Rhætica annona. 671

Rhaticum bellum *Romanis* formidabile, & ab *Horatio* maximè celebratum. 89

Rhæticum cur aliàs *Gallico* nomine appellatum. 198

Rhætorum *bella in vicinos* ferè ignorantur. 197

Rhætus, dux, unde nomen Rhætiæ. 191

Rhenani *error* topographicus. 736

Rhenus, Romani *Imperii limes*, inter Gallos & Germanos. 723. à Rhætiis usque ad Oceanum, *molibus* magnis *communitus.* 320. 714 ejus *alveus olim*, ex utraque ripa, *liberrimus.* 4. ostia. 723. 724. *siti* inter hæc *populi.* 925

Rhetoris nomen absurdè ad *Rhætiam* tractum. 289

Rhodanus à *Rhodo*, Rhodus à *rosa*, inepte. 191

Ricardus res gestas *Maximiliani* descripsit versibus. 193

Ricimeris *uxor*, *Marciani* Imp. nec Valentiniani *filia.*

Ridumo, Riduno. 721

Riger fl. 752

Riparioli, id est, *Briones*, sive milites Romanorum auxiliatores. 332

Ritumagus. 751

Rivi, magno civium commodo, *in urbes* derivati. 264. 265

Robur Cuniberti, *oves* villo apprehensas, extenso *brachio* terra *sustollens.* 127

Rodelinda, *fugitivi* Partharitii uxor, *ab exilio in regnum* revocata. 122. 125

Rodium. 749

Roibis, Rorilus. 720

Romæ *capiendæ* & interfuére & præfuére *Boji.* 8. ob quas causas eam reliquerint. 9. *obsessa* Roma à *Luitprando.* 152. qui non poterant *Romæ*, in *splendidoribus urbibus* imperium auspicabantur. 308

Romam, ad Apostolorum limina *religiosam peregrinationem* instituerunt *Angli* & *Boji.* 133

Romanorum cupiditas, in populis excindendis. 13. *incredibilis exercitus* contra Bojos. 15. omnes populi adversus Romanos *bello inferiores.* 35. eorum gloria *virtuti sociorum* debetur. 62. 96. Romani imperii *sub Valente & Gratiano* ruina. 69. ejus majestas *per Attilam* valde *labefactata.* 74

Rosæ cur *lapidibus* insculptæ. 388

Rota *fluvius monasterio* nomen dedit. 130

Rotharis, alter *Gundebergæ* maritus & Rex Langobardorum. 116

Rudolphus Habſpurgicus, quando *Albertum* filium *Auſtriæ principatu* donaverit. 907
Rugiorum ſcriptio rectior, quàm *Rugorum*. 668
Rugiorum *regium ſtemma*. 674. clades. ibid.
Rumores de re *explorandi* prudentia Ariperti. 132
S. Rupertus, *Vangionum Epiſcopus* celeberrimus, *virgis cæſus*. 99. celebris ejus ſanctimonia. 110. *Boica Apoſtolus* feſto Paſchatis expiravit. 114
Ruſibricari. 765
Ruſuccuru, Colon. 767
Rutupiæ. 720

S.

SAbionenſium Epiſcoporum catalogus. 160
Sacerdos *Latinam* linguam *ignorans*. 147
Sacerdotes *coronari* conſueverunt. 461. in coloniis *Reverendi*; horum *aurea corona*, trabeæ, prætextæ. 266
Sacrificia *improprie* dicta. 485
Sacrificium novæ legis. 485
Salinarum inventio *incerta*. 112
Sagula *virgata* Gallorum (ad Caroli ætatem usq;) *verſicoloria* erant, ſive *teſſellata*. 8
Salinas. 768
Saliorum dignitas. 852
Salisburgum, olim *Juvavia*, Hadriani Imp. opus. 90. *incrementum* cepit opera *Ruperti* Epiſcopi. 112. poſt hunc Salisburgenſes Epiſcopi. 142. 143. *Majoranus* presbyter ejus. 155. *Johannes*, *Virgilius*, alii. 158
Salonia Pipara, Marcomanorum Regis Attali filia, uxor Gallieni adamata. 66
Salve Epiſcope. ſalve affinis! vox Lantberti ad Emmerammum. 120
Samarobrina. 750
Samo imperavit Carantanis. 155
Samulocenis. 781
Sancti nomen *latius* olim *patuit*, quàm hodie. 447
Sanctorum *contemptus* notatur. 838
Sarcaſſione. 764
Sarmategte. 783
Sarmatica in *Germaniam* irruptiones. 74
Sarmentitii unde dicti *Chriſtiani*? 492
Sarrum. 761
Satanæ nomen unde? 466. 467
Saxonia ſubacta *Franci* in res *Boicas* incubuerunt. 170
Saxum *quinquepedale* ad D. Udalrici. 245
S. C. hujus notæ *numiſmata non omnia* Romæ percuſſa. 287
Scaligeræ gentis *monumenta*. 810
Scaligeri *in Opere Euſebiano* quid nonnemo deſiderârit *circa annorum* vitæ Chriſti *ordinationem*. 806. 807
Scamari, latrones. 668
Scheirenſis familia *inter Bojos* floruit. 72
Schiri ſive *Scirri*, in minori *Scythia* & inferiori *Mœſia* conſederunt. 71
Schobingeri obitus. 857
Scribonia gens. 418
Sculptorum *lenocinia*. 247
Scuta *Gallorum* ex cortice, Romanorum ex tabulis. 18
Secula ſeculorum, precum clauſula. 492
Secures, inſigne mimici Regis, apud *Petronium*. 275
Securicula Autharis *arbori* cur *inflicta*. 100
Sedes ſacræ *per Boicam* quatuor: *Laureacum*, *Salisburgum*, *Friſinga*, *Reginoburgum*. 142
Segora. 757
Sena Gallica, colonia nova Romanorum. 11
Senviana. 765
Sepeliendi certi ritus apud antiquiſſimos Chriſtianos. 494
Septentrionis hiſtoria *inexplorata*. 4
Sepulchra: erant *extra urbes*. 502. olim Chriſtianis pro *latibulo*. 497. à colonorum cupiditate *dujecta*. 231. iis *pedes* inciſi. 242 243. nomen *memoriæ* inditum. 496
Sequana diſtinguit *Belgicam* à reliqua Gallia. 738. 739
Serione. 761
Sermamcomago. 761
Serpentes: *miræ magnitudinis*. 470. 471. halitu exanimantes. 471. *pro Diis culti* à gentilibus. 472
Servi *fides ſingularis* erga Partharitum aufugientem *dominum* ſuum. 124
Servi *ſeverius puniti*, apud Romanos, quàm liberi. 500
Servilius, Triumvir agrarius, *à Boicis captus*, & per *decem annos* inter hoſtes *vivere* creditus. 24. ex Bojorum ſervitute *liberatus* 25
Setucis. 749
S. Severini villa. 667
Severinus, *Noricorum* Apoſtolus. 93. 633. ejus Vita *ab Eugippio* deſcripta. 632. ſeqq. mors quem in annum incidat. 675
Severus, primus Imperatorum, *quomodo Chriſtianus*. 306. variè deſcribitur in Lapidibus. 389. ejus *favor* & *magnificentia* ædificiorum in Rhætia. 305
Sextilis menſis, ob geminam Romanorum victoriam, *Auguſtus* eſt appellatus. 89. 201
Sidonii *ſcabrities & obſcuritas* incredibilis. 331
Sigebertus *notatur*. 519
Sigonii *verum* elogium. 39
Sigoveſus, frater Belloveſi *ex regia ſtirpe*. 5
Signa *ſex Romanis* ademére *Boji*, 21. Bojis *Romani ſeptuaginta*. 27. rurſus *ducenta duodecim*. 33. ſigna, ſigniferis ademta in *hoſtes jaciendi mos*. 31. 33
Signis *militaribus* deducti *coloni*. 238
Silii poëta *fides hiſtorica* laudatur. 8
Silva Marciana. 780. erat Alemannorum. 318
Silvanus in foro *lacticiniorum ridiculè* conſtitutus. 261

Silvanus martyr post mortem *in vitam revocatus.* 94
Simomagi, Sinomagi. 717
Simpertus, *tempore Caroli M.* Episcopus Augustanus. 234.235
Sinatus & *Sinorix*, gentis Tolisto-Boicæ principes. 42. hic illum *necans* ad aram Dianæ *veneno* tollitur. 43
Sinensium insignia, tormenta bellica, & chalcographia unde? 250
Sipia. 750
Siscia, (*Sabaria*,) ad diœcesin *Laureacensem* spectabant; hinc Quirinus *Sisciæ* Episcopus. 92. ad hanc ipsam *Pannoniæ* urbem *cum Theodosio Maximus*, nec non *Rudolphus Imp. cum Turca* pugnarunt. 324
Slavos *vicit* Thassilo. 105. ab his rursus *vincuntur Boji.* 106
Socrui *honores* præcipuos *Hadrianus* detulit. 389
Soluta loca, quænam in coloniis vocata. 234
Sonichildes, unà cum Pilidrude, *in Galliam abducta.* 138. aut *Suanahildes*, quæ *Utilonis* dicitur *neptis.* 144. artes istius. 145
Sorviodurum. 782
Spartacii belli fortuna. 48
Spartiani *locus expensus.* 389
Species, id est, *fruges*, frumentum, vinum, oleum. 204
Spectabilis viri dignitas quæ? 303
Spolia quænam dicta à JCtis. 491
Sponsæ *visendæ desiderium* & consilium. 100
Sponsalia Regum *levia*, & *incerta.* 100
Spiculatorum sive *Speculatorum* munus. 498
Statii *adulatio perridicula* erga Domitianum. 64
Stella nova, *in pectore cygni*, observata. 802. 803. 804
Stiliconis iter per *Rhætiam.* 326.327.328
Stiri sive *Stieri*, hoc est, *Tauriſci.* 44
Strabo præcurrens *Ptolemæum.* 188. *auctoritas* ejus amplissima. 213
Straßburg unde dicatur? 779
Stratæ, scilicet viæ, *quanam* dictæ. 306
Stratonicæ *sterilis benevolentia* erga maritum Dejotarum, *ancillam* ipsi *concedentis.* 53
Strobilorum usus in *lapideis* terminis. 247. *in symbolo* Augustano. 249. *in clypeo* rubri & candidi coloris. 251
Submersio in flumen, inter supplicia ac mortes martyrum, velut *Quirini.* 92. & *Floriani.* 93
Subruncivus limes, in agrorum dimensione. 229. ob quam causam. 230
Subsecivorum agrorum *duo genera.* 239
Sudergoja opponebatur *Nortgoja.* 86
Suevi & Alemanni *distincti* 779. qui aliàs passim *confunduntur.* 73. 334. 341. Suevi & Boji *confines.* 342. Suevi *Rhætiæ* proximi, ad *Martianam.* 290. potens & *latè fusa* natio. 85
Suevia sive *Suavia* quomodo à *Rhætia* fuerit distincta. 337. 338. olim *longè extensa.* 778. quinimò *incredibilis* illius *amplitudo.* 340
Suevorum *delineatio* juxta *Jornandem.* 73
Sulim. 756
Sulpitius, *Victor* Gallorum Bojorumque. 11
Suovetaurilia *majora.* 254
Supplicia ultima *extra urbes* irrogata. 491. à Romanis militibus. 498. *certis* illorum *generibus* aliqui *exemti.* 500. adeoque *diversitas* eorundem observata *in distinctis personis.* 500.501
Sylla *laudatus.* 306
Sylva Martiana, vide Silva.
Sylvarum insidiæ militares *Manlio* structæ. 21 & *Cornelio.* 32. & *Postumio*, in Sylva Litana, arboribus ex parte incisis. 24. *Juventus Boja* in devias sylvas recedens. 30. in Litana *Valerius Bojos* vicit. ibid. sylvæ populationes impediunt. 32
Sylvinus *perperam à Lazio* Episcopus statuitur 669
Symbola provinciarum & urbium. 248
Symmachi *litera ad Theodorum*, Laureacensem Episcopum. 94
Syncelli Chronicon *usq; ad Diocletiani tempora*, partus legitimus. 798. ejus principium & finis. 799. 800. codex ejus *in Cæsarea Viennensi* Bibliotheca. 802
Synesii memoranda *prædictio*, in Oratione de regno ad Arcadium. 204
Synodi Constantinopolitanæ *capita tria*, & graves de his controversiæ. 103. 104. *Chalcedonensis* approbatio. 104
Synodus *quinta* cur à Gregorio *non commemorata?* 105
Syriæ Reges gentibus *Galaticis* stipendium dedere. 40

T.

TAbellarium Cæsaris, *agrorum formas* continens. 241
Tabernæ, *ob cladem* Romanis illatam à Bojis *clausæ*, & Ædilium jussu *apertæ.* 24
Tablis. 737
Tabulæ ex Capitolio. 364
Tabularum *in Capitolio*, *ærearum* aliquot *millia.* 242
Tacitus & Dio *omnium diligentissimi.* 207. ille à supino errore *defenditur.* 290
Talboti Annotationes *ad Antoninitinerarium* Britannicæ Insulæ. 784
Tamastani municipium. 768
Tamaununa municipium & castellum. 768
Tarcundarius, gener Dejotari. 54
Taso, *Etruriæ Dux*, res novas molitus contra Reginam *Gundebergam.* 115
Taurini Ducis *perfidia* ab infimæ sortis homine *punitur.* 122
Tauriſci, ad istrum, sunt *Stiri* sive *Stieri*, hoc est, *Tauri.* 44

Tecto-

Tectosages *extra* sylvam *Hercyniam* degentes. 5
Tegerense monasterium, *instar regiæ*, in omni Boica splendidissimum. 152
Tegerenses Comites *Reges propinquitate* attigerunt. 152
Templa *gentilium* Augustæ *varia*. 261. veterum *Christianorum magnifica*. 316
Terga *obversa* præcipuus aciei *bifrontis* usus. 17
Termini *Augustæi* per rotundos *lapides*, *cavea* & *fossas*. 230. 246. vel *colliculos*. 244. ab oriente *os solis*, ab occidente *lunam cornutam* ostendentes. 247
Terminorum *superstitiosa* religio à *Christianis* sublata. 248
Territorium idem quod *Regio*: etymologia illius varia. 233. *divisio* illius *per sortem*. 238
Tertulliani *elogium in antiquitate* perdiscenda. 267.490
Tervanna. 745.747
Tesserarii milites quinam. 432
Testimonia historica *Romanorum* & *Græcorum* cujus fidei *in rebus Boicis*? 36
Testimonium *unius nullum*. 339
Tetrarcharum controversiæ *in Gallogracia* adversus Dejotarum. 55
Tetrarchia Francica, inter fratres quatuor. 99
Teucera. 750
Teuto Germanorum Deus, aliàs quoq; *Theutates* & *Theutanes*. 77
Textorum Augustanorum *virtus* bellica. 544
Thassilo *regnum Boicum* à Childeberto obtinet. 101. *Slavos* vincit. 105. fato concessit. 108
Thassilo II. Utilonis & Hiltrudis filius. 145 *uxor* ejus Luitpurga & *filii duo*, Guntherus ac Theodo. 149. in *tutelam Francorum* se asseruit, & hanc rursus deseruit. 154. ab Hadriano Pontifice diro anathemate perculsus. 170. in concilio *Ingelheimensi* testimoniis *perjurus* premitur. 172. *inscriptio* sepulchri ejus. 171
Thassilonis nomen idem, quod *Thessaloni*; plerique Bojorum principes hoc usi sunt. 38
Theatra *ludicrorum diversoria* eleganter dicta, cur non in omnibus oppidis. 263
Theodelinda, & *Childeberto* & *Authari* desponsa. 100. Langobardorum Regina nubit *Agilulfo*. 102. officii à Gregorio admonita. 104. *Romanos inter & Langobardos* pacem conciliavit. 105. 107. filia ipsius *Gundeberga*. 115
Theodemirus, ex *Amala* gente, *pater* Theodorici Veronensis. 331.332
Theodibertus, Theodonis filius, *in Boica* successor. 113
Theodibertus II. *Bojis* præfuit. 131
Theodo, *primus ex Bojis*, Danubium trajecit. 77 78. cognomen ejus *Vacarus*. 96. duos reliquit filios, cognominem scil. & Utilonem 79.84. mors illius. 79
Theodo II. ex virtute *Magnus* dictus. 79. *mors* illius, & regni *divisio* in tres filios. 80
Theodo III. princeps Bojorum, *Evangelio ostium* aperuit. 110. ejus *fratres crediti*, Uto & Theodibaldus. 112. annus mortis incertus. 113. *Suprema mandata*, quæ filio Theodiberto dedit. ibid.
Theodo IV. ad quem *Emmerammus* Episcopus venit, postea à filio illius Lantberto *crudelissimè necatus*. 119. 120. Georgii martyris *ædiculam* adjecto monasterio *ampliat*, S. Petri & Emmerammi nomine indito. 129
Theodo V. pius, & *trium filiorum* pater, Romam profectus. 133. provinciam *in quatuor partes* distribuit, tres filiis procurandas cedens. ibid.
Theodones *quinque*, ab aliis *sex* numerantur. 132. in ultimo Theodone, *stirps vetustissima* & nobilissima *extincta*. 173
Theodoricus, *Gothorum* Rex, diversissimus à Theodorico *Scytha*. 331. num *sub Attila* militarit? 332. obitus illius. 73. 340. cognomen *Veronensis*. 82. 331. multæ virtutes. 82. 340
Theodorus, *Laureacensis* Episcopus, ad quem *litera Symmachi*. 94. incidit in *Theodonum* tempora. 95
Theodovalda, sive *Theodibaldus*, Italiæ Rex. 95
Theodonis filius. 133
Thermarum veterum *indicia*. 397. seqq.
Thesaurorum *fossores*, stolidi ac *superstitiosi*. 244
Thessalonica à *Marcomannis* obsessa. 66
Thessalonus, dux Bojorum. 38
Threciſci, apud Jornandem, pro *Threcibus*. 61
Thuringia, quæ olim *Francia*. 334
Thuringi & *Turcilingi*, an unus populus? 673
Tiberias in Judæa, *Tiberia* in Thracia. 211
Tiberii *navalis pugna* cum Vindelicis. 203; *nummi*, cum qua inscriptione. 291
Tiberina seu *Tiburia*, sic dicta à *Tiberio*, velut Augusta ab Augusto. 227
Tiburnia an, mutato nomine, supersit? 670
Ticinum perfidè occupavit *Alachis*. 126. obsedit *Pipinus*. 153
Tigisi. 767
Tigurina aut *Tiburnia* (an *Teurnia*?) Norici mediterranei caput. 91
Rob. Titii *scripta*. 869
Titiones *centum & viginti*, Gothos exosi, *Romam* sponte *reliquerunt*. 341. familiæ illi *privilegium* ab Imperatore *Justiniano* concessum. 355
Tolisto, sive *Tolistus*; hinc populus *Tolistobogiorum*. 38. & *Tolistobojorum*. 19. 791. 792. de Tolistobojis *conjectura Casaubono* probata. 813. eorum virtus ac *fides* erga Romanos *singularis*. 47
Tollist, ferocissimus; *Tolliste*, ferocissimi. 39. 792
Tolosa. 764

Tortura *non* potuit *propœna* adhiberi. 490
Transferibere, verbum solenne in *coloniis*. 237
Tribuni *septem cohortium* Legionis Italicæ, quæ in Rhætiis stativa habuit. 303
Tribunitia potestas *quando* sit *instituta*. 236
Tribus *quatuor*, & *duodecim* gentium Galaticarum. 40
Tridentum *infeliciter obsessum* à Rege Partharito. 125
Trimalcionis nomen regium, vel *triregium*. 275
Triumviri agrarii *Mutinæ* intercepti. 21. traduntur *Annibali*. 23. inter hos C. Servilius. 24
Triumphus *Æmilii* de superatis Bojis. 18. *Cornelii* de Insubribus Cenomanisq; ; *Minutii* de Liguribus & Bojis. 29. *Marcelli* de Insubribus & Comensibus. 30. cur negatus *Cornelio*? 33. *Nasicæ* de Bojis. 34. 35. *Tiberii* de Rhætiis *negatur*. 283. 284. *biduus* de Mithridate. 199
Trochus *pueris tributus* à Martiali. 382
Trojanam originem multi, *per mendacium*, adscivere. 237. 238
Trojani *in Rhætiam scilicet*, venére. 191
Trophæi Alpium inscriptio à *Plinio adducta*. 424
Tubonis. 768
Tudrus, Rex *Marcomanorum*. 64
Tunica ex plumbo pro cæde Episcopi, *auro* expensa. 118
Turcilingi. 673
Turma *quot equites* habuerit. 391
Turnaco. 747
Turris regia, Augustæ, quale opus. 263
Tutelæ urbium & Geniis tot aræ inscriptæ. 254
Tyrrhem Græcis, *Tusci* Latinis. 190

V.

U. Litera *ter continuè* in *uno* vocabulo posita. 562
Vacarus, vir bellicosus. 95. cognomen militare Germanicum, *vvaker*; nomen ipsum *Theodonis*, qui *Gothis* opitulatum venit in *Italiam*. 96
Vaccis. 768
Vaisarius *Aquitanus* bellum indixit *Francis*. 149. Pipinum semper armis exercuit. 155
Valentinus, ex Abbate *Rhætiarum* Episcopus. 674. ab *Arianis* ejectus. 93. ejus corpus in Boicum castellum *Majas* delatum & cultum. 135. inde *Tridentum*, Tridento ad *Batava* translatum. 168
Valomarus, *Gothorum* Rex. 72
Vandali. 78. vulgò per errorem *Slavi* & *Veneti* sunt dicti. 129. *Gallias* & *Hispanias* invasére. 127
Vandalici montes apud Dionem, in *Vindelicos* malè mutati. 107
Vandalus, Vindelicorum *conditor fabulosus*. 192
Vaplivarii, Vapluarii. 728
T. Varius *Rhætiæ* Procurator. 428. an *Pannoniæ* Præses? ibid. ejus patria. 429. cur *Celejæ* in patria, vicinisq; locis ei tituli positi, potius quàm ubi honores gessit & ponentes degebant. ibid.
Varni sive *Varini*, item *Burni* valde differunt. 96
Vasaticum, species *clientelæ* apud veteres. 154
Udalrici nominis *interpretatio*. 516
S. Udalrici Vita, *à quibus scripta*. 506. per annorum seriem breviter digesta. 514. ejus *ortus*. 519. 597. *ablactatio*. 519. 520. 597. *missio in monasterium S. Galli* doctrinæ causa. 520. 598. *vocatio* ad Episcopatum. 521. 599. *visio*. 524. 594. 603. 604. *mores & studia*. 526. 527. 600. 601. celebratio *Quadragesimæ*, *Hebdomadæ magnæ*, item *Paschatis*. 527. seqq. *visitatio* Diœcesis. 532. 605. *consecratio Ecclesiæ* in Albegowe. 534. 535. *admonitiones* frequentes. 535. seqq. *pacificatio* inter discordes. 543. 607. *ædificatio* Ecclesiæ S. Afræ. 547. 609 *itinera*. 521. 548. 549. 554. studium *reliquiarum*. 549. 550. 609. consecratio *olei* postea *salubris*. 551. 595. 610. *miracula*. 548. 551. 552. 553. 573. seqq. 609. 611. 612. 620. seqq. animus *abdicandi se Episcopatu*. 557. præsentia *in duabus Synodis* Ingelheimensibus. 579. constructio Ecclesiæ *S. Johannis Baptistæ*. colloquium de suo *obitu*. 561. 562. celebratio *ultima Missæ*. 563. 615. *mors*. 565. 616. *exequiæ*. 566. 567. 617. *canonisatio*. 587. 588. corporis *inventio* & translatio. 618. Epistola *Nicolao Pontifici* inscripta *spuria*. 511. 512
Vectigales agri. 239. 240
Vectis, *Vecta* insula. 721
Vehiculorum præfecti. 427
Vellejanarum *nugarum conditor* notatur. 287. 817. 840
Christoph. Velserus, doctus summæ ædis Regiburgi *Præpositus*. 373
Henr. Velserus, instrumenti *testis*, imperante *Conrado*. 263
Veltenburgum monasterium, an *Ruperti opus*? 113
Venatio *apri infelix* Günthero. 167
Venatoriæ elogium. 907
Venefica rusticana *infantem* Pilidrudis *magice* restituens carmine. 137. 138
Veneris idolum *qua figura Paphi* in Cypro extiterit? 362. *cultus* ejusdem *diversus*. 462. qualis in Cypro? 463
Veneti. 740
Vercingentorix turbas *Romanis* dedit in *Gallia*. 52
Verona à Theodorico *prima Italicarum* urbium occupata. 336
Vesonna. 761
Vespasiani *basis* Augustæ *reperta*. 294
Vestes Ariperti, cur *ex pellibus* tantùm. 132
Vestes magistratus in *coloniis* vel *municipiis* quales. 270

Veſtitus *Miſſa* quid *denotet*. 94
Veſubio. 761
Veſuna. 761
Viæ *Conſulares*, *Prætoriæ* & *Militares*. 306. duplex *militaris* ab Antonino deſcripta. 322. quæ olim dictæ *viæ publicæ*? 714. muniebantur *tribus* modis. 714. *Romanæ* aut *ſilice* aut *glarea* ſtratæ. 259
Viarum *columnæ milliares*. 409. 410. 420. 496. 714. illarum *curatores*. 714
Vicedominorum dignitas. 562
Vicelii *error* martyres *confundentis*. 492
Victor num *inter martyres* Auguſtanos. 315
Victor, filius *Maximi*, victus uterq;. 323. 324
Victoriæ *ara*, Romæ *reſtituta*. 345
Videntes noctu Celtæ. 2
Vienna olim dicta *Fabiana* caſtra. 667
Vigilius, *æqualis* S. Ambroſii. 95
Vinda fluvius, aliàs *Vindo* & *Virdo*. 193. item *Virido*, nec non *Vindex*. 194
Vindelica nomen à *Vindelicis* accepit. 225
Vindelici *nomen* ferme *obſolevit*. 187. Romanis *ſerò cognitum*. 190. *notio* illius nominis *varia*. 192. 193
Vindelici, *Amazonum* aut *Thracum* propago. 87. 191. vel *Rhætorum*. 88. hi ab illis quomodo *differant ſitu*. 184. 185. diverſæ de illis ſententiæ. 423. num *Piſo* illos *vicerit*? 284
Vindelicia & *Rhætia* coivére in *unam* provinciam. 206
Vindelicus Auguſta probè dicitur eo modo, quo Mediolanum Santonum *Santonus*, Lutetia Pariſiorum *Pariſius*. 215
Vindelus, Galliæ *Narbonenſis* oppidum, à quo *Vindelicus* præterfluens *fluvius*. 195
Vindo, in *compoſitis* nomen *appellativum*. 195. providè *adjicitur Auguſta* à Fortunato. 213
Vindoligi, apud *Strabonem*, nominis *obſcuriſſimi* populus. 187
Vindonis & Lyci *confluentium* deſcriptio. 225
Vinum *Rhæticum* Auguſto *gratum*, & à variis auctoribus *celebratum*. 289
Virdumarus, Rex Gælatorum, *genus à Rheno* jactant. 20
Virgata ſagula, quænam veteribus ſic dicta. 8
Virgilio *nullum temerè* verbum excidit. 8
Virgilius, *gente Hibernus*, unà cum Sidonio *in Bavaria* docens. 147. inter illum & Bonifacium *diſcordia*. 148. illius *cura epiſcopalis* haud ingloria. 158. 159. leni morbo deceſſit. 169
Virginum *Britannicarum* cædes *ubi* & *à quibus* patrata. 732. 735
Virgo aliquando *ætatis*, non *integritatis* nomen. 452
Vironum. 748
Viroumo. 747
Viſiones Ramberti. vide Rambertus.
Viſiones S. Udalrici. vide Udalricus.
Vitalis, gratioſus homo & *ſucceſſor S. Ruperti*, in Boico Epiſcopatu. 114. *interpres* fuit *Emmerammi* in Germaniam venientis. 118
Vitechindus *Saxo*, nominis *Francici* acerrimus *hoſtis*. 172
Vitia *octo* principalia. 536
Vivarium peregrinorum, nomen monaſterii *Murbacenſis*, ad *Vogeſum* montem. 151
Vivilo, an *Vivilus*, Laureacenſibus & Batavenſibus præfuit. 141. à Gregorio III. nec II. ordinatus. 143
Unguentorum uſus *in thermis*. 408
Unulfi *fides* & integritas erga amicum *Partharitum*. 122. 123. *ad baſilicam* Michaelis *fugiens* ab ipſo Partharito hoſte Grimoaldo *laudatur*, & bonis ſuis *reſtituitur*. 124
Vocalium *uſus & interjectus*, in veteri *Germanorum* lingua *creberrimus*. 96. 160
Voccio, Rex Noricorum. 88
Voconi. 765
Vogoborgiaco. 748
Vorgium, Vorgia. 756
Votum inſolens Bojorum *de balteis* ſolvendis in *Capitolio*, & *thoracibus* ponendis. 18. à Ducario vindicatum. 23. Jovi *ædes vovere* re dubia, Romanorum *religio*. 27
Urbes *citra ultraq́*, *Danubium* à Bojis captæ. 78 *nullæ* Germanis. 225. populis *cognomines*, ut Auguſta Vindelica. 227
Urbium cognomina *ambitioſa* vel *adulatoria*, poſt Auguſtum. 212. vel *aucta*, vel *mutata*, vel adjecta alia *ambitioſa*. 218. nomina bina, *vulgare* ac *religioſum*. 225
Urſulæ &c. *Virginum Britannicarum* cædes perperam creditur *Coloniæ Agrippinæ* patrata. 732
Urſus pro clitellario *equo* miraculosè *inſerviens* Corbiniano. 134
Uta, Theodonis filia, *ſtuprum profeſſa*, id Emmerano *Epiſcopo imputavit*. 119. 120
Utilo ſive *Uto*, Theodonis filius, quando mortuus. 97
Utilo II. Hugiberti *ſucceſſor*. 142. *opera* ipſius & *ædificia ſacra*. 151. *Oſterhovæ*, vel *Altachii* potius, cum uxore conditus. 154
Utinum olim, nunc *Oetinga*. 97
Utonis genealogia *incerta*. 153
Vulcanii Gloſſarium. 794

W.

WAning, S. Udalrici præceptor. 520
Wehadinc ſive *Wehdinc*, pugna duorum. 163
Weregelda æſtimationis pretium. 162
Wiberat, *Virgo* apud S. Gallum, à S. Udalrico *conſulta*. 520
Wilthemii, S. J. *laus*. 369. 370
Winsbekiorum *familia intercidit*. 856
Wormatiæ conſilium coëgit *Pipinus*. 154
Wormatiam veniens *Thaſſilo*, ſe ſiſtit *Carolo*, & jusjurandum novat. 169
Wormatienſis conventus. 170

X.

Xystus ampla *porticus*, sive *basilica*. 261

Y.

PRo Ypsilon *contra orthographicos* canones I. Latina scribitur in *Licatibus*, licet à *Lyco* veniat. 194

Z.

ZAchariæ Pontificis epistola ad Bonifacium de *Bojoaria* & *Gallis* sibi concessit. 146. 147. illius ætate *Roma* nec *capta*, nec *obsessa*. 152

Zechi successére *Marcomanis*, in interiore Hercynia. 74. *ad Slavos* referuntur, victi à Thassilone. 105

Zeno *diaconus*, in duello *pugnans pro Rege* Cunibertoab Alachi *obtruncatur*. 127. in vestibulo *basilicæ S. Johannis* sepultus. 128

Zisa, vel *Zisara*, quædam Dea. 219. 226

Zizenberg, clivus Augustæ inter D. Udalrici & D. Dominici. 223

Zizilia, Venus Sarmatica. 226

Zosimi nomen *variè scribitur*. 474. an aliquis Episcopus Augustæ, qui *Zosimi* nomen in *Dionysium* mutârit. ibid.

Zotinge pro *Getinga*. 168

Zusem, *Zusemek*, *Zusemalten*, *Zusmerhausen*, agri Augustani fluvius & pagi. 223

Humane Lector,

Errata quædam, sensum fortassis impedientia, sic lege: fol. 15. lin. 35. insidias. 23, 6. reciperent. 45, 19. perniciem. 134, 13. circiter. 14, cohiberi. 185, 32. quisquis. 188, 43. corruptus. 200, 3. sic. 225, ult. certè. 236, 27. aliquâ. 528, 19. aceolo. 673. bis. 675, 27. plura. Ægyptiaca. 797, 37. Ægyptiaca. *Commatum minutias nec prator nec lector curant.*

FINIS.

PVBLILII

OPTATIANI PORPHYRII PANEGYRICVS DICTVS CONSTANTINO AVGVSTO.

Ex codice manuſcripto

PAVLLI VELSERI

Patricii Aug. Vind.

D. Hieronymus in Chron. An. 23. Constantini M.

Porphyrius missō ad Constantinum insigni volumine, exilio liberatur.

Fulgentius lib. 11. mytholog. de Venere.

Hanc etiam in mari natantem pingunt, quod omnis libido rerum patiatur naufragia. Unde & Porphyrius in Epigrammate.

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

Fulgentius de expositione Virgilianæ continentiæ.

Exaltatus quis in superbiam, duplum eliditur. Unde & Porphyrius in Epigrammate ait,

* Scalig. lib. 1. Cat. vet. poet. legit. Panxillo & fronte.

** Panxillum Fortuna tibi, res perfida, Quinte,*
Extulit in frontem grande supercilium.*
Nam ne aliud credam, pareum putorte quoque Quinte,
Quantò altus magis es, tam mage despiceris.

Beda de arte metrica.

Præterea sunt metra alia perplura, quæ in libris centimetrorum simplicibus monstrata exemplis, quisque cupiet, inveniet. Reperiuntur quædam & in insigni illo volumine Porphyrij Poetæ, quo ad Constantinum Augustum misso, meruit de exilio liberari. Quæ quia pagana erant, nos tangere non libuit.

Magnentius Hrabanus Maurus de laudibus Sanctæ Crucis, in prologo.

Non recordor alicubi me fecisse in ipsis versibus punctos, nisi ubi QVÆ pronomen, vel QVE conjunctio fuit, vel VS finalis syllaba dictionis, quod idem & Porphyrius fecit, secundum cujus exemplar litteras spargere didici.

Joan. Cuspinianus in Constantini vita.

Cum Porphyrius insigne volumen Constantino misisset, exilio est liberatus.

Subscriptum carmini quod Viennæ editum, in adventum Imp. Maximiliani primi.

Joan. Stabius ad imitationem Publilij Optatiani Porphyrii, nuper à se reperti contexuit.

Lilius Greg. Giraldus de poët. hist. Dial. 4.

Constantini ætate Porphyrius Poëta quidam Latinus fuisse perhibetur, qui variis de rebus poëmata scripsit: Inter quæ librum Constantino ipsi Cæsari dedit, quo munere ipsum relegatum ab exilio revocavit, ut est ab Hieronymo & Beda in Chronicis observatum. Meminit hujus & Fulgentius, qui ejus Epigrammata citat, ex quibus est hic versiculus,

Nudus, egens, Veneris naufragus in tabula.

Citat item Rhabanus in mirabilium carminum prologo, eum enim ait punctis quibusdam versus notare solitum, & propterea illius se exemplo versus facturum pollicetur.

Inter fragmenta Petronii Arbitri, ad illud, *Crede ratem ventis &c.* nescio quis annotavit.

Nisi sit potius Porphyrij Poëtæ sub Constantino in Exilium missi, cujus pleraque video Petronio nostro vel à Criticis tribui.

VIRO ILLUSTRI ET NOBILI,

HENRICO RANZOVIO,

REGIS DANIÆ IN CIMBRICA CHERSONESO PRODUCI.

AMavit credo Vlysses Ithacam, quam per tot annorum, terra mariq; exantlatas arumnas, sustinuit repetere, patria enim erat. Sed ludus ille tamen merus & nugæ, præ his quæ patriæ desiderio Porphyrius iste molitus est. Carmina dico, patientiæ miserrimæ, temeritatis pene incredibilis, certè, quod constet, nullius ante se exempli: quibus quod reditum impetravit exul, satis eo superq; pœnarum expendisse, nec inimicis quidem invidiam ultra debere videtur. Nam nulla crux unquam conferenda cum hac cruce, præ quâ cordatus aliquis valide inclamet, Exilium, ut Philoxenus ille olim latumias, ne Dionysii versibus aures præbere cogeretur: O mora, ô pœna, iteret, quisquis à limine inspiciat. Indignum verò visum, tam improbi laboris opus latere diutius, & auctori tantarum vigiliarum lucubrationem, posterum incuria perire. Itaque unico freti codice, eoq; sat multis locis corrupto, editionem tamen adornavimus, nævos, qui tutò poterant, sustulimus, mala alia ulcera, quæ tractari respuerent, non attigimus. De auctore, quicquid ex Hieronymo & alijs observatum, præscripsimus; Hieronymum enim, & Poëtam & librum hunc respexisse apparet, an Fulgentij itidem loca eo quoq; pertineant, etiam nunc ambigimus. Addimus præterea ex VI. Carmine, videri exilio fuisse mulctatum vel injuria, vel levi de causa, his enim Constantinum alloquitur,

Respice me falso de crimine maxime Rector
Exulis afflictum pœna: nam cetera causæ,
Nunc objecta mihi, venia venerabile numen
Vince pia, & solito superans fatalia nutu,
Sancte tui vatis Cæsar miserere serenus.

Librum ante eadem Crispi Cæs. quæ in annum Christi CCCXXIV. Constantini XIX. incidit, scripsisse, Carmen XX. ostendit; Etsi Hieronymus XXIII. Constantini demum ab exilio revocatum fuisse annotavit; sed multa in Hieronymiano chronico esse perperam transposita, omnes vident; Crispi enim sic meminit,

Crispe avis melior ——————

Inde multa in ejus & fratris Constantini laudem sequuntur. Cur paganus adeò visus Beda, ut ejus attactum illo nomine refugerit, non admodum scio: fabulæ intermixtæ sunt, sed & Christianæ pietatis argumenta permulta, inprimis, irrisa Juliano in Misopogone Chi littera, & crux Constantiniana omninò integra, eâ prorsus formâ, quam Eusebius descripsit, repetita sunt toties, ut impietatis profectò notam deprecari debuerint, sine etiam carmine IX. & quæ alia sunt ejus generis non pauca, fuisset. De reliquo, Judicium ferre, lectoris potissimùm partes: ausim tamen pronunciare & ego, Ausonianis propemodum verbis, esse hîc, quod mireris (id nemo iniquus adeò negaturus) verum multò magis etiam esse, paucis litteris additis, cujus miserearis, neq; æmulari velis: nam hoc postremum, omnes Musarum pueros per spem studiorum suorum, oratos volo enixè. Præsens & certa pestis ingeniorum, imitari velle ista talia, quæ recti specie, & ipsa difficultatis illecebra, queant incautis lenocinari, non illis, qui veram Poëseos pulchritudinem animo unquam conceperint. Porrò cum patronum Porphyrius quæreret, qui insuetæ audaciæ conatum tueri, tum posset, tum vellet, & longè illi Constantinus Aug. longè Crispus & Constantinus Cass. essent, in tuam, Vir Illustris, sibi clientelam putavit concedendum; quod in tuâ maximè virtute, humanitate, doctrinâ, satis sibi præsidii ex utroq; capite esse intelligeret. Tuum jam erit, supplicem non negligere, qui scias, quanti hoc genus homines Plato faciundum censuerit, natura præterea ita sis informatus, perpetuo benè omnibus faciendi usu confirmatus, ut nemo quisquam tuam opem unquam frustra imploraverit, eis qui Apollinis sacris operati, manus etiam adjutrices ultro semper porrexeris. Vale.

Epistola

Epistola Porphyrii ad Constantinum.

DOMINO CONSTANTINO MAXIMO PIO INVICTO ET VENERABILI SEMPER AVGVSTO.

HAteor Domine Constantine, Maxime Invicte, & non minus pietate quam virtute præcipue, quamvis avara, atque ultra meritum cupida parvitatis meæ vota, infatigabili clementiæ tuæ dignatione superata. Quippe cui satis abundeq; suffecerat, carmen quod arctioribus Musarum ligaveram vinculis, quo plus mihi sincera devotionis studium, quam ingenii mei parvitas præstitit, in tuas Augustissime Imperator manus venisse victrices, legendum oculis tuis. In quo mihi [a] *pro Heliconis verticis nemore, pro Castalii fontis haustu versifico, pro Apollinis lyræ Musarum concinentibus choris, ceterisq; quæ Poëtis mos est carmen pangentibus invocare, tui mihi nominis æterna felicitas, & ejus multiformis cum sua veneratione præfatio, incentivum cecinit ad* [b] *audendum, & ad expediendum pariter ingenium tribuit & effectum. Romana Musa antistes nobilis Mantuanus, serena lux vatum, & fons puri nectaris, vela fœcundus in carmina* [c] *exaltat, ac se plurimum jactat, & iterum ac sæpius Mecœnatis testimonio gloriatur. Quid ego faciam tenui pauper ingenio, meriti nunc usq; per parvi? Cœlestis judicii dignatione immensum mihi pondus impositum est, ejus Imperatoris testimonio, qui inter belli pacisq; virtutes, inter triumphos & laureas, inter legum sanctiones & jura, etiam Musis tibi familiaribus* [d] *adeò vacas, ut inter tot Divinæ Majestatis*

a per Heliconis, & sic deinceps.

b audiendum.

c exultat.

d laudis suæ.

insignia,

insignia, quibus invictus semper in primis es, hujus etiam studii in te micet splendor egregius. Nimirum agere gratias audebo, [e] *cum exili sermone ne perminimis quidem referri dignè* [f] *possint, & tu pie Imperator tanta præstiteris, ut istud pro benefactis tuis ne facundissimis quidem possit impleri? Etenim si ita, ut sapientibus placuit, Maxime Imperator, æstimanda sunt, non numeranda judicia, qui hujusmodi testimonium consecutus sum pietatis tuæ dignatione cœlesti, jam licet Parnassi juga securus ingrediar, & ab ipsis Aonii verticis adytis deducere audeam Musas, tutus quocumq; mens ibit in carmina, & divina judiciorum tuorum auctoritate munitus, atq; in mea blandimenta plus credulus, universo me orbi placuisse contendam, qui placere potui totius orbis Imperatori. Deniq; oratus Augustissime Domine, temeritati meæ da veniam, & quæ nunc quoq; pietatis tuæ favore ausus sum illigare, dignanter admitte: Audaciæ meæ fomitem auctoritatis tuæ clementia suscitavit. Vale.*

[e] cujus ex illius sermone perm.

[f] possit.

Epistola Constantini ad Porphyrium.

INVICTUS CONSTANTINUS AUGUSTUS MAXIMUS.

Si tantum pondus & gravitas spectarentur in carmine, & Græca post Chium Mæonium-ve vatem, & Latina post rusticum Mantuanum eloquentia siluisset, nec frustra culpabiles forent, qui sibi materias pro ingeniorum qualitate sumentes, inani opere sudassent, cum penes primos facundiæ conditores gloria tota resideret, Frater charissime. Sed quoniam semper in propatulo usus istius fuit, nec ulli negatum est, id ex ea indicere, quod possit illos etiam quos posterius ævum tulit delectare, non penitus à fructu favoris excludit, qui relictis gravioribus sonis, modos ad leviora flexere: Illigavit alter cothurnis, & prope quotidianis ac moralibus verbis affectus hominum, Comœdiis locutus est quidam, inæquali pede elegia cantata est, multorum digitos semiloquacibus chordis amor

lyra

lyræ jucundus inservit pro æqualitate modulaminis. [a] *At non circa singulos quosq; expetitæ laudis gratia redundavit. Defuit quorundam ingeniis Imperatorum favor, qui non secus doctrinæ deditas mentes irrigare atq; alere consuevit, quasi clivosi tramitis supercilio rivus elicitus, scaturientibus venis arva arentia temperavit. Sæculo meo scribentès dicentesq; non aliter benignus auditus, quam lenis aura prosequitur, Deniq; etiam studiis meritum à me testimonium non negatur. Liber assiduè cursus oratoribus fuit, eos verò qui versibus dicerent, certis finibus lex metris statuta continuit: quare non immeritò illud usus invenit, ut hoc genere dicturis, Heliconis aut Parnassi juga peterentur, cum mortalis ingenii deficiente substantia, necessaria viderentur auxilia divina.* [b] *Gratum mihi est studiorum tuorum facilitatem in illud exisse, ut in pangendis versibus dum antiqua servaret, etiam nova nova lyra sibi conderet. Vix hoc custoditum pluribus fuit,* [c] *qui modis quibusdam arctis innexi litterarum, distinctionibus versuum (qui ita medium corpus propositi* [d] *occultè intermeant, ut oculorum sensus interstincta* [e] *colorum pigmenta delectent) hoc tenuere propositum, ut hæsitantiam carmini multiplex legis observantia non repararet. Gratum igitur hoc mihi dicationis tuæ munus fuit: Exercitatio mentis & naturæ facilitas comprobata est. Tu cum tibi videas operis tui gratiam, quam ex meis petiveras auribus non perisse, & proventu præsentis temporis exultare debebis, & non indebitam laudem ingenii exercitatione captare.*

[a] Auctor.
[b] Gratum.
[c] cui.
[d] occulti.
[e] oculorum.

Digitized by Google

PVBLILII
OPTATIANI PORPHYRII
PANEGYRICVS,
DICTVS CONSTANTINO
AVGVSTO,
INCIPIT FELICITER.

L

Quæ quondam fueras pulchro decorata libello,
Carmen in Auguſti ferto Thalia manus.
Oſtro aditura nitens, argento auroq́; coruſcis* * aditum.
Scripta notis, picto limite dicta notans,
Scriptoris bene compta manu, meritoq́; renidens,
Gratifici domini viſibus apta ſacris:
Pallida nunc atro chartam fuſſuſa colore,
Paupere vix minio carmina diſſocians,
Hinc trepido pede tecta petis venerabilis aulæ,
Horrida quod nimium ſit tua nunc facies.* * ſit.
Quos habitus vatis præſentia fata merentur,
Vix locus hoc ſaltem præbuit unde venis.
Suppliciter tamen ire potes, dominumq́; precari,
Squalor & hæ ſordes conveniunt miſeris.
Cum dederit clemens veniam, natumq́; laremq́;
Reddiderit, comptis ibis & ipſa comis,
Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
Ut quondam, ſcriptis ambitioſa tuis.

Digitized by Google

II.

VIDESVTARASTEMDICATAPYTHIO
FABREPOLITAVATISARTEMVSICA
SICPVLCHRASACRATISSIMAGENSPHOEBODECENS
HISAPTATEMPLISQVISLITANTVATVMCHORI
TOTCOMPTASERTISETCAMENAEFLORIBVS
HELICONIISLOCANDALVCISCARMINVM
NONCAVTEDVRAMEPOLIVITARTIFEX
EXCISANONSVMRVPEMONTISALBIDI
LVNAENITENTENECPARIDEVERTICE
NONCAESADVRONECCOACTASPICVLO
ARTAREPRIMOSEMINENTESANGVLOS
ETMOXSECVNDOSPROPAGARELATIVS
EOSQVECAVTESINGVLOSSVBDVCERE
GRADVMINVTOPERRECVRVASLINEAS
NORMATAVBIQVESICDEINDEREGVLA
VTORAQVADRAESITRIGENTELIMITE
VELINDEADIMVMFVSARVRSVMLINEA
TENDATVRARTELATIORPERORDINEM
MEMETRAPANGVNTDECAMENARVMMODIS
MVTATONVNQVAMNVMERODVNTAXATPEDVM
QVAEDOCTASERVATDVMPRAECEPTISREGVLA
ELEMENTACRESCVNTETDECRESCVNTCARMINVM
HASPHOEBESVPPLEXDANSMETRORVMIMAGINES
TEMPLISCHORISQVELAETVSINTERSITSACRIS

1. Stendicata. 2. Quos litant. 3. Coelia spicula. 4. Vt hora quadra.

III.

ALME DECVS MVNDI SVMMVM, RECTOR PIVS ORBIS
AVGVSTE, INVICTA POPVLOS VIRTVTE GVBERNANS,
IVSTITIA IMPERIVM, NATIONVM CONSTANTINE
EFFRAENATARVM MODERAMINE PACIFICATOR,
QVEM DIVVS GENVIT CONSTANTIVS INDVPERATOR,
AVREA ROMANIS PROPAGANS SAECVLA NATO;
HEV NIMIS AD CAELVM PROPERANS, NI LIQVERIT ILLE
AETERNVM AVXILIVM INVICTVM IVSTVMQVE PIVMQVE,
ALME PATER PATRIAE NOBIS TE MAXIME CAESAR,
AVSONIAE DECVS, * O LVX PIA ROMVLIDVM.
EST PLACIDVM SVPERIS TVNC, HAEC IN GAVDIA MVNDI
PERPETVIS BENE SIC PARTIRI MVNERA SAECLIS,
SIDERA DANT PATRI, ET PATRIS IMPERIVM
SANCTE TIBI, MAGNAE DATA TV LVX AVREA ROMAE.
ISTA CANIT RVRIS TIBI VATIS ARDVA MVSA.

* b lux b ia.

In hac pagina primus versus ex dissyllabis partibus orationis constat. Secundus ex trisyllabis. Tertius ex tetrasyllabis. Quartus ex pentasyllabis. Quintus ex una, duabus, tribus, quatuor, quinque syllabis constat, qui dicitur Torpalius sive Symphalicus. Sextus ex quinque partibus orationis constat, quarum manente ultima, ceteræ quatuor ordinem suum per vices mutant. Septimus de octo partibus orationis solus constat, nec bis ullam partem habet, nec minus aliquam. Octavus per omnes casus declinatur. Nonus & ad directum heroicus, & reciprocus heroicus est. Decimus & ad directum pentameter est, & reciprocus æque. Undecimus & ad directum hexameter est, & reciprocus nulla exempta littera vel syllaba fit idem pentameter. Duodecimus heroicus est. Tertius decimus pentameter, fit heroicus, & heroicus pentameter. Quartus decimus & Quintus decimus ad directum heroici sunt, dum redeunt Sotadici.

In hac pagina ſequenti à monogrammo Jeſu oritur principium lectionis, ut pectore levetur obſcuritas. In qua duo verſus græcè ſunt, incipientes à læva parte monogrammi, ex quibus unus ejusdem ſigni reliquis partibus functus, media littera N terminatur,

Τλῶ ναῦν ἀεὶ, πέσμον κί δ' ἄρμενον εἰνοσίζων

Alter inde deſcendens ad alveum navis, ſpeciem gubernaculi partis ſuæ fine concludit. Qui eſt talis,

Οὖρεις τανύμενον ὄις ἀρετῆς ἀέλμεις.

Verſus verò qui aut à prora incipiunt, aut à roſtro, aut à remis, aut ſub prora, extremo puppis acumine terminati, texta vicere, alii vota circumcludunt. Qui ſunt tales,

Navita nunc tutus contemnat ſumme procellas,

Nigras nunc tutus contemnat ſumme procellas,

Tutus contemnat ſummis cumulata tropæis.

Pulſa mente mala contemnat ſumme procellas.

Spe quoq; Roma bona contemnat ſumme procellas.

Roma felix floret ſemper votis tuis.

IV.

PRODENTVRMINIOCAELESTIASIGNALEGENTI
CONSTANTINEDECVSMVNDILVXAVREASAECLI
1. QVISTVAMIXTACANATMIRAPIETATETROPAEA
EXVLTANSDVXSVMMENOVISMEAPAGINAVOTIS
2. AEMVLAQVAMCLARIIGENITORISCALLIOPEAE
COMPOSVITTALINVNCMENSPERFVSALIQVORE
VERSIFICASHELICONINGAVDIAPROLVATVNDAS
3. CLEMENTIQVENOVVMNVMENDEPECTOREVERSET
NAMQVEEGOMAGNANIMIDICAMNVMEROSACANENDO
SCEPTRADVCISGARZAENOBISDATGRAECIADONA
SAECLAQVEBLEMMYICOSOCIALILIMITEFIRMAS
ROMVLALVXCONDIGNANOVISFLORENTIAVOTIS
VOTOSCRIPTACANOΘALIMARSCARDINETECTO
IAMBELLISTOTVMMYSEVMPERPLECTERECIVEM
VTPATEATRVBICONPARILIPETITAETHERAIVRE
NVNCFELIXPROPRIOSPACISMESCRVPEAVISVS
IAMSTIMVLATSIGNISEXVLTANSMVSANOTARE
GAVDIALAETVSNVNCPERMENOTATAVIAPHOEBVS
RETITOQVOQVETEXTANOVOCANELAVREAPLECTRO
ARTENOTISPICTAFELICIASAECVLAPLAVDENS
SICAESTVSVATISFIDODVCEPITHICARPENS
NVNCTVTVSCONTEMNATSVMMEPROCAXEGOVERO
NVNCMARESIGAEVMVALEAMBENEFRANGEREMO
CARBASANOCTIGERVMTOTVMSISCRVPEOTENDO
PVLPITADEPORTANSVISAMCONTEXERENAVEM
MVSASINITCONIVNCTATVOSPESINCLITAVOTO
MENTEMPERTORTVMFESSAMNONFRANGATHIVLCO
4. LAVSMEAFICTAPEDESTANSMAGNAMOLEDOCENDI
5. SIGNAPALAMDICAMLAETISSIMAFLVMINESANCTO
MENTEBONACONTEMNATSVMMISCVMSIBIAGONEM
VOTISPOSTFRVCTVMMARTEMCLEMENTIAREDDET
SICNOBISLECTOQVOCRESCVNTAVREASAECLA
6. MOXLATIOVINCENSIAMBISVICENNIAREDDES
CARMINAQVAEPICTASMIRODENOMINEFORMET
FLORENTANSVOTVMVARIODATPAGINAFELIX
AVGVSTAESOBOLISMEMORANSINSIGNIAFATA
IVDICETEVELTESTEPIOCONDIGNAPARENTVR
IVNGENTVRTITVLISFELICIAFACTANEPOTVM

1. Trophaea. 2. Clara. 3. Verso. 4. Lauru mea fixa. 5. Flumina. 6. Vincet--siam.

Iſta ſequens pagina trieenas quinas litteras per omnes verſus habet. Et eſt primus verſus minio per amfractum, à prima littera usque ad ultimam litteram primi verſus,

Fingere Muſa queat tali ſi carmine vultus,

Simili amfractu per acroſtichidem in deorſum verſum à ſecunda littera usque ad penultimam,

Auguſti, & metri & verſus lege manente,

Item ſimili amfractu ultimus verſus à prima littera usque ad ultimam ſui,

Picta elementorum vario per muſica textu,

Adæquè iterum pari amfractu in teloſtichide à ſecunda littera ac deorſum verſum usque ad penultimam,

Vincere Apelleas ardebit pagina ceras.

Item ab octava decima primi verſus littera, ad directum per medium deorſum verſum deſcendens,

Grandia quærentur ſi vatis læta Camena

Item ad octavam decimam acroſtichidis per medium ad directum verſus,

Orſa juvet, verſu conſignans aurea ſæcla.

In hac pagina quatuor hexagona ſunt pari numero litterarum, & octo orthogona adæquè pari numero litterarum per ſingulas litteras creſcentia & decreſcentia.

V.



* Fragorem.

* Solutis.

* Frater.

* Curmunere.

Digitized by G

In hac pagina omnes verſus tricenarum quinarum litterarum ſunt, & primi verſus littera S communis eſt cum acroſtichide; ultima littera primi verſus, id eſt S communis eſt cum teloſtichide; Ultima littera acroſtichidis, id eſt S communis eſt cum ultimo verſu: Primi verſus media littera, id eſt decima octava S, caput eſt medii verſus deorſum deſcendentis per medium ultimi verſus: Acroſtichidis media littera, quæ eſt decima octava, S, caput eſt medii verſus ad directum: qui medii verſus vel ad directum ire poſſunt, vel à medio flecti, idem ſonantes. Eſt autem verſus qui per omnes partes has ſonat,

Sancte tui vatis Cæſar miſerere ſerenus.

Quadræ quatuor eodem verſu clauſæ, habent per omnes partes ſenas denas litteras, in quibus quadris mediis octonæ litteræ ad directum minio ſcriptum faciunt verſum,

Aurea ſic mundo diſponas ſæcula toto.

VI.

* Sit nota prim- nſut.

In iſta pagina tricenæ quinæ litteræ ſunt. Sed acroſtichis cum teloſtichide juncta facit verſum,

Certa ſalus rerum, proles invicta tonantis.

In qua ſecunda littera noni verſus deſignat,

Orbi tu renovas felicis tempora ſæcli.

Item à ſecunda decimi verſus littera, ad penultimam ejusdem bis aſcendens & bis deſcendens rubrica, continet verſum hunc,

Aurea juſtitiæ terris inſignia donas.

VII.

CONSTANTINEPATERTVMVNDIGLORIACONSVL
ECCETVORENOVATADABISTOTAPERTALABORES
REGNAPERINNVMERASGENTESMOXCARVSEOINV
TOTPOPVLISPIAIVRAFERESETSOLVSINOMNIC
AVGVSTVSMVNDOSPARGESETINVLTIMANOMENIT
SOLTIBIFELICESFACIETSPESPERPETENVTISA
ARSBONAIVSTITIAEETDIVVMVICINADECORLAP
LARGIDONABONICAELOCAPITINFLVITILVCRAN
VOTAQVODOPTARINTPIETATISCANASVBIBITOT
SANCTACERESTELLVSREDDITBACHEIALAPIDEM
RIVISDONASVISNONEVRIEFLAMINETVRBANOS
ENORMESPELAGVSSTATMITISPRINCIPENOTAS
RESPERIVSTAVIGENSORISSVASIGNABOOTENTA
VLTIMACONSOCIATOLLVNTINSIDERADEXTRAM
MAXIMEIVSTITIAELVMENCONCORDIAINOMEN
PACIFICVMTETOTACVPITIAMSAVCIAETORANTIS
RESFESSASCITOPACELEVESTVIVNGESERENIS
ORBISVOTATVIGENTESSIBIIVNGEVOLENTES

* Justitia & dijunm.

Digitized by Google

In hac pagina acroſtichis habet ſcriptum,

Fortiſſimus Imperator,

Quartæ decimæ litteræ,

Clementiſſimus Rector,

Vltimæ,

Conſtantinus invictus.

VIII.

PORTIAFACTADVCISTOTODOMINANTIAIAMNVNC
ORBECANAMQVISLAETASVOSVBPRINCIPETANTO
RVRSVMROMATENETMVNDICAPVTINCLITACARMEN
TVVATEMTVDIVAMONELACERATACRVENTIS
IMPERIISPARSFESSAPOLODIVVLSAGEMEBAT
SCEPTRAETAVSONIAEMOEREBATPERDITAIVRA
SIQVAFIDESTANTISROMANVMGLORIANOMEN
INSIGNITTITVLISDOMINOSEDLIBERAQVAERVNT
MOESTAQVEIVRESVOTREPIDATPLAGAMAXIMAMVNDI
1. VNDEIVBARLVCISPRIMVMRADIANSHYPERION
SIDERIBVSPVLSISRVTILODIFFVNDITABORTV
INDETVVMNOMENMVLTVMVENERABILECVNCTIS
MAXIMEBELLANTVMDOMITORLVXVNICAMVNDI
PERPETVISVOTISCVPIVNTMEMORABILENVMEN
EXOPTANTSERVIREVOLVNTMIRABILEDICTV
REMQVELAREMQVESVVMTANTAESTTIBIGLORIAIVST,I
2. AVGVSTOIVVATECCETVOSVBFOEDEREIAMNVNC
TOTVMORBEMPOSTTOTCAEDESQVASFESSAGEMEBANT
OMNIANVNCNVLLOTANDEMTREPIDANTIAMOTV
ROMVLEISSERVIREPIISPATERINCLITEIVSSIS

1. Hyperion. 2. Auguſto-

Omnipotens genitor, tuq́, ô diviſio mixtæ,
Filius atque Pater, & ſanctus Spiritus, unum:
Faveas votis.

IX.

OQVITARTAREASPEDEFAVCESPROTERISALMO
OMISERATETVOSQVISIGNEATEMPLASVPREMI
ANNVISESSEPOLIPIALVCISREGNASVPERNAE
TVVIRTVSAETERNADEITECVMOMNIACHRISTE
TVNCPATEREXORSVSCVMMOLESOBSITAPIGRO
SQVALOREEMERSITPOSITOQ;ADRISITOPERTO
ANTEORTVSHOMINVMSANCTOTVDIVETONANTI
SECRETAEVIRESQVEMTVDVMMENSGENITORIS
SOLATENENSPRVDENSQDEIDEVSINTERIORIS
PRINCIPIISOBOLEMNVLLIVSVASTACRVENTO
QVODMORSREGNABATLETORATAGAVDIAFVDIT
OREMEDVLLIFERONECPOENAPERPETEFRANGI
DEPVLSOSHOMINESPLACVITNATALIBVSATRI
TVMTVPROSTRATISVITAEVIASEDTAMENOLIM
PRAESAGOADMONITVTEVATVMFATACANEBANT
TVQVIAFACVNDVSPORROQRTVSERRORAGEBAT
CONSILIIVTSVMMAMRERVMSATOREDIDITORE
OVEREPATRISSAPIENTIACHRISTEOPVLENTO
EXERTVSVERBODETRVSVMINVINCVLAMORTIS
MOXHOMINEMSVMISQVAEQ;ESTVISVNASALVTI
INFIMADIGNAREQVODNATVRAEORDINERECTO
VTPERCVLSAIVVESINCLINEREIPSEIACENTI
NONETERRENOCORPVSTIBIPONDERETRACTVM
PRAECELSOSEDVIRGOVTERVMDESEMINEFETA
NECSEGNICOITVNATVSSEDCONIVGECAELOES
CORPOREVSVVLTVDEVSACTVCASVSVTRVMQVE
INVITANSIVSSAEXEMPLISHOMINIQ;DICATVS
AEQVALISDOMINVSQVIALISONEROSACADVCO
DICTASITHVMANOSPEREMVTDIVINAIMITATV
IPSEHOMINISTITVLOINCEDISTEQ;PROFANIS
MAXIMEIVDAEISPLECTENDVMPOSTPIAMILLE
MVNIAPERMITTISLETVMQVESALVBRELVISTI
MOXNECATHVMANASINSECAROPENDVLANOXAS
ATPATERINSEDESNATVMRECIPITQVEVEHITQ;
AETERNVMSALVISSIGNVMDATMACHINASACRA

* Æternaeij tecum.
* Positoque adri ſi operto.
* Medilliſero.
* Pondere trantum.
* Nec ſigni.
* Incedit,
* Recipitque venitque.

In hac pagina acroſtichis habet ſcriptum,

Domino noſtro Conſtantino Perpetuo Auguſto.

Decimæ omnium verſuum litteræ, & nonæ decimæ, & viceſimæ octavæ, deſcendentes per directum, litteris græcis tres verſus habent. Et eſt in decimis omnium verſuum hic verſus,

Μεῖμιν σοι βασιλεῦ χριστὸς, καὶ σοῖς τεκέεσσι,

In nonis decimis hic,

Τίμιον ὐσεβίης κρατέειν ἀριτῆς τὲ, βραβῆον:

In viceſimis octavis autem verſus hic,

Εὐνομίης ἄρχειν τὲ καὶ αὐσονίοισιν ἀνάσσειν.

Sed cum deorſum verſum hoc ordine græcè legantur, eædem litteræ per diverſum ordinem legentibus, verſibus latinis obſequium ſuum latinarum litterarum officio præbent: Ut ſit hæc diverſitas, ut cum græcè ſignificatus ſuos, tum exprimant & latinè.

X.

DISSONACONEXISAVDETCOMPONERE VERBIS
OMINEMENSELATABONOIVVATINCLYTALINGVAE
MVNERAGRAIORVMMVSAMODVLANTENOVARE
INQVEVICEMVERSVCECINITQVAEFORTELATINO
1. NVNCALIOTEXTVGRAECORVMINCARMINADVCI
ORDINEVTINDVPLICEMNECTATVRLITTERAVOCEM
2. NVNCAGEFECVNDAERESECENTPVLCHERRIMAMVSAE
ORESONETDOGILICHELYSINCLYTACARMINAPHOEBI
SPEMRERVMIVSTVMQVECANAMSVMMAMQVESALVTIS
TEDOMINVMBONADONADEITEMAGNEPARENTEM
ROMANVMGRAIVMQVEORBEMTIBIMAXIMERECTOR
OMNIAQVODCERTARESPIRANTMENTEQVIETEM
CONPLACIDISPECTENTHOSTILESMILLETRIVMPHOS
OMNIAPLENABONISTVACONSTANTINEQVIRITES
NILSIBICREDIDERINTKARVMMAGETEDECVSORBIS
SERVATOSTIRRISESEMPERVINDICEDEXTRA
TEDOMINOEXVLTANTTRANQVILLISCARIORVRBI
AFRICATEMPORIBVSPOTITVRSERVATAQVIETIS
3. NVNCSEFELICEMNVNCSESVBNVMININISARCE
TVTAMQVODCARTHAGODECVSVENERABILEGESTAT
IVREPVTATTANTVMPATISLVXINCLYTAPRAESTAT
NOBILETEDOMINONOMENSPESETDECVSALMVMEST
OMNISABARCTOISPLAGAFINIBVSHORRIDATAVRO
PACISAMATKANAETCOMPERTAPERENIAIVRA
ETTIBIFIDATVISSEMPERBENEMILITATARMIS
RESQVEGERITVIRTVTETVASPOPVLOSQ;FEROCES
PROPELLITCANDITQVEHABENSTIBIDEBITAGAR
ETTVAVICTORESSORSACCIPITHINCTIBIFORTI
TEQVEDVCEINVICTAEATTOLLVNTSIGNACOORTE
VNDIQVETECOMITATADEIPIANVMINASVMMI
OMNIBVSVLTOREMPRAEBENTETIVRAFIDEMQVE
ALMETVISPECTANTRESPONDENTOMNIAVOTIS
VNDIQVEPACATISSALVATORMAXIMAREBVS
GAVDIAPRAESTABISDABISOTIAVICTORINORBE
4. VIRTVTVMMERITISVICENNIAPRAECIPEVOTA
SAECLORVMCREVITGEMINOSPESCAESARECERTA
TVQVEOSANCTEPARENSOLIMPOSTMILLETROPHAEA
OLVXAVSONIDVMDISPONESCEPTRANEPOTVM

1. Resikent. 2. Justumque tonam. 3. Mesilicem. 4. Vicannia.

In hac pagina à prima littera primi versus rubrica descendens usque ad octavam octavi, & per amfractum ascendens usque ad penultimam octavi ejusdem versus habet minio scriptum,

Publilius Optatianus Porfirius hac lusi.

Item à primâ novissimi versus usque ad octavam noni, per amfractum ascendens & descendens, usque ad penultimam noni versus, habet scriptum heroicum versum, qui dum redit fit Sotadicus, & est hic,

Omne genus metri tibi pangens optime Basse.

Item à prima littera sexti versus ad tertiam octavi tres litteræ *Hic*, & à tertia decima octavi ad quintam decimam sexti, *Ver*, & inde ad decimam septimam octavi, *Su*, & inde à xxvii. octavi ad vicesimam nonam sexti *Sua*, & inde ad tricesimam primam octavi *Ri*, & inde à xxxi. noni ad xxviii. undecimi, *Oco*, & inde ad xxvii. noni *Lo*, & inde à xvii. noni ad xv. undecimi *Red*, & inde ad xiii. noni *Is*, & inde à xiii. noni usque ad primam undecimi *Par*, facit hendecasyllabum,

Hic versus vario colore dispar.

Digitized by Go

XI.

PAVCAQVIDEMCECINIFORSFRIVOLAHISQVOQIVNGAM
LVDICRASICNOSTRAPANGETTVAIVSSACAMOENA
AMBIITHAECPLAVDENSFELICISNVMINEPHOEBI
CALLIOPEPARTITANOVISSIBIVINCVLACVRIS
FLEXIBVSVTPRIMISDISCORDIREGVLACVLTV
HINCALIASONETARTESVPERPITHOIAFLEXVS
SICFACIESTOTIENSCVMCONFIRMAVERITASTVS
SICANIMVSNECVICTVSINERSSEDSAVCIVSIRIM
IMPLERIVARIASMETRICAEGRAVIORISOBARTES
TANDEMNOSSEDEIMEDITANTEMVIXLICETAESTVS
RITEVELITMEDIODVMINAGMINECOLOCATASTRI
EFFIGIEMTREPIDOQVEPARANSSERMONELATENTER
DICERENECMETVENSVINCTOSICOMNIAABORTV
PANGERESEDRVRSVMBASSVSNVNCPRODERECARMEN
IMPERATHICDOCILISMVSAEDEFONTEMEABVNT
ORDINECASTALIOTEXTIPERNOMINAVERSVS

Hæc fistula est versuum heroicorum quindecim, à primo versu usque ad ultimum per singulas litteras decrescens.

XII.

PRAECELSAEQVERCVS FRONDENTI INVERTICE PENDENS
TESTORTEMPLALOCI FAVNOSCELEBRARE FREQVENTES
DISPARIBVSCOMPACTAMODISTOTIDEMQVECICVTIS
DVLCISONOPANVMOBLECTANSMODVLAMINESILVAS
1. NAIADVMDRYADVMQVECHOROSARCANAQVEBACCHI
2. ORGIAETHEVVANTESSATYROSPERMVSICATEMPE
3. MEPANADTHYASOSDOCVITMODVLAMINECANTVS
ETVARIATASONISVINXITCONSORTIAPRIMVS
ATTISALMVSAMANSTVAMAXIMACVRACYBELE
EROSEOTERITOREDEVSMOLLIQVELABELLO
ACCENDITQVETVOSIDAEOSMATERAMORES
INMEFELICESANIMAVITCARMINAMVSAS
MEIVDEXFORMAEALTAGESTAVITINIDA
MELAETISOCIAMVOTIVICINAMARITO
EOOLVCISCANITINVITATASVBORTV

1. Naidum Dryadumque chorus arcbanaque. 2. Hebantis fatirus. 3. Thiasos.

XIII.

P rinceps beate placido ſub axe jam nun C
I uſtis ſerene populis favente mund O
V ictor triumpha tribuens ſalubre nume N
S æclis amore dominans perenne fauſti S
A uctor ſalutis oriens quietus ibi T
V otis favente dominis ſupernè dextr A
G audet ſubire placidum regentis ome N
V irtus vigore radians ſerena præſta T
S anctis videre ſuperis remota mund I
T otum ſub orbe moderans ſalubre nume N
* V inces ubique ſuperos favente nut V
* S æclum per omne dominans beate ſolu S

* Vincere.
* Saculum.

Jam nunc ſub axe placido beate princeps,
Mundo favente populis ſerene juſtis,
Numen ſalubre tribuens triumpha victor,
Fauſtis perenne dominans amore ſæclo,
Ibit quietus oriens ſalutis auctor,
Dextra ſupernè dominis favente votis,
Omen regentis placidum ſubire gaudet.
Præſtat ſerena radians vigore virtus
Mundi remota ſuperis videre ſanctis,
Numen ſalubre moderans ſub orbe totum,
Nutu favente ſuperos ubique vinces,
Solus beate dominans* per omne ſæclum.

* Omne per ſæculum.

XIV.

INGEMVI GRAVI TERGRAECVMMI SERATVSAMI CVM
CVI MEAMENSA DMI SSADOLENSCVPI TOMNIA FARI
1. SOLVSVTHAEC OCCVLTALEGENS SECONCI TETIRA
VNDIQVEADFLI XVMVINCLI SSONTEMQVE TENERI
2. SEDVITANSMVLTOSQVOS FOEDAADIVRGI ACOIVX
VOLVERITTESTES NEVCANDID AFEMINAGRA ECVM
3. MOXKARI SHEBETETTELI SNIHILIMPROBACYGNI
DEPOSVI SSEVIDENSHELENAMCVI GRATIABINI S
MAIORADVLTERI I SDONOMI NACVNCTALI BENTER
4. MVSASONATGRECI SFRI XCONI VXCREDECANENTI

1. Nascoculta legum fa concitat tria. 2. Conjunx. 3. Telis minis. 4. Conjunx.

In hac pagina tricenæ quinæ litteræ per omnes versus sunt, & de minio scriptum est in medio corpore paginæ *AVG. XX. CAES. X.* Sed in lineis litterarum trium *AVG.* percurrit versus,

Cum sic scripta placent, audent sibi devia Musae

In duarum sequentium, quæ sunt, *XX*,

Per varios signare modos, devotaque mentis

Item trium litterarum, quæ sunt, *CAE*,

Gaudia, quæ pingens loquitur mea Phoebe Camena.

In duarum quæ sunt quarto loco, *S. X*,

Summe parens da voce pia tricennia fari.

XV.

VICTOR SIDEREIS POLLENS VIRTVTIBVS IBIS
PERSICA CVMNATIS LATIO CONFINIA REDDENS
IAMNILI PRINCEPS LAETIS ORIENTE RECEPTO,
QVO STIBI FIDA DICAT CONCORDIA DIVE SEOIS
IAM POPVLIS PARTHIS MEDIS VNIQVE DICATIS
AVGVSTO ETNATIS TVMAGNA ADGAVDIAS ANCTE
CONSTANTINE FAVE TETANTO INCARMINE MVSA
ETTVA DESCRIPTIS PINGITVI CENNIA METRIS
ATTVSVP PLICIBVS OLIM DVX CLARVS IN ARMIS
DAPIETATE FIDEM MAIORM OXGLORIA HONORVM
SITOTOS SERVARE QVEASPOSTVO TATROPAEIS
PARCERE IAM VERSIS VIRTVS DE NVNCIATALMA
INDVS ARABS IAM VOTA FERVNT ET MEDIA DIVES
AETHIOPES GNARI RAPIDO CVMLVMINE SVRGIT
TETHIOS EX GREMIO TITANS EDET OMNIA LAETA
CONSTANTINE BONO NVNCLVDENTO TIA SAECLO
FELIX MVSA TVIS POSCIT QVAE DIGNA REFERRE
PRAEMIA VIRTVTVM MERITIS VEL VOCE SONARE
QVI DVAGA PIERIOS VERSVS SVB VALLIS OPACA
ILICE COMPONIS LAVRO QVID CARMINA CARPIS
CASTALIOS TOTA RESPONDE TVO CETRIVMPHOS
QVAM DAT FONTES VOCLARI OTVCARMINA PROMÉ
VATE DEO DIGNA AVT SIQVOD PERFERET AVDENS
MAIVS OPVS NECTENS MENS TOTA MOLES VBI BIT
SPE PINGET CARMEN PANGAT SI COEPTA CAMENA
COMPLEAT ETVERSVVARIATA DECENNIA PICTO
ORE SECVNDA VOVENS SVB CERTO LIMITE METRI
OTIA CAESARIBVS PACIS DEDITA VREA SAECLA
INDVLGENS NATIS PATRIAE PIETATIS HONORE
MITIS IVRE DEVS SED CRISTI IN FORTIA VIRES
NONDVBIA ERIPARHENVM RHODANVMQVE TVERI *
VLTERIORE PARANTE TFRANCIS TRISTIA IVRA
IAM TVSANCTE PVERS PESTANTAE RITE QVIETI
MISSA POLO SAECLIS DA CONSTANTINE SERENA
TEMPORA SVMME PIO TRICENNIA SVSCIPE VOTO

* Reodanumque.

In hac pagina tricenæ quinæ litteræ sunt: In qua Christi monogrammum rubrica depictum est, per quam à primi versus littera prima ad ultimam novissimi linea decurrens continet,

Summi Dei auxilio nutuq; perpetuo tutus,

Et à prima ultimi versus littera ad novissimam primi per obliquum ascendit scriptura hæc,

Orbem totum pacavit trucidatis tyrannis,

A media littera primi versus usque ad mediam ultimi per directum descendit rubrica continens,

Constantinus pius & æternus Imperator,

Inflexio quæ græcam litteram facit scriptum habet,

Reparator orbis.

XVI.

SANCTE DECVS MVNDI A CRE RVM SVMMA SALVTI S
LVX PIA TERRARVM TE SOLO PRINCIPE SAECLIS
IMMENSVM GAVDERE BONIS DATVR AVREA VENIT
SVMMO MISSA DEO FVSI SPATE RALME TYRANNIS
IVSTITIA INTERRA SE TGLORI A CANDIDA VERI
TEQVE DVCE MAGE GRATA FIDE SE TIVRA RENATA
TOTAQVE PERCVLSI SI NGENTI MOLE TYRANNIS
ASPERA VI SPOSITAE STBELLI RESI TALA IVRE
SCEPTRA DABIT POPVLI SVOTO PIVS ORBI SEOI
AVGVSTE IN VICTAS MVNDI TRANS IBI SINORAS
TEQVE SVPLEX TOTI SDVCI BVSSTI PATA SYENE
ORATI VRACVPI TLVCI SSIBI GAVDIA NOSTRAE
OPTATA MATFAL LAXEN PERFI DATELA FVGARVM
PARTHVS DEPOSVI TRVI TORI SVNDIQVE RVBRI
LITORI SAETHERI OENVTVCER TAMI NEAMORI S
MEDVSARABS MOXOMNI SOVATLAVDARESERENI
ORI SLVSTRATVI DATVERI SSANCTE TROPAEIS
HAECMAGE FELICES TITVLOSVINCASVTAMORE
AVREA PERPETVORES TAVRANS SAECVLAMVNDO
INDVSETAVRORAEMI LESQVOS FLVMINENILVS
TANGITFECVNDI SVENTVR VSFRVGIFERVNDIS
ORANTESPIAIVR APETENTGENSNOBILISORTV
AETHIOPESCVNCTI PARENTOPTATAQVEMVNDI
TEMPORALAETA DEDITNOBIS FELICIVSAEVVM
ENSVPLICESPERSAEI VRASIBI REGIANOLVNT
TEDOMINVMMALVNTFVSITVASEMPERADORANT
ORASVISCVPIVNTTOTISTIBICEDERE REGNIS
TVPIVSETIVSTIVEREMEMORINCLYTELAETIS
DARESPONSABONASEMPERMITISSIMVSORBIS
IMPERTIRETVVMCLEMENTERETADDITONVMEN
SINTMAGE FELICESPARITERQVOSALMETVERE
ETREPARATAIVGANSMAESTIDIVORTIAMVNDI
ORBESIVNGEPARESDETLEGESROMAVOLENTES
PRINCIPETEINPOPVLOSMITIFELICIVSAEVO
OMNIALAETENTVRFLORENTIBVSAVREAREBVS

* Tirannii.

* Sient.

* Orbi, sed apparebant vestigia prius scriptum fuisse oris.

* Felicitatibi.

* Sibi cedere.

* Sibi cedere.

* Et reparta jugantis.

Digitized by

In hac pagina omnium versuum litteræ tricenæ quinæ sunt, & per omnes partes laterum totidem. In qua à prima littera primi versus ad novissimam ultimi versus per obliquum descendit versus,

Alme salutari nunc hæc tibi pagina signo.

Et rursus à prima littera ultimi versus usque ad novissimam primi versus per obliquum ascendit hic versus,

Scripta micat, resonans nominibus domini.

Rursus prope medietatem hic acrostichidis illic teloſtichidis, scriptæ litteræ utrimque septenæ ad directum minio in duabus litteris *I* & *E*, & in medio, acrostichide & teloſtichide in *S* litteræ lineam deformata, exprimitur per has tres partes versus heroicus,

Nate Deo solus Salvator sancte bonorum,

Rursum in linea *V* litteræ, quæ est ad medietatem ultimi versus, scriptus est,

Tu Deus es justi, gratia tu fidei.

Rursum per mediam græcam *X* litteram ad directum virgula descendens, quæ habet inflexuram quasi *P* litteram græcam, habet scriptam prosam,

Sit victoria comes Aug. & natis ejus.

Quæ omnis pictura habet monogrammum Christi, & litteras scriptas, *IESVS.*

XVII.

ACCIPEPICTANOVISELEGISLVXAVREAMVNDI
CLEMENTISPIASIGNADEIVOTVMQVEPERENNE * Elementis.
SVMMEFAVETETOTAROGATPLEBSGAVDIARITE
ETMERITAMCREDITCVMSERVATIVSSATIMORE
AVGVSTOETFIDEICHRISTISVBLEGEPROBATA
GLORIAIAMSAECLOPROCESSITCANDIDAMITI
ADCVMVLANSCOETVSETTOTAORNATASERENIS
MVNERIBVSPRAESTANSNATISVTLAVREAVOTA
VIRTVTVMTITVLOSPRIMISIAMDEBEATANNIS
PROGENIETALIGENVITQVOSNOBILESAECLVM * Nobile faculum.
HISDECVSAPROAVOETVERAECONSCIAPROLIS
ROMAFLVITPRINCEPSINVICTIMILITISALMA * Roma eluit.
OTIAPACISAMANSHAECSVNTMITISSIMADONA
HOCATAVIMERITVMVOTISPOSTEDITVSORBIS
ERVMPENSDOCVITNENORINTFRANGEREFIDEI
OPTIMAIVRAPARESCVRISSVBMARTISINIQVI
INVLLISLAESAFIDESHINCIVGISTAMINEFATA
VOBISFILALEGVNTPLACIDAPIETATESECVTA
ETRESCONSTANTINVNCEXERITINCLYTAFAMA
AVCTASTIRPEPIAVOTOACCVMVLATAPERENNI
SANCTATVASSEDESADMENTISGAVDIAMIGRATI
AETHERIORESIDENSFELIXINCARDINEMVNDI
IAMPATRIAEVIRTVTISOPESBELLINELABORE
ANIVSTIMERITISDICAMMENTISQVESERENAE * Dicamentis fa-rene.
ETPIADONACANAMFECVNDAQVEPECTORANOTO
RITEDEOSICMENTEVIGENTCVIGAVDIACASTA
CLAVDIVSINVICTVSBELLISINSIGNIAMAGNA
VIRTVTVMTVLERITGOTHICODEMILITEPARTA
FILIÆTATEPOTENSCONSTANTIVSOMNIAPACE * Pilietate potens Conſtantinus ona.
ACIVSTISAVCTVSCOMPLERITSAECVLADONIS
HAECPOTIOREFIDEMERITISMAIORIBVSORTA
ORBIDONATVOPRAESTASSVPERASQVEPRIORA
PERQVETVOSNATOSVINCISPRAECONIAMAGNA
ACTIBILEGEDEIIVSSISQVEPERENNIAFIENT
SAECLAPIISCEPTRITECONSTANTINESERENO * Serena.

I. *Mixta per amfractus diducunt carmina Muſæ,*

II. *Seu cancellatos ſpatia in contraria flexus.*

III. *Seriem paramus ordinare acrius,*

IV. *Amor poeſis ſpiſſa gaudet exigi.*

V. *Poſſit coire docta rerum limite,*

VI. *Opus tuetur non negata parcitas.*

VII. *Specioſa ſancta cultu.*

VIII. *Bene picta Muſa metris,*

IX. *Breviter fluas ut iſto*

X. *Opus eſt per arta cœtu.*

XI. *Audeo plenas*

XII. *Edere formas:*

XIII. *Picta notabo*

XIV. *Jura Camenis.*

XIIX.


I. III. VII. XII.
MIRVMOPVSESTCVNCTOSETTALESEDEREVERSVS
SICQVELOCARÆHEDERISPAVLVMTVDIEROGATVS
MOXADESENQVORSVMRAPIESQVIPRAEBEOFIXAS
SVMTVVSETPRIMISTVADISCIMVSVTTRIAFELIX
NECFALLAXTRIBVENSAVDACIINMVNERECLARVM
AEQVIPARESANIMVMNVNCCLIOCARMINAFIRMET
QVÆPOTERVNTPANGIPONAMCEVSTAMINANORMAS
QVAEVERRANTSESEQVAEVINCVLAMITIACVRENT
TVDABISHASVIRESTVARVRSVMCOSEREPRAEMIA
XI. IV. AVSIBVSINMAGNISLAETAADCONTRARIACVRRAS
AONIDVMNAMFONTEGRAVIMICATARSNOVAVENIS
IMMANESTPRORSVMAMPLEXVAVTTOTOCIVSONAS *
PROSPICEREPLANTAREMODOSINMITTATVTLTEM *
ETPROIECTANECETCONSVMTOINGLORIALIBRO
SISAPIVNTETNOSTRACVISVCCRESCEREACVMEN
PRAESOLIDVMDENSVMQVEANIMIDEDVCEREVIVA
CONGRVERECERNANTSTVDIOSEQVIBONACALLES
VIII. IX. LEGIBABSTRVSISQVODCARMINACONSPICORATI
BLANDEANIMIIVDEXQVIMORIBOMNIACISAVCTV * * Premi-
PRAEMIROOSTENDISSTVDIAINRECTOREPOLITA re
TREVSICOLASQTVOSAVCTVSLAETABILESVMENS * o oſten-
INTVITVMQVOPROSPERAFACTAACGAVDIADONES di
PVBLICANILPRIVSESTQVODVLETNOMINECVRAS * Nil
FASSITSIDONIISENSVMINPENETRALEPATRONI * prius
NOSCEREQVAEPOSSISILLICNITOROCITEREIVS
CONDITVRABSTRVSAGENEROSVMCOGERECENSVM
V XIII. PAVPERIEFLAGRANTGEMINISNOVAGAVDIAVOTIS * Diuers
DIVESAPOLLINEISDEAVRATFOEDERAPLECTRIS pol linis
HICNOVITLAVDESDOCTVSQVAEQVEOMINETANTO
SVNTPRAEVISABONISTVDEXTERPROTINVSESTO
CVMSANCTISINSISTEFIDEFESTINVSINAMPLVM
CLEMENTIHAECNVTVAVGVSTVSTIBIDONABEATA
LAVDATOTRIBVETTECONSVLEPRAEMIACOMPLET
HINCTVATVNCFESTISNOTISEXNOMINAPLAVSVS
PLVRIMVSACPRVDENSRERVMQVISTORPEATVSVS
DEGENERIABSPEMOLITAPLVSINGRVITHINCIAM
SVSCIPEVOTOALACRIHOCMVNVSVIRBONECLARE
II. VI. X. XIV.

Alme tuas laurus ætas ſuſtollet in aſtra.

Aurea lux vatum ſilvæ mihi præmia ſerva.

Auĉta Deo virtus Muſas magis ornat aperta.

Aurea viĉtorem pietas ſonat ubere lingva.

Aonios latices pietas juvat armaque diva.

Auguſti florem pietas juvat arma tropæa.

Aonii frutices pietas juvat ubere glæba.

XIX.

ALMETVASLAVRVSAETASSVSTOLLETINASTRA
LVCETVASIGNESFASTVSSINELIMITECONSVL
MARTESERENVSHABESREIECTOMVNIAGRAIVM
ETMEDIPRAESTASINCENSVMSCEPTRAREDIRE
TORVAGETASCAMPOCLARVSVTLVMINAPERDIT
VVLTCVRVOTVRMAEFELIXSVACOMMINVSICTV
ARMENIIDVXFERRELEVISSOLTEQVOQVEPILA
SICETVICTNREFERTEXORTOSDACIAFRANCOS
LEGETVVSTONSORHENVSTIBIGERMINATEXVL
AGMINATELORVMSVBEANTQVIMVRMVREBELLA
VINCEREFLORENTILATIALESSARMATADVCTV
REXTIBIPOSSEGETASVISODETLIMITEVLTOR
VIDITTESVMMVMCOLVMENQVAVERIFERAESTV
SERVSINOCEANIPRESSITIVGANYSIAPONLVS
ATQVERVDISRADIISCITLVXEXORTATROPAEA
ENGAVDENTPIETATEALTISPARSPERPEREAGE
TVVATEMFIRMESDICTVSTENVNCLYRACANTET
AVCTADEOVIRTVSMVSASMAGISORNATAPERTA
SOLVMVOTANOTISLATESVAROMVLADATPLEBS
SANCTATVISCLIOPERMISCETVOTATROPAEIS
VISITVRETCRESCITPICTORVMGRATIACANTV
SITVISVICENISPERTHILENGRATIAPOLLENS
TALISFAXASVISSIGNISLYRAMVNERAGESTAT
ORSAPARIVATESQVAEPERFERTDELIERITHMO
LVMINEMVRICEOVENERANDVSDVXERITVTSOL
LEGIBVSVTIANITENEASAVVSORBETRIBVNAL
EGREGIOSTITVLOSPIETATISHABEBISAMORE
TOTFRETAPACISAPEXMVTARIMVNEREGAVDET
INDIACLAVIGERILATIVMVVLTTANGERENAVI
NILEVSMESSORSVATRADITCASTRAVELAGMEN
ARCTOSQVAMCARPINOSCETVIXHACMVSINORA
SICISTOSCVLTVSINTERCVRVANTIBVSENSES
TENIVEAIVVATARCEFRVIPONTIDECVSAVGET
ROMASORORVETERESTVSCOSQVOSORETVEMVR
ALMETVASLAVRVSAETASSVSTOLLETINASTRA

* Trophea.

* Trophei.

* Sic iſtu cultus in vrcuur-vantibus eſſet.

In hac pagina per omnes partes tricenæ ſeptenæ litteræ ſunt, & de minio ſcripta ſpecies palmæ, in qua palma duo primi rami quia breves videbantur, nec verſum poterant implere, adjuncta eſt linea per directum & per obliquum,

Caſtalides verſu docili concludite palmam.

Eadem littera prima communi manente, & M littera uitima primi verſus communi manente, ſecundus ramus per obliquum deſcendens & aſcendens, facit verſum,

Conſtantine fave, te nunc in carmina Phœbum

Per tertium ramum adæquè per obliquum deſcendit & aſcendit hic verſus,

Mens vocat, auſa novas metris indicere leges,

Per quartum ramum adæquè per obliquum deſcendit & aſcendit hic verſus,

Limite ſub parili creſcentis undique ramos,

Per medium truncum deſcendit à media littera primi verſus ad mediam ultimi hic verſus,

Reddat ut intextus Muſarum carmine verſus.

XX.

CASTALIDES DOMINO VIRTVTVM TRADITE PALMAM
CONSTANTINVS HABET BELLORVM IVRE TROPAEVM
VINDICE SVB DEXTRA REDDENS FELICITER ORBEM
CONSILII SITE RVMS VADENS ET CVNCTA REFERRE
ROMA TIBI BELLI SCVMS AEVA INNECTERE POSSIT
VINCLA IVGI VIRTVS MITES NON ARMATA HOSTEM
SI CMAGNO PATIENS DOCVIT CERTAMINE PARCENS
QVID PIETAS DONET POSTDIRA PIA MINACLEMENS
NVNC MIHI IAM TOTO DOCILES HELICONA CAMOENÆ
MITTITE CONPOSITAS INTEMPORA MITIA PALMAS
NECTITE DEMETRIS VIRTVTVM CARMINA ETOMNES
CONCINITE VTFRVCTV FELIX ET PRINCIPE DIGNA
DETSTIRPES GRATAS TEXENS QVAS PAGINA VERSV
HINC VOVEAT TITVLO VOTORVM CARMINA POLLENS
PIERIOS MIHI PHOEBE TVO DE NVMINE PRAESTENT
FONTES CASTALIAE TVA SILICE TI REPERA GRANS
MENSIVGA CELSA PETET MECVM SI PANGERE VERSV
MVSA VELIT TANTO IAM NVNC SVB PRINCIPE LAETA
LAVDIS DONA FERENS RESONANS INSIGNIA RAMIS
VINCENTVM IVSSOS AVDAX MIHI FIDA TRIVMPHOS
ET MERITVM IVSSOS TOTREDDERE NOBILE PALMAS
AONIDVM QVAS VALLE FLVENS ALITVNDA RIGATAS
SANCTE SALVS MVNDI ARMIS INSIGNIBVS ARDENS
CRISPE AVISMELIOR TE CARMINE LAETAS ECVNDO
CLIOMVS ASONANS TVA FATVR PVLCHRA IVVENTAE
NOBILE TVDE CVSES PATRIT VQVE ALME QVIRITVM
ET SPES VRBIS ERIS HOSMENTIS CARMINE CAESAR
TVVINCENS PACIS GRATISSIMA FOEDERA SEMPER
INDVLGE ET FACILIS GENTES ADIVNGE ROGANTES
FAC QVE TVI IVRIS GAVDENS VIRTVTIBVS AVCTIS
CONSTANTINVS ITEM LAVS ORBIS GLORIA SAECLI
ROMVLEVMS IDVS LVX CLEMENS INCLITA FRATRVM
NOBILITAS PROAVI SVE RVM ET MEMORABILE FAMA
RESTITVI TVI CTOR CAESAR NOMEN QVE DECVS QVE
SANCTE PATER RECTOR SVPERVM VICENNIA LAETA
AVGVSTO ET DECIES CRESCANTS OLLENNIA NATIS

* Tropheum.

* Stirpis gratiam.

* Solenia.

In hac pagina triginta quinquè litteræ per omnes partes ſunt. In qua à prima littera primi verſus ad ultimam noviſſimi, rubrica per obliquum deſcendens, habet ſcriptum,

Conſtantine Maxime Imperator & invicte.

Item à prima ultimi verſus per obliquum rubrica aſcendens, usque ad ultimam primi verſus, adæquè habet ſcriptum,

Æternæ pacis providentiſſimus cuſtos.

A ſeptima primi verſus ad ſeptimam à fine ejusdem verſus per anfractum aſcendens,

Pater imperas, avus imperes.

Item à ſeptima ultimi verſus, ad ſeptimam à fine ejusdem verſus, hoc idem habet. A tertia decima primi verſus ad tertiam decimam à fine ejusdem verſus, habet ſcriptum,

Pius & felix.

Eadem ratione & in ultimo verſu hoc idem ſcriptum eſt. A ſeptima acroſtichidis ad ſeptimam à fine acroſtichidis, habet ſcriptum,

Aurei ſæculi reſtaurator.

Hoc idem habet ſcriptum identidem à ſeptima teloſtichidis, ad ſeptimam à fine ejusdem teloſtichidis. A XIII. Acroſtichidis ad XIII. à fine ejusdem acroſtichidis habet ſcriptum,

Omnia magnus.

Teloſtichis hoc habet ſcriptum identidem à tertia decima teloſtichidis ad tertiam decimam ejusdem.

XXI.

CALLIOPE CANE PLVRA PROCA XENORE SERENVS
FONTES CASTALI IDEVS AVDI ET INDE CANOROS
MENS FVRI TINNEX VSETFELIX CVRRE REVOTIS
IAM SECRE DETOVAN SLIBETIREPE RAVIA SOLA
IMPE TEQVOGRESSVS ETFANDIOPTATACVPIDO
INVI TATATVL ITMENS TANTVMMAXIME CAESAR *Inclitæ fœbra.
AONIAE NODOSAMPLECTITVR INCITVS AETHRA
FVNDE PATERCAEPTISMVSASADMVTVAVERSVS
SCRVPEAFINGENTEMTAMDVROCARMINAVERSV
LVDE REFASNOBISPRAESVMEREDICEREMETRA
GAVDIAVELTENVIMEAPANDERESITMIHIMVSA
TANTVSHONORMEIVRESVOPERSIDERASAECLO
ODECVSAVSONIAETVLERITSICPARVALOCVTO
AMPLIVSENIVDEXDOMINVSTOTMVNERASVMMA
TANTAQVE CONCEDISTVMENTEMDICEREDONIS
INVITASLAVDISCVMMVNERESICVAGAPRIMIS
HAVDAVDITALEGASNECDICTISLAESACAMENA
AVDETMAGNANIMOVOTINOVAVINCVLAMENTIS
IVSSADARECREVITQVEMEOCORREPTAFAVORE
ENAGEIAMREDDITVOTISPIAPRAEMIAMAGNVM
CONCORDISAECLOROMAEDECVSETSIBIMVNDI
IVRASVITOTLVXPOPVLISORBIQVETROPAEVM *Trophæum.
SICDATASVNTISTOMAIORTVAGLORIATERRIS
ENAVGVSTETVISPRAESENSETTANTVSVBIQVE
IMPERIISFECVNDEPARASNVNCOMINECRISTI
OCEANIINTACTASORASQVIBVSERVTAFRANCI
DATREGIOPROCVLECCEDEVMCVIDEVIALATIS
TOTAPATENTCAMPISVTCAESOLIMITEVIGTOR
RITEATAVOSVMMOMELIORCVICLAVDIVSACER
MAGNANIMVMSIDVSDATCLARVMENVMINEDIVO
IMPERIVMVIRTVSQVEMFELIXOPTATALVMNVM
AVGESFLORETVONOSTRAETIBIDEBITAVITAE
ORTAMICATFRATRVMFATALISGLORIASAECLO
RESLATIAVTVOTICOMPOSSICGAVDEATAVCTA
ASPICEPACATOPARTAESTLVXLAETASVBORBE

In hac pagina per omnes verſus tricenæ quinæ litteræ ſunt : per quam paginam diſcurrunt duo verſus de minio ſcripti, utrique quinarum partium orationis, quæ ſingulæ ſeptenas litteras habent, quarum ultima manente, quatuor inter ſe vices mutant, ita ut prima ſi velis ſit quarta, & quarta rurſum prima, ſecunda cum velis ſit tertia, tertia cum velis ſit ſecunda, & manente ultima, fiat reciprocus multifariam verſus, non ſolum ipſe ſe mutans, ſed cum alio verſu eandem varietatis obtinens rationem, ordine ſervato partium, quem mutari velis, ut poſſis quam vis inde partem orationis per ordinem ſuarum partium mutare. Sunt autem verſus duo hi,

Diſſona Muſarum vinciri ſtamine gaudens,
Grandia conabor Phœbeo carmina plectro.

Idem verſus per anfractus varios ſurſum & deorſum diſcurrit. In hac eadem pagina quatuor quadrata in angulis ſunt ſenarum litterarum, duo trigona, & duo orthogona majora dimidiata, & unum hexagonum in medio, & ſcalena per angulos quatuor, omnia pari numero litterarum, & pari ordine creſcentia vel decreſcentia, id eſt omnia ſimilia, trigona trigonis, orthogona orthogonis, quadrata quadratis, ſcalena ſcalenis.

XXII.



* Quecunque parat sub lege.
* Trophea.

In hac pagina tricenæ quinæ litteræ per omnes partes sunt, in qua à prima littera primi versus rubrica descendens usque ad quadraturam mediam, & de quadratura per obliquum ad ultimam primi versus ascendens, facit versum,

Ausoniũm columen, lux alma, & gloria Romæ.

Rursum ab Acrostichidis tertia decima littera, quæ est V, per obliquum ascendens usque ad primum versum prope medietatem, & inde per obliquum descendens ad Telostichidis tertiam decimam litteram, quæ est I, facit versum,

Virtutum specimen, mitis clementia mundi,

Novissimæ autem partes orationum his duobus versibus alternis utraque utrique versui serviunt. Deinde per Acrostichidem à quarta decima littera novem litteræ ad directum descendentes, & contra se pari ordine prope in media pagina aliæ novem, & item ultra mediam paginam pari ordine aliæ novem, & item in telostichide aliæ novem, faciunt versum,

Justitiæq; parens, spes felix, otia rerum.

Rursus à vicesima tertia littera Acrostichidis, per obliquum ad ultimum versum descendens, & inde paululum directa, & ascendens per obliquum ad XXIII. telostichidis, facit versum,

Ætherium munus nobis per sæcula missum,

Litteræ ab ultima littera Acrostichidis, à prima novissimi versus per obliquum ascendentes ad mediam quadraturam, & paululum directæ, & per obliquum descendentes, usque ad ultimam novissimi versus litteram, faciunt versum,

Rectorisque Dei per te præsentia pollet.

In ista pagina sunt hexagona pari numero quatuor, trigona isopleura numero litterarum octo, quadratum medium, omni parte pari numero litterarum, unum.

XXIII.

AVGVSTVMSPECIMENMITISCLEMENTIAMAGNE
AVSONIDVMVICTORTVAMAXIMEFORTIAMVSAE
CASTALIAEDEFONTECANVNTTVMVNERASVMMA
VOTORVMDAPHOEBEMIHINVNCPLENAFAVORIS
DAMENTEMSENSVSQVEPIOSINSIGNESERENVS
IMPERIVMNATISQVEPOTENSADMARTIAFELIX
PERPETVVMSAECLISPICTOSVBCARMINEFARI
AVDENTEMPRECORIPSEIVVAMEGLORIAVATVM *Ipse ju-
DICTVRVMCARMENQVAMVISNVNCCOPIAMVSAE. va.
NONTALISPOSSITQVEMINVSSVBLEGEIVVARI
VERSOALIVDLIMOALIVDQVOPAGINAINOMNES
SIGNATVRMODVLOSDISCERNATSEMINAFANDI
VELLEIVVATNVMENLVXALMAETGAVDIAMVNDI
INSTITVVNTSEQVITVRCVRASINMVSICAVOTO
VIRTVTESQVETVASETMORESPANDEREGESTIT *Virtutis
SANCTETVOSCREVITNOSTRAEFIDVCIAMENTI obtutus.
TEDVCENAMQVEPIOGAVDENSSVBMVNERENOTA
INIVGAFESTINATMVSISVBIFRONDEASEMPER
TECTACANVNTARTESETNOTAEVATIBVSVNDAE
INDOMITOSREGESSEVPACISLVBRICAVICTOR
AVTBELLOSTERNENSAVTMITISFOEDERANVTV
ESSETVOSFACISAGROSQVEEXERCERETVORVM
AVCTIORALMADEIPERTEPRAESENTIAMVNDVM
RESPEXITREDDENSMOXAVREASAECVLAREBVS
OSTENDITQVEDEVSRECTORISTEMPORAIVSTI
AETHERIONVTVPLACIDISCLEMENTIAIVSTIS
PERTEPERQVETVOSSVNTOMNIAMITIAVICTOR
NATOSRESPOPVLIFLORENTADGAVDIAMENTIS
CAESARIBVSQVETVISTOTOVICTORIAINORBE *Cæsari-
SEMPERIVRECOMESFELIXINSAECVLAPOLLET bus.
TANTORVMMERITASTATVESCAPTIVATROPAEA *Trophea.
VICTORSARMATIAETOTIENSENACCIPECLARI
DVCTORVBIQVETVISVOTORVMREDDITAFELIX
DEBITAIAMCONPOSGAVDETTVAROMVLEPVBES
RECTORRITESVVSNOBISPERSAECVLAFLORET

XXIV.

POSTMARTIOSLABORES OSIDIVI SOMETI
ETCAESARVMPERENNES VNALEGESVIVNO
VIRTVTIBVSPERORBEM AONIOVERSVSHE
TOTLAVREASVIRENTES AVSVRODONETME
*Trophæ. ETPRINCIPISTROPAEA AVGERILONGOPA
FELICIBVSTRIVMPHIS EXIGVOCVRSVPA
AVGVSTARITESAECLIS VLTIMAPOSTREM
*Exultat. EXSVLTATOMNISAETAS ASCENSVIVGICV
VRBESQVEFLOREGRATO VNOBISSPATIO
ETFRONDIBVSDECORIS DINVMERANSCOG
TOTISVIRENTPLATEIS PARVANIMISLON
HACORDOVESTECLARVS TEMPORESVBPAR
CVMPVRPVRISHONORVM DIMIDIVMNVMER
FAVSTOPRECANTVRORE HAECERITINVAR
FERVNTQVEDONALAETI PERQVEMODOSGR
IAMALMACVLMENORBIS AERECAVOETTER
DATMVNERAETCORONAS QVISBENESVPPO
AVROFERENSCORVSCAS ARTIFICISMANV
VICTORIASTRIVMPHIS SPIRAMENTAPRO
VOTAQVEIAMTHEATRIS SVBQVIBVSVNDA
REDDVNTVRETCHOREIS QVOSVICIBVSCI
*Tactic. MESORSINIQVATANTIS HINCATQVEHINC
SOLLENNIBVSREMOTVM COMPOSITVMADN
VIXHAECSONARESIVIT QVODQVEQVEATM
TOTVOTAFONTEPHOEBI PLECTRAADAPER
VERSVQVECOMPTASOLO IAMQVEMETROE

Augusto victore juvat rata reddere vota.

Hi versus habent numerum Jambicum dimetrum catalecticum, omnes litterarum decemoctorum.

XXV.

I L I-M I T E C L I O
A N A N T I A F O N T E
O I I V R E M A N E N T E
R I F E L I C I A T E X T A
I E N S E X O R D I A F I N E
V O C R E S C E N T I A M O T V
O O N E C F A S T I G I A T O T A
V L A T O L I M I T E C L A V D A T
R S V S E L E M E N T A P R I O R I S
N S A E Q V A R I L E G E R E T E N T A
I S E T V I S V D I S S O N A M V L T V M
. I M E T R I R A T I O N I B V S I S D E M
M V S I S T A M E N A E Q V I P A R A N T E M
O S S P E C I E S A P T I S S I M A C A N T V S
O I B V S S V R G E T F E C V N D A C A N O R I S
T I C A L A M I S C R E S C E N T I B V S A V C T A
. T I S Q V A D R A T I S O R D I N E P L E C T R I S
. N N V M E R O S C L A V D I T Q V E A P E R I T Q V E
A N S P L A C I D I S B E N E C O N S O N A R I T H M I S
A T E N S P R O P E R A N T I B V S I N C I T A V E N T I S
B R I S I V V E N V M L A B O R H A V D S I B I D I S C O R S
I I M A T Q V E A G I T A N S A V G E T Q V E R E L V C T A N S
M E R O S P R O P R I V M Q V E A D C A R M I N A P R A E S T A T
N I M V M A D M O T V M I N T R E M E F A C T A F R E Q V E N T I A
A S E Q V I A V T P L A C I D O S B E N E C L A V D E R E C A N T V S
I T H M I S P R A E S T R I N G E R E Q V I D Q V I D V B I Q V E E S T

In hac pagina organi ſpecies eſt XXVI. verſibus depicta, in qua uperior pars omnis heroico metro ſcripta eſt, cujus primus verſus XV. litterarum eſt, & inde ſinguli per ordinem, incrementis ſingularum litterarum, ad quinquaginta usque perveniunt, cujus numeri ſt ultimus verſus, qui primum verſum numero duplicat litterarum, um ſit pari metro. Deinde per medium diverſa rubrica ſcriptus eſt verſus,

Auguſto victore juvat rata reddere vota.

Quæ quaſi regulam organi deſignant,

XXVI.

ARDVA COMPONVNT FELICES CARMINA MVSAE,
DISSONA CONNECTVNT DIVERSIS VINCVLA METRIS,
SCRVPEA PANGENTES TORQVENTES PECTORA VATES,
VNDIQVE CONFVSIS CONSTABVNT SINGVLA VERBIS.

Hi quatuor verſus omnes pari ratione conſcripti ſunt: Ita ut manente ultima parte orationis, ceteras partes omnes verſuum ordinibus tantum invicem mutatis, vel ad directum, vel ad reciprocum modum variare poſſis, ita duntaxat, ut primæ partes cum primis vel quartis vices mutent, ſecundæ cum ſecundis vel tertiis, & poſſis ſi velis, nulla parte orationis addita, ex his 1111. verſibus LXXII. facere, ita ut nullus ſui ſimilis ſit.

Ardua componunt felices carmina Muſæ,
Diſſona connectunt diverſis vincula metris,
Scrupea pangentes torquentes pectora vates,
Undique confuſis conſtabunt ſingula verbis.

Carmina felices componunt ardua Muſæ,
Vincula diverſis connectunt diſſona metris,
Pectora torquentes pangentes ſcrupea vates,
Singula conſtabunt confuſis undique verbis.

Ardua conſtabunt torquentes carmina Muſæ,
Diſſona componunt connectunt vincula metris,
Scrupea confuſis diverſis pectora vates,
Undique felices pangentes ſingula verbis.

Carmina torquentes conſtabunt ardua Muſæ,
Vincula connectunt componunt diſſona metris,
Pectora diverſis confuſis ſcrupea vates,
Singula pangentes felices undique verbis.

Undique connectunt conſtabunt ſingula Muſis,
Scrupea torquentes componunt pectora metris,
Diſſona confuſis felices vincula vates,
Ardua pangentes diverſis carmina verbis.

Singula conſtabunt connectunt undique Muſæ,
Pectora componunt torquentes ſcrupea metris,
Vincula felices confuſis diſſona vates,
Carmina diverſis pangentes ardua verbis.

Carmina diverſis felices ardua Muſæ,
Vincula pangentes connectunt diſſona metris,
Pectora torquentes componunt ſcrupea vates,
Singula confuſis conſtabunt undique verbis.

Ardua felices diverſis carmina Muſæ,
Diſſona connectunt pangentes vincula metris,
Scrupea componunt torquentes pectora vates,
Undique conſtabunt confuſis ſingula verbis.

Singula confuſis pangentes undique Muſæ,
Pectora diverſis felices ardua metris,
Vincula connectunt conſtabunt ſcrupea vates,
Carmina componunt torquentes diſſona verbis.

Undique pangentes confuſis ſingula Muſis,
Ardua felices diverſis pectora metris,
Scrupea conſtabunt connectunt vincula vates,
Diſſona torquentes componunt carmina verbis.

Diſſona torquentes conſtabunt vincula Muſæ,
Undique connectunt componunt ſingula metris,
Ardua diverſis confuſis carmina vates,
Scrupea pangentes felices pectora verbis.

Pectora connectunt pangentes ſcrupea Muſæ,
Carmina confuſis diverſis ardua metris,
Singula felices componunt undique vates,
Vincula conſtabunt torquentes ardua verbis.

Scrupea felices diverſis pectora Muſæ,
Ardua connectunt pangentes carmina metris,
Undique componunt torquentes ſingula vates,
Diſſona conſtabunt confuſis vincula verbis.

Vincula confuſis conſtabunt diſſona Muſæ,
Singula torquentes componunt undique metris,
Carmina pangentes connectunt ardua vates,
Pectora diverſis felices ſcrupea verbis.

Vincula componunt connectunt diſſona Muſæ,
Singula conſtabunt torquentes undique metris,
Carmina felices confuſis ardua vates,
Pectora pangentes diverſis ſcrupea verbis.

Scrupea diverſis pangentes pectora Muſæ,
Ardua confuſis felices carmina metris,
Undique torquentes conſtabunt ſingula vates,
Diſſona connectunt componunt vincula verbis.

Pectora pangentes confusis scrupea Musæ,
Carmina felices diversis ardua metris,
Singula constabunt connectunt undique vates,
Vincula torquentes componunt dissona verbis.

Dissona componunt torquentes vincula Musæ,
Undique connectunt constabunt singula metris,
Ardua diversis felices carmina vates,
Scrupea confusis pangentes pectora verbis.

PANEGYRICUS PUBLILII OPTATIANI PORPHYRII DICTUS CONSTANTINO AUGUSTO,

FINIT FELICITER.

V. C.

CHRISTIANI DAVMII SPICILEGIVM CRITICVM

AD

EPISTOLAM PORPHYRII.

Maxime Invicte] Petri Pithœi Editio inter Veterum Epigrammata & Poëmatia, procurata Lugduni 1596. pag. 379. omittit *Maxime.*

Infatigabilis clem.] Pith. *infatigabilis.*

Suffecerat] Pith. *suffecerit.*

Ligaveram] P. *illigaveram.*

Quo plus mihi] P. *quod prius mihi.*

Pro Heliconis] P. *pro Heliconii*, quod Barthius mavult, col. 1107.

Apollinis lyræ] P. *Apoll. lyra.*

Tui mihi nominis] P. *tui mini * nom.* Barthius legebat *tui divini nominis.*

Cum sua veneratione præfatio] P. *cum sua venerabili** *prælatio.*

Audendum, & exp.] τὸ *&* à P. abest.

Antistes nobilis Mant.] P. *nobis.* Malè.

Nectaris, vela fœcundus] P. *nectaris fœcundus.* Malè omittit vocem.

In carmina exaltat] P. *in carmine exultat.*

Tenui pauper ingenio] P. *tenuis pauper ingenii.*

Immensum mihi pondus] P. omittit *mihi.*

Etiam Musis tibi familiaribus adeò vacas] P. *hæc à Musis tibi familiaribus laudas.*

Quibus invictus semper in primis es] P. *quibus & invictus semper & primus es.*

Cum exili sermone] P. *cujus exili serm.*

Ne perminimis q. r. d. possint] P. *pro minimis q. r. d. possit.*

Ne facundissimis q. p. impleri?] P. *ne à facund. q. p. impleri.* Absque interrogandi signo.

Jam licet Parnassi] P. *jam* omittit.

Quocunque mens ibit in carmina] P. *quacunque mens ibit, carmine.*

Ausus sum illigare] P. *ausus sum versibus illigare.*

Vale] abest à Pith.

Barthius adscripserat:

Non ideò dubitandum de ingenuitate hujus Epistolæ, quod multi Constantiniano ævo melius Latine scripserunt: Nam & alios licet notare, & sic & pejus etiam, locutos; ut sint exemplo, chorographia à Jacobo Gothofredo, Itinerarium Hierosolymitanum à Petro Pithœo, promulgata Opuscula. Nos in scriptis libris & plura talia supereſſe novimus, & vel omnium loco ponamus Commentaria in Psalmos Arnobii alicujus, ætate certè minimè recentioris istis huc positis, titulum præferentia, &c.

AD

EPISTOLAM CONSTANTINI.

Augustus Maximus] P. *maximus Augustus.*

Spectarentur in] P. *expectarentur.*

Et Græca post] P. omittit τὸ &.
Eloquentia siluisset] P. *eloq. vilescere.*
Gloria tota residerat] P. *resederit.*
Id ex ea indicere] P. *dicere.*
Ævum tulit delectare] P. τὸ *delectare* omisit.
Favoris excludit] P. *fav. exclusit.*
Flexere] P. *flexerunt.*
Cothurnis, & prope quotid.] P. *cothurnos. Alter prope totiâ.*
Verbis affectus] P. *verbis allectas.*
Locutus est quidam, inæq.] P. *locutus est: quibusdam inæquali.*
Elegia cantata est] P. *elegiaca cantata sunt.*
Inseruit pro æqu. modulaminis * *At non circa sing.*] P. *inseruit. Pro qualitate modulaminis ad singulos q.*
Ingeniis Imperatorum fav.] P. *ing. temporum favor.*
Irrigare] P. *rigare.*
Quasi clivosi] P. *quàm si cliv.*
Temperavit] P. *temperaverit.*
Non aliter ben.] P. *haud aliter b.*
Oratoribus fuit] P. *orationibus fuit.*
Ut hoc genere dict.] P. *ut in hoc g. d.*
Parn. juga] P. *Parnassi sacra.*
Etiam nova nova lyra sibi] P. *etiam nova jura sibi.*
Qui modis quibusdā æctis innexi litterarum, distinctionibus versuum] P. *ut modis quibusdam artis inexi citra interventum vitii inculpatum carmen effunderent. Tibi nominum difficultate proposita, numero litterarum, distinctionibus versuum:*
Propositi occultè intermeant] P. *propositi operis intermeant.* Fortè *propositi operis occultè int.*
Oculorum sensus] P. *ocul. sensibus.*
Hoc tenuere] P. *hoc tenere.*
Hæsitantiam carmini] P. *hæsitantia carmina.*
Non repararet] P. *non separaret.*
Dicationis] P. *dictationis.*
Comprobata est] P. *comprobata* *
Si tu cum videas] P. *Tu cum tibi videas.*
Auribus non periisse, & prov.] P. *auribus* *, *non petis, sed prov.*

CARMINE I.

V. 3. *Ostro aditura nit.*] Pith. pag. 347. *Ostro tota niteus.*
V. 10. *Quod nimium sit tua nunc facies*] P. *quo nimium sit tua mundicies.*
V. 11. *Quos habitus*] P. *Hos habitus.*
V. 17. *Radiantibus intus*] Sic & Pithæi Editio. Barthius tamen legere imbibit pro *intus*, *uncis*, per quos intelligit umbilicos, quos *Menides* vocat Ausonius Prof. XXVI. Vide eum l. XXII. Advers. cap. XIIX.

CARMEN II.

Abest à Pithæana Editione.
V. 10. *Spiculo*] Genus ferramenti marmoratii. *Barth.*
V. 15. *Normata ubique*] Exacta ad normam. *Barth.*

AD CARMEN III.

V. 2. *Auguste*] Pith. p. 378. *Augusti.*
V. 3. *Imperium*] P. *Imperii.*

V. 7. *Ni*

v. 7. *Ni liquerit ille*] P. *ne linqueret illi.*
v. 9. *Nobis te*] P. *nobis tu.*
v. 10. *Decus o lux*] P. *decus & lux.*
v. 13. *Dant Patri*] P. *dant Patriæ.*
v. ult. *Vatis*] P. *Vates.*

Syllabis constat, qui dicitur Torp. ſ. Stymphalicus] Hæc non habentur in Pithœana.

Torpalius] Ropalicus. *Barth.*

Partibus orationis constat] P. omisit τὸ *tonstat.*

Ordinem ſuum per vices] Pith *per vices ord. ſuum.*

Nonus & ad dir.] τὸ & omittit Pith.

Heroicus eſt] P. τὸ *eſt* omittit.

Decimus & ad dir. pent. eſt, & reciprocus æquè] P. *Decimus ad dir. pentameter, & reciprocus nulla ademptâ littera vel ſyllaba, fit idem Pentameter.*

Undecimus & ad dir. hexameter eſt, & reciprocus nulla exempta littera vel ſyllaba ſit idem Pentameter] P. *Undecimus ad dir. exameter & reciprocus**

Tertius decimus pentameter, ſit heroic. & her. pentameter] P. *Et Tertius decimus pentameter: ſuntque recurrentes.*

Sotadici] P. *Sotadicis.*

CARMEN IV.

Non eſt in Pith.

AD CARM. V. LEMMA.

Iſta ſequens pagin.] Pith. p. 350. *Et ſeq. pag.*
Tali ſe carmine] P. *tuli ſi carm.* Malè.
Penultimam] P. *paene ultimam.*
Ad ultimam ſui] P. *ad ult. ſic.*
Penultimam] P. *paene ultim.*
Item ad octavam decim] P. *Iterum ab octava decima.*
Orthogona] P. *octogona.*
Et decreſcentia] P. *vel diſcreſcentia.*

AD CARMEN V.

v. 1. *Fragrarem*] Pith. p. 351. *flagrarem.*
v. 9. *Lætus*] P. *ſaetus.* Malè.
v. 20. *Devia vota*] P. *d. voto.*
v. 26. *Tanto cui munere*] P. *t. cui mun.*
v. 30. *Cito perferat*] P. *cita perf.*
v. 32. *Reddere detur*] P. *r. retur.*

AD CARM. VI. LEMMA.

In hac pagina] P. pag. 348. *In ſequenti pag.*
Tricenarum] P. *trigenarum.*

Cum acroſtichide; ultima littera primi verſus, id eſt S communis eſt cum teloſtichide: ultima littera acroſtichidis, id eſt S communis eſt c. u. v.] P. *cum acroſtichidis prima littera, id eſt, S cum teleſtichidis ultima littera, communis eſt, id eſt, S communis eſt c. u. v.*

Decima octava] P. *octava decima.*
Deorſum deſc. p. m. ult. verſus] omittit P.
Decima octava S caput eſt medii verſus ad directum: q. m. v.] P. *octava decima in capitalium medium verſum, q. m. v.*

Partes has] P. *has partes.*
Clauſæ] P. *incluſæ.*
Scriptum fac.] P. *ſcriptæſ.*
Diſponas] P. *diſponis.*

AD CARMEN VI.

v. 3. *Nobis da gaudia*] P. pag. 349. *nobis ad gaudia.*
v. 9. *Mœſto ſic ſaltem*] P. *mœſtos hic ſaltim.*
v. 11. *Annuit*] P. *Adnuit.*
v. 16. *Ad laterum*] P. *Ac lat.*
v. 22. *Æterna, vires &*] P. *æterna, cuires &.*
v. 26. *Et ſummi laus, grata*] P. *E. ſ. jus, grata.*
v. 29. *Dextra ſalutis*] P. *dextra maritis.*

AD LEMMA CARM. VII.

In iſta pag.] P. p. 363. *In hac pag.*
Litteræ ſunt] P. *Litteræ omnes ſunt.*
Noni verſus deſignat] P. *noni verſus per obliquum bis aſcendens & deſcendens lubrica* (l. rubrica) *ad penultimam ejusdem verſus, deſignat*, Orbi tu ren.
Rubrica, continet verſum hunc] P. *lubrica continet hunc verſum.*

AD CARM. VII.

v. 2. *Dabis*] Pith. ibid. *dabit.*
v. 3. *Mox carus*] P. *Mox rarus.*
v. 5. *Mundo*] P. *mundi.*
ibid. *Nomen*] P. *numen.*
v. 13. *Sua ſigna*] P. *qua ſigna.*
v. 15. *Concordia in omen*] P. *concordiæ omen.*
v. ult. *Sibi junge*] P. *tibi junge.*

AD CARMEN VIII.

v. 4. *Tu vatem*] Vide *Valeſium* ad Euſeb. H. E. pag. 169.
v. 5. *Polo divulſa*] P. p. 362 *polo diviſa.*
v. 8. *Libera quærant*] P *liber* quærunt.*
v. 13. *Res*] i. e. *Reſpublica.* Sic v. 17.
v. 14. *Memorabile numen*] P. *memorabile dictu.* Malè.
v. 16. *Laremque*] P. *Laremve.* Malè.
v. 17. *Auguſto*] P. *Auguſti.*

CARMEN IX.

Abeſt à Pith.

AD CARM. X. LEMMA.

In hac pag.] P. p. 368. *In ſequenti pagina.*
Deſcend. per directum] P. *per diverſum deſcendentes per ordinem directum.*
Omnium verſuum hic verſus] P. *omnium verſuum litteris verſus hic Græcus.*
In nonis decimis hic] P. *In nonis decimis verſus eſt hic.*
In v. octavis autem] P. *In v. ſeptimis verſus eſt hic.*
Sed cum deorſum &c.] Pith. *Sed cum hoc ordine deorſum verſum Græcæ legantur, eædem litteræ per diverſum ordinem in legentibus rectum*

rectum dum in eadem pagina loquuntur versibus Latinis, obsequium suum Latinarum litterarum officio præbent, ut sit diversitas, cum hac Græce.

AD CARM. X.

v. 7. *Fecundæ resecent*] P. pag. 369. *fec. referent.*

v. 10. *Te dominum bona &c.*] P. *Te dominam, bona dona Dei, te magne parentem.*

v. 11. *Grajûmque orb. t. maxime Rector*] P. *gratumque orbem, sibi maxima semper.*

v. 13. *Conplacidi sp. hostiles*] P. *Cum placidi spectent nos tales.*

v. 14. *Tua Const.*] P. *tui Const.*

v. 16. *Servatores Tirri*] P. *Serv. Tyrii.*

v. 17. *Carior orbi*] P. *Karior orbi.* Sic versu 15. in utraque Edit. Ergo & hîc ita scribendum erat.

v. 18. *Quietis*] P. *quiete.*

v. 19. *Numinis*] P. *nominis.*

v. 23. *Tauro*] P. *Cauro.*

v. 27. *Cara*] P. *rata.* Malè.

v. 28. *Sors*] P. *Fors.*

v. 29. *Invictæ attollunt s. coortes*] P. *invictas attollant signa cohortes.*

v. 31. *Jura fidemque*] P. *Plura fidemque.*

v. 32. *Alme tui spectant*] P. *Alma tua spectant.*

AD CARM. XI. LEMMATE.

In hac pagina] P. p. 370. *In sequenti pag.*

Rubrica] P. *Lubrica.* Malè.

Ascendens usque ad p. octavi ejusdem versus] P. *Ascendens & descendens usque ad pæne ultimam ejusdem octavi versus.*

Optime Basse] Sic & Pith. Sed scribendum est *optume.*

Decimam septimam octavi] P. *septimam decimam oct.*

Ad tricesimam primam] P. *ad vicesimam prim.* Malè.

Et inde à XVII. noni] P. *& inde ad septimam decimam noni.*

Is, & inde à XIII. noni] P. *Is & inde ad tertiam decimam noni usque.*

Hendecasyllabum] P. *hendecasyllabum hunc.*

AD CARMEN XI.

3. *Ambiit*] Pith. p. 371. *ambigit hæc claudens felicis nomine.*

6. *Pythola*] Rectè Pithœus *Pithoia.*

8. *Sed saucius*] P. *sit saucius.*

11. *Velit medio*] P. *velit metro.*

ib. *Dum in agmine*] Tò *M* non eliditur, ut apud alios ejus ævi & sequentium passim.

ib. *Colocat*] P. *collocat.*

CARMEN XII.

Abest à Pith.

Edidit *Comelinus* ex *Velseri* Editione sub finem Notarum *Jos. Scaligeri* ad Theocritum p. 29. Edit. 1596. in 8.

AD LEMMA CARM. XIII

Pithœi Editio p. 364. præponit hæc in Velleriana omissa: *In pagina sequenti versus est ex dimidio jambico & dimidio trochaico constans:*

ſtans: trochaicam partem in jambicam vertit, & jambicam in trochaicam. Eadem pagina in acroſtichide habet,

Pius Auguſtus:

In teleſtichide,

Conſtantinus.

Verſus in Pithœana ſic collocantur pag. 365.

Princeps beate placide (l. placido) *ſub axe jam nunC.*

Jam nunc ſub axe placido beate princeps. Juſtis ſerene &c.

Mundo favente &c. Et ſic porro.

v. 6. *Dominis*] P. *domini*. Sic & v. 18.

v. 11. *Superos*] P. *ſupero*. Sic & v. 23.

CARMEN XIV.

Non eſt in Pith.

CARM. XV. LEMMATE.

In hac pagina] P. pag. 352. *Et in ſequenti pag.*

Item trium litterarum] P. *In tertiarum, quæ ſunt CAE.*

IN CARMINE.

v. 1. *Sidereis*] P. pag. 353. *ſideriis.*

v. 12. *Verſis*] P. *verſus.*

v. 15. *Sedet*] P. *ſedit.* Barthius legit *dedit.*

v. 17. *Poſcit*] P. *poſſit.*

v. 30. *Criſti in*] P. *Criſpi in.*

LEMMATE CARM. XVI.

In hac pagina] P. *In ſequenti pagina.*

In qua Chriſti] P. *In quæ Chriſti.*

Rubrica dep.] P. *lubrica dep.*

Per quam &c.] P. *per quem à prima primi verſus.*

Ultimi verſus littera ad nov.] P. *ult. verſus ad nov.*

Usque ad med.] in P. τὸ *usque* abeſt.

Rubrica] P. *lubrica.*

Litteram facit ſcriptum habet.] P. *litteram facit, habet ſcriptum per lubricum, Repar.*

CARM. XVI.

v. 5. *Verſus Juſtitia in terras*] hic verſus abeſt à Pith. pag. 367.

v. 7. *Itala*] Malè Pith. *Italia.*

v. 10. *Invictas*] P. *Invictus.*

v. 11. *Teque ſuplex*] Peſſimè Pith. *ſupplex* contra Metrum. Porphyrius imitatione Veterum longam poſitione Syllabam, omiſsâ unâ Conſonantium corripit, ut fecerunt in *ŏmitto*, pro *ommitto*, vel *obmitto*, *dĭſſertus* pro *diſſertus*, *mămilla* à *mamma*, *ŏfella* ab *offa*. Et ſic uſi ſunt Damaſus Hymno Agathæ: *Pro miſero ſuplica Damaſo.* Sic Vett. Edd. ubi qui ignorarunt hoc, *rogita* ſubſtituerunt. Nec attendit id Operum Damaſi recenſitor Martius Mileſius Sarazanus. Sic Galterus Alexandreide lib. 1. v. 280. & lib. 8. v. 7. *Gul. Brito* l. 1. v. 1. v. 197. 428. 799. lib. 6, 64. lib. 7. v. 587. lib. 9, 121. 326. l. 11, 523. &c. Noſter *Optatianus* iterum hoc Carmine, v. 25.

v. 16. *Serens*] Pith. *Serene.*

v. 18. *Vincas ut amore*] P. *ut vincat amore.* Fortè: *ut vincas amore.* Sic infra v. 24. hoc Carmine. *Tertullian.* l. 2. contra Marcion. v. 186. *Hilarius* Geneſi, v. 2. 95. 184. Ad quem videndus *Weitzius.* Sic pag. 109. Epigr. veter. Pith.

V. 23. *Optataque mundi*] P. *Opt. mundo.*

V. 24. *Felicius ævum*] P. *felicitas aevi.* Et sic Velſ. MS. habuiſſe, quod ex Nota ad oram vides. Vide jam ad 18. dicta.

V. 25. *En ſuplices*] P. *ſupplices*, quod neque metrum, neque Optatiani artificium tolerat. Vide ſupra hoc Carmine v. 11.

V. 27. *Tibi cedere*] P. *ſibi cedere.*

V. 29. *Dareſponſa bona*] P. *Dareſp. bono.*

V. 32. *Mœſti divortia mundi*] V. *Valeſium* ad Euſeb. p. 169.

V. antepen. *Volentes*] P. *volentis.* V. *Nic. Heinſii* Præfat. ad nitperrimam Virgilii Editionem.

V. penult. *mihi felicius*] P. *mitis felic.*

AD LEMMATE CARM. XVII.

In hac pag.] Pith. p. 358. *Et in ſequenti pag.*

Tricenæ quinæ ſunt] P. *tric. quinæ litteræ ſunt.*

Laterum totidem. In qua] P. *laterum, in qua.*

Et rurſus à prima l. u. v. u. ad n. p. v. p. obl. aſc. hic verſus, Scriptà micat, reſonans nominibus Domini.] Hæc deſunt in Pith.

Rurſus prope mediet.] Pith. *Et rurſus à primo verſu prope mediet atem utrinque ſeptenæ litteræ ad directum minio duabus litteris, quæ ſunt IE, & in media acroſtichide in S litteram linea deformata: exp. p. h. t. p. h.*

Ad mediet. ultimi verſus ſcriptus eſt] P. *ad mediet. u. verſus, & in linea litteræ S, quæ eſt in teleſtichidis medietate, Pentameter verſus ſcriptus eſt hic.*

Rurſus per med.] P. *Rurſum p. m.*

Habet ſcriptam proſam] P. *habet Scripturam proſa.*

Et literas ſcriptas JESUS] P. *& in imo litteras JESUS.*

AD CARM. XVII.

V. 2. *Perenne*] P. *perenni.*

V. 3. *Summe fave*] P. *Summa fave.*

V. 12. *Roma fluit*] P. *Roma cluit.*

V. 16. *Curis ſub*] P. *Curris ſub.*

V. 18. *Pietate ſecuta*] P. *Pietate ſecurâ*, malè.

V. 21. *Tuas ſedes*] P. *ſuas ſedes.*

V. 23. *Opes*] P. *Opus.*

V. 27. *Claudius*] unde oriundus Conſtantinus. Infra Carm. XX. v. 27. Vid. Trebell. Poſtio.

V. 29. *Fili ætate potens*] P. *& pietate potens.* Benè.

V. ult. *Sæcla pii ſceptri te Conſt.*] P. *Saecla piis cepi rite C.*

C. XVIII. }
XIX. } Abſunt à Pith.

C. XX. LEMMATE.

In hac pagina per] P. *In ſequenti p. p.*

Et de minio ſcripta ſpecies palmæ] P. *& de minio ſcriptæ, & ſunt ſpecies palmæ.*

Duo primi rami] P. *primi duo rami.*

Eadem littera pr.] P. *Eadem C littera pr.*

Facit verſum] P. *facit verſum hunc.*

Adæque per obliquum deſc.] Pith. *per obliquum* omittit.

Creſcentis undique] P. *creſcentes u.* Sed auctor ſcripſit *creſcentis.*

Verſus ad mediam] P. *verſus usque ad med.*

CARM.

CARM. XX.

v. 6. *Mites non arm.*] P. *mitis non ar.*
v. 7. *Sic magno*] P. *Sit magno.*
v. 8. *Donet post dira pia mina*] P. *donec post pia minacia clemens.* Barth. legebat: *post pila minacia.*
v. 9. *Helicona*] P. *Helicone.*
v. 10. *Conpositas*] Recte. Pith. malè *compositas.*
v. 13. *Texexs*] P. *texens.*
v. 14. *Carmina*] P. *carmine.*
v. 20. *Virtutum jussos audax*] Pith. *Virtutum ju* ax.*
v. 21. *Jussos tot*] P. *justis tot.*
v. 27. *Hos mentis carmina*] P. *nos mentis è.*
v. ult. *Sollennia*] P. *solemnia.*

C. XXI. LEMMATE.

In hac pagina] Pith. p. 376. *In sequente pagina.*
Rubrica] P. *lubrica.*
Ad septimam à fine] P. omittit *a.*
Per anfractum ascendens] P. *per amfractum ascendens & descendens habet scriptum, vater i. A. i.*
Ad septimam à fine ej.] P. *ad septimam fine ejusd.*
Tertiam decimam, à fine] P. τὸ *a* omittit iterum.
Eadem ratione & in ult.] Pith. omittit *&.*
A fine Acrost.] P. *fine Acrost.*
Hoc idem habet] P. Sic ordinat: *Identidem à sept. telestichidis ad septimam fine ej. telestichidis, hoc idem habet scriptum.*
A fine ejusd.] P. *fine ejusd.*
Telostichis hoc habet scr.] P. *Identidem tertia decima telestichidis in tertia decima ejusdem telestichidis hoc habet scriptum.*

CARMINE.

v. 2. *Fontes*] Pith. p. 377. *Fontis.*
v. 4. *Libet*] P. *licet.*
v. 9. *Tam duro*] P. *jam duro.*
v. 13. *Tulerit*] P. *tuleris.*
v. 14. *Amplius en*] P. *Amplius &.*
v. 15. *Tumentem dicere*] P. *tumenti edicere.*
v. 17. *Legas nec dictis læsa*] P. *ligas nec dictis læta.*
v. 18. *Voti*] P *vati.*
v. 20. *Magnum*] P. *magnus.*
v. 23. *Major tua gloria*] *Barth.* ad Claudian. p. 507. 2. Edit.
v. 25. *Cristi*] P. *Crispi.*
v. 27. *Deum*] P. *dium.*
v. 28. *Campis ut cæso*] P. *campi sub cæso.*

C. XXII. LEMMATE.

In hac pagina per] Pith. p. 354. *In sequenti adaque pagina per.*
Utrique] P. *uterque.*
Sit tertia, tertia cum velis, sit] P. *sit tertia & tertia c. v. s.*
Per ordinem] P. *pro ordine.*
Vinciri stam.] P. *vincire stam.* Malè.
Idem versus per anfractus varios sursum & d.] P. *Idem versus & per varios amfractus sursum ac d.*
In hac eadem pag.] P. *In eadem pag.*
Orthogona] P. *octogona.*
Dimidiata] P. *dimidiatu.*

CAR-

CARMINE XXII.

V. 4. *Limite*] Pith. p. 355. *milite.*
V. 5. *Verſu*] P. *verſo.*
V. 14. *Vinciri*] P. *vincire.* Malè.
V. 15. *Sarmaticas uſum ſtr.*] P. *Sarmaticas ſummas ſtr.*
V. 19. *Artiſſima*] P. *arciſſima.*
V. 22. *Conabor Phœbeo*] P. *conarer Phœbæo.*
V. 24. *Ruinis*] P. *Ruinas.*
V. 25. *Duro Marte*] P. *dura Morte.*
V. 28. *Cetera*] P. *cætera.*
V. 31. *Quæcunque*] P. *quæcunque.*
V. ult. *Placari in fata pr.*] P. *placarint fata.*

CARM. XXIII. LEMMATE.

In hac pagina hic] P. p. 356. *Et in ſequenti pag.*
In qua à prima littera pr. v. rubrica deſcendens] P. *in qua prima littera primi v. per obliquum lubrica deſcend.*
Ad primum verſum prope medietatem] P. *ad primi verſus prope medietatem.*
Teloſtichidis] P. *Teleſtichidis.*
Alternis utraque utrique] *Utraque* abeſt à Pith.
Pagina aliæ novem] Poſt hæc inſeruntur in Pith. *& item ultra mediam paginam pari ordine aliæ novem, & item in teleſtichide aliæ novem fac. verſ.*
Ad XXIII. teloſtichidis f. v.] Pith. *à viceſima tertia teleſtichidis littera faciunt verſum.*
Litteræ ab ultima littera Acroſtichidis] P. *Item ab ultima littera acroſtichidis.*
Aſcendentes] P. *aſcendens.*
Directæ] P. *directa.*
Deſcendentes] P. *deſcendens.*
In iſta pagina] P. *In hac pagina.*

CARMINE XXIII.

V. 2. *Victor*] P. p. 357. *ductor.*
V. 7. *Picto ſub carmine*] P. *pictor ſu Carmine.*
V. 8. *Vatum*] P. *vatem.*
V. 9. *Copia Muſæ*] P. *cœta Muſæ.*
V. 11. *Verſo aliud limo a. q. p. i. omnes*] P. *Verſu aliuo limo aliud quo pagina in omnis.*
V. 12. *Semina fandi*] P. *ſemita fandi.*
V. 13. *Juvat numen*] P. *jubet num.*
V. 21. *fœdera nutu*] P. *fœdere nutu.*
V. 25. *Deus*] P. *Deos.*
ibid. *Juſti*] P. *juſta.*
V. 28. *Mentis*] P. *mentes.*
V. penult. *Conpos*] Recte. Pith. malè *compos.*

CARM. XXIV. Pith. p. 375.

V. 7. *Auguſta rite ſæclis*] omittit hîc Pith. & ultimo loco ponit.
V. 12. *Hac ordo veſte clarus*] P. *Hinc ordo veſte clara.*
V. 16. *Tam Alma culmen Orbis*] P. *Jam Roma cul. Orbis.*
V. 22. *Iniqua tantis*] P. *iniqua lætis.*

v. 23. *Sollennibus*] P. *ſollemnibus.*

Hi verſus habent &c.] Omittit iſta Pithœus hîc, & ponit p. 374. ſed aliter ad finem Carminis 25. vide mox.

CARM. XXV.

v. 8. *Aſcenſu j. c. l. claudat*] P. ibid. *Aſcenſus j. c. l. cludat.*

v. 12. *Isdem*] P. *iisdem.*

v. 15. *Canoris*] P. *ſonoris.*

v. 17. *Suppoſitis*] P. *ſubpoſitis.*

v. 19. *Placidis*] P. *placitis.*

v. 22. *Animatque agitans*] P. *animæque agitant.*

v. 24. *Frequentia*] P. *frequenter.*

v. ult. *Quidquid*] P. *quicquid.*

In hac pagina organi] Pith. p. 374. *In ſequente pagina org.*

Qui primum verſum numero duplicat litterarum cum ſit pari metro] Pith. *qui duplicat numerum litterarum primi verſus, cum primus verſus ſit pari metro.*

Quæ quaſi r. o. deſignant] P. *Qui q. r. o. deſignat.*

Mox addit Pithœana Editio, quæ Velſerus ſubjecerat 24. Carmini:

*Incedunt verſus * qui * longuo cum labore poſiti ſunt, & habent metrum Jambicum diametrum catalecticum: omnes litterarum octonum denum.*

Ad hæc duo Carmina adhibe *Buchnerum* ad Hymnum Venantii Fortunati de Reſurr. Chriſti pag. 27. & *Barthium* ad Claudian. 2. Edit. p. 179.

CARM. XXVI.

v. 3. *Pangentes*] Pith. p. 372. *pangentis.*

ibid. *Vates*] P. *Vatis.*

Omnes verſuum ordinibus tant.] P. *omnium verſuum ordines t.*

LXXII. facere] P. *octaginta quattuor facere.*

Ardua componunt] Abſunt hæc omnia à Pithœana Editione.

TANTUM EST.